

Eduard Fraenkel
1936

GEORG. FRID. SCHOEMANNI

OPUSCULA ACADEMICA.

VOLUMEN III.

MISCELLANEA.

BEROLINI
IN LIBRARIA WEIDMANNIANA
MDCCCLVIII.

INDEX OPUSCULORUM.

DE RETICENTIA HOMERI.

A veteribus Homeri interpretibus non raro schematis cuiusdam 3
elliptici mentionem fieri videmus, quod κατὰ τὸ σιωπώμενον dicitur, quo schemate poetam usum esse autumant, ubi aliquid, quod dici debuisse videatur, silentio praetermittit, ut ab ipsis auditoribus subaudiendum. Ἔστι γὰρ τοῦτο, inquit Eustathius p. 174, 22, μέθοδος συντομίας, ὡς μὴ θέλοντος τοῦ ποιητοῦ ἐνδιατρίβειν τοῖς μὴ καιρίοις. Et sane non mirum aut reprehensione dignum iudicabimus, si non omnes res minimas semper disertis verbis exponere, sed nonnulla etiam auditorum intelligentiae relinquere voluerit, verbosaeque et putidae loquacitati talem brevitatem praetulerit, quae nec destitueret auditorem summae rei intentum, nec moraretur supervacanea leviorum commemoratione, suntque hac ratione aliquot loci, in quibus unus aut alter criticus offenderat, non inscite ab aliis defensi. Velut Il. II, 76, ubi Agamemnon in principum consessu verbis factis consedisse dicitur (ἦτοι ὅγ' ὡς εἰπὼν κατ' ἄρ' ἕζετο), quum antea v. 55 non dictus sit ad dicendum surrexisse, id quod alibi in huiusmodi narrationibus non solet praetermitti, haec res Zenodotum adeo offendit, ut v. 55 pro eo, quod nunc legitur, τοὺς ὅγε συγκαλέσας πυκινὴν ἠρτύνετο βουλήν, hos duos versus reponeret: αὐτὰρ ἐπεί ῥ' ἤγερθεν ὁμηγερέες τ' ἐγένοντο τοῖσι δ' ἀνιστάμενος μετέφη κρείων Ἀγαμέμνων. Longe aliter Aristarchus, qui quum hoc ipsum parum credibile iudicaret, Agamemnonem in septem virorum consessu — tot enim convocati erant — stantem verba fecisse, versum 76 et septem proximos cum hoc cohaerentes plane eiiciendos esse censebat. Alii contra, quorum auctoritatem Eustathius sequitur, haudquaquam illud incredibile rati,

Agamemnonem, quamvis pauci adessent, tamen, ut in concione, ad dicendum surrexisse, disertam huius rei mentionem, ut supervacaneam, impune ab Homero reticeri potuisse iudicarunt: quod iudicium, a recentioribus, quod quidem ego meminerim, omnibus comprobatum, mihi quoque rectissimum esse videtur [1]). — Porro Iliad. I, 490, de Achille ob acceptam ab Agamemnone iniuriam irato, inter alia haec dicuntur: *οὔτε ποτ᾽ εἰς ἀγορὴν πωλέσκετο κυδιάνειραν, οὔτε*
4 *ποτ᾽ ἐς πόλεμον* —, estque loci illius contextus eiusmodi, ut non possint haec nisi de eo tempore dicta accipi, quod medium fuit inter iniuriam Achillis reditumque deorum ex Aethiopia in Olympum, quo eos post dies duodecim, sicut Thetis v. 245 praedixerat, reversos esse poeta v. 493 memorat. Atqui nulla per hos duodecim dies concio Achaeorum, nullum proelium memoratur: et sunt tamen verba illa eiusmodi, ut abstinuisse Achillem propter iram concionibus et proeliis significent: abstinere autem rebus, quae nullae sunt, nemo dici potest. Itaque hic quoque reticuisse Homerus videtur, quae ab auditoribus subaudiri deberent: *εἰκὸς κατὰ τὸ σιωπώμενον καὶ ἐκκλησίαν καὶ πόλεμον πρὸς τοὺς περιοίκους γενέσθαι*, inquit Schol., in qua sententia non intercedo equidem quominus acquiescamus. — Nec graviorem offensionem habet IV, 159, ubi Agamemnon, ruptam foederis fidem increpans, *οὐ μέν πως*, inquit, *ἅλιον πέλει ὅρκιον αἷμά τε ἀρνῶν, σπονδαί τ᾽ ἄκρητοι καὶ δεξιαὶ ᾗς ἐπέπιθμεν.* Notarunt sane nonnulli, *δεξιὰς* nunc dici, quum in superiore libro, ubi ritus foederis sanciendi singulatim memorantur, dexterarum tamen ad firmandam fidem datarum nulla mentio facta sit, utiturque Lachmannus [2]) etiam hoc argumento, quo hanc partem Iliadis ex alio, quam superiorem, carmine desumptam esse probet. Nos, quamvis ceteroquin non vanas Lachmanni suspiciones esse iudicemus, huic tamen argumento non multum tribuendum esse concedimus, sed audiendum potius schol. BL.: *δεξιαὶ ἐγένοντο ἴσως κατὰ τὸ σιωπώμενον*, aut Eustathium: *σημείωσαι δ᾽ ἐνταῦθα ὅτι ἐν τοῖς ὁρκίοις καὶ δεξιῶν ἥπτοντο, εἰ καὶ Ὅμηρος οἰκείῳ νόμῳ τοῦτο ἐσίγησεν ἐν τοῖς φθάσασιν, ὡς καὶ ἐπὶ ἄλλων*

---

1) Conf. Il. VII, 347 et 354, ubi item consedisse dicitur, qui non dictus erat surrexisse.

2) Betrachtungen über Homers Ilias v. K. L. mit Zusätzen v. M. Haupt. Berl. 1847. p. 19.

πολλῶν ποιεῖ, κατὰ σχῆμα ἀποσιωπήσεως. — Item VI, 114 offendit veteres quosdam criticos, quod Hector proelium relicturus, quo supplicationem in urbe fieri iubeat, *βείω*, ait, *προτὶ Ἴλιον, ἠδὲ γέρουσιν εἴπω βουλευτῆσι καὶ ἡμετέραις ἀλόχοισιν δαίμοσιν ἀρήσασθαι*, neque tamen aut ab Heleno, v. 87, quum Hectori illud consilium suggerit, neque ab ipso Hectore, v. 260, quum matri suae supplicationem mandat, ulla senum senatorum mentio fit. Removendae offensioni duplex ratio inita: *νοητέον*, inquit schol. A., *ἤτοι κατὰ τὸ σιωπώμενον κἀκείνοις αὐτὸν εἰρηκέναι, ἢ ὡς ἐπὶ στρατείας* (leg. *στρατιᾶς*) *καὶ παρατάξεως τοῦ πρέποντος χάριν τοῦτο προστεθεικέναι.* — Levissima res est XVI, 411, de Patroclo, qui quum non pedibus sed curru insistens proelietur, tamen Erylaum saxo coniecto percutit. *Πῶς λίθων εὐπορεῖ*, inquit Schol., *ἐφ᾽ ἅρματος ὤν;* sed respondet ipse: *ἔοικε κατὰ τὸ σιωπώμενον καταβεβηκέναι ἀπὸ δίφρου, εἶτα μετὰ τὸ πλῆξαι τὸν Ἐρύλαον πάλιν ἀναβεβηκέναι.* Alii, quorum Eustathius mentionem facit, rem sic expediverunt, ut dicerent Patroclum fortasse provisa in curru saxa habuisse, si quibus utendum foret. Recte autem nuper Faesius admonuit, iam e v. 404, ubi Thestorem Patroclus prope adstans hasta percutit (*ἔγχεϊ νύξε παραστάς*), colligi posse, eum de curru descendisse. — Non minus leve, quod XXI, 17 Achilles gladio usurus hastam ad ripam fluminis myricis obtectam reliquisse, mox tamen v. 67 contorsisse hastam in Lycurgum dicitur. Notaverat hoc Zenodotus, quemadmodum depositae, sic etiam resumptae hastae mentionem disertam fieri debuisse ratus: sed redarguit eum Aristarchus, *ὡς ἀγνοοῦντα ὅτι πολλὰ δεῖ προσδέχεσθαι κατὰ τὸ σιωπώμενον ἐνεργούμενα.*

Haec igitur atque similia facile sic explicari et defendi posse con- 5
cedimus: sunt autem alia, quorum non tam expedita est defensio, neque iniectus animo scrupulus illo reticentiae schemate adhibito facile eximitur. Ex hoc genere illud est, quod XVII, 24 Menelaus cum Euphorbo ad certamen congressus fratrem huius Hyperenorem, ante a se interemptum, convicia in se iactasse ignaviamque sibi exprobrasse memorat, cuius rei in illa parte Iliadis, quae Menelai cum Hyperenore pugnam refert, XIV, 516, nulla prorsus mentio facta est. Absolvitur enim ibi omnis narratio his versibus: *Ἀτρείδης δ᾽ ἄρ᾽ ἔπειθ᾽ Ὑπερήνορα ποιμένα λαῶν οὖτα κατὰ λαπάρην, διὰ δ᾽ ἔντερα χαλκὸς ἄφυσσεν δῃώσας· ψυχὴ δὲ κατ᾽ οὐταμένην ὠτειλὴν ἔσσυτ᾽ ἐπειγομένη,*

τὸν δὲ σκότος ὄσσε κάλυψεν. Scholiastae quidem etiam convicia ista Hyperenoris *κατὰ τὸ σιωπώμενον* subaudienda esse, quamvis dubitanter, suspicantur. Nobis probabilius videtur, fuisse in alio quopiam carmine accuratiorem de Hyperenoris caede narrationem, quae quum non recepta esset in compositione Iliadis, hunc tamen locum libri XVII, qui illuc respiceret, per negligentiam quandam intactum ut erat relictum esse. — Porro lib. XVI v. 432 Iupiter Sarpedonem conspicatus cum Patroclo congressum Iunonem alloquitur, seque ambigere profitetur, eripiatne fatali morti filium, an occidi a Patroclo patiatur, quam illa orationem vehementer improbans persuadet marito ne fatis obsistat. Apparet ex hoc colloquio, hos duos nunc una esse, et quidem in Ida monte, quo se Iupiter contulisse dictus est XI, 183, neque adhuc inde in Olympum revertit, id quod XVI v. 677 demonstrat. Atqui Iuno visitaverat quidem in Ida sedentem, XIV, 283, sed dudum ab eo in Olympum remissa est, XV, 54. 79, unde eam post iterum in Idam reversam esse nusquam poeta dixit. Hanc ob causam Zenodotus totum hoc Iovis cum Iunone colloquium, a v. 432—459, pugnare cum reliqua narratione ideoque pro insiticio habendum esse iudicavit, cui equidem assentiri malo, quam Aristarcho illum reprehendenti, quod nescierit *ὅτι πολλὰ κατὰ συμπέρασμα λέγει ὁ ποιητὴς γεγονότα, καὶ οὐ δέον ἐπιζητεῖν, πῶς ἡ μικρὸν ἔμπροσθεν ἐπὶ τὸν Ὄλυμπον παρακεχωρηκυῖα νῦν ἐπὶ τῆς Ἴδης ἐστί.* Non defuerunt tamen ex recentioribus, quibus haec defensio satisfaceret, quorum unus insuper addidit, tam artam Graecorum opinione coniunctionem Iunonis cum Iove fuisse, ut, licet illa antea discessisse ab eo dicta sit, nihilo minus tamen nunc quasi praesens induci potuerit. Tam promptos ad credendum animos de huiusmodi propugnaculis deiicere frustra coneris. Ceterum cohaeret hic locus cum altero haud minus suspecto, XVI, 666, in quo item Zenodotus non iniuria haesitavit, licet medicinam non satis prospere tentaverit. Iupiter enim, quemadmodum paullo ante Iunonem, sic nunc interfecto Sarpedone Apollinem alloquitur, quem in Ida versari non magis quam illam poeta indicavit. Hinc Zenodotus pro eo quod nunc legitur, *καὶ τότ' Ἀπόλλωνα προσέφη νεφεληγερέτα Ζεύς*, sic potius scribendum suasit, *καὶ τότ' ἄρ' ἐξ Ἴδης προσέφη Ζεὺς ὃν φίλον υἱόν*, deleto simul versu 677, quo ab Ida descendisse Apollo dicitur. De correctione ista contendere nolumus cum adversariis Zenodoti, quibus ridiculum videbatur, Iovem ex Ida monte Apollinem absentem

inclamare; quum vero addunt, *ὅτι τὰ τοιαῦτα κατὰ τὸ σιωπώμενον ἐνεργούμενα δεῖ προσδέχεσθαι*, ad idem rursus defensionis genus confugiunt, quod mihi quidem, quanto saepius in unius narrationis tenore adhibendum est, tanto magis suspicionem movet. Illud certe manifestum est: si omnem hanc de Sarpedone narrationem ab hac, cui 6
nunc inserta est, parte Iliadis seiunctam legeremus, nemo non Iovem cum Iunone, Apolline ceterisque deis in Olympo, ut assolet, versantem agnosceret. Quid igitur causae est, cur non rem sic etiam ab eo, qui primus haec cecinit, propositam fuisse credamus, postea autem, quum visum esset hanc narrationem huic rhapsodiae inserere, a diasceuastis additum esse versum 677, quoniam scilicet haec pars Iliadis Iovem in Ida sedentem poscere videretur? Est praeterea aliud quid in hac narratione non inscite a Zenodoto notatum: iniunctum Apollini munus cadaveris curandi, parum illud conveniens huius dei personae. Neque tamen propterea ille omnes hos versus, a 666 ad 683, eiicere ausus est, quemadmodum Heynius credidit. Hoc autem pro certo affirmare licet, si quis totum hunc locum de Sarpedonis certamine, morte et in Lyciam deportatione plane resecuerit et ex hac Patrocliae compage removerit, nihil ad integritatem reliqui carminis defuturum esse. — Insiticium haud dubie etiam alterum Iovis cum Iunone colloquium est post mortem Patrocli, XVIII, 356—386, de quo post Wolfium, prolegg. p. CXXX, plerique nunc consentiunt, praeter Bothium, Spitznerum, Faesium. Quod autem in scholiis legimus, *ἡ διπλῆ, ὅτι κατὰ τὸ σιωπώμενον ἐξ Ἴδης εἰς Ὄλυμπον γέγονεν ὁ Ζεύς, καὶ οὐ ξενιστέον ὅταν λέγῃ (ὁ ποιητής) κατὰ συμπέρασμα*, apparet hic quoque quaesitum fuisse, ubinam Iupiter et Iuno una esse putandi forent, in Idane an in Olympo. Reversum autem ab Ida in Olympum Iovem iam XVII, 167. 8. et 545 agnoscimus, de cuius reditu quum disertius exponere poeta supersederit, est sane hoc verum reticentiae exemplum. Neque tamen hinc illud colloquium Iovis cum Iunone minus suspectum fit, cuius damnandi aliae causae gravissimae sunt, de quibus quoniam dudum ab aliis, et nuper etiam a Nitzschio expositum est, nunc a nobis dici nihil attinet. — Non levem offensionem habet etiam XV, 668, ubi subito Minerva caliginem ab oculis Graecorum discussisse dicitur, quae quando et quo modo et a quonam offusa fuerit, nusquam antea indicatum est. Itaque huic quoque loco nonnulli reticentiae figuram adhibuerunt: scilicet hoc ipso, quod discussa caligo dicatur, satis apparere, eam antea aliquo modo offusam fuisse,

ut licuerit poetae hoc subaudiendum nobis relinquere. Alii, spreta tam frivola defensione, ipsam potius caliginem figurate dictam acceperunt de timore mentes Graecorum quasi occaecante, quem quum Iupiter iniecerit, (v. 593 θέλγε δὲ θυμὸν Ἀργείων), nunc Minerva rursus adimere dicatur. Id recentioribus quibusdam placuit, Koeppenio saltem et Bothio, praeivit autem iam Eustathius, apud quem Minerva est ἡ φυσικὴ φρόνησις, caligo autem ἡ ἐξ ἀθυμίας ἀχλὺς· ἡ δίκην νέφους τῷ ἐν ἡμῖν ὀπτικῷ ἐπιπροσθέουσα. Hocine igitur probabimus, an eum potius audiemus, quisquis is est, cuius in schol. Victor. suspicio proditur: λέγοις ὡς λείπει ἄλλα ποιήματα, δι' ὧν ἐδεδήλωτο ταῦτα. Nempe factum est hoc loco idem, quod paullo ante in Hyperenoris pugna cum Menelao factum esse suspicati sumus, ut ex antiquo carmine parte aliqua resecta, nonnulla tamen, quae illuc respicerent, per incuriam relinquerentur. Atque simile quid etiam libro VI, 337 accidisse suspicor, ubi item nonnulli ad illud suum κατὰ τὸ σιωπώμενον confugiunt. Excitatus ab Hectore Alexander, ut in proelium revertatur, paratum se esse, et uxoris
7 quoque blandis hortationibus impulsum respondet, νῦν δέ με παρειποῦσ' ἄλοχος μαλακοῖς ἐπέεσσιν ὥρμησ' ἐς πόλεμον. Atqui de blandis quidem verbis Helenae, quibus illa maritum ad proeliandum hortata sit, nihil quidquam antea memoratum est. Oneravit potius Alexandrum conviciis, ignaviam exprobravit, cum irrisione acerbissima „i nunc“ dixit „offer te rursus ad certamen Menelao; sane consultius erit, tali pugna abstinere, ne mox te illius hasta prosternat“ III, 428—436. Haec quam longe a blandis verbis abhorreant, in aperto est. Statuendum igitur aut mentitum esse Alexandrum propter pudorem, aut Helenam post concubitum, quem illi haud invita concessisse videtur, mitigato animo placidius maritum tractasse. Sic visum veteribus, qui παραμυθίαν Helenae, h. e. amicam exhortationem, κατὰ τὸ σιωπώμενον subaudiri iubent. Sed est alterum in eadem narratione offendiculum. Reprehendit enim Hector Alexandrum, v. 326, quod propter iram proelio abstineat, ipse autem Alexander, v. 335 sqq., quum non tam irae et indignationi, quam dolori se indulsisse respondet, significat tamen haud ambigue, etiam irae et indignationis causam sibi non defuisse. Sed quum nihil huiusmodi ab Homero commemoratum sit, rursus ad coniecturam res redit, ut quae ille disertius indicare supersedit, ipsi subaudire κατὰ τὸ σιωπώμενον conemur. Et praeiverunt iam veteres. Ἡ διπλῆ, inquit schol. A., ὅτι ἄπορον

ποῖον χόλον· λύοιτο δ' ἂν ἐξ ὑποθέσεως. μήποτ' οὖν ἀκούων τοὺς Τρῶας καταρᾶσθαι αὐτοῦ ἐχολοῦτο. Et sane invisum Alexandrum Troianis fuisse legimus III, 451, multosque ante eius cum Menelao certamen Iovem invocasse, uter eorum belli auctor esset, is ut vinceretur. Sed nec audivisse haec Alexandrum poeta memorat, et, si forte audivit aegreque tulit, Hectorem tamen mirabimur hanc iram fratris ut cognitam sibi perspectamque eius absentiae causam statim memorantem. An dicemus hunc simulate loqui, parcentem scilicet coram Helena fratris pudori, ideoque iram dicere, quum ignaviam potius cogitaret, illum autem hanc simulationem libenter arripere? Id quoque nonnullis placuit. Sed verior ratio haec esse videtur, ut dicamus, de ira et indignatione Alexandri disertius dictum fuisse in vetere carmine, cuius haec una pars de revocato in proelium Alexandro in hanc nostram Iliadem recepta sit.

Proposita haec a me sunt non eo consilio, ut omnes id genus locos, quibus explicandis illam reticentiae figuram veteres critici aut recte aut secus adhibuerunt, singulatim persequerer, sed ut proluderem quodammodo accuratiori quaestioni de finibus eius figurae apud Homerum regundis. Nam si reticentiam appellamus ubicunque aliquid, quod dici debuisse videatur, non tamen dictum sit, verendum est, ne paullo plura huius generis in Iliade praesertim deprehendantur, quam quae adhuc a criticis hoc nomine notata sunt. Sed intricata quaestio erit propterea, quod quid debuerit ubique dici, quid non debuerit, decerni plerumque non poterit, nisi de consilio poetae operisque descriptione ad hoc consilium accommodata constiterit: de consilio autem et descriptione Iliadis haudquaquam adhuc inter viros doctissimos constare, quis nescit? Coaluisse eam ex compluribus carminibus, hoc quidem omnes nunc consentiunt; sed qua ratione coaluerit, quidve eius compositor in operis designatione sequutus sit, permagna est dissensio. Alii enim omne illius consilium in eo substitisse arbitrantur, ut una actio primaria ab initio ad exitum naturali quodam ordine probabiliter deduceretur, subiunctis aliis quasi secundariis actionibus, 8
quae cum illa necti commode posse viderentur, utque ascisceretur ex Iliacorum carminum multitudine si quid huic consilio aut sua sponte accommodatum esset, aut accommodari facile posset. Alii contra eum non hoc solum spectasse volunt, ut probabilem exhiberet actionum seriem et connexionem, sed ut quasi speculum quoddam proponeret vitae humanae, ad delectandos non magis auditorum animos,

quam ad movendos salubriter et monendos comparatum. Igitur huc eum omnia retulisse, ut admonerentur heroum exemplis auditores, quae esset humanitatis conditio, qui modus in rebus, qui fines, quos egredi mortalibus non liceret; eique consilio quum cetera, tum Achillis maxime personam accommodatam esse. Proponi enim hunc initio quidem facta sibi iniuria non immerito iratum, mox, quum modum in ira excedat et ne satisfacienti quidem cumulate adversario placetur, gravem ipsum culpam contrahere: hanc graviorem fieri eo, quod in summo rerum discrimine nonnihil quidem, neque tamen quantum deberet, de pertinacia remittat, quamobrem mox ei poenam imponi, gravissimo ipsi vulnere amici morte inflicto, ad quam vindicandam quum rursus supra modum in eius interfectorem saevisset, postremo tamen deorum ipsorum obiurgatione Priamique senis precibus et admonitione ad moderationem humanaeque sortis recordationem revocari. Praedicant autem quum sapientiam poetae, qui tale potissimum argumentum tam grave tamque tragicae cuiusdam dignitatis plenum ex omni Troicarum fabularum multitudine sibi tractandum elegerit, tum vero singularem prorsusque divinam artem in ipsa eius tractatione. Quippe ingentem rerum varietatem sic tamen esse dispositam, ut unitas argumenti nusquam non appareat, secundarias partes omnes uni primariae actioni apte implicatas, ut ei illustrandae mirum quantum inserviant, actuum quasi in dramate progressum, ut a protasi per epitasin variasque peripetias ad catastrophen denique perveniatur: in moribus vel deorum vel hominum effingendis summam sollertiam et aequabilitatem, in describendis rebus et quasi ante oculos ponendis admirabilem perspicuitatem, denique in omni orationis conformatione atque habitu nativam et sinceram elegantiam omni laude maiorem. Haec autem omnia eiusmodi esse, quae effici nisi unius summi poetae ingenio non potuerint, qui licet aliorum poetarum carminibus in operis sui compositione usus sit, — cuius rei passim indicia deprehendi, — sic tamen iis usum esse, ut ex alienis sua faceret, suam iis notam imprimeret, suam quasi animam inspiraret. Atque sic tantam evasisse Iliadis unitatem, tamque indissolubilem partium compagem, ut si quis hanc a se dissolvi variorumque, quae intexta sint, carminum antiquam et nativam formam agnosci posse confidat, — id quod Lachmannus aliique voluerunt, — is nimio acumine caecutire intelligendoque nihil intelligere dicendus sit.

Haec atque talia quum nuper a Nitzschio accurate, ut solet, et

copiose disputata legerem[3]), non sane mediocriter me commotum esse fateor. Nam plurima inesse videbam, de quorum veritate neque ego dubitarem neque dubitari ab aliis posse iudicarem. Ab his autem ille profectus viam sibi munivit ad alia, quae minus in confesso erant, probanda, omnibusque rebus, quae causae suae aliquo modo prodesse possent, summa cum diligentia collectis et in uno conspectu positis 9
assentiri sibi lectorem quodammodo coegit. Ego certe sic me affectum inter legendum sentiebam. Posito tamen libro quum ad Homerum ipsum redirem, multae rursus se offerebant dubitandi causae, neque eadem rerum facies videbatur in Iliadis contextu, quae fuisset in Nitzschii disputatione. Ne multa: assentior viro doctissimo de universa Iliadis compositione hactenus certe, ut similem quandam carminis descriptionem, quam quae a Nitzschio designata est, cum tali argumento summaque sententia etiam veteris poetae animo obversatam fuisse credam; non assentior autem de summo omnibusque numeris absoluto compositionis artificio. Nam quum Nitzschius intexuisse quidem poetam Iliadi aliorum carmina aut carminum partes fateatur, verum sic eum haec omnia intexuisse autumet, ut prorsus sua fierent et ad totius carminis argumentum et consilium plane accommodarentur, ego contra eum intexuisse nonnulla arbitror etiam minus accommodata, quorum loco, si totum carmen ipse faciendum, non etiam ex alienis concinnandum suscepisset, alia fortasse aptiora legeremus. Non de talibus loquor, quae tanquam insiticia et compositae iam Iliadi ab interpolatoribus addita dudum vel ab aliis vel ab ipso Nitzschio notata sunt, quibus resectis non officitur sed consulitur carminis integritati; sed esse quasdam carminis partes aio plane necessarias et quas resecari salva reliquarum compage non posse appareat, neque tamen tales, quales esse deberent. Complura huius generis iam ab aliis animadversa sunt: ego nunc in iis me continebo, in quibus ista, de qua dicere coepi, reticentia agnoscenda erit, hoc est ubi non dicta sunt, quae dicenda fuisse videantur.

Librum secundum legenti semper illud mihi permirum visum est, quod simul atque Graecorum copiae ex castris in campum eductae sunt, statim etiam Troiani urbe relicta ad proelium procedunt, id quod antea nunquam facere soliti erant. Nam post primum illud certamen,

---

3) Die Sagenpoesie der Griechen kritisch dargestellt. B. 1. Die Homerische Kunstepopoee in nationaler Theorie. Braunschw. 1852.

quo egressos navibus Graecos frustra repellere conati sunt, — quo certamine Protesilaus, qui primus omnium de nave desiluit, occisus esse dicitur II, 701, — per omne reliquum tempus tantus fuerat apud eos terror tantaque virium diffidentia, ut tolerare obsidionem quam in pugnae discrimen se committere mallent. Certe nunquam universis copiis conflictatum est, paucae fortasse per occasionem ex urbe eruptiones factae, quum Graeci, praeterquam quod illos obsessos tenebant, crebro etiam longinquiores excursiones tuto susciperent sociasque urbes expugnarent, in quibus Thebas, Lyrnesum, Pedasum aliasque non paucas. Nam tres et viginti a se captas et direptas esse Achilles gloriatur IX, 328. Unde igitur nunc haec subita audacia? Ridebunt haud dubie multi sic quaerentem, ut qui non perspiciam, id quod in aperto sit, antea Troianos metu Achillis perculsos moenibus se continuisse, nunc autem, hoc metu dempto, non amplius certamen detrectare [4]). Sic enim non solum Achillem gloriantem audimus IX, 352, sed confirmatur res etiam Iunonis et Neptuni testimoniis V, 788.
10 XIII, 105, ipsiusque Agamemnonis ceterorumque principum confessione IX, 116 aliisque locis. Nolo quaerere, cur ne absente quidem in expeditionibus Achille decertare cum iis ausi sint, qui in castris remansissent: nam responderi poterit, nescivisse eos, utrum abesset ille an non, nunc autem certiores factos de eius ira utque abstinere in totum bello decreverit, reliquos non iam pertimescere. Sane sic ut statuatur omnis oeconomia carminis flagitat; sed, nisi fallor, flagitabat non minus artis lex, ut id etiam diceretur, neque incommodus ad dicendum locus erat in Iridis oratione, quum ea Jovis mandato Troianos Graecis obviam ire iubet, II, 786—806. Nunc autem Iris nihil nisi incredibilem hostium multitudinem memorat, quae res terrorem potius Troianis quam animos addere debuisse videtur; illud contra, quo uno haec insolita ad decertandum audacia credibilis fieri potuit, ne verbo quidem tangit. Reticentiam igitur poetae in hac parte narrationis nemo non poterit agnoscere, neque defuturos esse credo, qui hanc non modo non mirandam, sed, si ipsis ita placuerit, etiam laudandam esse rationibus acutulis demonstrent. Interim tamen, donec veriora edoctus fuero, profiteor equidem hanc mihi narrationem non sic ut par erat ad reliquam carminis oeconomiam accommodatam videri, sed prodere alium poetam, cui non eadem, quam supra descrip-

4) Cf. Nitzsch. l. l. p. 202.

simus, rerum Troianarum conditio habitusque animorum obversaretur.

Mira et incredibilis quaedam Troianorum cupiditas pugnandi etiam libro IV nos advertit. Antea enim, quum convenisset de singulari certamine Alexandri et Menelai, non modo magnopere omnes gavisi esse dicuntur, quod sic gravissimo bello finem imponi posse sperarent, III, 111. 112, sed posteaquam superatus Alexander a Menelao, morti autem Veneris auxilio ereptus est, tantum fuisse legimus Troianorum in Alexandrum odium, ut libenter eum, si potuissent, dedituri fuissent, III, 451 sqq., postulantique deinde Agamemnoni, v. 456, ut ex pacto Helenam victori reddant, nemo obloquitur. Neque sane dubium esse potest, quin, qui vel interfecto Alexandro laetaturi vel ad dedendum parati fuissent, pactionem saltem implendam esse consenserint. Sed ecce Pandarus spreta foederis fide occidere Menelaum conatur, gratum id non modo Alexandro sed Troianis omnibus fore sperans, IV, 95; ceteri autem vix emissa ab eo sagitta vulneratoque Menelao summo consensu, et ne expectato quidem ducis imperio, arma Graecis inferunt v. 221. Certe nulla alicuius imperii mentio fit, neque credibile est Hectorem, qui ductabat exercitum, sic imperaturum fuisse, omni foederis fide ac religione violata: pugnaret enim hoc cum viri moribus, quales in tota Iliade cognoscimus, neque unquam perfidiosam pacti violationem a quoquam huic imputari videmus. Est igitur etiam in hac narratione aliquid haud dubie offendiculi: quid rei actum sit, poeta refert; causas autem et rationes, cur sic agi potuerit, explicare supersedit. Habebunt ergo hic quoque interpretes, in quo coniectandi sollertiam ostendant[5]) et quae ille reticuit potuisse aut etiam debuisse
reticeri nos edoceant. Ceterum ego omnem hanc partem Iliadis, a 11
III, 14 ad IV, 446, si abesset, non magnopere desiderarem, in qua ut sint nonnulla ad universam Iliadis compositionem satis apta, velut *τειχοσκοπία* et Agamemnonis *ἐπιπώλησις*, de quibus nolo nunc contendere, nihil tamen horum necessarium esse apparet, suntque alia

---

5) Viam monstrabunt schol. ad IV, 221: *διὰ τί οἱ Τρῶες, εἴπερ πάλαι καταθέσθαι τὸν πόλεμον ἐβούλοντο, οὐ ζητοῦσι τὸν βαλόντα, ἀλλ' εὐθὺς ὁρμῶσιν ἐπὶ τὰ ὅπλα; ὅτι ᾤοντο βουλῇ τῶν βασιλέων πεπρᾶχθαι τὴν παράβασιν· καὶ εἰ μὲν τέθνηκε Μενέλαος, κρατήσειν τῶν Ἑλλήνων ἤλπιζον διὰ τὴν ἐπ' ἐκείνῳ λύπην καταπεπτωκότων, εἰ δὲ μή, κἂν φθάσαι ἀόπλοις αὐτοῖς ἐμπεσεῖν. διὰ τί δὲ πάλιν Ἕκτωρ οὐκ ἐζήτησε τὸν βαλόντα; ὅτι οὐκ ἦν ἀναλαβεῖν τὸ πταῖσμα ἅπαξ Μενελάου τρωθέντος.*

aut prorsus otiosa nulliusque ad rem summam momenti, aut etiam eiusmodi, quae cum aliis partibus conciliari vix posse videantur. Ex hoc genere est Iovis illa deliberatio, lib. IV. init., quum consultandum ait, implerine pactionem et pacem inter Graecos et Troianos componi, an bellum redintegrari placeat. Nam oblitum se esse ostendit non solum veteris cuiusdam promissi, quo Iunoni excidium Troiae spoponderat, sed hesternae quoque pollicitationis, quum se iniuriam Achillis magnis Graecorum cladibus vindicaturum esse Thetidi annuit, id quod perfici nisi bello redintegrato non potuisse apparet. Itaque qui hanc partem tuentur, non serio Iovem sed simulate loqui volunt, lacessentem per iocum uxorem filiamque, quas maxime Troianis infestas esse sciebat, dilaudantque poetae inventionem, qui sic, ante quam ipsius belli casus narraret, patefieri etiam hoc voluerit, quonam animo erga utrosque dei essent[6]). Et sane patefiunt implacabiles Iunonis et Minervae in Troianos irae, quae satiari nisi horum interitu non possent; sed unde tantae animis caelestibus irae, hoc non patescit. Scilicet nihil opus erat id exponi, vel quod non ignoraretur ab auditoribus, vel quod non requireretur, vel etiam propterea, quod, si satis iustas illae causas irarum haberent, minus iustus Iupiter videretur, qui dignam poenam Troianorum tam aegre tamen concessisset et tam lente exigeret. Itaque hoc genus reticentiae non modo non mirandum, sed laudandum potius autumant. Nolo contra dicere, neque illud nunc quaerere, num non talis quaedam ratio iniri potuerit, quae non conniventem quidem Iovem, sic ut nunc videri necesse est, ad Troianorum iniurias, sed tardum tamen ad ulciscendum monstraret, quo scilicet illis poenitentiae tempus foret. Nam fateor mihi omnem hanc quaestionem non magnopere ad huius carminis argumentum pertinere videri, quippe quod non in universo bello Troiano eiusque causis et eventu, sed tantum in Achillis ira eiusque expiatione versetur.

Magis huc pertinet Iovis consilium de Achillis ultione. Affectus hic erat ab Agamemnone gravi sane et contumeliosa iniuria, ad quam ulciscendam matris auxilium implorat. Mater Iovem adit, contumeliam filio factam conqueritur, petit ut honori eius Iupiter consulat eamque ob causam Troianis victoriam tantisper concedat, donec Achilli satisfactum fuerit. Iupiter diu tacitus sedet: tandem iterum precibus fatigatus facturum quidem se quod illa petiverat pollicetur, sed aegre

---

6) Nitzsch. l. l. p. 199.

tamen id a se impetrari fatetur propter Iunonem Troianis infestam
eorumque successum graviter laturam. In hac narratione, si sola per
se spectetur, nihil esse, quod reprehendi aut desiderari possit, equidem
lubens agnosco; sed mirabor, si etiam satis accommodata dicetur ei
rationi, qua omnem Iliadis compositionem contineri audimus, ut vin-
dex humanae iniuriae et ὕβρεως numen deorum appareat. Nam
profecto non valde promptum ad ὕβριν Agamemnonis castigandam
hunc Iovem esse videmus, quam ut castiget non sua sponte et iustitiae
amore, sed Thetidis gratia veterumque beneficiorum ab ea acceptorum
memoria vix tandem et paene invitus permovetur. Itaque nisi Thetis
pro filio intercessisset, impunita, per Iovem certe, Agamemnonis
iniuria fuisset. Ipsa autem eius poena talis est, qua non is tantum, 12
qui deliquerat, sed ceteri quoque omnes, et gravius quidem, plectantur,
quorum tamen culpa omnis in eo constitit, quod fieri a rege iniuriam
passi sunt, si haec culpa dicenda est, ac non potius regiae maiestatis
reverentia. Sic igitur paullo diversam hanc Iovis personam esse
fatendum erit ab ea, quae esse deberet apud poetam iustitiae divinae
in ὕβρεως castigatione exemplum proponere volentem. Nam quod
quis opponat, non fuisse Iovem Thetidis precibus obsequuturum,
nisi etiam iustitiam causae approbasset: fieri sane potest ut verum sit,
potest autem etiam, ut falsum. Hoc autem manifestum esse arbitror,
poetam, si talem Iovis mentem atque animum cogitari ab auditoribus
voluerit, illud ipsum, quod unum maxime ad rem pertineret, non de-
buisse sic per reticentiam obscurare.

Vix aliter iudicari poterit de illis partibus Iliadis, ubi de Achillis ipsius culpa eiusque castigatione dicendum fuit. Agamemnon enim, successu Troianorum perculsus et graviora metuens, nihil non tentandum esse statuit, quo illum sibi reconciliet. Missis igitur legatis, totius exercitus principibus et Achilli amicis, poenitere se peccati sui profitetur idque quantum possit correcturum: nam non munera solum missurum longe amplissima, additurumque insuper alia, si hostes victi forent, nec restituturum solum Briseidem, quam intactam a se esse iureiurando affirmat, sed suam ipsius filiam in matrimonium daturum cum dote, quantam nunquam quisquam genero contulerit, ponat modo ille iram laborantibusque suis opem ferat. Achilles contra neque culpae confessione neque muneribus oblatis honori suo satisfactum ratus, neque amicorum precibus et communi periculo motus, negat se unquam in gratiam cum eo rediturum, a quo tam graviter offensus

sit, neque arma adversus hostes sumpturum, nisi eos in suas ipsius naves impetum facere ignemque iis inferre viderit. Sic legati re infecta redeunt. Postero die redintegratur proelium; aliquamdiu vario Marte dimicatur, mox autem vulneratis Agamemnone, Diomede, Ulixe, et cedere proelio coactis, Troiani victores in ipsa Graecorum castra irrumpunt navemque Protesilai incendunt. Ita demum propinquo periculo Achilles occurrendum esse intelligit, ipse tamen ut arma sumat ne nunc quidem animum inducit, sed Patroclo, amico suo, permittit, ut is, suis armis indutus, cum Myrmidonibus obviam hostibus eat, hac tamen lege, ut repellere eos a castris contentus longius instare nolit, sed statim ad se revertatur, partim quidem saluti Patrocli prospiciens, maxime autem, ne, si plus effectum foret resque Graecorum in melius vertissent, ipsius opera minoris aestimetur suoque aliquid derogetur honori. Patroclus tamen successu elatus haec mandata negligit, Troianos longius persequitur et usque ad urbem repellit, donec tandem ab Hectore et Euphorbo obtruncatur. Nunc demum frangitur Achillis animus, hoc gravissimo vulnere accepto, nunc pertinaciam suam damnat nihilque amplius quam arma et proelium poscit, quo mortem amici ulciscatur. — Est profecto haec rerum series eiusmodi, quam facile credas idcirco sic a poeta contextam esse, ut pro exemplo esset, quam invisa caelestibus immoderata illa mortalium animorum elatio, quamque ipsis plerumque, qui modum excederent, perniciosa esset; et tamen, si verum dicere volumus, in ipsis carminibus aut nulla aut perparva huius rei indicia deprehenduntur. Unus est locus, ubi
13 implacabilem odii acerbitatem iramque nimis pertinacem improbari a divis et castigari audimus, in Phoenicis oratione, qua is Achillem placare frustra conatur, IX, 502—514; et passim vel in eodem libro IX, vel in Patrocli oratione lib. XVI, obiurgatur Achilles tanquam nimis durus atque inhumanus. Sed illum locum in Phoenicis oratione Nitzschius nuper (p. 129) in suspicionem vocavit, tanquam ab interpolatore aliquo insertum, quod si ita est, nihil est in tota Iliade, quod aliquo modo divinam animadversionem castigandique Achillis consilium significare dicamus. Immo Iupiter ipse sic loquens inducitur, ac si non satis consultum Achillis honori censeat, nisi victores Troiani in castra adeó Graecorum irruperint, VIII, 471—477. cf. XV, 63. Itaque si illud tamen cogitari ab auditoribus poeta voluit, hic quoque reticentia quadam eum usum esse fatendum erit. Forsitan autem sic potius se res habeat, ut veteribus illis, qui primi haec carmina canta-

runt, tale quid ne in mentem quidem venerit, is autem, qui postea hoc Iliadis corpus concinnavit, si forte in mente habuerit, non tamen sic illa, quae composuit, mutare ac refingere potuerit, ut plane omnia ad hanc rationem accommodarentur. Quid? quod sunt etiam quae cum ea pugnent. Nam quum cardinem rei in legatione illa Agamemnonis verti appareat, qua spreta Achilles modum humanitatis excessit, haec ipsa tamen legatio illi, qui Patrocliam, h. e. librum XVI, composuit, ignota fuisse videtur. Sic enim loquentem facit Achillem v. 71: *τάχα κεν φεύγοντες ἐναύλους πλήσειαν νεκύων, εἴ μοι κρείων Ἀγαμέμνων ἤπια εἰδείη*, quae verba vix aliter accipi possunt, quam ut Agamemnonem nunc quoque pariter quam olim iniquo erga se animo esse dicat. Id autem qui potuit dicere de eo, qui paullo ante cupidissimum se ostendisset gratiae reconciliandae suamque adeo filiam in matrimonium obtulisset. An suspicari eum dicemus, spreta hac conditione fieri non potuisse, quin Agamemnonis animus rursus a se abalienaretur? At, opinor, hoc tamen non ignorabat, omnem illi spem salutis in suo auxilio positam esse, idque eum, si posset, libenter nunc quoque iisdem quibus antea conditionibus redempturum. Itaque res Graecorum non eo afflictae sunt, quod etiamnunc Agamemnonis animus ab Achille abalienatus est, sed quod placare eum, quum vellet, non potuit, rectiusque igitur dicendum fuit *εἰ ἐγὼν Ἀγαμέμνονι δίῳ ἤπια εἰδείην*, quam *εἴ μοι κρείων Ἀγαμέμνων ἤπια εἰδείη*. Sensit etiam Nitzschius, p. 181, haec verba rei non congrua esse, nec profici quidquam, si quis forte *ἄρτια* pro *ἤπια* reponat: nam non sane aptior sic fiet sententia. Itaque ne tamen pugnet haec pars cum ea narratione, quae est in *Λιταῖς*, lib. IX, versum illum 71 et complures cum eo connexos deleri iubet, ut ab interpolatore insertos. Nimirum sic saepe criticos etiam prudentissimos agere videmus, ut, si quid ipsorum rationibus minus conducat, id interpolatorum fraudi aut stultitiae imputent, quasi vero illi caeco quodam impetu, non aliqua saltem, quamvis saepenumero falsa, ratione permoti Homerum interpolaverint, qua de re Nitzschius ipse accurate et subtiliter disseruit p. 132 et 168. Hoc autem loco quae ratio aut qui error iudicii permovere quemquam ad interpolandos illos versus potuerit difficile dictu est. Neque illud viro eximio concedere possum, versibus 69—79 deletis reliquam orationem multo concinniorem atque elegantiorem evadere. Nam quod ait, enuntiationem illam, quae incipit a verbis *εἰ δὴ κυάνεον Τρώων νέφος ἀμφιβέβηκε*, si causam continere dicatur,

14 cur Patroclum Achilles mittat, — id quod in hoc, qui nunc est, verborum contextu necesse est, — longiorem esse, quam eiusmodi causae expositionem esse deceat, nec recte concludi, sed quasi dissolutam procurrere, fateor me non satis intelligere. Quattuor enim versibus absolvitur, et constructionem habet simplicem atque planam. Quod autem deletis illis versibus 69—79 mutatoque sic orationis contextu verba illa protasin fieri vult ad eam apodosin, quae incipiat v. 80, ita tamen, ut in hoc versu pro *ἀλλὰ καὶ ὥς* scribatur *ἀλλ' ἄγε δή*, velim scire, quam ob causam hoc *ἀλλ' ἄγε δή*, si scriptum olim fuerit, ab interpolatore in *ἀλλὰ καί ὥς* mutatum esse credatur. Nam etiam post illos versus recte *ἀλλ' ἄγε δή* dici potuit; contra hoc *ἀλλὰ καὶ ὥς* minus expeditam habet explicationem, quo minus ab interpolatore tanquam aptius illis versibus pro illo altero positum videri potest. Sed quo planior res fiat, omnem huius Achillis orationis dispositionem contemplemur. Igitur Achilles, cui nimiam atrocitatem et inhumanitatem Patroclus obiecerat, exorditur ab irae suae excusatione iniuriaeque ab Agamemnone sibi factae commemoratione, v. 52—59. Sed, inquit, omittamus haec: (*ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν*): intelligo iam iram sine fine retineri non posse, quamquam statueram sane me nunquam de ea remissurum esse, nisi quum ad meas usque naves hostes penetrassent. Tu ergo indue arma mea et Myrmidones ad proelium educ, quandoquidem iam Troiani in castra irruperunt, v. 60—69. Fatetur igitur Achilles se iam non prorsus persistere in priore sententia posse, sed hactenus saltem remittendum videre, ut Patroclo, quod is a se petiverat, facere concedat. Mutatae sententiae causa posita est in Troianorum victoria Graecorumque clade; haec igitur commemorari conveniens erat, nec iusto longiorem hanc commemorationem videri, iam supra dixi. Nunc autem his commemoratis quid mirum, si etiam cur tantum Troiani potuerint, non praetermittit? *Οὐ γὰρ ἐμῆς κόρυθος λεύσσουσι πρόσωπον*, inquit v. 70: non terrentur amplius meo adspectu. Nam profecto statim repellerentur cadaveribusque suorum fossas complerent, si Agamemnon aequo adversus me animo esset, (*εἴ μοι κρείων Ἀγαμέμνων ἤπια εἰδείη*), h. e. si me placare, ut par erat, mihique satisfacere propter iniuriam voluisset. Sed nunc illi in castris pugnant: nam nec Diomedes amplius eos arcere potest, nec Agamemnon,

sed Hectoris voce inflammantur, campusque omnis alacri eorum clamore personat, v. 70—79. In his omnibus nihil est, quod quis aut huic tempori aut Achillis personae ac moribus minus conveniens esse arguat. Sequitur iam necessario, ut, quid fieri a Patroclo in tali rerum statu velit, eloquatur. Quamvis, inquit, haec ita sint (ἀλλὰ καὶ ὧς), navibus quidem periculum fortiter defende, ne his incensis reditu aliquando in patriam excludamur; sed cave tamen ne plus facias quam tibi mando: ubi de navibus hostes repuleris, ulterius persequi noli, sed porro dimicare in campo cum Graecis sinas, v. 80—96. Manifestum est autem, illud ἀλλὰ καὶ ὧς v. 80 non pertinere ad solum proximum membrum, νεῶν ἀπὸ λοιγὸν ἀμύνων ἔμπεσ' ἐπικρατέως, sed potius ad universum Achillis praeceptum, cuius duae sunt partes, altera, qua concedit quantum efficere Patroclo permittat, altera, qua interdicit, ne plus facere velit: atque haec altera pars praecipuo quodam modo inculcatur, ut in qua vere sit μύθων τέλος (v. 83) summaque sententia. Potuit sane hoc etiam apertius fieri, inserta priori membro particula concessiva, νεῶν μὲν λοιγὸν ἀμύνων ἔμπεσ' ἐπικρατέως: neque tamen id necesse fuit, quum ipsa sententiarum oppositio per se satis aperta sit. — Sic igitur ab interpolationis suspicione hunc locum satis vindicatum arbitror, ut iam paullo confidentius repetere possim, non videri, qui hanc partem Iliadis fecit, librum IX de Λιταῖς cognitum habuisse. Nam quod obiiciat fortasse aliquis, in verbis his quae sunt v. 61, ἦτοι ἔφην γε οὐ πρὶν μηνιθμὸν καταπαυσέμεν, ἀλλ' ὁπότ' ἂν δὴ νῆας ἐμὰς ἀφίκηται ἀϋτή τε πτόλεμός τε, respici tamen manifesto ad IX, 646, ubi simile quid Achilles profitetur; hoc facile redargui potest notissima observatione, quod φάναι saepenumero etiam de tacita cogitatione dici constat, estque hoc ipso loco sic ab Aristarcho acceptum. Ac possit etiam contra quaeri, cur tandem probabilius sit, libri XVI poetae illum librum IX, quam libri IX poetae hunc XVI ante oculos fuisse.

Sed quoniam libri noni mentionem feci, tangam statim etiam aliam quandam offensionem ab hac quaestione non alienam. Nam in consilio principum, quos Agamemnon convocavit, adesse praeter expectationem etiam Phoenicem videmus, hominem adhuc plane nobis ignotum, ut cuius in superioribus libris nulla usquam mentio facta sit. Quodsi quaerimus, quis sit ille Phoenix, ipse nobis paullo post aperit, Amyntoris se filium esse, patria extorrem, a Peleo, Achillis patre,

benigne acceptum partique ditionis praepositum, Achilli autem olim magistrum atque custodem, mox, quum is ad bellum mitteretur, comitem additum. Consentaneum est igitur, ut etiam contubernalis Achillis in castris fuisse credatur. Atqui nunc tamen non sic esse videtur. Nam optione ei data ab Achille, utrum abire secum in patriam, an remanere apud exercitum malit, quum se discessurum ab alumno dilectissimo negasset, lectum ei apud Achillem Patroclus sternere iubetur, quasi antea alibi cubare solitus fuerit. Quid igitur? Deseruitne contubernium alumni, quod iram eius improbaret, aliamque sibi stationem cepit inter amicos Agamemnonis, quibuscum nunc in consilio adest? Sic profecto statuendum erit; sed mirabimur tamen reticentiam poetae, id nobis divinandum relinquentis. Nam non certe tam levis res fuit, aut tam ipsa per se ad intelligendum aperta, ut ne mentione quidem digna videretur; et alia longe aut leviora aut apertioria non tamen sic solent silentio praetermitti, sed disertius non raro ac verbosius quam opus erat exponi. Videtur ergo qui hanc rhapsodiam de Λιταῖς composuit Phoenicis personam partim ex ipsa Iliade, XVI, 196. XVII, 561. XIX, 311, partim aliunde sibi notam, ut senis veterisque magistri Achillis, nunc in hac legatione propterea adhibuisse, quod eam suo consilio praecipue aptam videret, idque unum spectans illud alterum, ut eius ab alumno eiusque contubernio discessionem explicaret, neglexisse. Est autem hoc ipsum eiusmodi, quod facilius huius unius partis quam totius carminis poetae accidere potuisse credas: et sunt etiam alia argumenta, quae hanc Λιτῶν rhapsodiam suspectam reddant, de quibus quoniam satis ab aliis expositum est, neque ea ad meum propositum pertinent, dicere nolo.

De proximo libro, qui Dolonia inscribitur, constat nunc fere inter viros doctissimos, non spernendam esse veterum criticorum auc-
16 toritatem, qui eum ab Iliade alienum et a Pisistrati demum amicis insertum esse tradiderunt. Et sunt sane reiiciendi huius libri causae satis graves; una tamen paullo levior haec, quod, qui ad exploranda hostium consilia missi erant, Ulixes et Diomedes, quum revertuntur ad suos, nihil prorsus de exploratione sua renuntiant. Nam nihil illi exploraverant, quod renuntiari necesse esset; idque quum ex universa narratione satis manifestum fiat, etiam disertis verbis a poeta commemorari non opus erat. Quamobrem hanc ego reticentiam non culpandam esse arbitror.

In libro undecimo Agamemnonem, qui paullo ante tam abiecto

animo fuerat tantaque virium suarum diffidentia, ut fuga salutem quaeri vellet, prorsus alium prodire videmus. Nulla iam timoris mentio, sed summa ad dimicandum alacritas, tantaque vis ac fortitudo, ut hostes usque ad urbis moenia repellat, videaturque haud dubiam victoriam reportaturus fuisse, nisi multis prostratis adversariis tandem ipse vulneratus excedere proelio cogeretur. Coniicere quidem possumus, qua ratione haec tanta viri mutatio effecta sit: nempe pudor prioris desperationis et magnitudo discriminis stimulos animo eius addiderunt; sed vellemus tamen id etiam a poeta commemoratum esse, quum praesertim epici carminis ratio ipsiusque Homeri consuetudo postulare videatur, ut in huiusmodi rebus, quae gravioris ad actionem momenti sunt, non solum quid egerint homines, sed etiam quibus causis ac rationibus animi eorum ad agendum impulsi sint, disertis verbis indicetur, neque auditorum coniecturae subaudiendum relinquatur. Hanc ob causam etiam Nitzschius, p. 224, deesse aliquid in hac parte iudicat, idque resectum arbitratur ab iis, qui in componenda Iliade inter superiorem narrationem de Agamemnonis desperatione deque legatione ad Achillem placandum missa et hanc de proximi diei proeliis inseruerint librum decimum de nocturna illa exploratione: quod quum tam acri ceteroquin unitatis in Iliade et continuitatis defensori visum sit, nobis profecto non aliter videri debet.

Sequitur longa certaminum series, donec tandem Achilles Patroclo ut laborantibus Graecis opem ferat concedit, eoque occiso ipse rursus arma capit, quam partem Heynius tom. VIII p. 781 non immerito primariam Iliadis et quasi medullam esse dicit. Nam sane summa rerum eiusmodi est, qua careri in totius carminis compositione nullo modo potuisse appareat; sed huic summae multa tamen adiuncta esse fatebimur, quae si abessent non desideraremus, aut etiam mallemus abesse. Tanta enim in brevi spatio coacervatur multitudo rerum et varietas, quam totam animo complecti sine errore aut confusione etiam attento lectori, nedum auditori, difficillimum sit. Posteaquam Agamemnon saucius proelio excessit, moxque etiam Diomedes et Ulixes propter vulnera cedere coacti sunt, Achilles, de navis suae puppi spectando certamini intentus, quum Machaonem videat, item saucium, in Nestoris curru ad castra revectum, neque satis certo hominem agnoscat, Patroclum ire iubet quis ille sit sciscitatum. Is Nestoris tentorium ingressus verboso sermone detinetur, cuius partem longe maximam otiosa et immodica loquacitate molestam esse Nitzschius quoque fate-

tur, ideoque ut ab interpolatore insertam recidi vult, p. 129. Dimissus tandem a Nestore Patroclus Eurypylo occurrit item saucio, eumque petentem in ipsius tentorium deducit vulnerique curando operam dat, utpote non imperitus medendi. Interim Graeci a Troianis intra murum
17 compelluntur: hi a curribus desiliunt et in quinque agmina divisi munimenta expugnare conantur, alio aliis locis successu. Nam Asius quidem sinistram castrorum partem adortus repellitur, Hector autem cum suis, neque minus Sarpedon, Lyciorum dux, quamvis resistentibus fortiter Graecis, deiecta parte propugnaculorum et porta effracta in castra introrumpunt. In hoc rerum statu Iupiter, Troianorum fautor, quum adhuc ex Ida monte certamen observasset, iam oculos alio convertit, neminem deorum laborantibus Graecis opem se invito laturum esse sperans. Sed ecce Neptunus, qui et ipse de Samothraciae specula proelium contemplatus erat, occasione utitur ad Graecos iuvandos. Relicta Samothracia Aegas properat, equos currui iungit, per mare ad littus Troianum advehitur, ibique curru relicto proeliantibus se miscet et Calchantis specie assumpta Graecos hortatur, incitat, robore et fortitudine mirabiliter auget. Neque hoc satis. Nam Iuno quoque iisdem partibus favens consilium comminiscitur, quo tutius ille perficere quod coeperat possit. Itaque cingulum Veneris mutuata Iovem adit in Ida sedentem, eumque cinguli eius virtute in amplexus suos illicit, ac dein a Somno, quem socium asciverat, consopiri curat. Sic confidentius Neptunus Graecis opitulari pergit, non hortando et monendo, ut antea, sed ipse cum telo divino, et cui resisti a mortalibus non potest, Troianos aggrediens. Ita belli fortuna convertitur: Hector ipse ab Aiace vulneratus animoque deficiens ad Xanthum fluvium reportatur, Troiani autem castris cedere coguntur. Tunc Iupiter somno solutus conspicatusque hanc tantam rerum conversionem graviter uxorem increpat, Neptunum statim proelio excedere iubet, Hectorem autem refici ab Apolline et viribus augeri curat. Sic denuo Troiani superiores fiunt, castra iterum adoriuntur, vallum ab Apolline prorutum facile transscendunt, magnaque in ipsis castris strage edita postremo ignem navibus iniicere parant. Nunc demum Patroclus ad Achillem redit, multisque cum lacrimis exposita Graecorum clade impetrat, ut cum Myrmidonibus ad opem ferendam dimittatur. Haec est brevis summa rerum per quattuor libros, XI—XIV, narratarum: nam praetermittenda fuerunt plurima singulorum certamina, in quibus, etiam si ad totius proelii eventum nullius aut exigui momenti sunt,

accuratissime tamen narrandis haud minima illorum librorum pars consumitur, quas narrationes si quis omnes diligenter examinet, non modo multa in iis esse videbit cuilibet alii parti Iliadis non minus quam huic apta, sed nonnulla etiam inveniet aut pugnantia cum aliis aut perquam ad intelligendum difficilia. Velut in castris Graecorum utrum una an plures portae fuerint e certaminum descriptione non certo intelligi potest, qua de re etiam veteres interpretes inter se dissident [7]): item in designationibus locorum, ubi pugnatum sit, conciliari nonnulla cum alibi dictis vix possunt [8]), quumque, qui modo in 18

7) Aristarchus unam tantum portam maiorem statuebat cum ἱππηλασίᾳ ὁδῷ h. e. via qua currus agi possent, concedebat tamen plures fortasse minores πυλίδας fuisse. Vid. schol. ad VII, 339 cum Eustath. p. 684, 23 et 689, 39. schol. ad XII, 87 et 175. Et sane lib. VII, 338. 9 et 436—9 non discerni potest, utrum plures portae intelligendae sint an una tantum, siquidem πύλαι forma plurali etiam de una porta dicitur, id quod grammatici passim inculcant, simul singularem πύλη nusquam ab Homero usurpari monentes. Cf. schol. A. et Eustath. ad IX, 382. Tamen posse πύλας etiam plures portas significare nemo dubitat, et ipse contextus verborum Homeri, τεῖχος ἔδειμαν πύργους θ' ὑψηλούς, εἶλαρ νηῶν τε καὶ αὐτῶν, ἐν δ' αὐτοῖσι πύλας ἐνεποίουν εὖ ἀραρυίας, indicare videtur, ut plures turres, sic etiam plures portas fuisse, et quidem ἐν αὐτοῖσιν, in ipsis turribus. Duae certe portae lib. XII distinguendae videntur. Nam postquam Troiani quinque agminibus factis castra adoriuntur, Asius ad sinistram partem se convertens portam ibi invenit apertam, scilicet ad recipiendos Graecos e campo in castra fugientes, v. 118 sqq. Hac ille irrumpere conatus repellitur a Lapithis, quod certamen describitur usque ad v. 194. Interim Hector aliam partem castrorum adoritur, v. 195, ibique Polydamas effringendam esse portam monet, quam apparet ab illa, quam Asius adortus erat, diversam esse: idque confirmatur etiam XIII, 675. 679, coll. 751 et 765, qui loci docent illam sinistram partem castrorum ab eo loco, ubi Hector irruperat portamque effregerat, satis longe remotam esse. Nam quod nonnulli ἐπ' ἀριστερά v. 675 non castrorum sed Hectoris respectu dici volunt, haud dubie falsum esse demonstrat v. 326. — Locus Il. XII, 175 ἄλλοι δ' ἀμφ' ἄλλῃσι μάχην ἐμάχοντο πύλῃσιν non sine causa pro insiticio habetur; sed ostendit tamen certe etiam rhapsodum, vel quisquis est, qui h. l. interpolavit, plures portas castrorum statuisse. Grammaticorum nonnulli septem volebant (schol. ad VII, 339), alii quinque; e recentioribus alii tribus portis contenti fuerunt, ut Lenzius (Die Ebene von Troia. p. 207.), alii cum Aristarcho fecerunt, ut Heynius tom. V p. 366. 402, et nuper Faesius ad VII, 339.

8) Velut lib. XIII, 681 pars castrorum, qua Hector irrupit, ea est, ἔνθ' ἔσαν Αἴαντός τε νέες καὶ Πρωτεσιλάου, Protesilai autem navis κατὰ μέσσον esse dicitur XVI, 285, sicut etiam XIII, 312 Hector, qui ibi irruperat neque inde discesserat, id quod v. 679 testatur, νηυσὶν ἐν μέσσῃσι pugnat. Atqui XI, 8. 9

una parte pugnavit, mox in altera compareat[9]), mireris de hac stationis mutatione nullum verbum a poeta factum esse. Quamquam hoc quidem defendi fortasse possit: in vario et ancipiti certamine etiam discurrendum huc illuc pugnantibus fuisse, neque culpandam poetae reticentiam, si tales discursus non semper diserte commemorare voluerit. Insistere igitur huic rei nolo, nec refragabor, si quis nonnulla tamen eorum, quae primo adspectu aut pugnantia aut obscura videantur, diligentius iterum iterumque considerata clariora fieri et conciliari inter se posse defendat: nam ut sit ita, hoc tamen ipsum, quod multa non nisi diligenter identidem considerata satis intelligi possunt, parum convenire puto carmini ad audiendum non ad legendum facto, et confirmare eorum sententiam, qui hanc nostram Iliadem non sic ab initio compositam, sed postmodo demum ex minoribus variisque carminibus coagmentatam esse volunt. Auditoribus quidem certe melius consultum foret, si illam, ut cum Heynio loquar, medullam carnibus paullo minus luxuriantibus involutam et obtectam acciperent, neque quemquam aegre laturum aut desideraturum aliquid fuisse censeo, si a libri XII fine statim ad XV, 390 deduceretur, omissis versibus amplius mille septingentis. Nam ut nunc est, quem tandem sive auditorem sive lectorem non offenderit tam tarda diuque dilata Patrocli ad Achillem reversio? Scilicet morabatur eum amici vulnerati curatio. Quantillo autem tempore opus fuisse dicemus ad vulnus obligandum, quod leve fuisse res ipsa demonstrat? Interim Graeci fugientes e campo in castra repelluntur, oppugnant castra Troiani, propugnacula deiiciunt, portam effringunt, irrumpunt omni-

---

Aiacis naves omnium extremae fuisse dicuntur in altero cornu castrorum, sive id dextrum dicimus, a terra scilicet ad mare descendentibus, sive sinistrum, ascendentibus a littore in campum. Non igitur potuit qui ibi irruperat *κατὰ μέσσον* esse. Itaque Aristarchus illas naves, quae XIII, 681 memorantur, non Telamonii sed alterius Aiacis esse volebat, quod parum verisimile esse apparet. Heynius tom. VI p. 358 locum hunc adulterinum putat. Aliam rationem Lenzius iniit p. 257, transponendis versibus difficultatem removeri posse ratus.

9) Sic XIII, 156 inter eos, qui cum Hectore pugnant, h. e. ad mediam partem muri, ubi ille v. 312 irrupisse dicitur, est Deiphobus, in quem Meriones hastam, quamquam frustra, coniicit. Meriones hasta fracta recedit aliam petiturus, deinde non eodem, ubi antea pugnaverat, revertitur, sed cum Idomeneo ad sinistram partem se confert, v. 326. Sed ecce ibi quoque idem Deiphobus comparet v. 402, qui modo apud Hectorem fuerat, neque reliquisse hanc stationem dictus est. Alia vid. ap. Lenzium p. 255.

bus copiis, ὅμαδος δ' ἀλίαστος ἐτύχθη, Il. XII, 471. Ille vero, quasi horum omnium nihil aut animadvertat aut magni momenti esse 19 putet, in tentorio desidens cum amico sermocinatur, XII, 1. XV, 390. Immo, inquit Nitzschius p. 247, animadvertit sine dubio: nam dum curat Eurypylum, identidem etiam prospectasse de tentorio et quid ageretur observasse putandus est, sed quum nondum in summo discrimine res Graecorum esse videret, relinquere amici curationem noluit. Atqui coniectura haec est viri accutissimi reticentiam poetae supplentis et quod ab eo, quum dici deberet, praetermissum est, liberaliter de suo suppeditantis. Cui autem credibile videri potest, quum fierent ea omnia, quae modo memorata sunt, quumque iam intra vallum magno tumultu dimicaretur, ne hoc quidem discrimen tanti Patroclum aestimasse, ut statim ad Achillem properaret, sed tum demum excitatum esse, quum iterum eadem omnia fieri videret? Animadvertendum autem etiam hoc est, parum commode in hac nostra compositione Iliadis illas tot tantasque res temporibus descriptas esse. Incipit enim proelium summo mane, XI, 1: aequo Marte pugnatur usque ad id temporis, ἦμος δρυτόμος περ ἀνὴρ ὡπλίσσατο δεῖπνον, v. 86, quae designatio licet non satis definita sit, aliquot tamen certe horas pugnatum esse demonstrat, quum praesertim addatur ἐπεί τ' ἐκορέσσατο χεῖρας τάμνων δένδρεα μακρά, v. 88. Sextam horam, h. e. meridiem, designari putat schol. Vict., quod quamvis falsum videatur, haud nimis longe tamen meridiem abesse ostendunt ipsius poetae verba, quum pugnatum esse aequo Marte dicit ὄφρα ἠὼς ἦν καὶ ἀέξετο ἱερὸν ἦμαρ. Nam crescere dies non sane diu ante meridiem desinit. Dehinc iam superiores fiunt Graeci, donec Agamemnon, post hunc Diomedes, moxque etiam Ulixes saucii proelio excedunt. Tum demum repellunt Graecos Troiani et castra adoriuntur. Id circa meridiem fieri consentaneum est[10]). Quodsi nunc statim Patroclum, qui paullo ante ab Achille ad Nestorem missus est, rediisse ac sine mora, impetrata Achillis venia, cum Myrmidonibus contra Troianos profectum sumimus, huic apte congruit, quod XVI, 777 Patrocli contra Troianos proelium et ipsum meridiano tempore factum esse dicitur, ὄφρα ἠέλιος μέσον οὐρανὸν ἀμφιβεβήκει. At vero quae nunc

10) Versus Il. XII, 193. 4 et 208. 9. qui castra vesperi expugnatum iri promittunt, Lachmannus (p. 38) eiicit, ut ex XVIII, 454. 5, ubi recte se habent, perperam huc insertos, assentiturque Nitzschius p. 228.

post primam valli expugnationem gesta narrantur, Neptuni opera, Iunonis dolus et cum Iove concubitus, huius somnus, Hectoris vulneratio, παλίωξις Graecorum, Iovis expergefacti mandata, Hectoris restitutio, instauratio proelii, altera irruptio castrorum, his omnibus aliquantum certe temporis consumi necesse erat, idque tantum haud dubie, ut, si post hanc alteram demum castrorum irruptionem Patroclus hostibus obviam profectus esset, a sano suique ipsius haud oblito poeta huius quoque proelium in meridianum tempus conferri nullo modo potuisset. Sic est profecto, ut dixi: qui XV, 390 sqq. legerit et cum exitu libri XII contulerit, coire haec inter se prorsus apte fatebitur, neque damnum, sed lucrum fieri sentiet omnibus illis, quae nunc intertexta sunt, resectis. Quamquam de damno aliter iudicari a viro doctissimo video p. 241. Is enim non satisfacturum absque illis Homerum fuisse putat popularium suorum studiis et expectationi, quorum tanta fuerit de heroum suorum virtute ac fortitudine opinio, tamque certa de summo deorum erga illos favore persuasio, ut aegre laturi fuissent tam simplicem proelii eventum unamque castrorum expugnationem. Necesse igitur fuisse poetae, ut multiplicaret pugnandi vices, ut victos Graecos mox rursus, ad tempus saltem, victores faceret, denique ut deos quoque proelio immisceret: quamobrem qui vituperent hanc partem et nimis multa coacervata esse criminentur, perquam iniuste facere nihilque aliud quam ostendere, nondum sibi contigisse, ut plane in poetae eiusque aequalium et popularium sensus atque animum sese insinuarent. — Ceterum aliquot satis magnas in hac Iliadis parte interpolationes Nitzschius ipse agnoscit. Nam praeter longam illam et loquacem Nestoris narrationem, XI, 664—762, de qua supra dictum est, etiam libro XII omnem illam Sarpedonis ἀριστείαν, quae est a v. 290—429, subditiciam esse concedit, p. 384; quamquam in proximis libris, qui nobis maxime suspecti sunt, praeter paucos quosdam versus nihil magnopere virum egregium offendisse videtur. Illarum autem duarum interpolationum alteram propterea damnat, quod non apta sit ista narratio loco ac tempori nihilque aut utilis exempli aut admonitionis habeat, alteram autem, quod quae ibi referuntur non satis vel cum antecedentibus vel cum sequentibus conspirent. Atqui hoc quidem alterum genus argumenti quin etiam contra libr. XIII—XV, 389 adhiberi possit, non dubium mihi esse videtur. His tamen Nitzschius carere Iliadem non potuisse iudicat propter illam nescio quam rationem popularem, — sic enim appellare licebit

quam ille nationalem theoriam dicit, — quam ab adversariis non
satis animadversam esse queritur. Nolo nunc accuratius in hanc theo-
riam inquirere, quum praesertim rem omnem eiusmodi esse intelligam,
quae ad liquidum perduci certisque argumentis demonstrari vix possit.
Interim ab hac si discesseris, in universum spectanti paullo plura viro
doctissimo cum adversariis communia sunt, quam quis primo adspectu
credat. Nam usum esse Homerum in componenda Iliade etiam antiqui-
oribus carminibus, Nitzschius concedit, neque absolutam ab Homero
totius Iliadis perpetuitatem esse contendit, sed partes tantum aliquot
maiores interno quodam vinculo inter se coniunctas, nondum tamen
etiam in unius corporis compagem connexas. Igitur totius Iliadis
formam atque unitatem mente atque animo poetae potius designatam,
quam re ipsa et compositione carminum perfectam fuisse dicemus, ut
ab intelligentibus animadverti fortasse potuerit, minus intelligentes
autem latuerit. In horum autem numero etiam eorum non paucos
fuisse fatendum erit, qui in ediscendis et recitandis Homeri carminibus
toti occupati erant. Nam a rhapsodis multa Nitzschius admixta esse
ait partim ex aliis carminibus antiquioribus, quorum non omnem me-
moriam Homericorum claritas obscuraverit, partim ab ipsis facta, sed
ad illam, quam Homerus in mente habuerit, formam totius carminis
non satis accommodata. Denique posteaquam dispersa illa membra
colligi scriptoque consignari et in unum corpus coniungi coepta essent,
non pauca huiusmodi rhapsodorum additamenta perperam in ordinem
recepta, aliaque etiam passim addita esse ab ipsis compositoribus,
quibus additis apertiorem fore singularum partium inter se connexio-
nem mutuamque relationem iudicarent. Horum igitur placitorum
pleraque non propria Nitzschio sed cum adversariis communia esse
apparet, proprium autem primum hoc est, quod, quum antiquioribus
carminibus Homerum usum esse concedat, illis tamen, qui longius
etiam procedere ausi sunt, ut quae et qualia illa carmina fuerint certis
quibusdam indiciis a se deprehendi, adeoque soluta hac nostrae Iliadis 21
compage priscam et nativam eorum formam aliquatenus saltem restitui
posse sperarent, fortissime obsistit longeque eos a vera ratione aber-
rasse contendit. Ego me ab illorum secta non tantopere abhorrere
profiteor, quamvis in Lachmanni ceterorumque disputationibus non
pauca mihi cupidius quam verius posita esse videantur, neque despero
fore, ut si quis satis caute ac prudenter procedat, aliquid certi et quod
demonstrari satis evidenter possit, tandem inveniatur. — Porro

autem de hac nostrae Iliadis compositione Lachmannus pro certo habet, eam non esse Pisistrati temporibus antiquiorem, cuius quidem praecipuam quandam operam hac in re fuisse satis inter omnes constat: neque tamen propterea negat ullum etiam ante Pisistratum Iliadis corpus fuisse. Certe principales quasdam partes ad unitatem maioris corporis primitus factas esse agnoscit, h. e., si recte viri acutissimi sententiam interpretor, fuisse putat quandam Iliadem, sive carmen paullo maius, sed ab hac nostra Iliade multum diversam, partibusque plurimis, quae nunc insunt, carentem. Harum enim plerasque Pisistrati demum opera additas, omninoque hoc, quod habemus, Iliadis corpus pro eo, quod olim fuerit, compositum. Nitzschius contra quum hanc nostram Iliadem longe maxima sui parte dudum ante Pisistratum unius Homeri ingenio atque arte compositam censeat, huic a rhapsodis additamenta quidem passim inserta esse fatetur, neque tamen talia aut tam multa, ut vera atque genuina carminis forma prorsus immutaretur aut obscuraretur. Tantam potius esse artis Homericae praestantiam ac proprietatem, ut, qui hanc recte perspexerit, adhibita praesertim etiam populari illa ratione, facile genuina ab adulterinis discernere possit. Redit igitur res omnis eo maxime, ut quid ars Homeri ratioque popularis poscat aut ferat, intelligatur, atque sic quid huic aptum atque conveniens, quid ineptum et inconveniens sit, diiudicetur. Sed ipsum hoc aptum et conveniens non uno modo aestimatur, et habet quosdam quasi gradus, ut ex pluribus rebus, quarum nullam aptam et convenientem esse negaveris, sint tamen aliae aliis plus aut minus aptae et convenientes. Sunt quibus careri nullo modo possit, quae non solum apta et convenientia, sed necessaria potius dicenda sunt. Alia minus quidem necessaria, sed utilia tamen aut ad ornandum illustrandumque carmen apposita, quemadmodum corporibus nostris natura praeter partes necessarias, et sine quibus vita nostra constare non possit, alias addidit aut ad aliquem quamvis non necessarium usum, aut etiam ad decus formae et pulchritudinem comparatas. Alia denique non quidem inepta, sed eiusmodi tamen sunt, ut neque ad usum neque ad ornatum quidquam conferant, sed abundantia, quae si adsint facile feras, sin absint, non desideres. Hoc genus non pauca in Iliade esse nemo negabit, quae tamen utrum ab Homero an a rhapsodis profecta sint vix certo statui poterit. Sunt autem etiam quaedam quasi medii generis, ex aptis atque ineptis mixta, quae si quis obiter nec nimis diligenter inspiciat, aliquam ab

usu aut ornatu commendationem habere videantur, accuratius tamen examinanti aliquid scrupuli iniiciant. Atque ex hoc genere ego hanc partem Iliadis esse aio, de qua dicere coeperam, quae quum Nitzschio ut perapta et populari rationi apprime conveniens magnopere probetur, mihi non modo propter eas, quas tetigi, rationes vehementer displicet, sed etiam propter alias quasdam offensiones. Harum una etiam
veteres criticos non fefellit: Pylaemenem dico, nudius tertius a Mene- 22
lao et Antilocho interfectum, V, 578, nunc autem filii sui funus cum lacrimis prosequentem, XIII, 658. 9: nisi quis forte iis fidem adiungat, qui duos Pylaemenes in exercitu fuisse statuunt, aut alia longe ineptiora comminiscuntur. Nam ab interpolatore duos versus, XIII, 658, 9, adiectos credi vix licebit, quoniam nulla ne levissima quidem causa talis interpolationis excogitari potest. Magis assentiar, si quis eos versus eiiciat, qui sunt de Neptuno, XIII, 18—38, ut post verba *χραιπνὰ ποσὶ προβιβάς* statim sequatur *ὁ δ᾽ ἄρ᾽ ἐς στρατὸν* aut etiam *τάχα δ᾽ ἐς στρατὸν ᾤχετ᾽ Ἀχαιῶν*. Nam nunc Neptunus — pace maiestatis eius dixerim — nimis se ineptum praebet, qui quum omni modo cavere deberet, ne a Iove animadverteretur, tanto tamen cum strepitu incedit, ut montes silvaeque concutiantur, quasi vero Iovem surdum factum nihilque sensurum confidat. Deinde Troiam properanti quid opus fuit Aegas ante adire, ibique curru conscenso magnifice per aequor vectari? Nonne qui tribus passibus a Samothrace Aegas pervenit, etiam paucioribus passibus Troiam pervenisset? An opus fuit vehiculo, quod, ubi advenit, in littore collocatum relinquit, ipse autem pedibus in castra Graecorum pergit, ibique humana forma assumpta laborantibus succurrit? Denique pugnat etiam hic locus cum v. 352, ubi Neptunus Graecos adiisse dicitur *λάθρῃ ὑπεξαναδὺς πολιῆς ἁλός*: nam, qui tam magnifice per aequor vectus est, cui fluctus cedentes viam aperuerunt, quem belluae marinae exsultantes prae laetitia ut dominum suum consalutaverunt, is profecto clanculum e mari emersisse nullo modo dici debuit. Aut si quis versum 352, ceterosque a 345 ad 360, ab interpolatore insertos credat, quae Nitzschii sententia est, p. 286, certe infra, XV, 219, Neptunum, quum Iovis iussu invitus proelio excedit, vehiculi sui oblitum statim mari se condere videmus. Quamquam hanc quidem non miram, immo laudabilem potius poetae reticentiam esse fateor, quod morari illo loco in minutae rei narratione noluerit: nihil enim opus fuit currum ibi commemorari; sed multo minus supra ipso curru opus fuisse

contendo. At pulchra est et splendida vehentis per mare imago. Sane pulchra est, et propter hanc ipsam pulchritudinem ut interpolatori sic aliis multis placuit. Sed nunc non erat ei locus, non modo praeter necessitatem, sed etiam contra probabilitatem concedendus. — Etiam in cohortatione Neptuni ad Teucrum aliosque, v. 95 sqq., sunt quae mallem abesse. Imputatur Graecorum clades Agamemnonis *κακότητι*, h. e. non ignaviae, sed iniuriae, qua offensus Achilles bello abstinebat, id quod v. 111—113 manifestum faciunt: neque ignaviam illi, qui paullo ante tam eximia virtutis exempla ediderat, exprobrari potuisse apparet. Sed iniuriae quoque illius exprobrationem minus aptam hoc loco nec satis iustam esse arbitror; nam sarcire eam Agamemnon et satisfacere omni modo Achilli paratus fuit, ut iustius nunc huius iniuria, satisfactionem pertinaciter respuentis, quam Agamemnonis culpari potuerit. Nisi dicamus, hunc quoque poetam, itidem ut illum, qui XVI, 73 fecit, de quo supra dictum est, Agamemnonis *λιτὰς* ignorasse. Id sane mihi non improbabile videtur, et confirmare hanc suspicionem etiam v. 115 poterit, *ἀλλ᾽ ἀκεώμεθα θᾶσσον· ἀκεσταί τοι φρένες ἐσθλῶν*, si quidem haec verba cum Heynio sic accipimus, ut placandum Achillem Neptunus suadeat, eumque placabilem fore promittat. Quod enim alii designari volunt Graecorum ipsorum segni-
23 tiam, quam Neptunus exprobraverat, corrigendam, ut *ἀκεσταὶ φρένες* dicantur animi eorum, qui peccatum a se esse agnoscant idque emendare studeant, licet non alienum ab hoc contextu, a consuetudine tamen graeci sermonis abhorrere videtur. Ipsa vero illa segnitiae exprobratio, quodque Graeci propter iniuriam Achilli factam abalienatis a rege animis fortem in proelio operam praestare nolle, sed volentes cedere et caedi a Troianis dicuntur, poetam prodere videtur ab eo, qui libros XI et XII fecit, diversum: nam is certe de hac animorum abalienatione et *ἐθελοκακίᾳ* nihil significat. — Versu 211 Neptuno occurrit Idomeneus a commilitone rediens vulnerato, quem medicis curandum mandaverat; quis autem sit ille commilito reticetur, quod genus reticentiae, etiamsi hoc loco non aegre ferendum, abhorrere tamen videtur a consuetudine Homeri h. e. eius poetae, qui meliores Iliadis partes fecit. — Denique XIV, 31. 32 quae de muro navalibus circumdato dicuntur, licet non satis perspicua, eiusmodi tamen sunt, ut murum illum statim belli initio navibus primum in littus deductis circumdatum credi necesse sit. Quod si ita est, ab alio poeta hanc partem factam esse apparet, quam qui libro VIII murum illum ante

biduum, idque mira prorsus atque incredibili celeritate intra unius diei spatium exstruxit. — Sunt etiam alia quaedam in hac parte, quae attentum lectorem offendant, partim in rebus ipsis, partim in dictionibus; sed persequi plura hoc tempore non possum, neque opus esse arbitror: nam hoc certe mihi datum iri spero, ut non temere plane neque inconsulto hos libros a vetere Homero abiudicasse dicar. Sunt autem hi ipsi libri haud dubie ex aliis compluribus carminibus Iliacis, quibus Homerus non usus erat, ab aliquo concinnati, qui aut non abhorrere saltem haec additamenta ab Iliade censeret, aut aliquid etiam maioris commendationis habitura propter eam, quam Nitzschius nos attendere iussit, rationem popularem. Neque posthac iis aut defensores aut laudatores defuturos esse intelligo, quum reputo, quae et qualia interpretandi artificia in usum vocari soleant ab iis, qui sibi hanc nostram Iliadem, si totam non possint, at certe quantam maximam possint partem tanquam unius poetae ingenio procreatam et ad unitatem insuperabili quadam sollertia compositam omni modo tuendam esse statuerunt, id quod mihi tanto acrius nonnulli tantoque animosius facere videntur, quanto plura ipsis comminiscenda et, quum non essent in Homero, ex ingenio suo promenda illique contribuenda fuerunt. Indidit enim hanc natura omnibus *φιλοστοργίαν*, ut etiam in hoc rerum genere quod quisque ex sese peperit id carissimum habeat et placere omnibus cupiat. His igitur non invidebimus: nobis tamen haec Ilias etiam absque illis artificiis sola per se satis placet, propriisque et ingenitis bonis tot ac tantis praedita esse videtur, ut omni dote adventicia carere facile possit.

Scrib. Gryphiswaldiae a. d. IV. Cal. Iul. MDCCCLIII.

DE ARISTOTELIS CENSURA CARMINUM EPICORUM.

3 Quod olim F. A. Wolfius pronuntiavit, Proleg. ad Hom. p. CXXV, sero Graecos didicisse in poesi totum ponere, hoc minus recte a summo critico iudicatum esse hodie quidem apud permultos satis videtur constare. Namque Dissenium potius audiendum esse censent, qui, Proleg. ad Pind. p. LXXXIX, nihil Graecos magis a principio in artium operibus et scriptis sequutos esse affirmat, quam illud ipsum, quod Wolfius eos sero didicisse voluit, nec ullam gentem fuisse, quae ingeniosiores excogitaverit compositiones. Quis autem ignorat, quanto studio quantaque contentione etiam Homero, poetarum antiquissimo, hanc ingeniosae compositionis laudem recentiores critici vindicaverint? Quamquam ne Wolfius quidem ab Iliade et Odyssea, quales hodie extant, sollertis structurae laudem abiudicavit: non tamen veteri Homero eam tribuendam esse censuit, sed posteriori cuidam aevo politiori artibusque abundantiori, quum animadversum esset, quae olim seorsum et nulla spectatione universae formae cantata essent, ea paucis recidendis, addendis, mutandis ad perpetuitatem unius magni corporis redigi posse. Proleg. p. CXXI. Ipsi autem aevo Homerico ne illud compositionis artificium adscriberet quum aliis quibusdam rationibus permotus est, tum cyclicorum poetarum ceterorumque, qui Homero aetate proximi fuerunt, comparatione. „Etenim" inquit p. CXXVI „legat nobis aliquis epitomas illas Cypriorum et aliorum quinque carminum nuper editas, et experiatur, an in ullo eorum primarium heroem, aut primariam actionem, aut repetitam
4 ex mediis rebus narrationem, qualis in Odyssea est, reperiat. Percense item reliqua illius aevi epica carmina sive carminum argumenta, genealogias deorum et heroum,

Dionysiaca, Thebaidas, Epigonos, Naupactica, alia; unum quidem heroem in nonnulis, (nam fuerunt plura perbrevia), in nullo unam vel primariam actionem, episodiis ad modum Iliadis intertextam, deprehendes. Magno auctore id affirmo, non coniectura ductus. Ita enim Aristoteles ubique praedicat de Homero, ita eum propter istam ipsam rem ceteris in eodem genere omnibus anteponit, ut nullus eorum hac in re ducem et principem suum imitatus esse videatur, ne Pisander quidem aut Panyasis aut Antimachus, qui secundum Homerum optimi numerati sunt, nedum antiquiores et cyclici. — Quae quum ita sint, quis putet illos omnes eam artem, quae tam eximiae perfectionis causa est, si ab Homero adhibitam vidissent, aut non intellexisse, aut intellectam aemulari noluisse?“ — Haec Wolfius, cui qui obloquuti sunt, illud maxime sibi agendum intellexerunt, ut cyclicorum poetarum causam, cum Homerica artissime coniunctam, susciperent, artemque illam, quam veteri Homero vindicabant, his quoque haudquaquam defuisse demonstrarent, aut potius contenderent. Nam demonstrari de carminibus deperditis, et quorum praeter paucissimos versiculos praeterque Proclianas epitomas nihil reliquum est, haud facile quidquam posse apparet, omnemque disputationem in eo tantum versari necesse est, primum ut Aristotelis de carminibus illis testimonium diligenter excutiatur, et quid ex eo de eorum compositione colligi rite possit, definiatur, deinde ut ipsa carminum argumenta certe non abhorrere ab artificiosa et Homericae, si minus pari, non tamen absimili compositione probetur. Horum utrumque quum ab aliis, tum maxime a Nitzschio factum est, qui quae dudum de Homero ceterisque poetis 5
vetustioribus carptim perscripserat, nuper in unum collecta multisque et praeclaris partibus aucta proposuit, gratissimum profecto munus omnibus bonarum litterarum amantibus. Sed de Aristotelis auctoritate quum acute quidem ac subtiliter, neque tamen ita disputatum sit a viro eximio, ut plane ei assentiri possim, utendum hac scribendi opportunitate statui ad sententiam meam quam planissime potero exponendam.

Igitur in libello de arte poetica dilaudat Homerum Aristoteles duobus locis, cap. 8 et cap. 23, propterea quod unus fere omnium poetarum epicorum legem unitatis in rerum, quas cecinerit, delectu et tractatione servaverit. Peccasse enim contra hanc legem non eos

modo ait, cap. 8, quicunque Heracleidas aut Theseidas composuerint, heroumque suorum res gestas omnes, etiam quae nullo interno vinculo copularentur, complexi sint, sed similiter, cap. 23, plerosque poetas vituperat, quod carmina sua ad modum historiarum fecerint, in quibus necesse sit non tam unius alicuius actionis imaginem integram proponere, quam quidquid certo quodam temporis spatio aut uni aut pluribus hominibus evenerit, narratione persequi. Plerosque hoc nomine vituperat, non omnes, ut liceat sane suspicari, unum certe aut alterum poetam praeter Homerum ab hoc vitio immunem fuisse: quumque constet praeter Iliadem et Odysseam etiam alia quaedam carmina pro Homericis olim a multis habita fuisse, possit fortasse aliquis hoc ipso argumento uti, ut horum carminum praestantiam artemque compositionis non multum certe ab ea, quam in Homericis omnes admirentur, diversam esse potuisse contendat. Modo constaret, veteribus illis, qui ista pro Homericis habuerunt, artem hanc compositionis notam atque perspectam fuisse, quam quidem, si Aristotelem audimus, ipsos adeo poetas, quorum ille carminibus unitatem deesse testatur, aut ignorasse oportet, aut non tam necessariam iudicasse, ut non etiam
6 absque ea se placere auditoribus suis posse confiderent. Neque enim dubium est, quin multis magnisque laudibus etiam talia carmina ornata esse commendarique magnopere possint, quorum universa compositio ab illa, quam Aristoteles in Iliade et Odyssea laudat, unitate longissime absit. Haudquaquam igitur pro certo sumere licebit, hanc praecipue in illis carminibus spectatam esse, quae praeter haec duo Homero tributa esse legimus. Quid? quod ipsa eorum multitudo ab huiusmodi opinione nos revocare debet. Nam Aristoteles quidem, quamvis benigne verba eius interpreteris, perpaucis certe praeter Homerum bonae compositionis laudem concedit, et tamen Homero a veteribus ea omnia adscripta esse apud Proclum legimus, quae in cyclo fuerunt, quem ille compositum fuisse docet e variorum poetarum carminibus omnem fabularem historiam ab initio rerum Caelique et Terrae coniugio usque ad Ulixis mortem complexis. At opponat aliquis [1]), hoc Procli testimonium et obscurum et levissimum est: graviores testes si examinamus, pauciora tantum Homero tributa esse reperimus, Thebaidem maxime et Epigonos, porro Oechaliae expugnationem, et ex Iliacis Cypria, parvam Iliadem et *Νόστους*, quae omnia credibile est

1) Vid. Nitzsch, Die Sagenpoesie der Griechen p. 356 et 375.

propter maiorem cum Iliade et Odyssea similitudinem in Homerici
nominis societatem venisse, praesertim si ab iisdem quibus haec rhap-
sodis recitari solebant. Sit sane ita: nolumus enim contendere in re
tam obscura: hoc tamen apertum est, istam similitudinem non conti-
nuo sic accipiendam esse, ut etiam artificiosae compositionis et uni-
tatis laude illa carmina proxime ad Iliadis et Odysseae praestantiam
accessisse statuantur. Nam etiamsi sunt in iis quorum ipsum nomen
demonstrare videntur, versata ea esse non modo in uno heroe, sed
in una actione primaria, velut Oechaliae excidium in Hercule eiusque
contra Eurytum bello, sunt tamen rursus alia, quae diversi generis
fuisse non coniectura sed certo testimonio intelligamus. Cypria enim 7
et parvam Iliadem Aristoteles Homericis carminibus opponit propter
hoc ipsum, quod ad unitatem actionis minus sollerter composita
fuerint, quamobrem si tamen Homero haec a multis non minus quam
Oechaliae excidium adscribebantur, concedamus necesse est, id prop-
ter alias quasdam quam compositionis virtutes fieri potuisse. Quid est
igitur, cur in Oechaliae excidio hanc potius quam alias spectatas esse
dicamus? — Profecto sic se res habet, ut nullo iure nullaque certa
ratione concludi possit, veteres illos in aestimandis carminibus epicis
Homeroque aut adscribendis aut abiudicandis illam potissimum unitatis
normam adhibuisse, ad quam ut fuerint iam tum Ilias et Odyssea com-
positae, non tamen eam aut animadversam ab ipsis poetis Homerum aemu-
lantibus, aut utique necessariam ad laudem carminum visam esse
apparet. Ut fuerint, inquam, iam tum Ilias et Odyssea sic compo-
sitae: nam hoc ipsum haudquaquam satis constare quis nescit? Sed
de hac quaestione alias: nunc tantum Aristotelis verba paullo attentius
considerabimus.

Is igitur, Art. poet. cap. 8, peccari a multis docet in carminum compositione propterea, quod quid ad unitatem fabulae pertineat non perspectum habeant. *Μῦθος δ' ἐστὶν εἷς*, inquit, *οὐχ, ὥσπερ τινὲς οἴονται, ἐὰν περὶ ἕνα ᾖ· πολλὰ γὰρ καὶ ἄπειρα τῷ γένει συμβαίνει, (ὥσπερ ποτέ καὶ ἄλλοτε φασίν,) ἐξ ὧν ἐνίων οὐδέν ἐστιν ἕν· οὕτω δὲ καὶ πράξεις ἑνὸς πολλαί εἰσιν, ἐξ ὧν μία οὐδεμία γίνεται πρᾶξις. διὸ πάντες ἐοίκασιν ἁμαρτάνειν, ὅσοι τῶν ποιητῶν Ἡρακληΐδα καὶ Θησηΐδα καὶ τὰ τοιαῦτα ποιήματα πεποιήκασιν· οἴονται γάρ, ἐπεὶ εἷς ἦν ὁ Ἡρακλῆς, ἕνα καὶ τὸν μῦθον εἶναι προσήκειν.* In constituenda huius loci lectione Hermannum hactenus sequutus sum, ut verba uncipis inclusa,

ὥσπερ — φασίν, ex cap. 7, 6, ubi prorsus aliena et inexplicabilia
8 sunt[2]), huc transferrem. Sunt certe hoc loco perapta, siquidem, ut Hermannus ait, haec est Aristotelis sententia, multa ac varia posse uni accidere, quemadmodum poetae (aliique, opinor, multi in narrando) a l i q u a n d o h o c a c c i d i t , a l i o t e m p o r e i l l u d g e s t u m e s t, dicere soleant. Etiam alteram correctionem τῷ ἑνί pro τῷ γένει parum abfuit quin reciperem. Nam de iis tantum, quae u n i accidant, sermonem esse apparet, ut dativum illum ad συμβαίνει, si non positus sit, subaudire tamen debeamus. Sed quum id satis per se manifestum, neque illud ἄπειρα τῷ γένει ineptum sit, deserere codicum lectionem nolui. Ceterum universa huius loci sententia nihil obscuritatis habet: quid autem ad unitatem fabulae pertineat, paullo post exponitur his verbis: χρὴ οὖν, καθάπερ καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις μιμητικαῖς ἡ μία μίμησις ἑνός ἐστιν, οὕτω καὶ τὸν μῦθον, ἐπεὶ πράξεως μίμησίς ἐστι, μιᾶς τε εἶναι καὶ ταύτης ὅλης, καὶ τὰ μέρη συνεστάναι τῶν πραγμάτων οὕτως, ὥστε μετατιθεμένου τινὸς μέρους ἢ ἀφαιρουμένου διαφέρεσθαι καὶ κινεῖσθαι τὸ ὅλον· ὃ γὰρ προσὸν ἢ μὴ προσὸν μηδὲν ποιεῖ, ἐπίδηλον ὅτι οὐδὲ μόριον τοῦ ὅλου ἐστίν[3]). Requiruntur ergo haec duo, primum ut una sit actio eaque tota, h. e. a principio ad exitum rite deducta, deinde ut singulae partes sic inter se cohaereant, ut nulla earum aut transponi aut demi possit, quin totum, h. e. tota actio, discrepet et perturbetur. Credo autem Aristotelem scripsisse τὰ μέρη συνεστάναι ἐκ τῶν πραγμάτων: nam ut nunc est, non satis intelligo, cur maluerit τὰ μέρη τῶν πραγμάτων dicere, quam τὰ μέρη τῆς πράξεως aut etiam τοῦ μύθου. Est enim μῦθος, ut ipse definit c. 6, 6, ἡ σύνθεσις τῶν πραγμάτων (cf. ib. 8: ἡ τῶν πραγμάτων σύστασις, item § 12: τραγῳδία ἔχουσα μῦθον καὶ σύστασιν πραγμάτων, et 7, 1: ποίαν τινὰ δεῖ τὴν σύστασιν εἶναι τῶν πραγμάτων; denique 6, 14 poetarum est τὰ πράγματα συνίστασθαι.) πράγματα autem sunt, quaecunque

2) Legitur ibi: εἰ γὰρ ἔδει ἑκατὸν τραγῳδίας ἀγωνίζεσθαι, πρὸς κλεψύδραν ἂν ἠγωνίζοντο, ὥσπερ ποτέ καὶ ἄλλοτέ φασιν. Hartungo haec verba significare videntur: Wie es sonst einmal wohl geschehen sein soll: eamque rem sibi prorsus credibilem esse profitetur. Mihi quidem hercle non fit veri similis.

3) Vulgo scribitur: ὃ γὰρ προσὸν ἢ μὴ προσὸν μηδὲν ποιεῖ ἐπίδηλον, οὐδὲ μόριον τοῦ ὅλου ἐστίν. Recepi emendationem E. Muelleri, in Diurn. antiqu. ann. 1848 p. 518 propositam, de cuius veritate ab attentis quidem et intelligentibus lectoribus dubitari non posse arbitror.

fiunt, accidunt, eveniunt, quorum series et consequutio ab initio ad 9
exitum deducta πρᾶξιν efficit, cuius μῦθος imitatio (μίμησις) est h. e. quasi quaedam repraesentatio ex poetae ingenio ad veritatis speciem composita. Itaque ut in una quaque actione, sic etiam in fabula, quae actionis imitatio est, πράγματα plura inesse debent, quae prout componuntur, variae existunt actionis vel fabulae partes. Hoc igitur quomodo institui a poeta debeat, Aristoteles praecipit. Laudat autem Homerum, quod, sicut in aliis excellat, sic etiam hoc recte perspexerit sive artis sive naturae beneficio: ὁ δὲ Ὅμηρος, ὥσπερ καὶ τὰ ἄλλα διαφέρει, καὶ τοῦτ' ἔοικε καλῶς ἰδεῖν, ἤτοι διὰ τέχνην ἢ διὰ φύσιν.

Altero loco, qui est cap. 23, repetuntur primum quae ad unitatem fabulae pertinent praecepta, ut epico carmini cum tragoedia, de qua in superioribus dictum erat, communia: δεῖ τοὺς μύθους, καθάπερ ἐν ταῖς τραγῳδίαις, συνιστάναι δραματικοὺς καὶ περὶ μίαν πρᾶξιν ὅλην καὶ τελείαν, ἔχουσαν ἀρχὴν καὶ μέσον καὶ τέλος, ἵν' ὥσπερ ζῷον ἓν ὅλον ποιῇ τὴν οἰκείαν ἡδονήν. Haec Aristoteles ipsa per se plana esse dicit, nullaque demonstratione egere: consequi ergo, non debere epica carmina ad historiarum modum componi, ἐν αἷς ἀνάγκη οὐχὶ μιᾶς πράξεως ποιεῖσθαι δήλωσιν, ἀλλ' ἑνὸς χρόνου, ὅσα ἐν τούτῳ συνέβη περὶ ἕνα ἢ πλείους, ὧν ἕκαστα ὡς ἔτυχεν ἔχει πρὸς ἄλληλα. Sic tamen fere poetas plerosque facere ait: σχεδὸν δὲ οἱ πολλοὶ τῶν ποιητῶν τοῦτο δρῶσιν: hisque deinde opponit Homeri praestantiam: διό, ὥσπερ εἴπομεν ἤδη (scil. c. 8), καὶ ταύτῃ θεσπέσιος ἂν φανείη Ὅμηρος παρὰ τοὺς ἄλλους, τῷ μηδὲ τὸν πόλεμον, καίπερ ἔχοντα ἀρχὴν καὶ τέλος, ἐπιχειρῆσαι ποιεῖν ὅλον· λίαν γὰρ ἂν μέγας καὶ οὐκ εὐσύνοπτος ἔμελλεν ἔσεσθαι, ἢ τῷ μεγέθει μετριάζοντα καταπεπλεγμένον τῇ ποικιλίᾳ. Structuram verborum in hac extrema periodo perturbatam esse apparet, ipsius haud dubie scriptoris culpa, quem constat in hoc libello concinnitatis minus etiam quam in ceteris curiosum esse: debebat autem aut sic scribi: ὡς λίαν μέγαν καὶ οὐκ εὐσύνοπτον μέλλοντα ἔσεσθαι, ἢ τῷ μεγ. μετριάζοντα κτλ. aut etiam sic: λίαν γὰρ μέγας καὶ οὐκ εὐσ. ἔμελλεν ἔσεσθαι, ἤ, τῷ μεγέθει μετριάζων, καταπεπλεγμένος τῇ ποικιλίᾳ. Sententia satis aperta est: Homerum prae 10
ceteris etiam propterea divinum videri, quia ne bellum quidem Troianum, quamvis initium et finem habens (ideoque hactenus non ineptum epico carmini argumentum), proponere totum voluerit, sive quod sic

longius carmen evasurum fuisset nec facile mente complectendum (*εὐσύνοπτον*), sive quod, etiamsi mensura modicum, varietate tamen nimia intricatum foret, (atque sic rursus non *εὐσύνοπτον*). Apparet igitur Homero aliquid amplius tribui praeter unitatis curam, quam, ut non ignotam lectoribus et iam supra praedicatam (c. 8), hoc loco iterum diserte commemorari non necesse fuit: sed est tamen id, quod nunc in eo laudatur, cum illa unitatis cura artissime coniunctum. Nam ut percipi unitas carminis ab auditoribus possit, necesse est neque longius hoc esse, quam quod sine molestia cognosci totum queat, neque nimia rerum varietate impletum, quae, etiam si non pugnet cum unitate, facile tamen eam obscuret et officiat intellectui. Hanc igitur ob causam Homerus unam tantum partem belli Troiani sibi tractandam sumpsisse, de ceteris autem episodia passim intexuisse dicitur: *νῦν δὲ ἓν μέρος ἀπολαβὼν ἐπεισοδίοις κέχρηται αὐτοῦ πολλοῖς, οἷον νεῶν καταλόγῳ καὶ ἄλλοις ἐπεισοδίοις, οἷς διαλαμβάνει τὴν ποίησιν.* Opponuntur deinde Homero ceteri poetae: *οἱ δ' ἄλλοι περὶ ἕνα ποιοῦσι, καὶ περὶ ἕνα χρόνον, καὶ μίαν πρᾶξιν πολυμερῆ, οἷον ὁ τὰ Κύπρια ποιήσας καὶ τὴν μικρὰν Ἰλιάδα.* In his quid sit *περὶ ἕνα ποιεῖν*, non obscurum est: designantur enim illi, de quibus cap. 8 dictum est, *ὅσοι τῶν ποιητῶν Ἡρακληΐδα καὶ Θησηΐδα καὶ τὰ τοιαῦτα ποιήματα πεποιήκασι*, quibus carminibus, quum varietas rerum nullo interno vinculo cohaereat, sed eo tantum connectatur, quod unius hominis res sunt, veram et poeticam unitatem deesse apparet. Sed de proximis verbis ambigere fortasse aliquis possit, utrum coniungenda sint in hunc modum, ut poetae unius temporis actionem unam sed multiplicem tractare dicantur, an contra sic, ut alii sint, qui, quae uno temporis spatio evenerint, propterea
11 etiam complecti omnia velint necessariae aut probabilis rerum inter se cohaerentiae parum curiosi, — quemadmodum paullo ante non ad historiarum instar poemata scribi debere monuit, — alii autem, qui unam quidem actionem, sed eam multiplicem, (*πολυμερῆ*) proponant. Hoc haud dubie verum est; siquidem in unius temporis actione una multiplici non certe illud reprehendi potest, quod unius temporis, sed hoc tantum, quod multiplex sit. Nam ad actionis unitatem si etiam temporis unitas accedit, id laudi potius quam vitio vertendum esse apparet. Neque requirenda est praepositio *περί* ante *μίαν πρᾶξιν*: nam ea necessaria fuit apud *ἕνα χρόνον* aut *ἕνα* (*ἄνθρωπον*), quandoquidem poeta non ipsum tempus aut ipsum hominem *ποιεῖν* dici

potuit, sed tantum quae ad unum tempus aut ad unum hominem pertinerent; contra πρᾶξιν μίαν ποιεῖν legitima et usitata loquutio est. Iam in proximis verbis, οἷον ὁ τὰ Κύπρια ποιήσας καὶ τὴν μικρὰν Ἰλιάδα, accuratius scribenti articulus ὁ ante τὴν μικρὰν Ἰλιάδα addendus fuit, ne unus utriusque carminis poeta dici videretur; sed hoc genus negligentiae in hoc libello patienter tolerandum est. Οἷον autem apparet non alio pertinere, quam ad μίαν πρᾶξιν πολυμερῆ: nam non circa unum hominem haec carmina versata esse constat, circa unum tempus autem non certe sic versata sunt, ut quae eo tempore gesta essent, quamvis aliena inter se et disiuncta, omnia complecterentur, sed ea tantummodo, quae ad bellum Troianum pertinerent, cuius in parva Iliade exitum, in Cypriis causas atque initia proposita esse novimus. Apertum est igitur, hoc unum nunc ab Aristotele in iis reprehendi, quod πρᾶξιν πολυμερῆ tractaverint, neque vitaverint id quod Homerum cavisse dixit, ne carmina, si non iusto longiora, certe tamen propter nimiam rerum multitudinem ac varietatem implicata et intricata, τῇ ποικιλίᾳ καταπεπλεγμένα, evaderent. Scilicet habet haec res etiam in epico carmine modum suum ac fines. Multo plus quidem hoc in genere epicis quam tragicis poetis concessum esse Aristoteles ipse docet cap. 24, quippe quum in tragoedia, quae ad spec- 12
tandum comparata est, non possint unius actionis partes plures eodem tempore gestae simul proponi, in epico autem carmine, quia narratio est, nihil obstet, quominus eiusmodi partes plures deinceps narrentur. Erit tamen, ut arbitror, hic modus observandus, ne partium harum multitudine fabula oneretur atque intricetur, neve totius actionis unitas obscuretur potius quam illustretur: et hoc, nisi fallor, illud est, quod Aristoteles ab Iliadis parvae et Cypriorum auctoribus minus cautum, ab Homero autem observatum esse ait: quod quo magis apertum faciat, statim addit: τοιγαροῦν ἐκ μὲν Ἰλιάδος καὶ Ὀδυσσείας μία τραγῳδία ποιεῖται ἑκατέρας ἢ δύο μόναι, ἐκ δὲ Κυπρίων πολλαὶ καὶ τῆς μικρᾶς Ἰλίαδος πλέον ὄκτω, οἷον Ὅπλων κρίσις, Φιλοκτήτης, Νεοπτόλεμος, Εὐρύπυλος, Πτωχεία, Λάκαιναι, Ἰλίου πέρσις καὶ Ἀπόπλους καὶ Σίνων καὶ Τρῳάδες. Apparet enim horum verborum in hoc contextu non aliam sententiam esse posse, quam ut Iliadis et Odysseae partes eae, quibus ipsa utriusque carminis actio continetur, unius tantum aut duarum h. e. perpaucarum tragoediarum argumenta habere dicantur, Cypriorum contra et parvae Iliadis dartes eiusdem generis tam multas esse, ut octo amplius tragoediis

argumenta unum carmen suppedidet. Quaenam essent ex Iliade aut Odyssea tragoediae ductae, Aristoteles indicare neglexit: ex interpretibus autem Aristotelis unus, qui sibi intellexisse videretur, non unam aut duas, sed longe plures ex utroque carmine tragoedias desumptas esse, propterea totum hunc locum non ab ipso Aristotele, sed ab inepto quopiam interpolatore scriptum esse contendit. „Multae“ inquit „et peti possunt et petitae sunt ex Iliade et Odyssea tragoediae, verbi causa Aeschyli Myrmidones, Nereides, Phryges (Ἕκτορος λύτρα), etiam Ψυχοστασία (quamquam personarum nomina et fata ex Arctini Milesii Aethiopide sumpta erant), Psychagogi, Penelopa, Sophoclis Chryses, Phryges, Thamyris, Tyro, Sisyphus, Nausicaa (satyrica), Phaea-
13 ces (satyrica), aliaeque aliorum.*)“ Nimirum ostendit vir doctissimus, se nec Aristotelis sententiam satis perspexisse, nec de ipsis illis tragoediis, quarum nomina congessit, recte iudicare. Nam ut ab ea incipiam, in qua ipse quandam erroris sui conscientiam prodit, Aeschyli Psychostasiam constat versatam esse in Memnonis fato, cuius fabulae apud Homerum nulla prorsus mentio fit, sed cecinerat eam Arctinus in Aethiopide. Itaque argumentum tragoediae suae Aeschylus ex Homero petere nullo modo potuit: illud unum transtulisse ex eo dicitur, quod, quum Homerus Iovem κῆρας Achillis et Hectoris in trutina suspendentem fingat, ipse eum animas Achillis et Memnonis trutinantem induxit. Nec minus manifestus error in Psychagogis est. Nam licet etiam in Odysseae parte postrema Mercurius ψυχαγωγὸς sit, procorum animas in Orcum deducens, Aeschyli tamen tragoediam non in hac fabula, sed in rebus multo posterioribus, quales in Telegonia narratae erant, versatam esse e schol. ad Odyss. XI, 145 intelligi potest. Quid autem de Sophoclea Tyro dicam? Apud Homerum de illa muliere nihil aliud narratur, nisi a Neptuno sub Enipei, quem ipsa deperibat, specie compressam duos filios, Nestorem et Peliam, moxque ex Cretheo Aesonem, Pheretem, Amythaonem peperisse. Od. XI, 235 sqq. Hocine igitur Sophocleae tragoediae argumentum fuisse putabimus? Immo alios ille auctores habuit, qui Tyrus fabulam uberius persequuti erant, Hesiodum fortasse, qui quum de patre Tyrus Salmoneo, itemque de eius posteris exposuerit[5]), etiam ipsius fabulam

*) Ritter. ad Ar. Poet. p. 248.

4) Vid. schol. Od, XII, 70. schol. Pind. Nem. III, 92. Steph. Byz. s. v. Αἴσων. Tzetz. ad Lycophr. v. 284.

enarrasse putandus est in Catalogis. Non magis argumentum tragoediae praebuerunt quae de Thamyri ab Homero, Il. II, 595 et proximis quinque versibus non narrantur, sed attinguntur: neque igitur dubitari potest quin huius quoque fabulae alios Sophocles auctores habuerit, Minyadis fortasse poetam, quem de Thamyri narrasse ex Pausania constat, IV, 33, 7. Porro Sisyphi argumentum quis credet ex Homero 14
sumptum esse? qui nihil nisi genus eius duobus versibus, Il. VI, 153. 4, poenamque apud inferos versibus item paucissimis, Od. XI, 552—599, memorat, facta autem eius aut eventa, quae in tragoedia repraesentari potuerint, nulla prorsus tradit. De Phrygibus Sophoclis nihil quidquam relatum est, unde coniectura de argumento fabulae capi possit, et licet fuerit de genere Troicarum, pariter ut Chryses, cuius praeter titulum nihil novimus, tamen quantum argumenti ex Homero, quantum ex aliis poetis ductum sit, quis tandem divinare poterit? Nam de Chryse expugnataque eius urbe et capta a Graecis filia perquam copiose etiam in Cypriis narratum fuisse non dubium est, unde nomen quoque filiae, ab Homero non memoratum, Hippodamiam grammatici hauserunt. Restant de Sophocleis Nausicaa et Phaeaces, quas vir doctissimus satyricas fuisse autumat: quo iure, ipse viderit: sed si fuerunt satyricae, vix ad hanc quaestionem pertinent, sin tragoediae fuerunt, totaeque ex Odyssea ductae, — quod tamen ipsum haudquaquam liquet, — convellere hae duae Aristotelis auctoritatem non poterunt. De Aeschyleis autem Myrmidonibus, Nereidibus, Phrygibus s. Hectoris lytris, quae tres fabulae, utpote in trilogiam compositae, pro una tragoedia numerari poterunt, hoc quidem constat, versatas eas esse in iis rebus, quae in Iliade ab Homero narrantur, verum sic tamen, ut Homeri narationem Aeschylus multis modis amplificaret, nec fere nisi primas lineas argumenti et catastrophen ex ea sumeret. De Penelope denique parum nobis compertum est. — Sed negavi etiam sententiam Aristotelis ab eius interprete satis perspectam esse, de qua utique Nitzschius audiendus fuit, Melett. de histor. Hom. II p. 18, verissime monens: „Ex Iliade et Odyssea quod unam vel duas ex utraque tragoedias fieri dixit, hoc ita dixit, si tragoediae illae ipsam factorum seriem aut summam utriusque carminis complecterentur.“ Nempe 15
summam carminis aut ipsam factorum seriem eam intelligit, quam Aristoteles alibi, c. 17, 5, τὸν λόγον dicit sive τὸ καθόλου, variis illam episodiis opponens, quibus distingui carmen et amplificari con-

veniat. Potest autem fieri, ut, quae sic per episodia carmini inseruntur, ipsa etiam eiusmodi sint, quae idonea tragoediis argumenta praebeant: velut quae Il. VI de Bellerophonte, Il. IX de Meleagro, Od. IV de Ulixis speculatione per occasionem s. episodice narrantur. Verum Aristoteles ne Rhesum quidem, si hanc fabulam legit, aut Nausicaam et Phaeaces ex ipsa Iliade ipsaque Odyssea, sed ex episodiis tantum Iliadis et Odysseae factas esse diceret, quae quamvis apta suis locis, non tamen adeo necessaria sunt, ut in ipsius summae fabulae partibus, quibus demptis aut transpositis hanc quoque alterari et turbari oporteat, numerari possint. Aliter se res habuit in illis tragoediis, quas e Cypriis multas, e parva Iliade plus octo factas Aristoteles commemorat: harum enim argumenta necesse est non ex episodiis illorum carminum sed ex ipsa eorum summa et primaria actione petita fuisse, id quod non modo Aristotelis testimonio recte intellecto credimus, sed ex iis quoque comprabari videmus, quae aliunde quum de parvae Iliadis, tum de tragoediarum, quas ille hinc factas memorat, argumentis comperta habemus. Nam Ὅπλων κρίσις versabatur in certamine de Achillis mortui armis inter Aiacem et Ulixem, unde Leschen Iliadis suae exordium duxisse Procliana epitome docet. Tragoediae argumentum hinc ab Aeschylo petitum est, cuius Ὅπλων κρίσις aliquoties laudatur. Philoctetae fabulam a compluribus tragicis tractatam esse nemo nescit: in parva Iliade eam narratam fuisse item Proclus refert. In eadem expositum fuit de Neoptolemo Achillis filio, ut ab Ulixe de Scyro insula ad Troiam deductus arma paterna acceperit, utque Achilles ei in somnis apparuerit; tragoediam autem Neoptolemum unam certe fuisse novimus, Nicomachi, qui Euripidis aequalis fuit[5]).
16 Eurypylus Telephi filius in parva Iliade Troianis auxilio venit, quumque multa fortiter fecisset, tandem a Neoptolemo interfectus est. Tragoediam hoc argumento qui scripserit, nescimus: fuisse aliquam nemo dubitabit, nisi cui libeat cum illo, quem ante designavi, viro doctissimo ineptire. Idem de Πτωχείᾳ dicendum est. Nam quod ignoramus, quis hoc titulo tragoediam fecerit, quis tandem mirabitur in tanta harum litterarum iactura? de argumento autem res plana fit ex epitome parvae Iliadis: Ulixem, mendici habitu, ad speculandum Troiam intrasse, agnitumque ab Helena, sed celatum, consilia cum ea composuisse de urbe prodenda, dein, caesis plurimis Troianis, in castra Grae-

5) Vid. Welckeri librum de tragoed. gr. tom. III p. 1013. 1016.

eorum reversum esse. Eandem rem etiam Homerus refert Od. IV, 244 sqq., possitque proinde aliquis, Aristoteliae rationis ignarus, *Πτωχείας* quoque tragoediam in iis numerare, quae ex Odyssea ductae sint. Sed apud Homerum res obiter et in episodio traditur; apud Leschen contra in iis fuit, quarum serie ipsum carminis argumentum ac summa continebatur: idemque de ceteris dicendum est, quas ex Iliade parva desumptas tragici poetae tractasse dicuntur. Proxima est *Λακαινῶν* fabula, quo titulo Sophoclis tragoedia fuit, quam in rebus Iliacis versatam esse unum certe fragmentum testatur, quumque ab Aristotele haec tragoedia statim post *Πτωχείαν* nominetur, summo iure argumentum eius ex ea parte Iliadis parvae ductum esse statuitur, de qua in Procli epitome post illam mendicantis Ulixis speculationem refertur: *καὶ μετὰ ταῦτα Ὀδυσσεὺς σὺν Διομήδει τὸ Παλλάδιον ἐκκομίζει ἐκ τῆς Ἰλίου.* Neque enim dubitari potest, quin Ulixes etiam in hoc furto Palladii Helenae auxilio usus sit, quacum antea de excidio urbis conspiraverat, *Λακαίνας* autem ancillas Helenae interpretabimur ex Laconia heram comitatas[6]. Sequitur *Ἰλίου πέρσις*, quo nomine tragoedias inscripsisse dicuntur Cleophon, Iophon, Nicomachus[7]. Eodem nomine etiam parvae Iliadis liber 17
postremus a quibusdam appellari solitus esse videtur[8], excidium urbis resque cum eo coniunctas complexus, unde quantum quisque tragicorum in tragoediam suam transtulerit, sciri non potest. Nicomachi quidem *Ἰλίου πέρσις* etiam alio nomine Polyxena inscribebatur: versatam igitur apparet in Polyxenae sacrificio, de quo etiam in parva Iliade relatum fuisse, licet nemo testetur, vix tamen dubitabitur. Nam Procli epitomen non totius carminis, sed prioris tantum partis summarium exhibere constat. *Ἀπόπλους* tragoedia cuiusnam poetae et quonam proprie argumento fuerit, ignoramus. Sinonem Sophocles scripsit: fabulam, qualem Vergilius habet Aeneidis libro II, etiam in parva Iliade fuisse non est quod dubitetur. De Troadibus denique, nobilissima Euripidis tragoedia, dicere nihil attinet. — Ceterum qui illud de Iliade et Odyssea testimonium, idem criticus etiam hanc decem tragoediarum enumerationem vehementer impugnavit,

---

6) Sic etiam Welcker. l. l. tom. I. p. 145.

7) Suid. s. vocc. et Eudoc. p. 248 et 311.

8) Cf. Fr. Wüllner. de cycl. p. 84. Welck. de cycl. I. p. 215. Nitzsch. l. l. p. 39.

quod quo iure factum sit, ex iis, quae a me exposita sunt, propemodum iam satis liquere arbitror. Certe supervacaneum hunc locum aut ad superiorem Aristotelis disputationem non satis aptum nemo amplius credet: quae autem censor ille in singulis aut mira aut vitiosa aut commenticia esse criminatur, haec omnia aut fuerunt dudum ab aliis vel defensa vel excusata, aut nulla apud cordatos lectores defensione vel excusatione egere videntur. — Sed quoniam etiam a Nitzschio, viro primario et vere critico, non quidem scriptus ab Aristotele hic locus esse negatur, sed dubitatur tamen nonnihil de iudicio Aristotelis eiusque veritate, hanc quoque dubitationem non putavi silentio praetermittendam, quum praesertim eam dilui posse sperem. Disputatur autem a viro praestantissimo, Melet. de hist. Hom. II, p. 17, hoc modo: „Ex eo“ inquit „quod tragici Iliadis parvae partes in
18 magnum fabularum numerum converterant, colligit Aristoteles, eius actionem minus esse congruam. Haec conclusio probabilitatem habet, necessitatem nullam.“ Scilicet si constaret ea conclusione Aristotelem usum esse, ac non potius ipsum carmen eiusque compositionem, quam tragoediarum ex eo ductarum numerum spectasse. Potueritne fieri, ut eae partes omnes, quae tragoediarum argumenta tragicis praebuerunt, epici poetae sollertia sic componerentur, ut non officeretur actionis unitati, quaeri nunc nihil attinet. Factumne esset, an non, id Aristotelem non aliunde nisi ex ipsius parvae Iliadis consideratione decrevisse persuasum habeo. Et Nitzschius quoque, ut est vir prudens et circumspectus, ipse quodammodo sententiam suam retractavit. „Verum enim“ ait „nos ita iudicamus causa quasi incognita: ipsum enim carmen quo modo singula temperata habuerit, non licet considerare, consideraverat autem Aristoteles.“ Attamen statim rursus diffidere Aristoteli mavult: „Par esset“ inquit „sensum quendam in iudicium assumere, quem ex lectione ille traxisset, nisi ipse sibi adversari videretur. Alio enim loco (c. 18) epicam et tragicam compositionem accurate distinguit, neque solum totam Iliadis fabulam una tragoedia comprehendi vetat, sed etiam Iliu Persidem. Idem c. extr. s. fin. ex una quaque epopoeia plures tragoedias fieri dicit; unam enim si epici fabulam effingant, carmen aut longitudinem iustam non habiturum esse, aut, eam si efficere velint, languidum evasurum. Sin plures conseruerint fabulas, non unam

amplius futuram esse actionem: ut Ilias et Odyssea multas contineant partes, quae etiam per se suam habeant magnitudinem. Quamquam haec poemata, quantum genus epicum recipiat unius actionis imitationem, optime composita sint.“ Consideremus igitur ipsos Aristotelis locos. Horum 19
alterum, qui est cap. 18, cum iis, quae ex cap, 23 proposuimus, nullo modo pugnare facile intelligetur. *Χρὴ δέ*, inquit Aristoteles, *μὴ ποιεῖν ἐποποιικὸν σύστημα τραγῳδίαν· ἐποποιικὸν δὲ λέγω τὸ πολύμυθον, οἷον εἴ τις τὸν τῆς Ἰλιάδος ὅλον ποιοῖ μῦθον.* Cur hoc non debeat, hanc rationem affert, quod in epopoeia propter ipsam carminis longitudinem etiam singulae partes iustam magnitudinem habere possint, id quod in tragoedia contra sit. Patefieri autem hoc ait exemplo eorum, *ὅσοι πέρσιν Ἰλίου ὅλην ἐποίησαν*, h. e. qui una tragoedia ea omnia complecti voluerint, quae sunt in Iliu Perside. Videmus igitur Aristotelem hoc loco non loqui de unitate actionis sed tantum de carminum magnitudine et mensura. Itaque illud *πολύμυθον* a tragoedia arcet non propterea, quod multae fabulae apte ad unitatem argumenti componi non possint, sed quod, propter necessariam tragoediae brevitatem, explicari commode nequeant, rursusque epicis carminibus *τὸ πολύμυθον* concedit non propterea, quod facilius etiam in magna multitudine fabularum argumenti unitas servari, sed quod iusta mensura, iustum spatium cuique fabulae explicandae tribui possit. De compositionis igitur artificio, de unitate actionis tuenda, hoc quidem loco nihil praecipitur. Licere tantum ait epico poetae, quod tragico non liceat, ut multas fabulas complectatur. Rectene et convenienter an secus hoc fiat, in unius cuiusque poetae ingenio et sollertia positum est, potestque accidere, ut, quod liceat fieri aut etiam necesse sit, tamen, si minus recte fiat, reprehendendum sit. — Restat alter locus, qui est c. 26, 6. Comparantur ibi inter se tragica et epica poesis, exponiturque quibus de causis haec illi postponenda videatur. Harum una est, quod minus in epopoeia quam in tragoedia unitatis sit: *ἧττον μία μίμησις ἡ τῶν ἐποποιῶν.* Id iam comprobatur exemplo: *σημεῖον δέ· ἐκ γὰρ ὁποιασοῦν ἐποποιῶν μιμήσεως πλείους τραγῳδίαι γίνονται*, h. e. nullum est carmen epicum, ex quo non plures tragoediae fiant. Necesse est igitur propter hanc ipsam causam, quod plures sunt in epico carmine fabulae, quarum nulla sine actione esse potest, totius carminis unitatem minorem fieri 20
aut videri: *ἐὰν πλείους (μύθους ποιῶσι), λέγω δὲ οἷον ἐὰν ἐκ*

πλειόνων πράξεων ᾖ συγκειμένη, οὐ μία sc. *ἔσται* aut *φανήσεται*. Hoc *οὐ μία* non nimis urgendum esse res ipsa docet: apparet enim nihil aliud significari quam quod ante dictum est *ἧττον μία*. Iam vero quum hoc ipsum etiam in Iliadem et Odysseam cadere dicatur, *ὥσπερ ἡ Ἰλιὰς ἔχει πολλὰ τοιαῦτα μέρη καὶ ἡ Ὀδύσσεια, ἃ καὶ καθ᾽ ἑαυτὰ ἔχει μέγεθος*, nonne pugnat hoc cum iis, que cap. 23 in laudem Iliadis et Odysseae dicta sunt? Ibi enim perpaucas tantum ex utraque tragoedias fieri legimus: nunc pari cum ceteris epopoeiis loco censentur, ex quarum una quaque multae tragoediae fiant. Quamvis enim concedatur Iliadem et Odysseam optime, quantum liceat, compositas esse et maxime unius actionis imitationem habere (*καίτοι ταῦτα τὰ ποιήματα συνέστηκεν ὡς ἐνδέχεται ἄριστα καὶ ὅτι μάλιστα μιᾶς πράξεως μίμησις*), tamen quum multas utraque partes eiusmodi habere dicatur, quae etiam solae per se magnitudinem habeant, dubiumne esse potest, quin ex talibus partibus etiam tragoediae fiant fierique possint? id quod pugnare cum c. 23 manifestum est. Pugnat sane; sed est tamen, ut arbitror, haec pugna magis verborum, quam rei ipsius ac sententiae. Nempe omnis discrepantia in eo consistit, quod nunc partes (*μέρη*) dicuntur, quae magis proprie episodia dicenda fuissent. Episodiis autem multis Iliadem distinctam esse Aristoteles ipse professus est c. 23, 3. Cap. 17 autem § 5, de Odyssea loquens, *λόγον* eius sive summam argumenti brevem esse ait, quae paucis sic fere comprehendi possit: quum quidam multos annos peregre fuisset, ab infesto Neptuno observatus ac solus, res autem eius domestica sic se haberet, ut opes a procis uxoris absumerentur filioque insidiae struerentur, tandem ipse, tempestatibus iactatus, rediit, et post quasdam agnitiones impetu in adversarios facto ipse servatur,
21 illos autem ulciscitur: his itaque sic propositis, *τὸ μὲν ἴδιον*, inquit, *τοῦτο, τὰ δ᾽ ἄλλα ἐπεισόδια*. Hinc intelligitur, quam multa magnaque in utroque carmine episodia agnoverit, quorum non pauca etiam tragoediis argumenta suppeditare potuerunt. Haec igitur nunc minus accurate loquens, in partibus eorum carminum numerat, licet alibi, cap. 24, 4, episodia a partibus distinguat, et cap. 23, ubi de tragoediis loquitur ex Iliade et Odyssea ductis, nullam episodiorum rationem habeat. Sed haec indiligentia non tamen eiusmodi est, quae fallere attentum lectorem et in errorem inducere possit, neque adeo miranda in hoc libello, quem parum elaboratum esse satis inter omnes

constat[9]). Hinc igitur manifestum esse arbitror, non obstare hunc locum, quominus illis, quae altero loco, cap. 23, de parvae Iliadis et Cypriorum auctoribus dicta sunt, fides habeatur. Reprehendit autem ibi Aristoteles, quemadmodum supra vidimus, hoc unum, quod, quum actionem multiplicem tractarent, non vitaverint id, quod Homerus prudenter caverit, ne propter nimiam rerum multitudinem ac varietatem implicata carmina evaderent: quae reprehensio significare videtur, eos non satis scite fabulas, quas proponebant, ad unitatem actionis composuisse, sed ita potius omnia narrasse, ut quid primarium, quid secundarium esset, non posset dignosci, ideoque unitas actionis, etiamsi non plane deesset, non tamen satis eluceret.

Ceterum quod ad hanc unitatem actionis attinet, est ea quidem necessaria, quae ubi desit, bene compositum carmen esse nequeat, neque tamen sola ad laudem compositionis sufficiens. Requiritur insuper, ut actio t o t a sit, vel, ut cum Aristotele loquar, ut initium, medium et finem habeat, h. e. ut a principio ad exitum necessario aut probabili processu per gradus deducatur. *Χρὴ οὖν*, inquit c. 8, 4, *τὸν μῦθον, ἐπεὶ πράξεως μίμησίς ἐστι, μιᾶς τε εἶναι καὶ ταύτης ὅλης.* item c. 23, 1: *δεῖ τοὺς μύθους συνιστάναι περὶ* 22
μίαν πρᾶξιν ὅλην καὶ τελείαν, ἔχουσαν ἀρχὴν καὶ μέσον καὶ τέλος, ἵν᾽ ὥσπερ ζῷον ἓν ὅλον ποιῇ τὴν οἰκείαν ἡδονήν. add. c. 7, 3: *ἀρχὴ δ᾽ ἐστὶν ὃ αὐτὸ μὲν μὴ ἐξ ἀνάγκης μετ᾽ ἄλλο ἐστί, μετ᾽ ἐκεῖνο δ᾽ ἕτερον πέφυκεν εἶναι ἢ γίνεσθαι· τελευτὴ δὲ τοὐναντίον ὃ αὐτὸ μετ᾽ ἄλλο πέφυκεν εἶναι ἢ ἐξ ἀνάγκης ἢ ὡς ἐπὶ τὸ πολύ, μετὰ δὲ τοῦτο ἄλλο οὐδέν· μέσον δὲ ὃ καὶ αὐτὸ μετ᾽ ἄλλο, καὶ μετ᾽ ἐκεῖνο ἕτερον.* Haec ut satis plana, sic etiam certissima sunt: sed quam bene a veteribus illis epicis servata sint, parum liquet. Sunt enim, qui ne Iliadem quidem et Odysseam sic, ut par esset, finiri, sed utramque ultra iustum finem produci putent; et Odysseae partem postremam, a XXIII, 297, alienam nec ab eodem, qui reliqua fecit, poeta profectam esse non ambigitur, ea autem, quae de pace cum occisorum procorum parentibus composita XXIV, 413 sqq. narrantur, etiam ab ea, quam Aristoteles legerit, Odyssea abfuisse nonnulli crediderunt. Sed horum quidem opinionem a Nitzschio satis refutatam esse lubens concedo, nec de Iliadis iusto

9) Conf. quae de simili quadam in a. p. indiligentia prudenter monuit E. Egger, Histoire de la critique chez les Grecs (Paris. 1849.) p. 145.

exitu dissentio. Ceteri autem epici quam recte *totum ponere*, h. e. actionem ab initio usque ad finem rite deducere valuerint, hoc quidem Aristoteles neque de aliis significavit, neque de iis, quos propter argumentum minus sapienter electum Homero opposuit, Iliadis parvae et Cypriorum poetis. Neque, quod ille reticuit, aliunde nobis compertum est, quandoquidem carminum illorum praeter paucissima quaedam fragmenta nihil superest, Proclianae autem epitomae non totum eorum ambitum describunt, sed eas tantummodo partes, quae aut receptae erant in cyclum ab eius collectoribus, aut pertinere Proclo ad fabularis historiae orbem ac perpetuitatem videbantur. Quodsi probabilitatem sequimur, de Cypriis quidem et parva Iliade — in his enim nunc me continebo — difficile est ad credendum, alterius carminis finem, alterius initium iustum ac debitum fuisse, quippe quum parvam Iliadem continuasse belli Troiani historiam inde ab eo tempore, in quo Arctini Aethiopis desierat, Cypria causas tantum belli et praeparationem pri-
23 maque tempora, non autem exitum complexa esse constet. Potuisse tamen fieri, ut vel sic poetae illi *totum quoddam* efficerent, nolo infitias ire, admirorque magnopere et exosculor doctissimorum virorum ingenia, qui, quo modo id fieri potuerit, ostendere, alii aliter, conati sunt. Et de Cypriis maxime, in quibus et Proclianae epitomae ubertas et fragmentorum numerus plures tanquam ansas ad coniectandum praebent, non sine summa voluptate huiusmodi pericula contemplatus sum, fateorque adeo, me ipsum aliquando paene illectum esse, ut quid coniectando valerem experirer: subibat enim illud, praefiscini, *anch' io* —; sed revocavi me, abstinendumque putavi huiusmodi lusibus ingenii, quos aliquid fortasse otiosae delectationis habere, parum autem prodesse viderem ad veritatis cognitionem.

DE VETERUM CRITICORUM NOTIS AD HESIODI OPERA ET DIES.

De carmine Hesiodeo, quod Opera et Dies inscribitur, quam varia 3
ac diversa sint doctissimorum virorum iudicia neminem fugit mediocriter modo in hoc litterarum genere versatum. Sunt enim, qui formam eius et compositionem, si minus laudibus extollant, at certe satis probabilem esse contendant, in qua licet passim iuncturam paullo asperiorem transitumque ab alia parte ad aliam abruptiorem esse fateantur, tamen non adeo mirum hoc videri posse autumant in carmine tam vetusto eaque aetate nato, quae quid poeticae artis leges poscerent nondum satis calleret; boni autem interpretis esse, si quid ad partium aptam compositionem deficiat, id suamet ipsum sollertia supplere, causasque et rationes, quas poeta in opere componendo sequutus sit, sagaciter indagare. Contra alii partes quidem aliquot maiores recte compositas et quasi continuo filo deductas esse concedunt, eas imprimis, quae de agricultura et de navigatione deque dierum faustorum et infaustorum observatione praecipiunt, sed his alias perperam assutas esse, nullo interno vinculo aut inter se aut cum illis maioribus cohaerentes, sed confusam quandam sententiarum ac praeceptorum varii generis farraginem, quam qui congesserint aut merum arbitrium aut fortasse externam quandam similitudinem in vocabulis adeoque in litteris sequutos esse, ad eundem modum, quem in elegorum Theognideorum collectione critici acutiores animadverterunt. Atque ab horum sententia ego quoque me non abhorrere profiteor. Quanto saepius enim carmen perlustro, quantoque accuratius defensorum illorum ac laudatorum rationes examino, acumen quidem et sollertiam argumen-

4 tandi libenter agnosco, veritatem ut agnoscam nullo modo adducor, neque melius de hoc carmine iudicari posse existimo, quam de theogonia nuper a me iudicatum est, quum eam compositorem prodere dixi opus quasi tessellatum ex variis atque dissimilibus partibus concinnare conatum, qui, quum universae quidem compositionis consilium et descriptionem haud inepte instituisset, tamen aequabilitatem partium iustamque proportionem parum curaret, neque ad scitam et aptam earum iuncturam et quasi mollem quandam membrorum commissuram efficiendam satis aut ingenio aut arte valeret. Assentior itaque in universum iis, qui partes istas inaequales et male compositas discriminare aggressi sunt, quamquam hos ipsos nec de numero earum nec de unius cuiusque ambitu definiendo plane inter se consentire video. Nam alii, ut Twestenius [1]), qui huius subtilioris inquisitionis princeps fuit, quinque partes maiores, duas minores distinguunt, alii, ut Goettlingius [2]), editor Hesiodi longe praestantissimus, novem esse volunt, denique Heyerus [3]), cuius non contemnenda extat de hoc carmine commentatio, priorem partem, quae continetur vv. 11—382, sex maioribus et continuis poematis compositam esse statuit, de altera parte, a v. 382 ad 828, nihil dixit; dubitari tamen non potest, quin huius quattuor minimum particulas distincturus fuerit. Equidem meum hac de re iudicium nunc interponere nolo; sed unum tangam in Goettlingii disputatione, quod mihi minus recte a viro doctissimo positum esse videtur. Nam sententiae suae de diversis olim carminibus posteriore demum tempore in hoc corpus conflatis aliquid praesidii etiam hinc petit, quod nonnullae partes suis peculiaribus titulis appellari solitae sint:
5 *Πανδώραν* enim vel *πιθοιγίαν* eam partem, quae sit a v. 47 (potius 42) ad v. 105, *Δαιμονολογίαν* eam, quae sit a. v. 109 ad 201, aliquoties a grammaticis dici ait, ubinam autem et a quibusnam, indicare supersedit. Non equidem adeo aut lectione mea aut memoria fretus sum, ut nihil me apud grammaticos aut non legisse aut non oblitum esse credam; eorum tamen, quae ad Hesiodum pertinent, non nimis multa me fugisse arbitror. Sed *δαιμονολογίας* nomen qui usur-

1) Comment. crit. de Hesiodi carmine quod inscribitur Opera et Dies. Kil. 1815. p. 64.

2) Praefat. ad Hesiod. ed. 2. p. XXXV. sqq.

3) De Hesiodi carm. quod Op. et D. inscribitur comment., in progr. gymnasii Suerinensis ann. 1848. p. 9.

paverit de hac parte carminis, neminem novi, neque omnino illud vocabulum extare in veterum scriptis videtur, sed recentiore demum aetate ad exemplum *θεολογίας* aliorumque similium procusum esse. De hoc quidem carmine Hesiodeo primus Dan. Heinsius eo usus est, Introduct. in O. et D. cap. VII, quo loco contra vulgatam olim carminis in duos libros divisionem disputans, rectiusque partes eius ex rerum atque argumentorum varietate distinguendas esse contendens, huius distinctionis quandam significationem etiam apud Manilium inveniri putat, qui Astron. II. v. 11. sqq. haec de Hesiodo canit:

Hesiodus memorat divos divumque parentes,
et chaos enixum terras, orbemque sub illo
infantem, et primos titubantia sidera partus,
Titanasque senes, Iovis et cunabula magni,
et sub fratre viri nomen, sine matre parentis,
atque iterum patrio nascentem corpore Bacchum,
omniaque immenso volitantia numina mundo,
quin etiam ruris cultus legesque novandi etc.

Nam horum versuum duos postremos ad Opera pertinere, et numina illa immenso mundo volitantia non alios esse quam daemones, quorum v. 122 et 252 mentio fit[4]). „Manilius igitur“ inquit p. 655 ed. Loesn., *κριτήριον* huius libri primi esse voluit id, de quo praecipue agitur, quia primus Hesiodus, quemadmodum in theogonia de diis sive de prima divinitatis specie, ita in hoc libro primus distincte de secunda egit, nimirum *περὶ τῶν δαιμόνων, περὶ τῶν ποτανῶν θεῶν.*“ Et paullo post, p. 656. 7: „Sicut autem minime insolens erat, librum integrum Iliados a parte dicere *Πατρόκλειαν* vel *Λύτρα* — ita quoque *Δαιμονολογίαν* primum *τῶν Ἔργων* vocat Manilius, quod ex illa parte pleraque dependeant.“ Apparet brevitatis causa huic parti *δαιμονολογίας* nomen ab Heinsio imponi; traditum a veteribus esse non apparet. — Paullo aliter se res habet de *Πιθοιγίᾳ*, quod vocabulum neque ignotum est veteribus scriptoribus, et usurpatum, ab uno saltem, de quodam Operum loco; sed rursus qui illam de Pandora narrationem, quae est v. 42—105, *Πιθοιγίαν* ap-

4) Ne certa quidem est loci Maniliani lectio: nam optimi codices lumina habent, non numina, illudque a nupero editore Iacobo receptum est.

pellaret, ante Heinsium nemo fuit. Is autem l. c. p. 656, „in Pandora“ inquit „rursus sunt minutae partes, qualis et *Πιθοιγία* et aliae, quarum grammatici meminerunt.“ itemque cap. XIV. p. 670: „Sicut autem *Πιθοπλαστία* Iovis est, ita *Πιθοιγία* (eleganti voce hunc Hesiodi locum ita vocant grammatici) Pandorae.“ Quinam sint isti grammatici, non magis hic quam Goettlingius nos docet: ego, donec aliquis eorum demonstratus fuerit, nullos esse credam, sed subesse confusam quandam memoriam Eustathii. Hic enim *πιθοιγίας* nomen usurpat, verumtamen non de fatali Pandorae dolio aperto, sed de altero in cella vinaria reposito, de quo Hesiodus praecipit v. 368:

Ἀρχομένου δὲ πίθου καὶ λήγοντος κορέσασθαι,
μεσσόθι φείδεσθαι· δειλὴ δ' ἐνὶ πυθμένι φειδώ.

Nam ad Iliadis librum XXIV, v. 527, ubi duo dolia in Iovis domo posita esse dicuntur, malis alterum, alterum bonis repletum, ille, postquam Pandorae dolii mentionem fecit, in quo mala tantum inessent,
7 *τοῦ δὲ τοιούτου*, inquit, *τῶν κακῶν πίθου εἴη ἂν καὶ ἡ πιθοιγία οὐχ ἑορτάσιμος, κατὰ τὴν παρ' Ἡσιόδῳ, ἐν ᾗ ἀρχομένου πίθου ἐχρῆν κορέννυσθαι, ἀλλ' εἰς τὸ πᾶν ἀποφράς*: apparetque ad festum diem *τῶν πιθοιγίων* s. *τῆς πιθοιγίας* respici, *καθ' ἥν*, ut ait Proclus ad Hesiod. v. 366, *οὔτε οἰκέτην οὔτε μισθωτὸν εἴργειν τῆς ἀπολαύσεως τοῦ οἴνου θεμιτὸν ἦν, ἀλλὰ θύσαντας πᾶσι μεταδιδόναι τοῦ δώρου τοῦ Διονύσου.* Et quo magis apertum fiat, non alio quam ad hoc ipsum Hesiodi praeceptum illud *πιθοιγίας* nomen apud Eustathium pertinere, adscribam etiam quae paullo post ab eo adduntur: *ἡ γοῦν Ἡσιόδειος πιθοιγία εἰς τοιοῦτόν τι κατὰ τοὺς παλαιοὺς ἐκλαμβάνεται, παραγγέλλουσα συμβολικῶς νέον μέν τινα ὄντα ἢ γηραιὸν ἀνίεσθαι ἀναγκαίως, ἀκμάζοντα δὲ μὴ οὕτως ἔχειν.* Qualem interpretationem praecepti symbolicam etiam ad Hesiodi locum Proclus, aut quisquis est scholii auctor, commemorat: *τινὲς δὲ ἀλληγορικῶς λέγουσι τὸν λόγον εἶναι περὶ τῆς ἡλικίας, ὥστε ἀρχόμενον καὶ γηρῶντα ἀπολαύειν, κατὰ δὲ τὴν μέσην ἡλικίαν ἐργάζεσθαι.* vel, ut apud Tzetzen est, *παῖς ὢν καὶ γηρῶν ἀπόλαυε τῶν τοῦ βίου ἡδέων, κατὰ δὲ τὴν ἀκμαστικὴν ἡλικίαν ἐργάζου.*

Evanescunt igitur, quae de *Πιθοιγίᾳ* et de *Δαιμονολογίᾳ*, ut usitatis apud grammaticos appellationibus duarum illarum partium Hesiodei carminis, viri doctissimi calidius quam cautius crediderunt:

neque certiora sunt indicia aliorum nominum, quibus unam alteramve
partem tanquam singularem et a ceteris separandam denotari a veteri-
bus voluerunt. Veluti quod apud Pausaniam de Boeotorum iudicio
legimus, IX, 31, 3: *τούτων (τῶν Ἔργων) τὸ ἐς τὰς Μούσας
ἀφαιροῦσι προοίμιον, ἀρχὴν τῆς ποιήσεως εἶναι τὸ ἐς τὰς
Ἔριδας εἶναι λέγοντες*, nihil aliud significat, quam genuini car-
minis initium fieri ab Eridum commemoratione, non autem tralaticium
hoc fuisse primae partis nomen, quo eam a ceteris seiungerent. Neque
magis ex eo, quod Lucianus, Hesiod. c. 1, poetam composuisse ait
*παραινέσεις γεωργικάς, καὶ ὅσα περὶ Πλειάδων, καὶ ὅσα
περὶ καιρῶν ἀρότου καὶ ἀμήτου καὶ περὶ πλοῦ καὶ
ὅλως τῶν ἄλλων ἁπάντων*, hos peculiares titulos singularum
partium usitatos fuisse colligemus. Mitto alia eiusdem generis, quan-
doquidem hoc mihi pro certo affirmare posse videor, nihil esse in tam 8
multis veterum citationibus, unde cognosci certo possit, quid iis de
partibus huius carminis earumque compositione visum sit. Multo mi-
nus autem illud ullo aut testimonio aut argumento demonstrari potest,
aliam et ab hac, quam nos tractamus, admodum diversam carminis
formam ullo tempore veteribus notam fuisse. Quamquam Wolfius
quidem aliter statuit[5]): „non tantum luxati corporis“, inquit,
„sed et amplioris operis exiguam superesse ruinam docent
Manilius, Plinius, alii, quum ex illo afferunt plura, quorum
nunc nec vola nec vestigium apparet; nisi quis temere fin-
gat, hos de diverso carmine testari.“ Atqui hoc ipso, quod illi
temere fingi videbatur, nihil veri similius est, iudicaruntque sic et olim
Heinsius[6]), et nostra memoria Hugius[7]), Goettlingius[8]) aliique viri
doctissimi, qui maius quoddam carmen georgicum nunc deperditum a
veteribus Hesiodo tributum fuisse mihi quidem propemodum persua-
serunt. Sed ii quoque, qui hoc minus probant, I. Caesar[9]) et Mark-

5) Ad Hesiodi Scutum Herc. p. 79 ed. Rank. — Non aliter ante Wolfium Thierschius iudicaverat. Vid. eius dissertationem „Ueber die Gedichte des Hesiodus“ in Denkschr. d. Kgl. Akad. d. Wissensch. zu München f. d. J. 1813, p. 30 not. 19.

6) Introduct. in O. et D. cap. IV p. 644 sqq. ed Loesner.

7) In commentatione quam inscripsit Hesiodi *ἔργα μεγάλα*. Friburg. 1835.

8) Praefat. ad Hesiod. p. XXXIV. — Aliorum nomina commemorat Marckscheffel. l. mox indicando.

9) In Zimmerm. Diurn. antiquar. Zeitschr. f. d. Alterthumswiss. ann. 1838 n. 65 sqq.

scheffelius[10]), illud tamen certe, quod Manilii, Plinii aliorumque citationibus Wolfius doceri ait, haudquaquam ex iis effici consentiunt: quamobrem plura de his nunc dici nihil attinet. Heyerus autem[11]) id adeo demonstrare conatus est, nullam aliam praeter hanc nostram carminis formam ne ante bellorum Persicorum quidem tempora fuisse, quod ego, licet falsum dicere haudquaquam audeam, tamen argumentis ab illo prolatis probari posse nego. Affert enim aliquot Archilochi,
9 Simonidis utriusque, Alcaei, Stesichori, Theognidis, Pindari, Timocreontis locos, quibus demonstrare vult, ab illis iam eadem in Hesiodi carmine lecta esse, quae hodieque a nobis leguntur. Atqui, ne dicam esse in his unum atque alterum paullo cupidius assumptum, velut quum Timocreonti, carmen invectivum in Themistoclem sic exorso: *οὐκ ἄρα Τιμοκρέων μοῦνος ὃς Μήδοισιν ὁρκιατομεῖ*, initium Operum obversatum esse vult, *οὐκ ἄρα μοῦνον ἔην Ἐρίδων γένος*: etiamsi quis vere poetas illos Hesiodum respexisse concedat, nihil aliud tamen hinc efficietur, quam locos Hesiodeos complures etiam ab iis lectos esse, totum autem carmen hac forma et hoc ordine, qui nunc est, compositum iam tum fuisse id vero non consequi fatebimur. Itaque satius erat illud dicere, quod obtineri potest, nullum certum indicium esse carminis aliter quam nunc conformati. Neque enim audiendi erunt, qui fieri potuisse negant, ut opus tam inconcinnum et male compositum pro Hesiodeo tamen a veteribus haberetur, quum praesertim hodieque nonnullos hanc inconcinnitatem aut non agnoscere aut excusare videamus. Ceterum quae in laudem Hesiodi a veteribus criticis dicuntur, pertinent fere aut ad utilitatem praeceptorum aut ad genus dicendi mediocre, quo eum excellere aiunt[12]), universam autem operum conformationem aptamque partium compositionem qui laudaverit, equidem novi neminem.

Omnino autem Hesiodi carminibus admodum diversam sortem quam Homericis contigisse videmus. Haec enim sat mature excellen-

10) In Hesiodi, Eumeli etc. Fragmentt. p. 202 sqq.

11) In progr. supra laud. p. 9—13.

12) Quintil. Inst. or. X, 1, 52: „Raro assurgit Hesiodus, magnaque pars eius est in nominibus occupata; tamen utiles circa praecepta sententiae, levitasque verborum et compositionis probabilis: daturque ei palma in illo medio genere dicendi.“ Compositionem dicit non partium carminis, sed verborum. Cf. Dionys. censur. vett. c. 2: *Ἡσίοδος μὲν γὰρ ἐφρόντισεν ἡδονῆς, καὶ ὀνομάτων λειότητος καὶ συνθέσεως ἐμμελοῦς.*

tium ingeniorum curis collecta et disposita, moxque magno acumine et subtili doctrina certatim explicata et emendata sunt; Hesiodeis contra multo minus omni tempore curae ac studii impertitum est. Atque hoc maxime in Operibus et Diebus observare licet, quibus perpoliendis aut interpretandis ab uno aut altero nobiliore grammatico aliquid operae datum esse vix paucis indiciis cognoscimus. Memorantur quidem in scholiis Apollonii Rhodii, Comani, Aristarchi, Cratetis, Seleuci, Didymi nomina, sed locis perpaucis atque sic, ut recensionum diversarum, quales Homericorum carminum fuerunt, rara tantum et parva vestigia appareant. Quidquid autem diversitatis memoratur, in singulis versibus aut reprehensis aut eiectis, aut in vocabulis mutatis consistit, universam carminis compositionem non attingit: et Plutarchum, ex cuius commentariis non pauca a Proclo servata habemus, non diversam ab hac, quae nunc est, carminis formam tractasse liquido constat.

Una tantum insignior editionum diversitas haec fuit, quod prooemio, v. 1—10, nonnullae caruerunt, cuius rei duo extant testimonia, alterum Pausaniae, qui ab Heliconis accolis vetustissimum *Ἔργων* exemplum sibi monstratum esse narrat [13]), plumbeis tabulis inscriptum, cuius initium fieret a versu 11, omissis decem superioribus, alterum Praxiphanis, quem Proclus refert [14]) exemplum Operum *ἀπροοιμίαστον* a se visum commemorasse. Eiusmodi exempla num alii quoque grammatici viderint, non liquet: damnatum tamen prooemium a principe criticorum Aristarcho, ab aliis addubitatum esse videmus [15]). — Sed quemadmodum hi decem versus ab aliquo adiecti esse videntur, qui carere carmen prooemio non debere iudicaret [16]), sic

13) Lib. IX. c. 31, 4: *Βοιωτῶν δὲ οἱ περὶ τὸν Ἑλικῶνα οἰκοῦντες παρειλημμένῃ δόξῃ λέγουσιν, ὡς ἄλλο Ἡσίοδος ποιήσαι οὐδὲν ἢ τὰ ἔργα· καὶ τούτων δὲ τὸ ἐς τὰς Μούσας ἀφαιροῦσι προοίμιον, ἀρχὴν τῆς ποιήσεως εἶναι τὸ ἐς τὰς Ἔριδας λέγοντες· καί μοι μόλιβδον ἐδείκνυσαν, ἔνθα ἡ πηγή, τὰ πολλὰ ὑπὸ τοῦ χρόνου λελυμασμένον· γέγραπται δ' ἐν αὐτῷ τὰ Ἔργα.*

14) Prooem. scholior. p. 3 ff. Gaisf.: *ὅτι δὲ τὸ προοίμιόν τινες διέγραψαν, ὥσπερ ἄλλοι τε καὶ Ἀρίσταρχος ὀβελίζων τοὺς στίχους, καὶ Πραξιφάνης ὁ τοῦ Θεοφράστου μαθητής, μηδὲ τοῦτο ἀγνοῶμεν. Οὗτος μέντοι καὶ ἐντυχεῖν φησὶν ἀπροοιμιάστῳ τῷ βιβλίῳ καὶ ἀρχομένῳ χωρὶς τῆς ἐπικλήσεως τῶν Μουσῶν ἐντεῦθεν· Οὐκ ἄρα μοῦνον ἔην ἐρίδων γένος.*

15) Velut ab Herodiano in Villoison. Anecd. II p. 89 et in Walzii Rhet. Gr. VIII. p. 586.

16) Fortasse a rhapsodo carmen in aliquo ludorum conventu recitante. Id

11 etiam clausula carminis non immerito in suspicionem vocata est, ut addita ab iis, qui alterum carmen Hesiodeum, quod erat de auguriis, cum eo coniungi vellent. Nam postremus certe versus, *ὄρνιθας κρίνων καὶ ὑπερβασίας ἀλεείνων*, iustam offensionem habet propter subitam hanc de auguriis admonitionem, quorum in superioribus praeceptis nulla prorsus mentio facta est, neque potest alio consilio adiectus credi, quam ut transitum faceret ad carmen de *ὀρνιθομαντείᾳ* [17]. Hanc ob causam Apollonius Rhodius et hunc et duos proximos damnasse videtur, id quod e scholio ad v. 826 cognoscimus: *τούτοις ἐπάγουσί τινες τὴν ὀρνιθομαντείαν. ἅτινα Ἀπολλώνιος ὁ Ῥόδιος ἀθετεῖ.* Nam pronomen relativum non ad *ὀρνιθομαντείαν*, sed ad *τούτοις*, h. e. ad tres illos versus, de quibus hoc scholio agitur, pertinere manifestum est. Factum est igitur in Operibus et Diebus idem, quod in Theogonia. Nam huic quoque duo versus postremi, *νῦν δὲ γυναικῶν φῦλον ἀείσατε, ἡδυέπειαι Μοῦσαι Ὀλυμπιάδες, κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο*, propterea adiecti sunt, ut ad subiunctum in Hesiodeorum carminum corpore Theogoniae Catalogum mulierum transitus fieret, eodemque modo, qui Homericorum carminum corpora composuerunt, postremum Iliadis versum, *ὣς οἵγ' ἀμφίεπον τάφον Ἕκτορος ἱπποδάμοιο* sic immutarunt, *ὣς οἵγ' ἀμφίεπον τάφον Ἕκτορος· ἦλθε δ' Ἀμάζων* — ut connecteretur cum Iliade Aethiopis. — Minus liquet, quam illud vere a quibusdam viris doctis statuatur [18], totam hanc ephemeridem sive dierum faustorum infaustorumque doctrinam, a v. 765 ad 828, olim ab Operum exemplaribus abfuisse. Certe nullum huius rei argumentum ex Aristophanis Ranis peti debuisse arbitror, quod huius fabulae versu 1061 Hesiodus cecinisse dicitur *γῆς ἐργασίας, καρπῶν ὥρας, ἀρότους*: nam plenum indicem rerum ab Hesiodo tractatarum ab Aristophane dari debuisse
12 quis tandem credet? An forte in Homeri quoque carminibus nihil

---

C. F. Hermanno placet, cuius doctissimum schediasma de H. Op. prooemio, Indici schol. Gott. huius semestris praemissum, nunc ipsum, dum haec scribo, clarissimi auctoris benevolentiae acceptum refero.

17) Perquam improbabile est, quod Markscheffelius ait, l. l. p. 173: „Cur *Ὀρνιθομαντεία* primo post Opera loco poneretur, causa erat in extremo Dierum versu posita: *ὄρνιθας κρίνων καὶ ὑπερβασίας ἀλεείνων*, nisi propter hunc versum totum carmen compositum erat." Rectius iudicat Vollbehrius, in editione Op. et D. Kil. 1844. p. 82.

18) Goettling. praef. p. XXXVI.

Aristophanis aetate lectum esse dicemus, quam *τάξεις, ἀρετὰς, ὁπλίσεις ἀνδρῶν*, quod haec sola eodem loco ab eo memorantur? Sed ne hoc quidem pro certo affirmari posse arbitror, ab illo exemplo plumbeo, quod Pausanias memorat, hanc ephemeridem abfuisse, quemadmodum nonnulli ex verbis eius coniecerunt[19]): *γέγραπται δ' ἐν αὐτῷ τὰ Ἔργα*, omissa mentione Dierum. Nam potuit sane hac breviore designatione uti a pōtiore carminis parte, cuius si hanc postremam, de diebus, quae constat versibus amplius sexaginta, abesse ab illo exemplo vidisset, disertam rei mentionem non minus eum facturum fuisse crediderim, quam prooemii in illo exemplo non scripti. Saltem dubitare licebit: neque certior res fiet altero argumento, quum ephemeridem illam a Boeoto poeta propterea abiudicandam esse aiunt, quod Apollo in ea septimo die Thargelionis natus esse dicatur: nam Deliorum hanc opinionem, non Boeotorum fuisse. Atqui Thargelionem haec ephemeris non nominat, sed septimum diem simpliciter: *ἑβδομαγενῆ* autem Apollinem, h. e. septimo mensis die natum, non modo Delii, sed omnes Graeci dixisse videntur, quamvis de mense dissentirent, velut Iones Thargelionem, Delphi Bysium, alii alios nominantes[20]). — Sed quoniam mensium iniecta mentio est, tangam statim alterum locum a recentioribus criticis quum aliam ob causam, tum propter mensis nomen non Boeoticum sed Ionicum, Lenaeonem, in suspicionem vocatum. Legitur hoc nomen mensis hiberni in verbosa brumalium frigorum descriptione, quam multi vehementer improbant et a reliqui carminis tenore nimium quantum abhorrere iudicant, alii contra aut defendunt aut etiam laudant. Atque hi quidem illam de Lenaeone offensionem aut sic removent, ut non mirum esse dicant, si, qui dialecto utatur Ionica, idem etiam mensis nomen Ionicum usurpet, 13
aut ut antiquissimis temporibus alia quam postea mensium nomina apud Boeotos in usu fuisse sumant, aut denique ut Hesiodum Ionico nomine propterea uti maluisse statuant, quod magis hoc quam Boeoticum apud ceteros Graecos notum esse videret[21]). Ego vero nullam

19) Goettling. l. l. et p. LVII. Cf. Heyer. p. 6.

20) De Bysio vid. Plutarch. quaest. gr. c. 9; respondere is mensis Elaphebolioni, non Thargelioni videtur. Cf. Hermann. griech. Monatsk. p. 60, et de Apolline *ἑβδομαγενεῖ* qu. cit. id. Antiquitt. sacr. § 44 not. 5. et Blomfield. ad. Aeschyl. Sept. ctr. Theb. gloss. v. 801.

21) Vid. Lennep. comment. p. 113. Vollbehr. p. 69.

huiusmodi explicationem aut excusationem requiro, locumque illum, licet neque ab Hesiodo neque ab aliquo Boeoto factum, non magis tamen propterea, quam aliam quamvis aut narrationem aut descriptionem, ex hoc opere tessellato removendum esse dixerim. Ceterum veteribus criticis ante Plutarchum, quantum quidem e scholiis intelligi potest, neque Lenaeonis nomen neque aliud quidquam in hac parte carminis dubitationem iniecisse videtur; in uno tantum verbo *μυλιόωντες*, v. 530, Crates haesisse dicitur et *μαλκιόωντες* rescripsisse: a recentioribus autem grammaticis, Eustathio, Etymologo M., Suida, Zonara aliisque complura ex hac parte citantur, sine ulla alicuius suspicionis significatione.

Narrationem de Pandora, v. 48—105, recentiores critici plerique damnarunt, neque sane diffitendum est non uno nomine eam esse vituperandam. Sed veterum tamen criticorum notationes nullae memorantur, praeter has tres. Primum ad v. 79, *ἐν δ᾽ ἄρα φωνὴν θῆκε θεῶν κῆρυξ. Τοῦτό τινες περιττόν φασιν· ἤδη γὰρ ὁ Ἥφαιστος δέδωκεν αὐδὴν τῇ γυναικί*: nempe versu 61, ubi Vulcanus a Iove mulieri *ἀνθρώπου αὐδὴν* indere iubetur. Proponuntur deinde duae defensiones, altera haec: *εἰ δὲ καὶ τοῦτο γνήσιον εἴη τοῦ Ἡσιόδου, τὸν Ἥφαιστον τὸ ὄργανον ἐροῦμεν ὑποστῆσαι τὸ ἄλογον, δι᾽ οὗ δύναται συμφθέγγεσθαι τῷ λόγῳ, τὸν δὲ Ἑρμῆν αὐτὴν δοῦναι τὴν δύναμιν τὴν λογοειδῆ*: altera, alius auctoris: *ῥητέον οὖν ὡς τὸ μὲν ἐνδιάθετον ἐκεῖνος, τὸ δὲ προφορικὸν ὁ Ἑρμῆς ἐντίθησιν.* Sed neutram probari posse apparet, siquidem *αὐδή* neque *τὸ ἐνδιάθετον* significare potest, h. e. rationem tacitamque mentis
14 cogitationem, neque vero instrumentum vocis ab ipsa voce diversum, sed est *αὐδή* nihil aliud nisi vox mentis cogitationes expromens, sive *λόγος προφορικός*[22]). Immerito igitur Lennepius hanc alterius scholiastae interpretationem adoptavit; neque Goettlingius verum dicit, quum *αὐδήν* quidem vocem humanam, *φωνήν* autem suadam esse vult. Rectius iudicarunt Rankius, Vollbehrius, Heyerus, illa de Mercurio *φωνὴν* mulieri impertiente ab interpolatore esse rati[23]). — In eadem hac narratione non iniuria multi mirati sunt, quid esset, quod in dolio Pandorae, posteaquam mala omnia evolassent, Spes sola

22) Cf. quae de significatione vocabuli subtiliter a Nitzschio dicta sunt ad Odyss. tom. III. p. 1.

23) Vid. Rankii dissert. Hesiodische Studien. Goetting. 1840. p. 19. Vollbehr. p. 32. sq. Heyer. p. 22.

remansisse diceretur, v. 96. *Πῶς φησίν*, ait scholiastes, *ἔμεινεν ἐν τῷ πίθῳ ἡ ἐλπίς; ἐστὶ γὰρ τοῦτο ἐν ἀνθρώποις.* (illud *ἐν τῷ πίθῳ* idem significare dicit, atque *ἐν ἀνθρώποις.*) *τοῦτο δὲ καὶ Κομανὸς ὁ ἀρχιοινοχόος τοῦ βασιλέως προὔτεινε. Φησὶν οὖν Ἀρίσταρχος, ὅτι ἡ μὲν τῶν κακῶν ἔμεινεν, ἡ δὲ τῶν ἀγαθῶν ἐξῆλθεν.* Comanum grammaticum aliunde novimus: pincernam regium fuisse hoc uno, ni fallor, loco legimus. Is *προτάσεις* scripsit, h. e. quaestiones, (*προτεινομένας ἐρωτήσεις*, ut Suidas ait), de Homeri, Hesiodi aliorumque poetarum locis difficilioribus, ad quas responsum est ab Aristarcho, cuius libri *πρὸς Κομανόν* citantur in schol. ad Il. I, 97. II, 798. XXIV, 110. Atque hinc fortasse etiam haec *λύσις* petita est: spem, quae in dolio remanserit, esse metum et expectationem malorum. Scilicet mala e dolio emissa passim circumvagari et invadere mortales: apud hos autem esse Spem illam deteriorem, h. e. perpetuo eos venturorum malorum expectatione metuque angi. Ingeniosam, ut omnia Aristarchi, hanc *λύσιν* esse nemo negabit: veram esse, praestare equidem non audeo. Sed talia persequi hoc loco nolo, et dixi iam alibi, quid mihi de Hesiodea fabula videretur[24]). Nunc igitur unam tantum commemorabo Seleuci grammatici coniecturam, qui v. 96 pro eo, quod scriptum est, *ἐν ἀρρήκτοισι δόμοισι*, reponi voluit *ἐν ἀρρήκτοισι πίθοισι*, quam correctionem neque necessariam neque adeo probabilem esse non opus est exponere. Ceterum quum omnis haec de Pandora narratio apud Origenem descripta sit, contr. Cels. IV, 38. tom. XIX p. 58 Lomm., omissis tamen tribus versibus, qui sunt 70—72, unoque, qui est 93, non inepte aliquis coniecerit, diversam ab hac nostra Operum recensionem Origeni in manibus fuisse. Et versum 93 quidem etiam codices Hesiodi non pauci omittunt, nec dubitari potest, quin ex Od. XIX, 360 insertus sit ab aliquo interpolatore, qui v. 92 pro *κῆρας*, quod unice verum est, *γῆρας* legeret; tres autem superiores etiam in Theogonia leguntur v. 571—573, unde huc assumpti videntur, primis tantum verbis paullum immutatis, scilicet quo minus manca foret narratio. Neque illud non advertendum est, nihil plane ad hos tres versus a Proclo annotatum esse.

Sequitur locus de quinque aetatibus generis humani, a. v. 106 ad 201, omnium fortasse, qui in Operibus sunt, recentissimus et qui cum

---

24) In dissert. de Pandora, ann. 1853 edit. p. 16. (Opusc. II p. 282.)

superiore fabula de Pandora conciliari nulla sana ratione possit [25]). In hunc una memoratur veterum criticorum notatio, ad v. 169, ubi de quartae sive heroicae aetatis sorte exponitur. Heroibus enim, posteaquam alii apud Thebas alii apud Troiam obierint, sedem a Iove assignatam esse in extremis orbis terrarum finibus,

169. *τηλοῦ ἀπ' ἀθανάτων· τοῖσι Κρόνος ἐμβασιλεύει·*
170. *καὶ τοὶ μὲν ναίουσιν ἀκηδέα θυμὸν ἔχοντες*
171. *ἐν μακάρων νήσοισι παρ' Ὠκεανὸν βαθυδίνην,*
172. *ὄλβιοι ἥρωες, τοῖσιν μελιηδέα καρπὸν*
173. *τρὶς ἔτεος θάλλοντα φέρει ζείδωρος ἄρουρα.*

Τοῦτον καὶ τὸν ἑξῆς, ait Proclus ad v. 169, *ὡς φληναφώδεις ἐξοικίζουσι τῶν Ἡσιόδου τά τε ἄλλα φαυλίζοντες, καὶ τὸ ἐνθουσιαστικὸν τῆς εἰσβολῆς τῶν μετ' αὐτοὺς στίχων ἀφαιρεῖν λέ-*
16 *γοντες.* Fuerunt igitur, qui inanem quandam loquacitatem in his versibus esse criminarentur, parum accommodatam vehementiori animi commotioni, quam proderent mox versus 174. 5, ubi poeta se quintae aetatis, qua ipse vivat, tanto taedio affectum esse exclamat, ut aut ante eam mortuus, aut postea demum nasciturus esse malit. Quae autem porro apud Proclum leguutur: *ὡς γὰρ ἀποβλέψας εἰς τὸ κατ' αὐτὸν τῶν ἀνθρώπων γένος μετὰ τὴν ἐξύμνησιν τῆς τῶν ἡμιθέων λήξεως ἐπάγει·*

174. *μηκέτ' ἔπειτ' ὤφειλον ἐγὼ πέμπτοισι μετεῖναι,*
175. *ἀνδράσιν, ἀλλ' ἢ πρόσθε θανεῖν ἢ ἔπειτα γενέσθαι.*

haec sic non recte superiori annotationi subiuncta esse apparet. Nam propter causalem coniunctionem *γάρ* expectamus rationem eius iudicii, quod ibi commemoratum est, allatum iri; id autem non fieri, sed opponi potius aliquid videmus, quo poeta contra iniquos iudices defendatur: hanc ipsam, quam illi criminarentur, praedicationem beatae sortis heroum (*τὴν ἐξύμνησιν τῆς τῶν ἡμιθέων λήξεως*), horumque conditionem tam diversam ab sui temporis miseria poetae animum vehementius commovisse, ut in haec verba erumperet, *μηκέτ' ἔπειτ' ὤφειλον*, et quae sequuntur. Manifestum est igitur in Procli scholio post commemoratum aliorum iudicium aliquid excidisse, quo sibi illud improbari significaret, velut: *ἀλλ' οὐκ ὀρθῶς ὑπειλήφασιν* vel tale quid. Est autem alia insuper corruptela tollenda. Nempe *ἐξύμνησις* illa, quam nonnulli ut nimis loquacem deleri volebant, haudquaquam

25) Conf. diss. de aetat. gen. hum. p. 12. (Opusc. II. p. 317.)

his tantum duobus versibus continetur, qui sunt 169. 170, sed pertinet usque ad v. 174. Itaque in principio scholii non *τοῦτον καὶ τὸν ἑξῆς*, sed *τοῦτον καὶ τοὺς ἑξῆς* scribendum est. In ipsis autem poetae versibus non potest dubitari, quin recte a recentioribus editoribus plerisque *ἐμβασιλεύει* scriptum sit pro eo, quod in codicibus extare dicitur *ἐμβασίλευε*[26]). Nam, nisi quis forte totum hunc versum ut 17
insiticium eiiciat, — et abest sane a codicibus non paucis, — praesens verbi tempus, non praeteritum res ipsa flagitat. Quod enim Lennepius obiicit, Saturnum in beatorum insulis regnantem quamvis alii poetae memorent, certe Hesiodo ignotum esse, quippe qui diserte Saturno cum Titanibus caeli imperio deiectis sedem tribuat in tenebricosis Tartari cavernis, Theog. v. 729 sqq. 813 sqq. 850 sqq.: huius argumenti vis nulla esse potest, nisi apud eos, quibus persuasum sit, eiusdem poetae et Theogoniam et hoc de aetatibus carmen esse. Fatendum est autem, recepto praesenti *ἐμβασιλεύει* paullo duriorem esse orationis structuram, quum pronomen *τοῖσι* non ad proximum *ἀθανάτων*, sed ad eos referendum sit, qui ante memorati erant, heroicae aetatis homines. Concedendum est igitur, quod Heyerus dixit p. 25, melius poetam scripturum fuisse *τοῖς δὲ Κρόνος ἐμβασιλεύει*. Sed multa sunt in his Hesiodeis, quae aliter scripta malles, neque tamen propterea sic, ut sunt, scribi a poetis non optimis potuisse neges. Nam quod idem Heyerus ad imperfectum *ἐμβασίλευε* tuendum comminiscitur, sedem heroibus in finibus quidem terrae assignatam esse, sed longe tamen remotam a Titanibus, quorum Saturnus rex fuerit, idque indicari verbis *τηλοῦ ἀπ' ἀθανάτων, τοῖσιν Κρόνος ἐμβασίλευε*, hoc quidem refutare non opus est.

Sequitur *αἶνος* seu fabella de accipitre et luscinia, v. 202—212, ad quem locum memoratur in scholiis Aristarchi notatio: *τούτων δὲ τῶν στίχων ὁ Ἀρίσταρχος ὀβελίζει τοὺς τελευταίους, ὡς ἀλόγῳ γνωμολογεῖν οὐκ ἂν προσῆκον*. Nempe vituperabat, accipitri praeter ea verba, quibus lamentantem lusciniam increpat, etiam generale praeceptum tribui, *ἄφρων δ' ὅς κ' ἐθέλῃ πρὸς κρείσσονας ἀντιφερίζειν· νίκης τε στέρεται πρός τ' αἴσχεσιν ἄλγεα πάσχει*, utpote vel abhorrens a bestiae ingenio vel certe in hanc lusciniae cau-

26) Praeivit emendationem Graevius, Lectt. Hesiod. c. 5. p. 528 Loesn., adoptarunt Schrevelius, Krebsius, Buttmannus, Goettlingius, Lehrsius uterque, Vollbehrius, et alii fortasse plures, de quibus quaerere nunc non vacat.

sam minus conveniens: nam nec certabat ea cum fortiore, sed lamentabatur tantum, nec dedecus aut dolorem ereptae victoriae, sed certam necem sibi propositam querebatur. E recentioribus criticis alii hos
18 versus transponendos censuerunt post v. 212, scilicet ne accipitris, sed ipsius poetae praeceptum videretur, alii ne transpositione quidem opus esse iudicarunt. Ipse autem Aristarchus fortasse non negavit eos a poeta hoc loco positos esse, sed recte positos esse negavit. Constat enim obelum ab eo non iis solum versibus appositum esse, quos spurios, sed etiam quos minus probandos esse significaret, neque primus Horatius etiam Homerum nonnunquam dormitasse credidit.

Subiunguntur deinceps multa variaque morum praecepta, quae parum inter se cohaerere ne Heinsius quidem diffitetur. *Τὸ πλεῖστον*, ait in argumento graece scripto, p. 701 Loesn., *τῶν ὑποθηκῶν τῶν ἐνταῦθα κειμένων ὁ χαρακτὴρ ἀφοριστικός ἐστι καὶ ἀπόλυτος καὶ ἀσύνδετος ὡς ἐπίπαν ὁ λόγος.* Et apparet non modo quam difficile fuerit primis Operum collectoribus talia probabili quodam ordine disponere, sed etiam quam proclive postea interpolatoribus, multa passim assuere. Sed veterum criticorum notationes etiam ad hanc partem perpaucae sunt, quarum una, in schol. ad v. 274 memorata, non interpolationis suspicionem prodit, sed tantum ad unius vocabuli usum pertinet ab Homeri sermone alienum: *Τὸ σημεῖον*[27]), *ὅτι οὐδέποτε Ὅμηρος νόμον εἶπε.* Est hoc fortasse ex Aristonici *σημείοις Ἡσιόδου* petitum[28]), unde observatio quaedam, de forma vocabuli *λοχεοῖο*, etiam in schol. ad Theog. v. 178 fluxisse videri potest. — Sed spurios nonnullis visos esse duos versus, qui sunt 244. 245, ex Procli scholio colligas: *δεῖ δὲ συνάπτειν τὸ*

λιμὸν ὁμοῦ καὶ λοιμόν, ἀποφθινύθουσι δὲ λαοί,

(*τοὺς ἐν πολλοῖς φερομένους δύο στίχους ὑπερβάντα,*) *καὶ*

ἢ τῶνγε στρατὸν εὐρὺν ἀπώλεσεν,

19 *καὶ τὰ ἑξῆς*[29]). Nam quum in multis exemplaribus illos duos

---

27) Sic recte in codd. scriptum, subaudito scilicet verbo *παράκειται*, quod genus dicendi, vel e Venetis in Homerum scholiis notissimum, miror a Gaisfordio et Vollbehrio ignoratum esse, qui receperunt ex Heinsii coniectura: *τοῦτο σημείωσαι.*

28) Cf. Lehrs. de Aristarch. stud. Hom. p. 2 et p. 7.

29) Deest vulgo copula ante versum alterum, quam addidit Vollbehr. Alterum mendum *τοῖς — φερομένοις* iam Wyttenbachius correxit, ad Plutarch. tom V, 2 p. 767.

versus extare dicit, non in omnibus extare significat. Scilicet omissi erant ab iis, qui eos spurios esse iudicabant: quorum iudicium etiam a Plutarcho probatum esse ex eodem Proclo discimus. — Interpolationis vestigia manifesta nec non a veteribus criticis animadversa deprehendimus v. 376 sqq.

Μουνογενὴς δὲ πάις εἴη πατρώιον οἶκον
φέρβεμεν· ὣς γὰρ πλοῦτος ἀέξεται ἐν μεγάροισι.
γηραιὸς δὲ θάνοις ἕτερον παῖδ' ἐγκαταλείπων,

quorum postremum non modo a Proclo eoque, quem is auctorem sequi solet, Plutarcho, sed etiam ab Aristarcho damnatum esse in Tzetzae scholiis legimus: *οἱ περὶ Πρόκλον καὶ Ἀρίσταρχον ἢ Πλούταρχον ἀδιανόητον τοῦτό φασιν εἶναι καὶ περισσόν.* Quamquam de Aristarcho res non satis certa est: nam et deest eius nomen una cum *ἢ* coniunctione in aliquot codicibus, neque in iis, quae nunc feruntur, Procli scholiis legitur [30]), ut coniicere liceat, subesse aliquem librarii errorem, qui quum ambigeret, utrius nomen, Plutarchi an Aristarchi, in eo, quod describebat, exemplo scriptum esset, utrumque ponere maluerit. Utut est, indignum certe Aristarcho iudicium de hoc versu nemo dixerit: nam pugnare haec inter se videntur, *μουνογενῆ* h. e. unigenitum filium optandum esse, et tamen alterum quoque post mortem relinquendum: erunt enim sic duo. Nisi forte quis sumat, unigenitum tantisper optandum dici, donec res familiaris satis aucta fuerit, ut is dimitti e domo paterna suosque sibi lares constituere possit, tunc autem alterum procreandum, qui post mortem patris heres in domo relinquatur. Vereor tamen, ne haec divinatio magis quam interpretatio dicenda sit. Aliam viam Moschopolus tentavit: *ἕτερον*, ait, *ἤγουν ἄλλον ἀντὶ σοῦ.* Sic nimirum non plus uno filio habebimus;

30) Ne Plutarchus quidem nominatur, sed dicitur simpliciter: *τὸ δέ γε „γηραιὸς δὲ θάνοις" παρέγγραπτον ὡς ἀδιανόητον.* Apparet etiam hoc indicio, vere Wolfium iudicare, quum dicat, ad Scut. p. 82: „ne Proclus quidem integer, sed ab ineptis Graeculis ita excerptus et discerptus, vix ut unquam viri doctrinam agnoscas." Alia exempla, quibus appareat, a Tzetza adhuc lecta esse in Procli commentario, quae hodie non amplius leguntur, sunt ad v. 82 et 91. Et multa Proclo tribuuntur, quae ab illo scribi non potuisse manifestum sit. Unam quidem notam, qua Procliana dignosci ab alienis possint, Rankius indicavit, Comment. de Hes. O. et D. Gotting. 1838, p. 4; sed ea non sufficit, resque accuratiorem adhuc inquisitionem postulat.

is *μουνογενής* erit, quoniam solus est, idem autem *ἕτερος*, respectu patris, in cuius locum successurus est, alter domus possessor. Non displicuit haec interpretatio Rankio p. 24, nec discrepat ab ea Doederlinus, de quo Hermannus dixit in diurnis antiquariis ann. 1836 p. 532. Mihi talem sententiam ne pessimus quidem et indisertissimus poeta sic videtur expressurus fuisse, nihilque restare puto, nisi ut cum veteribus criticis hunc versum in hoc quidem contextu *ἀδιανόητον* esse fateamur. — Sed est praeterea memorabilis quaedam scripturae diversitas in versu primo, quum in plerisque codicibus sicut in editionibus ante Gaisfordianam omnibus non *εἴη* scriptum sit, sed *σώζοι*. Hoc Goettlingius ab iis profectum esse statuit, qui brevitatis causa uno versu quam duobus de eadem re uti mallent: mihi probabilius videtur, *εἴη* pro *σώζοι* ab aliquo interpolatore scriptum esse, qui poetae verba in aliam sententiam detorqueret. Poeta hoc dixit: unum filium optandum esse ad conservandam domum patriam s. stirpem, scilicet ne ea interiret: id enim significat *σώζειν τὸν οἶκον*, et interire aliquam domum nullo herede relicto in maximis malis habitum esse constat. Unum autem filium dixit, quoniam ad conservandam domum pluribus non opus est, immo praestat unum esse, ne bona inter plures divisa minuantur. Proximos autem duos versus, 377 et 378, ut in quibusdam olim exemplaribus non lectos esse credam, scholiastae verbis adducor, qui, posteaquam versum primum, de uno filio optando, criminandum videri posse dixit, ut scriptum ab indignante, quod non se solum pater procreaverit, ad diluendam eiusmodi criminationem primum alia profert, quae repeti hoc loco nihil attinet, deinde autem addit: *τὸ δὲ ἑπόμενον στιχίδιον ἔτι μᾶλλον λύει τὴν διαβολήν*. Id ad eum, qui in nostris editionibus sequitur, versiculum pertinere non
21 posse manifestum est: nam nihil est in hoc, quod criminationem istam diluere possit: neque magis ad tertium, quem *ἀδιανόητον* et ab hoc contextu alienum esse vidimus. Pertinet sine dubio ad eum, qui nunc quartus est,

ῥεῖα δέ κἂν πλεόνεσσι πόροι Ζεὺς ἄσπετον ὄλβον[31]),

qui si statim excipit illum

---

31) In codd. aliis *καί* aliis *κεν* scriptum est. Hermannus in Zimmerm. Diurn. antiqu. 1836 p. 532 proposuit: *ῥέα δέ κε καί* —. Mihi *κἄν*, licet ab Homeri sermone alienum, ab his Hesiodeis tamen non arcendum videtur. Cf. v. 357.

μουνογενὴς δὲ πάϊς σώζοι πατρώιον οἶκον,

et sententiarum apta compositio evadit, et scholiastae ratio constat.

In omnem reliquam Operum partem nulla memoratur veterum criticorum notatio, praeter unam Aristarchi ad v. 740, de qua antequam dico tangam prius insigniora quaedam interpolationis vestigia. Horum unum pertinet ad v. 405. 6:

Οἶκον μὲν πρώτιστα γυναῖκά τε βοῦν τ᾽ ἀροτῆρα,
κτητήν, οὐ γαμετήν, ἥτις καὶ βουσὶν ἕποιτο,

quorum versuum alterum ab Aristotele et Theophrasto aut non lectum, aut certe non pro genuino habitum esse ex alterius Polit. I, 1, 6, alterius Oecon. c. 1 iamdudum a viris doctissimis intellectum est. Et damnatum eum a quibusdam criticis fuisse etiam Philodemi verba ostendunt in libro IX de vitiis et virt., p. 46 ed Goettl.: *καὶ πῶς δέχεται [Θεόφραστος] γαμετὴν ὑφ᾽ Ἡσιόδου λέγεσθαι, πολλῶν καὶ φασκόντων αὐτὸν γεγραφέναι „κτητήν, οὐ γαμετήν.“* Nam quum multos sic statuisse ait, nonnullos tamen aliter sensisse haud ambigue indicat. Neque ex eo, quod a Proclo memoratum est: *λέγουσιν οἱ περὶ Τίμαιον Ἡσιόδῳ τὸν Ἀριστοτέλην πειθόμενον μετὰ τὴν τῆς γυναικὸς τελευτὴν Ἐρπυλλίδι συνεῖναι τῇ θεραπαίνῃ, ἐξ ἧς αὐτὸν σχεῖν υἱόν,* quidquam amplius confici posse apparet, quam interpolatum locum iam Timaei temporibus fuisse [32]). Arguere autem interpolationem etiam structurae inconcinnitas videtur. — Alterum 22
interpolationis vestigium pertinet ad eum locum, qui est v. 633—640, ubi pater Hesiodi quaestus causa naviculatus esse, relictaque propter paupertatem patria sedem Ascrae tandem fixisse dicitur. Memorabilis autem ad hunc locum est scholiastae annotatio: *Ἔφορος δέ φησι τοῦτον εἰς Ἄσκρην ἐλθεῖν οὐ δι᾽ ἐμπορίαν, ἀλλὰ φόνον ἐμφύλιον ἐργασάμενον.* Pugnat hoc Ephori testimonium cum versuum istorum professione, ut videatur eos ille aut non legisse in Operibus, aut, si legerit, suppositicios nullaque fide dignos iudicasse. — Nunc de v. 740. 41. et Aristarchi ad eum locum notatione videndum est. Versus hi sunt:

---

32) Timaeum Siculum intelligendum esse non potest dubitari. Hunc enim etiam adversus Aristotelem more suo *ἐπιτιμαῖον* fuisse ex Athenaeo VIII, 6 p. 342, Polybio XII, 8. 9, Suid. s. v. *Ἀριστοτ.* videmus. Cf. Goeller. de. orig. et sit. Syracus. p. 229.

Ὅς ποταμὸν διαβῇ κακότητι δὲ χεῖρας ἄνιπτος,
τῷ δὲ θεοὶ νεμεσῶσι καὶ ἄλγεα δῶκαν ὀπίσσω,

quibus hoc scholium adscriptum est: Ἄλλοι γράφουσι ΚΑΚΟΤΗΤΑ· ἐπὶ κακότητα εἶδεν, ἀντὶ τοῦ ἐκακώθη. Ἀρίσταρχος δὲ ἀθετεῖ τὸν στίχον τοῦτον. Ἄλλοι κακότητα ἔπι, οἱονεὶ ἐπὶ κακῷ ἑαυτόν. Corrupta haec esse nemo non videt: de emendatione assentiri Goettlingio non possum, qui quum illud quidem recte intellexerit, pro ἑαυτόν rescribendum esse ἑαυτοῦ, minus recte tamen in superiore parte scholii εἶπεν pro εἶδεν legi voluit. Nam ut taceam, ipsam hanc interpretationem, ut ἐπὶ κακότητα sit i. q. ἐκακώθη, vix cuiquam in mentem venire potuisse, manifestum alterius scripturae indicium offerunt aliquot Hesiodi codices, qui in illo versu non κακότητι δέ, sed κακότητ' ἴδε aut κακότητα ἴδε scriptum habent. Hanc autem loquutionem κακότητα ἰδεῖν grammaticis idem significare visam, quod est κακωθῆναι, nemo dubitabit, qui meminerit, e. c. χάριν ἴδε, Il. XI, 243, a schol. B. L. explicari verbo ἐχάρη. Nempe ἰδεῖν nonnunquam Graeci eo sensu dicunt, quo nos dicimus erfahren vel erleben, ut κακότητα ἰδεῖν sit Unheil erfahren, χάριν ἰδεῖν, Freude erleben: nec diversi generis est illud apud Homerum, νόστιμον ἦμαρ ἰδέσθαι, den Tag der Heimkehr erleben. Igitur versum sic scriptum

ὃς ποταμὸν διαβῇ κακότητ' ἴδε, χεῖρας ἄνιπτος

interpretati sunt in hunc modum: ὃς ποταμὸν διαβῇ, ἐκακώθη,
23 χεῖρας ἄνιπτος sc. ὤν, h. e. χεῖρας μὴ ἀπονιψάμενος, cuius interpretationis veritatem equidem praestare nolo, sed placuisse eam nonnullis, et placituram hodieque uni aut alteri, certo scio. Scholiastae autem verba sic refingenda erunt: Ἄλλοι γράφουσι ΚΑΚΟΤΗΤ' ΙΔΕ, κακότητα εἶδεν κτλ. De altera lectione κακότητ' ἔπι, eiusque interpretatione non opus est dici. Aristarchus haud dubie neutram probavit, sed obelo versum notavit propter constructionis insolentiam sententiaeque obscuritatem. Hoc autem damnato etiam proximum servari non posse manifestum est.

Iam percensitis his veterum criticorum notationibis quotquot extant omnibus illud quidem manifestum fit, quod supra proposui, de nonnullis locis corrigendis aut etiam removendis ab iis disputatum; de maioribus vero carminis partibus aut eiiciendis aut aliter ordinandis quaesitum esse nullo indicio cognoscitur, sed quale nos nunc legimus, tale etiam illi legerunt et, si non probarunt, certe tulerunt. Neque

ullum insignioris alicuius diversitatis vestigium deprehenditur in plurimis aliorum scriptorum citationibus, in quibus, si quid a vulgatis exemplaribus discrepat, hoc et leve est nulliusque ad universam formam momenti, et facile ubivis explicari potest. Sed non vacat nunc hoc exemplis demonstrare, neque opus est in re minime obscura aut controversa.

Scrib. Gryphiswaldiae d. XIV m. Oct. MDCCCLV.

AD LYRICORUM GRÆCORUM FRAGMENTA.

3 Quum nuper, Commilitones, Graecorum lyricorum reliquias, quarum collectionem usui vestro accommodatam Mehlhornius curavit, nonnullis vestrum tractandas proposuerimus, in eoque negotio fieri non potuerit quin multae, quibus earum lectio passim impeditur, vel corruptelae vel difficutates nos adverterent, quarum si quando probabilem aut emendationem aut explicationem nondum ab aliis inventam videremus, nos ipsi aut medicinam adhibere corruptis aut lucem obscuris afferre conaremur: multa quidem in medium allata sunt, quae accuratius pensitata rursus abiicienda esse intelleximus, at de nonnullis tamen locis vel ab iis, quibus horum tractatio mandata erat, vel a nobis, qui vestra studia moderabamur, coniecturae quaedam prolatae sunt non improbabiles neque indignae, quae etiam cum aliis communicarentur. Quamobrem quum hasce academicarum prolusionum scriptiones vestra potissimum causa institutas esse iudicemus, non alienum nobis visum est, de nonnullis harum rerum vel in recordationem haud iniucundam communium studiorum, vel etiam in ceterorum usum, si qui sunt non alienato a Graecorum Musis animo, paullo accuratius hoc loco disserere. — Initium faciemus ab Archilochi fragmento apud Ioannem Stobaeum Flor. tit. 105 vol. III p. 358 Gaisf., n. XXXIII Lieb.

Τοῖς θεοῖς τίθει τὰ πάντα· πολλάκις μὲν ἐκ κακῶν
Ἄνδρας ὀρθοῦσιν μελαίνῃ κειμένους ἐπὶ χθονί,
Πολλάκις δ' ἀνατρέπουσι, καὶ μάλ' εὖ βεβηκότας
Ὑπτίους κλίνουσ'· ἔπειτα πολλὰ γίγνεται κακά,
Καὶ βίου χρῇ μὴ πλανᾶται, καὶ νόου παρήορος.

Quod in postremo horum versuum codices offerunt *χρῇ μή* corruptum esse apparet. Ac Grotius quidem cum C. Gesnero *χρήζων*

reposuit, aptissimum ad loci sententiam probatumque propterea Liebelio p. 109, Iacobsio Anthol. I p. 43, Gaisfordio Poet. Gr. min. I p. 295; improbatum autem Mehlhornio nobisque. Neque enim veri simile videtur notissimum verbum et planissimum hoc loco in istum modum a librariis corrumpi potuisse. Quod autem Abreschius Dilucc. Thucyd. p. 716 rescribendum censuit καὶ βίου χρήμῃ πλανᾶται, repudiatum 4
est a VV. DD. non aliam ob causam, quam quia vocabulum rarioris usus et nulla classicorum scriptorum auctoritate munitum admitti apud Archilochum non posse censerent: cuius iudicii nobis quidem rationem nullam satis idoneam habuisse videntur, nisi forte nihil in his vetustorum poetarum fragmentis probandum est, cuius non etiam apud alios non minus veteres exempla demonstrari possunt. Non extat sane χρήμη vocabulum nisi apud unum personatum Herodotum vit. Hom. c. 13: τῶν βουλευτέων ἕνα λέγεται ἐναντιωθῆναι τῇ χρήμῃ αὐτοῦ, itemque cap. 14: τοὺς ἐναντιωθέντας λόγους τῇ χρήμῃ αὐτοῦ, quem locum Suidas excitans χρήμην interpretatur χρείαν καὶ σπάνιν: non autem adducor ut credam scriptorem istum, quum se Herodotum simulare vellet, vocabulo usurum fuisse, quod non certa et vetusta auctoritate probatum esset. Quod autem Suidas, aut is, quem Suidas compilavit, illum unum testem citat, nolim inde colligi nusquam alibi hoc vocabulum ab eo inventum esse. Primum enim quum scriptorem illum haud dubie Herodotum ipsum esse crederet, quid opus fuit uno teste locupletissimo citato etiam alios addere? dein ne certum quidem est, nullum praeterea allatum esse. Nam excidisse nonnihil post illa personati Herodoti verba ipsum Suidae locum inspicienti manifestum fiet: et quum χρήμην per χρείαν et σπάνιν explicet, alteram certe explicationem ex Herodoti loco haurire non potuit: ibi enim χρήμη *petitionem* significat: sed aliunde cognitam habere debuit. Nulla igitur causa esse videtur, cur illud vocabulum ab Archilocho usurpatum esse negemus; quum praesertim totidem plane litteris in codicibus scriptum extet, quamquam in duas voculas librariorum errore diremptum. Erit igitur βίου χρήμη *victus indigentia*: atque haec propria est vocabuli χρήμη significatio, unde altera illa, quae apud Pseudo-Herodotum est, facillime fluxit, quemadmodum etiam cognatum vocabulum χρεία non modo τὴν ἔνδειαν, sed etiam τὴν δέησιν significat. Thucyd. I, 37. Plutarch. Crass. 12. Quod autem dativum Abreschius reponit, necessarius sane est hic casus, si reliquum locum incorruptum esse statuas, neque nos id ita esse negabimus, quando-

quidem iste ad singularem numerum a plurali transitus, ut *πλανᾶται* dicatur et *παρήορος*, quum antea sit *ἄνδρας-κειμένους-βεβηκότας-ὑπτίους*, non habet quod peritum lectorem offendat, et sat multa eius exempla collecta sunt ab Heindorfio ad Platon. Gorg. § 75. Protag. § 28. Reisigio Coniect. in Aristoph. p. 153, Hermanno ad Viger. p. 934; attamen nobis quidem paullo concinnior oratio existere videtur, si scribamus

καὶ βίου χρήμη πλάναι τε καὶ νόος παρήορος,

ut poeta, posteaquam mala multa universe significavit, iam singula malorum genera maxime insignia commemoret, eamque commemorationem adiungat per copulativam particulam, quod quidem *συνῆθες σχῆμα* a Strabone dicitur lib. I cap. 2 p. 63 Tauchn., multaque eius generis exempla et Homerica a Strabone, et aliorum ab aliis congesta sunt, quorum nonnullos citavimus ad Isaeum p. 185. *Πλάναι τε* cum *πλανᾶται* quam facile a librariis permutari potuerit cuilibet apparet; *νόος* autem *παρήορος* non minus recte dicitur, quam *ἀνὴρ παρήορος νόου*, id quod vel illud Archilochi fr. LXXI p. 176 Lieb. manifestum facit: *τίς σὰς παρήειρε φρένας*. Conf. et *παρήορον ὄμμα* apud Tryphiodor. v. 373, et alia huius adiectivi exempla apud Iacobs. ad Anthol. I, 1 p. 160. II, 1 p. 342 et Blomfield. ad Aeschyl. Prom. v. 363 (371).

5 Progredimur ad Alcmanem, cuius insigne fragmentum extat apud Apollonium Lex. Hom. p. 407 Toll., apud Welckerum p. 25:

Εὕδουσιν δ᾽ ὀρέων κορυφαί τε καὶ φάραγγες,
πρῶνές τε καὶ χαράδραι,
φῦλά τε ἕρπετα θ᾽ ὅσσα τρέφει μέλαινα γαῖα,
θῆρές τ᾽ ὀρεσκῷοι καὶ γένος μελισσῶν,
καὶ κνώδαλ᾽ ἐν βένθεσσι πορφυρᾶς ἁλός.

Haec omnia planissima et incorrupta sunt, nisi quod versu tertio aliquid turbatum esse suspicamur. Welckeri quidem sententiam, *φῦλά τε ἑρπετά τε* pro *φῦλα ἑρπέτων* accipientis, fatemur nobis obscuram esse: neque enim apparet, quid illud alterum *τέ* post *ἕρπετα* significare voluerit. Ut nunc versus scriptus est, non potest explicari nisi sic, ut *φῦλα* universum genus animantium significare dicas, quod per *τέ* particulam cum iis, quae prius commemorata sunt, *ὀρέων κορυφαί, φάραγγες, πρῶνες, χαράδραι*, coniungatur, dein autem rursus in partes suas dispescatur, quarum prima sint *ἕρπετα*, altera

ϑῆρες ὀρεσκῷοι, tertia *γένος μελισσῶν*, quarta denique *κνώδαλα*, quae omnia inter se particulis *τέ* et *καί* copulantur. Ita in verbis *φῦλά τε ἑρπετά τε* plane diversa erit utriusque copulae potestas: non enim copulantur inter se haec duo vocabula, neque alterum *τέ* ad alterum, ut moris est, refertur, sed prior particula substantivum suum *φῦλα* adiungit iis, quae ante dicta sunt, altera autem *ἕρπετα* non cum *φῦλα* sed cum iis quae sequuntur *φύλων* speciebus connectit. Id etiamsi logicae rationi non adversatur, habet tamen haud dubie aliquid molesti atque inconcinni, multoque planior et facilior evadet oratio, si unius litterae mutatione pro *ϑ' ὅσσα* reponamus *τόσσα*, quod quum etiam relativum esse ignorarent librarii, illud alterum in eius locum invexerunt. Iam *ἕρπετα φῦλα* recte adiunguntur superioribus, ipsisque rursus copulantur *ϑῆρες ὀρεσκῷοι* et quae sequuntur: atque sic demum illud verum est, quod Welckerus voluit, ut *φῦλα ἕρπετα* idem sit atque *φῦλα ἑρπέτων*. Ceterum de relativa pronominis *τόσος* significatione Hermannus monuit ad Pindar. Nem. IV, 7, et quod idem ad Hymn. Hom. in Cer. v. 66 hunc usum antiquioribus abiudicat, ad epicorum tantummodo sermonem pertinere videtur.[1])

Alcmanem Stesichorus sequatur, cuius fragmentum, a Scholiaste ad Euripidis Orest. v. 243 servatum, non recte Mehlhornius descripsisse videtur hoc modo:

Οὕνεκα Τυνδάρεως
ῥέζων πᾶσι ϑεοῖσι μιᾶς Κύπριδος λάϑετ' ἠπιοδώρου·
κείνα Τυνδάρεω
κούραις χωσαμένα διγάμους τριγάμους τε τίϑησι
καὶ λιπεσάνορας.

Nam apud Scholiasten non *πᾶσι* scriptum est, sed *ἅπασι*, neque *μιᾶς Κύπριδος λάϑετ' ἠπιοδώρου*, sed *μιᾶς λάϑετο ἠπιοδώρου Κύπριδος*, neque *κείνα Τυνδ.*, sed *κείνα δὲ Τυνδ.*, nec denique *χωσαμένα*, sed *χολωσαμένα*, quae omnia Melhornius satis violenter et sine idonea causa delendo aut transponendo mutavit, in plerisque 6
Blomfieldium sequutus Mus. crit. Cantabr. fasc. VI, unum *χωσαμένα* pro *χολωσαμένα* de suo addens, quia scilicet nihil frequentius horum verborum permutatione, neque *χολωσαμένα* versui, qualem quidem

---

1) Non dissimulabo tamen nunc praeferendam mihi videri Th. Bergkii emendationem, *φύλλα τε ἕρπετα ϑ' ὅσσα* —

ipse fuisse statuit, aptum est[2]). Paullo lenius Kleinius egit p. 126, neque tamen ipse meliorem versuum descriptionem dedit. Nobis haec vera videtur:

Οὕνεκα Τυνδάρεως ῥέζων ἅμα πᾶσι θεοῖσι
μιᾶς λάθετ' ἠπιοδώρου
Κύπριδος, κείνα δὲ Τυνδάρεω κόραις
χολωσαμένα διγάμους τριγάμους τε τίθησι
καὶ λιπεσάνορας — —.

Metra omnia plana et usitata sunt. Versus 1, in quo nihil nisi ἅπασι mutavimus in ἅμα πᾶσι, hexameter est herous, vel si quis hoc genus versuum a Stesichoro usurpatum esse dubitet[3]) — quamquam talis dubitationis ego me non socium esse profiteor — compositum dicere licebit e duobus dactylicis trimetris catalecticis in disyllabum, quales versus etiam Pindarus, alias hexametris abstinens, non semel usurpavit, velut Olymp. VIII Epod. 5: ἔννεπε δ' ἀντίον ὁρμαίνων τέρας εὐθὺς Ἀπόλλων, et Nem. XI Epod. 3: εἰ δέ τις ὄλβον ἔχων μορφὰν παραμεύεται ἄλλων. — Hunc vers. 2 subsequitur dactylicus item trim. catal. in disyll., sed praemissa anacrusi. Tertius est trochaicus trimeter catalect., prima dipodia gravi, reliquis levibus: nam Τυνδάρεω per synecphonesin pronuntiandum est. Tales sunt apud Pindarum Olymp. X Epod. 4. 5: ἔνθα συγκωμάξατ', ἐγγυάσομαι | μή μιν, ὦ Μοῖσαι, φυγόξενον στρατόν. — Quartus denique dactylicus est pentameter catal. in disyll., praemissa anacrusi, plane ut apud Pindarum Pyth. X, 3: ἀριστομάχου γένος Ἡρακλέος βασιλεύει, ex Hermanni quidem ratione, cui etiamsi Boeckhius obloquitur, Ἡρακλέος in Ἡρακλεῦς mutans, ipsum tamen hoc genus versuum nequaquam damnat. — Versu 3 δέ particula, quam Blomf. et Mehlh. expunxerunt, Kleinius autem in δή mutavit, et necessaria est propter metrum, neque offendere quemquam potest: nam aut adiungit hoc membrum priori, ut et ipsum ab οὕνεκα pendens, aut apodosin indicat, quemadmodum saepenumero δέ a Graecis usurpari nostis post εἰ, ἐάν, ὅτε, ὅταν, ἐπεί earumque similes particulas. Vid. Ast. ad Plat. Phaedr. p. 33. Buttm. ad Demosth. in Mid. p. 126. Herrmann. ad Hom. Hymn. in Cer. v. 409. Ven. v. 226 p.

2) Potuerat minore negotio κούραισι χολωσαμένα scribi, ut versus esset dactyl. hexam. cum anacrusi.

3) Vid. Klein. p. 63 et 68.

107. ad Soph. Electr. v. 27. ad Viger. p. 785. Utra autem h. l. verior sit ratio et supervacaneum est quaerere et difficile, ut in fragmento, discernere; nisi quis forte Stesichorum in *οὕνεκα* particulae usu non descivisse censeat ab Homeri consuetudine, apud quem illam semper ei enuntiationi, cuius rationem contineat, postponi Lehrsius probavit de Aristarch. stud. Hom. p. 69. Quod si ita sit, apparet nostro loco *δέ* non posse in apodosi esse. Et sane ego *οὕνεκα* neque apud Hesiodum neque apud alium vetustiorem poetam aliter collocatum 7 memini. — In eodem versu dativus *κούραις* (vel *κόραις*, ut propter metrum rescripsimus) dubitare aliquis possit an recte a Kleinio cum accusativo permutatus sit, ut pendeat a verbo principali *τίθησι*. Et fortasse Kleinium hoc quoque permovit, quod non filiabus sed patri tantummodo Venerem iratam fuisse crederet. Sed tamen haec in filias quoque, opinor, iram a patre transtulit: quod si concedamus, dativus multo magis quam accusativus Graecorum consuetudini respondet. Solent enim hi, si non semper, at plerumque tamen, ubi participio verboque finito unum obiectum apponendum est, obiecti casum participio, quoties hoc propius est, non finito verbo accommodare, velut Hesiod. Op. et D. 166: *τοῖς — ἤθε᾽ ὀπάσσας κατένασσε*, ib. 505: *πόντῳ ἐμπνεύσας ὤρινε.* Herodot. 1, 66: *τῷ Λυκούργῳ ἱρὸν εἱσάμενοι σέβονται.* ib. 47: *ἐντειλάμενος τοῖς Λυδοῖσι — ἀπέπεμπε.* Thucyd. 1, 20: *τῷ Ἱππάρχῳ περιτυχόντες — ἀπέκτειναν.* ib. 144: *τούτοις ἀποκρινάμενοι ἀποπεμέψωμεν.* ib. 105: *τοῖς ἄλλοις ξυμβαλόντες ἐκράτησαν.* VII, 5: *Ἰώνων κρατήσαντας ἐξελάσασθαι.* VI, 6: *ὧν κρατήσας μὴ κατασχήσει.* Xenoph. Hellen. 1, 5, 6: *αὐτῷ προπιὼν — ἤρετο.* Plat. Legg. VIII, 6 p. 837: *Κλεινίᾳ ἐπᾴδων πειράσομαι πείθειν.* IX, 3 p. 856: *οἷς ἂν αἰτίαν ἐπιφέρων εἰς δικαστήριον ἄγῃ.* Demosth. pr. cor. p. 281, 22: *οὓς συ κολακεύων παρηκολούθεις.* Apollodor. III, 14, 3: *οὗ ἐρασθεῖσα Ἠὼς ἥρπασεν.*

Stesichoro Ibycum comitem adiungimus. Huius reliquias Schneidewinus nuper eruditissime emendata et explicata edidit Gottingae 1833; neque tamen in omnibus viro doctissimo rem bene cessisse iudicamus: veluti quod primo loco posuit splendidissimum fragmentum, ab Athenaeo XIII p. 601 servatum, non magis illius quam aliorum criticorum coniecturis ex omni parte perpurgatum videtur. Postremos enim fragmenti versus ita descriptos dedit:

– ⏖ – ⏖ – ⏑ *ἐμοὶ δ᾽ Ἔρος οὐδεμίαν κατάκοιτος ὥραν.*

Ὥστε δ' ὑπὸ στεροπᾶς φλέγων
Θρηΐκιος Βορέας ἀΐσσων παρὰ Κύπριδος ἀζαλέαις μανίαισιν ἐ-
ρεμνὸς, ἀθαμβεΐησι κραταιός,
παιδόθεν φυλάσσει
Ἡμετέρας φρένας.

Horum versuum tertium, quartum et quintum in unum systema dactylicum coniunctos esse vult cum clausula Ithyphallica. Nobis autem neque huius ipsius systematis membra satis commode disposita, neque illud, quo omnis haec descriptio tanquam fundamento nititur, concedendum esse videtur. Nam quum in codicibus Athenaei scriptum sit *τε ὑπὸ στεροπᾶς φλέγων*, Schneidewinus ex isto *τε* effecit *ὥστε*, adversativa particula addita, atque sic versum nactus est logaoedicum dupl. dactyl. duplic. troch. catal., quales sunt illi, a quibus fragmentum nostrum incipit: *ἦρι μὲν αἵ τε Κυδώνιαι* | *μαλίδες ἀρδόμεναι ῥοᾶν* etc.; ab hoc dein novos impetus orationem sumere dicit ac per illud systema dactylicum decurrere usque ad clausulam Ithyphallicam, ita ut a verbis *ἡμετέρας φρένας φυλάσσει* alterius strophae initium fieri statuendum sit. Adversativam autem particulam post *ὥστε* requiri contendit propter sententiarum tenorem. Id nobis
8 secus videtur, sufficitque illud unum *δέ*, quod post *ἐμοί* positum libri exhibent. Est enim, nisi fallimur, sententiarum nexus hic, ut poeta omnia verno tempore laetissime florere, sibi autem perpetuam quandam hiemem atque procellas creari dicat per amorem, nullo quippe tempore quiescentem: quamobrem verba illa *ἐμοὶ δ' Ἔρος οὐδεμίαν κατάκοιτος ὥραν* non pro integra enuntiatione habemus, sed haec *οὐδεμίαν κατάκοιτος ὥραν* interposita et integrae enuntiationis subiecto *Ἔρος* adiecta esse censemus, cuius praedicatum in extrema demum stropha verbo finito *φυλάσσει* absolvitur. Neque igitur *ὥστε δέ* probamus, neque *ἀλλ' ἅτε*, quod Melhornio in mentem venit p. 111, sed unum *ἅτε*, cum Lobeckio ad Sophoclis Ai. v. 255, Iacobsio in Anthol. III, 2 p. 155, Hermanno in Ephemm. Lips. ann. 1817. II p. 2233, ut sensus sit: *mihi autem Amor nullo tempore quiescens Boreae instar ingruens animum vexat:* nam de *φυλάσσει* mox videbimus. Iam versus existunt hi:

– ◡◡ – ◡◡ – ◡ *ἐμοὶ δ' Ἔρος*
οὐδεμίαν κατάκοιτος ὥ|ραν, ἅθ' ὑπὸ στεροπᾶς φλέγων
Θρηΐκιος Βορέας, ἀΐσ|σων παρὰ Κύπριδος ἀζαλέαις μανίαισιν,

quorum primus dactylicus est tetrameter acatalectus, alter compositus

ex duobus logaoedicis dupliciter dactylicis dupliciter trochaicis catalecticis, tertius compositus ex eodém logaoedico cum dact. pentametro catalectico in disyllabum, ut maiore cum impetu longius superiore excurrat, id quod nobis a poeta aptissime et eximia cum arte factum esse videtur. — In proximo versu quod codices offerunt ἀθάμβησε corruptum esse apparet, repositumque in eius locum ἐθάμβησε merito a criticis repudiatum est. Neque vero ἀθαμβεΐησι placere potest, quod Hermannus rescripsit, aut ἀθαμβοσύνῃσι, quod Müllerum coniecisse Schneidewinus commemorat. Nam non solum lenius est pro rei conditione vocabulum, sed prorsus etiam ineptum, de numine praepotente et cui nihil non pareat, hoc praedicari, quod ab impetu in hominem faciendo nullo se stupore aut terrore praepediri sinat. Nam nihil aliud in verbo ἀθαμβείῃ inesse, si veri esse volemus, fateri debebimus. Requiri autem nobis videtur adiectivum aliquod, quo *rigidus*, *durus*, *immitis* Amor dicatur, quale aptius nullum inveniri posse censemus quam ἀστεμβής, quod et litteras intuenti non magnopere ab illo ἀθάμβησε abhorrere apparet, et quomodo in ἀθαμβής, unde rursus ἀθάμβησε extitit, mutatum sit, rationem nobis reddere posse videmur. Scilicet rarius et minus notum vocabulum glossemati cessit ad explicandum apposito, inepto quidem illi in huius loci contextu, sed quod tralaticium fuisse Hesychius ostendit, tom. I p. 582 ἀστεμβής· ἀθαμβής, ἀτάραχος. Et fuerunt haud dubie multi scriptorum loci, in quos haec explicatio quadraret, et ἀστεμβής recte dici posset idem atque ἀθαμβής vel ἀτάραχος esse; verum propria significatione longe aliud est, neque diversum ab ἀστεμφής, eiusdem stirpis vocabulo, quod ab ipso Hesychio explicatur τραχύς, χαλεπός, ἀκίνητος. Nimirum ἀστεμβής s. ἀστεμφής proprie est *immotus*, ut apud Homerum Iliad. III, 219: σκῆπτρον ἀστεμφὲς ἔχεσκε, quod Schol. Ven. A. et Eustath. explicant ἀστρεφές, ἀμετακίνητον, ductumque esse docent a στέμβω, *moveo, concutio*, cf. Etymol. M. p. 158, 30. Inde etiam ad animum refertur, ut Iliad. II, 344: ἔχων ἀστεμφέα βουλήν, h. e. ἀμετακίνητον, βεβαίαν, ut expl. Schol. Ven. B. et Eustath. Porro *invictus, inexorabilis, immitis*, ut in Anacreontis fragmento ap. Schol. Ven. A. ad Iliad. III, 219: σὺ γὰρ ἦς ἔμοιγ' 9
ἀστεμφής. Etiam poetae insuaves et duri ἀστεμφεῖς καὶ σκληροὶ dicuntur ab Aristophane apud Athenaeum I p. 30 C: τὸν Ἀθηναίων δῆμον οὔτε ποιηταῖς ἥδεσθαι σκληροῖς καὶ ἀστεμφέσιν οὔτε Πραμνίοις σκληροῖσιν οἴνοις. Denique in Duridis Elaitae ver-

sibus apud Stephanum Byz. v. Ἔφεσος p. 282 et in Anthologia tom. II p. 59:

Ἠέριαι νεφέλαι, πόθεν ὕδατα πικρὰ πιοῦσαι
Νυκτὶ σὺν ἀστεμφεῖ πάντα κατεκλύσατε;

noctem significari arbitror crudelem, rigidam 4). Similiter igitur nostro loco Amor, cum Borea comparatus, ἀστεμβὴς vocatur propter rigidam duramque violentiam, quae nulla re flectitur aut retardatur, ἐρεμνὸς autem, ut λαῖλαψ ἐρεμνὴ apud Homerum, quia nubes et tenebras obducit, quemadmodum γνωφώδη αἰθέρος φυσήματα sunt apud Euripidem Troad. v. 79. Formam ἀστεμβής autem praeter Hesychium etiam Etymologicum Gudianum agnoscit et, si recte locus se habet, Philoxeni poetae auctoritate comprobat, p. 85, 44: ἀστεφὴς [ἀστεμφὴς] καὶ ἀστεμφέως, ἀμετακινήτως καὶ ἰσχυρῶς, παρὰ τὸ στεμμω [στέμβω], ὃ σημαίνει τὸ κινεῖν συνεχῶς. οὕτω μέμνηται [κέχρηται] Αἰσχύλος. ἀστεμβὴς οὖν ὁ ἀμετακίνητος καὶ ἀστεμφής· οὕτω Φιλόξενος. — In reliqua fragmenti parte neque verbum φυλάσσει neque adverbium παιδόθεν incorrupta esse videntur. Φυλάσσειν enim de Amore tanquam procella hominis animum turbante et percellente longe ineptissimum esse quilibet intelligit, quamobrem alii τινάσσει coniecerunt, alii αἰθύσσει, Welckerus autem in Museo Rhenano ann. 1833 p. 251 φυράσσει, suae fabricae verbum. Nobis unice verum videtur, quod etiam doctissimo Müllero placuit, σαλάσσει. Παιδόθεν autem Naekius in Choerili fragm. p. 107 cum πεδόθεν commutandum suasit, aptissimum sane hoc loco, sed repudiatum tamen ab Hermanno propterea, quod quum ab Athenaeo hi versus pro documento afferantur, puerorum amoribus Ibycum deditum fuisse, non possit παιδόθεν deleri, quod si absit, nihil sit in hoc loco, ex quo poetam de puerorum amore loqui agnoscamus. Sed neque illud verum est, quod de Athenaeo Hermannus dicit, neque intelligo qua ratione, etiamsi παιδόθεν servetur, aliquid ex hoc adverbio de puerorum amore cognosci possit, nisi forte Hermannus παιδόθεν hoc sensu accipi vult, ut Amorem ex puero, cui scilicet insideret (quemadmodum apud Sophoclem ἐν μαλακαῖς παρειαῖς νεάνιδος ἐννυ-

4) Huc pertinet etiam ἀστέμβακτος, eiusdem stirpis vocabulum, apud Lycophronem Alexandr. v. 1117, ubi Clytaemnestra in Cassandram saeviens dicitur δύσζηλος, ἀστέμβακτα τιμωρουμένη, quod perperam a veteribus interpretibus, recte nuper a Bachmanno explicatum est.

χεύει) aut quem comitaretur, impetum facientem cogitemus. Hoc ego ἀναριθμήτοις τισὶ probabile fore confido: paullo probabilius Schneidewinus παιδόθεν significare putat *inde a pueritia;* sed huic quoque recte obloqui Welckerum iudico p. 253. Pessimam autem omnium coniecturam Mehlhornius protulit, παῖς ὅθεν ἡμετέρας φρένας φυλάσσει, quam ipse interpretatur: *ex quo puella mentem meam custodit* i. e. *occupatam tenet.* Nam neque ὅθεν pro ἐξ οὗ, hoc sensu ut sit *ex quo tempore*, unquam a Graecis usurpatum esse arbitror, neque φυλάσσειν φρένας recte dici de eo, qui in alterius animo dominetur, τῆς ψυχῆς ἡνιοχεύων, ut est alicubi apud Anacreontem, sed de zelotypo tantum, amatoris animum suspiciose observante. Amplector igitur Naekii emendationem, totumque locum, verbis leniter transpositis, quo versus evadat concinnior et prioribus apte conveniens, ita scribendum censeo:

ἐρεμνός, ἀστεμβής, κραται|ῶς πεδόθεν φρένας ἡμετέρας σαλάσσει.

cuius versus prius membrum iambico rhythmo s. trochaico cum anacrusi, admisto spondeo, accommodatissimum est ad pingendam rei gravitatem: similibusque numeris Pindarus usus est Nem. V str. 1: auget autem gravitatem hoc quoque quod eam arsin, quae est in media syllaba voc. κραταιῶς, statim altera arsis excipit ordinis logaoedici per tres dactylos, duos trochaeos decurrentis aptissimumque strophae finem imponentis. Κραταιῶς pro κραταιός codices offerunt.

Etiam in altero Ibyci fragmento, quod extat apud Scholiasten Platonis Parmen. p. 137 A., medicinam a Schneidewino adhibitam probare non possumus. Scripsit ille in hunc modum:

Ἔρος αὖτέ με κυανέοισιν ὑπὸ βλεφάροις τακέρ' ὄμμασι δερκόμενος
κηλήμασι παντοδαποῖς ἐς ἀπείρονα δίκτυα Κύπριδος εἰσέβαλεν,

quum apud Scholiasten legatur εἰς ἄπειρα δίκτυα Κύπριδος βάλλει. Displicet autem nobis illud εἰσέβαλεν non solum propterea, quia nullam causam probabilem exputare possumus, qua permoti librarii βάλλει in eius locum substituerint, sed magis etiam propter tempus verbi praeteritum hoc loco minime aptum. Subiunguntur enim statim haec: ἦ μὰν τρομέω νιν ἐπερχόμενον: qui autem adventantem Amorem a se timeri profitetur, is indicat, opinor, se nondum eius laqueis irretitum teneri, sed metuere ne capiatur. Itaque retinendum erit prae-

sens tempus *βάλλει* cum conandi significatione dictum, quam frequentissimam in hoc tempore esse nostis. Vid. Hermann. ad Soph. Ai. 1105. Seidler. ad Eur. Electr. 1262. Iph. Taur. 1284. Valcken. ad. Phoen. 1405. Apitz. ad Soph. Trach. p. 118. — Deinde ne *ἄπειρα* quidem mutari necesse erit, sed tantummodo *Κύπριδι* pro *Κύπριδος* rescribendum: et nihil frequentius casuum terminationibus a librariis corruptum esse constat. Iam existet versus hic:

κηλήμασι παντοδαποῖς ἐς ἄπει|ρα δίκτυα Κύπριδι βάλλει.

compositus e dactylico tetram. catal. in syll. cum anacrusi, et dactyl. trimetr. catal. in disyll. item cum anacrusi.

In tertio fragmento apud Athenaeum XIII p. 564 F assentimur Schneidewino, *καλλικόμων* ad *Χαρίτων* referri debere neganti, non assentimur autem in eo, quod Boissonadi coniectura *νεανίδων* admissa metri integritatem pessumdari censet. Quid enim reprehendi possit in hac versuum descriptione?

Εὐρύαλε γλυκεῶν Χαρίτων θάλος,
Καλλικόμων μελέδημα νεανίδων,
11 *Σὲ μὲν Κύπρις ἅ τ' ἀγανοβλέφαρος*
Πειθὼ ῥοδέοισιν ἐν ἄνθεσι θρέψαν,

quorum primus et secundus logaoedici sunt tripl. dact. dupl. troch. catal., tertius dactyl. tetr. catal. in syll. cum anacrusi, quartus item, sed una syllaba tertio longior.

Ex Anacreonticis unum hoc loco carmen in Artemonem tractare libet, cuius quum probabilis restitutio nihil admodum difficultatis habeat, de interpretatione tamen non mediocriter inter se dissentiunt viri doctissimi. Recte autem nostro iudicio Bergkius, nuperrimus Anacreontis editor, apud quem hoc fragmentum legitur p. 110, priores duos versiculos

– ◡◡ – – ◡◡ – *ξανθῇ δέ γ' Εὐρυπύλη μέλει*
ὁ περιφόρητος Ἀρτέμων,

ex eodem quo reliqua carmine petita esse statuit: nonnulla tamen ante proximum versum omissa ab Athenaeo censemus. Sequuntur autem haec:

πρὶν μὲν ἔχων βερβέριον, καλύμματ' ἐσφηκωμένα,
καὶ ξυλίνους ἀστραγάλους ἐν ὠσὶ καὶ ψιλὸν περὶ
πλευρῇσι [δερμάτιον] βοός,
νεόπλυτον εἴλυμα κακῆς ἀσπίδος, ἀρτοπώλισιν
κἠθελοπόρνοισιν ὁμιλέων, ὁ πονηρὸς Ἀρτέμων,

κίβδηλον εὑρίσκων βίον,
πολλὰ μὲν ἐν δουρὶ τιθεὶς αὐχένα, πολλὰ δ' ἐν τροχῷ,
πολλὰ δὲ νῶτον σκυτίνῃ μάστιγι θωμιχθεὶς, κόμην
πώγωνά τ' ἐκτετιλμένος·
νῦν δ' ἐπιβαίνει σατινέων, χρύσεα φορέων καθέρματα
παῖς Κύκης[5]*), καὶ σκιαδίσκην ἐλεφαντίνην φορέει,*
γυναιξὶν αὕτως [ἐμφερής].

Uncinis inclusa addidimus, quae lacunas probabiliter explere viderentur. *Αὕτως* versu postremo cum comtemptu et indignatione dictum illustrabunt exempla a Buttmanno citata Lexilog. I p. 37. 38. Qualem autem hominem istum Artemonem fuisse putabimus, et quam ob causam *περιφόρητον* dictum? Nam Chamaeleonti, qui hoc illi cognomentum inditum esse dicit *διὰ τὸ τρυφερῶς βιοῦντα περιφέρεσθαι ἐπὶ κλίνης*, fidem haberi vetat Welckerus in censura libri Bergkiani, Mus. Rhen. ann 1835 fasc. 1 p. 156, et Bergkius quoque p. 114 de veritate explicationis dubitat propterea, quod de lectica nihil est apud Anacreontem, sed carpento Artemo vehi dicitur. Esset hoc fortasse aliquid, si integrum carmen, non fragmentum haberemus: mirum enim esset eius rei, unde cognomen homini datum, nullam a poeta mentionem fieri; nunc autem quid impedit, quominus Chamaeleontem verum dicere idque aut ex hoc ipso Anacreontis carmine, integro scilicet, aut ex aliis deperditis in eundem Artemonem scriptis cognovisse creda- 12
mus? nisi forte qui plerumque lectica gestari soleret, eum non etiam, ubi res ferret, carpento vehi potuisse iudicamus. Maior certe est Chamaeleontis, qui data opera de Anacreontis vita et scriptis egerat, quam Scholiastae nescio cuius auctoritas, qui ad Aristoph. Acharn. v. 815 *περιφόρητον Ἀρτέμωνα* in proverbio dictum esse autumat *ἐπὶ καλοῦ καὶ ἁρπαζομένου πρὸς πάντων παιδός*. In proverbium Artemonis nomen abiisse facile credo, idque is ipse, ad quem haec scripsit, Aristophanis locus fidem facit, Cratinum illo nomine appellans; sed de pulchris pueris, quos omnes expeterent et ad se raperent, illud usurpatum esse neque propter Aristophanem credibile est, qui Cratinum nobis non sane pulchrum et expetitum propter pulchritudinem proponit, neque *περιφορήτους* hoc sensu dictos esse aliunde novimus, aut dici potuisse arbitramur[6]). Quod autem de duobus Po-

---

5) Praestat, opinor, cum Hermanno legere *παῖς ὁ Κύκης*.

6) Probabilior est alterius Scholiastae explicatio, *πολυφόρητον* esse eum,

lycleti signis, Herculis altero, altero Artemonis a Welckero dicitur, huius argumenti vim nos nullo modo perspicere posse fatemur. Nam ut concedamus Herculem ab artifice et Artemonem tanquam contraria inter se et diversi generis exempla sculptos esse, (quamquam hoc Plinius certe non dicit H. N. XXXIV, 19, 2), qui minus apte luxuriosus homo et effeminatus, quam impudicus et cinaedus, ut Welckero videtur, viro forti et strenuo opponi potuit? — Obloquitur porro Welckerus iis, qui Artemonem Anacreonticum servilis conditionis fuisse statuerunt, assentiturque Petito, Miscellan. lib. VII cap. 7, in libertatem eum asserenti, primum propterea quod servo non recte *κίβδηλος βίος*, h. e. ut ipse interpretatur, impudica vita obiici possit, quippe cui non suo sed heri arbitrio vivendum sit: dein quod servo non liceat vivere quibuscum velit: Artemonem autem sua sponte cum *ἀρτοπώλισιν* et *ἐθελοπόρνοισι* vixisse: postremo quia Artemo ex paupere dives factus sit, teste Athenaeo; servum autem divitias sibi comparare non potuisse. Itaque etiam quae de *δουρὶ* et *τροχῷ* dicuntur, non de servilibus suppliciis accipi vult, sed de artibus et praestigiis Artemonis: fuisse enim hunc petauristam aut in simili aliquo genere artificem: *ἐν δουρί* idem esse atque *ἐν δορίδι*, *δορίδας* autem esse *μαχαίρας μαγειρικάς*, cuiusmodi cultro instructum Artemonem tales quasdam praestigias edidisse, quales Gitonem Petronii c. 94 ed Anton.: *ἐν τροχῷ* autem *αὐχένα ἔχειν* petauristam dici, qui cernulet et in machina vel rota traiiciat sese. Haec et his etiam ineptiora a Petito excogitata non miror; a Welckero, viro ingeniosissimo, credita et commendata sane quam nollem. — *Ἐν δουρί* non dubium est quin idem sit quod *ἐν ξύλῳ*, *ξύλον* autem, cui cervices Artemo inserebat, *κύφωνα* fuisse apparet h. e. *σκεῦος ξύλινον ᾧ τὸν αὐχένα ἐνθέντα δεῖ μαστιγοῦσθαι τὸν περὶ τὴν ἀγορὰν κακουργοῦντα.* Verba sunt Pollucis lib. X segm. 177. *Τροχῷ* autem etiamsi haud dubie non cervices solae sed cetera quoque membra eius qui castigandus erat imponebantur, nemo tamen mirabitur aut vituperabit poetam, qui haec disertius commemorare supersederit. Ceterum Artemonem cogitare debemus institorio aut simili cuidam quaestui deditum, fraudulenter agentem et *κακουργοῦντα περὶ τὴν ἀγοράν*: hic est enim ille *κίβδηλος βίος*, quem Anacreon ei obiicit: conversantem autem cum *πόρναισιν*,

---

qui multorum sermonibus celebretur; quemadmodum *Σίσυφος περιφόρητος* dicitur ab Eustathio, quem Barnesius citavit.

ἀρτοπώλισιν aliaque eiusdem generis plebecula circumforanea: prop- 13
ter fraudes commissas saepenumero κύφωνι et τροχῷ castigatum, aut verberatum mulcatumque et vexatum ab iis, quibus fraudem fecerat: quo pertinet illud *κόμην πώγωνά τ' ἐκτετιλμένος*. Servus fuerit an libertinus, nihil facit ad rem. Potuit enim et servus institor esse, et libertinus, dum ne civis esset, propter maleficia corpore plecti. Eundem postea ad magnas opes pervenisse nemini mirum videri potest, qui libertinos homines ditissimos saepenumero factos esse meminerit. Ut uno verbo dicam, talis fere Artemo cogitandus est, qualem Crispinum istum ex Iuvenale cognoscimus. Nam Crispinus quoque, quum servus esset, (*verna Canopi* Iuv. I, 26) libertatem et divitias nactus est, quibus ad luxuriam et mollitiem abutebatur *aestivum digitis sudantibus aurum ventilans,* fere ut Artemo *χρύσεα φορῶν καθέρματα* et *σκιαδίσκην ἐλεφαντίνην* gestans. Porro Crispinus institorium quaestum fecerat, *siluros vendens* (Iuv. IV, 33), quemadmodum Artemonem quoque in simili genere occupatum agnovimus. Denique sicut Crispinum Iuvenalis servili et barbaro habitu inducit, *patria papyro succinctum* IV, 24, ita Artemoni ab Anacreonte servilis et barbarus, ni fallor, vestitus tribuitur. Primum *βερβέριον* quamquam quid sit pro certo dici non potest, vocem tamen barbaram fuisse iudico, et significare capitis quoddam tegumentum, pileum aut mitram ab Asianis nescio quibus aut Thracibus Abderae vicinis gestari solitam, eamque fortasse in apicis formam superne constrictam et coarctatam, *ἐσφηκωμένον κάλυμμα*. Nam de corporis amictu, quod resti arcte constringeretur, nolim hoc cum Bergkio accipere, quum quia *κάλυμμα* frequentius certe de capitis tegumento dicitur, (cf. Aristoph. Lysistr. v. 530. 532.) tum quia de corporis amictu in sequentibus demum poeta loquitur. *Ξύλινοι ἀστράγαλοι* haud dubie tessellae sunt ligneae, pro bacis aut gemmis inaurium a pauperibus usurpatae. Et inaurium usum in Asianis gentibus etiam apud viros obtinuisse novimus, quum apud Graecos fere a mulieribus tantum gestarentur. Cf. Plin. H. N. XI, 37, 50. Sequitur vestis coriacea, quae et ipsa Graecis inusitata, (nam *διφθέρας* nemo obiiciet,) apud barbaros nonnullos in usu fuisse videtur, velut apud Persas teste Herodoto I cap. 71. Artemonis autem vestis quum *εἴλυμα ἀσπίδος* fuisse dicatur, non ea pellis cogitanda videtur, quae in ipso clypeo fuerat: haec enim et crassior haud dubie fuit, quam ut vestis ex ea confici posset, neque recte *εἴλυμα* dici potuit, quum non circumdet

lycleti signis, Herculis altero, altero Artemonis a Welckero dicitur, huius argumenti vim nos nullo modo perspicere posse fatemur. Nam ut concedamus Herculem ab artifice et Artemonem tanquam contraria inter se et diversi generis exempla sculptos esse, (quamquam hoc Plinius certe non dicit H. N. XXXIV, 19, 2), qui minus apte luxuriosus homo et effeminatus, quam impudicus et cinaedus, ut Welckero videtur, viro forti et strenuo opponi potuit? — Obloquitur porro Welckerus iis, qui Artemonem Anacreonticum servilis conditionis fuisse statuerunt, assentiturque Petito, Miscellan. lib. VII cap. 7, in libertatem eum asserenti, primum propterea quod servo non recte *κίβδηλος βίος*, h. e. ut ipse interpretatur, impudica vita obiici possit, quippe cui non suo sed heri arbitrio vivendum sit: dein quod servo non liceat vivere quibuscum velit: Artemonem autem sua sponte cum *ἀρτοπώλισιν* et *ἐθελοπόρνοισι* vixisse: postremo quia Artemo ex paupere dives factus sit, teste Athenaeo; servum autem divitias sibi comparare non potuisse. Itaque etiam quae de *δουρὶ* et *τροχῷ* dicuntur, non de servilibus suppliciis accipi vult, sed de artibus et praestigiis Artemonis: fuisse enim hunc petauristam aut in simili aliquo genere artificem: *ἐν δουρί* idem esse atque *ἐν δορίδι*, *δορίδας* autem esse *μαχαίρας μαγειρικάς*, cuiusmodi cultro instructum Artemonem tales quasdam praestigias edidisse, quales Gitonem Petronii c. 94 ed Anton.: *ἐν τροχῷ* autem *αὐχένα ἔχειν* petauristam dici, qui cernulet et in machina vel rota traiiciat sese. Haec et his etiam ineptiora a Petito excogitata non miror; a Welckero, viro ingeniosissimo, credita et commendata sane quam nollem. — *Ἐν δουρί* non dubium est quin idem sit quod *ἐν ξύλῳ*, *ξύλον* autem, cui cervices Artemo inserebat, *κύφωνα* fuisse apparet h. e. *σκεῦος ξύλινον ᾧ τὸν αὐχένα ἐνθέντα δεῖ μαστιγοῦσθαι τὸν περὶ τὴν ἀγορὰν κακουργοῦντα.* Verba sunt Pollucis lib. X segm. 177. *Τροχῷ* autem etiamsi haud dubie non cervices solae sed cetera quoque membra eius qui castigandus erat imponebantur, nemo tamen mirabitur aut vituperabit poetam, qui haec disertius commemorare supersederit. Ceterum Artemonem cogitare debemus institorio aut simili cuidam quaestui deditum, fraudulenter agentem et *κακουργοῦντα περὶ τὴν ἀγοράν*: hic est enim ille *κίβδηλος βίος*, quem Anacreon ei obiicit: conversantem autem cum *πόρναισιν*,

---

qui multorum sermonibus celebretur; quemadmodum *Σίσυφος περιφόρητος* dicitur ab Eustathio, quem Barnesius citavit.

ἀρτοπώλισιν aliaque eiusdem generis plebecula circumforanea: propter fraudes commissas saepenumero κύφωνι et τροχῷ castigatum, aut verberatum mulcatumque et vexatum ab iis, quibus fraudem fecerat: quo pertinet illud κόμην πώγωνά τ' ἐκτετιλμένος. Servus fuerit an libertinus, nihil facit ad rem. Potuit enim et servus institor esse, et libertinus, dum ne civis esset, propter maleficia corpore plecti. Eundem postea ad magnas opes pervenisse nemini mirum videri potest, qui libertinos homines ditissimos saepenumero factos esse meminerit. Ut uno verbo dicam, talis fere Artemo cogitandus est, qualem Crispinum istum ex Iuvenale cognoscimus. Nam Crispinus quoque, quum servus esset, (*verna Canopi* Iuv. I, 26) libertatem et divitias nactus est, quibus ad luxuriam et mollitiem abutebatur *aestivum digitis sudantibus aurum ventilans*, fere ut Artemo χρύσεα φορῶν καθέρματα et σκιαδίσκην ἐλεφαντίνην gestans. Porro Crispinus institorium quaestum fecerat, *siluros vendens* (Iuv. IV, 33), quemadmodum Artemonem quoque in simili genere occupatum agnovimus. Denique sicut Crispinum Iuvenalis servili et barbaro habitu inducit, *patria papyro succinctum* IV, 24, ita Artemoni ab Anacreonte servilis et barbarus, ni fallor, vestitus tribuitur. Primum βερβέριον quamquam quid sit pro certo dici non potest, vocem tamen barbaram fuisse iudico, et significare capitis quoddam tegumentum, pileum aut mitram ab Asianis nescio quibus aut Thracibus Abderae vicinis gestari solitam, eamque fortasse in apicis formam superne constrictam et coarctatam, ἐσφηκωμένον κάλυμμα. Nam de corporis amictu, quod resti arcte constringeretur, nolim hoc cum Bergkio accipere, quum quia κάλυμμα frequentius certe de capitis tegumento dicitur, (cf. Aristoph. Lysistr. v. 530. 532.) tum quia de corporis amictu in sequentibus demum poeta loquitur. Ξύλινοι ἀστράγαλοι haud dubie tessellae sunt ligneae, pro bacis aut gemmis inaurium a pauperibus usurpatae. Et inaurium usum in Asianis gentibus etiam apud viros obtinuisse novimus, quum apud Graecos fere a mulieribus tantum gestarentur. Cf. Plin. H. N. XI, 37, 50. Sequitur vestis coriacea, quae et ipsa Graecis inusitata, (nam διφθέρας nemo obiiciet,) apud barbaros nonnullos in usu fuisse videtur, velut apud Persas teste Herodoto I cap. 71. Artemonis autem vestis quum εἴλυμα ἀσπίδος fuisse dicatur, non ea pellis cogitanda videtur, quae in ipso clypeo fuerat: haec enim et crassior haud dubie fuit, quam ut vestis ex ea confici posset, neque recte εἴλυμα dici potuit, quum non circumdet

clypeum et involvat undique, sed ex altera tantum parte tegat: cogitandum potius est de eo, quod ἔλυτρον ab Hesychio et Polluce VII, 157, σάγμα ab Aristophane dicitur Acharn. v. 580, h. e. de sacco vel culeo coriaceo, quo clypeus indui solebat. *Νεόπλυτον* si verum est, corium illud nuper demum ablutum et sordibus suis purgatum cogitari debebit; sed scripsit fortasse Anacreon *νήπλυτον*, *immundum*, quod vocabulum non minus quam *νήπεκτος*, *νήπλεκτος*, *νηπενθής* aliaque similia et potuisse usurpari et usurpatum esse vix quisquam dubitabit, etiamsi exempla eius nulla in promptu sunt.

Scrib. Gryphiswaldiae a. d. III Cal. Mart. MDCCCXXXV.

MANTISSA ANIMADVERSIONUM AD AESCHYLI PROMETHEUM.

Quum nuperrime Aeschyleam Prometheum commentariis meis 3
explicatam ediderim, eumque librum a plerisque eorum, qui haec prooemia legere solent, aut lectum esse aut lectum iri credam, non alienum esse statui, hac nunc scribendi opportunitate oblata ita uti, ut de aliquot illius fabulae locis disseram et quasi quandam mantissam commentariis meis addam. Mantissam autem dico, ne quid magni polliceri videar. Nam versabitur omnis haec disputatio in rebus minutis et specie admodum levibus; quamquam qui studiorum nostrorum rationem recte aestimare didicerunt, nihil in his litteris tam leve esse sciunt, quod non etiam ad res gravissimas permagni interdum momenti esse possit. Ceterum ad scribendam hanc mantissam induxit me libellus Adversariorum in Aeschyli Prometheum et Aristophanis Aves nuper a Fr. Wieselero, viro praestantissimo, editus, qui libellus quum absoluta demum mea editione ad me perlatus sit, fieri non potuit, ut in commentariis rationem eius haberem, id quod facturus fortasse in aliquot locis fuissem. Tractantur enim ab hoc duodecim fabulae Aeschyleae loci, quorum sex aut septem ego quoque tractavi. In his quum nullus sit, de cuius emendatione non longissime utriusque nostrum iudicia dissentiant, operae pretium fuerit, huius dissensionis causas atque rationes paullo accuratius exponere.

Primum igitur versu 49, quum vulgo scribatur

ἅπαντ᾽ ἐπράχθη πλὴν θεοῖσι κοιρανεῖν·
ἐλεύθερος γὰρ οὔτις ἐστὶ πλὴν Διός.

convenit quidem nobis cum Wieselero eatenus, ut verbum *ἐπράχθη* 4

corruptum, coniecturasque a criticis prolatas plerasque omnes reiiciendas esse iudicemus: quod autem etiam Stanleii emendatio una omnium verissima, ἐπαχθῆ, eodem cum ceteris loco a Wieselero habita, et ne commemorata quidem est, magnopere improbamus. Movit eum fortasse Reisigii auctoritas, qui adiectivum ἐπαχθής, quoniam alibi in tragicorum fabulis non legitur, etiam hoc loco admitti posse negavit. Atqui si auctoritatibus standum est, non minor sane quam Reisigii in tali re auctoritas Hermanni habebitur, cui illam Stanleii emendationem probatam esse scimus. Quaeri autem ante omnia debebat, num quae probabilis ratio exputari posset, qua permoti tragici illud adiectivum fastidiissent, et si nullam esse appareret, non consulto sed casu factum censeri, ut in his quae extant tragoediis nusquam id usurparent. De sententia autem loci Aeschylei, et quam egregie huic illud ipsum ἐπαχθῆ conveniat, diximus in comment. p. 284, quae repetere hoc loco nihil attinet. Quod autem Wieselero placet, ut ἐπράθη scribatur, id nos, etiamsi in omnibus codicibus inventum esset, corruptum tamen et exturbandum dicere non dubitaremus, utpote prorsus ineptum. Ipse sententiam hanc existere autumat: „omnia vendita (h. e. in servitute) sunt praeter [quam] imperare diis.“ Neque dubium esse potest, quin significari his verbis voluerit, servos esse deos omnes praeter unum imperatorem, Iovem. Iam ut concedamus aliquantisper — quod profecto non debet concedi, — θεοῖσι κοιρανεῖν, diis imperare, dici potuisse pro deorum imperatore, θεῶν κοιράνῳ, ne sic quidem aliud dicetur illis verbis, nisi deorum imperatorem non esse venditum: quumque addatur statim, ἐλεύθερος γὰρ οὔτις ἐστὶ πλὴν Διός, videbitur Aeschylus liberum dicere quicunque non venierit, qua ratione recusare non poterimus, quin vernas quoque in herili domo natos, aut helotas Spartanorum, quos venum dari a dominis non potuisse constat, aut si qui sub tyrannorum dominatione vivant, hos omnes Aeschylo liberos visos esse statuamus. Porro ceteri dii non simpliciter servire, sed veniisse et pretio mancipati esse dicentur, quod quam absurdum sit, non opus est demonstrare. Nam quod Wieselerus πραθῆναι etiam improprie dici autumat, testemque citat Orestem in Choeph. v. 902 haec dicentem:

διχῶς ἐπράθην ὢν ἐλευθέρου πατρός,

dicitur sane ibi ἐπράθην improprie: sed de eo dicitur, qui reapse non servus sed liber est; Wieselero autem talia exempla afferenda erant, ubi, qui serviret, licet non venditus esset, tamen πραθῆναι diceretur,

qualia neque sunt neque possunt esse. Ceterum quod Orestes illo loco dicit, hoc est, non quidem venditum se esse, sed abalienatum esse a matre lucri causa, quo scilicet ipsa et impunitatem sceleris et regnum cum Aegistho haberet[1]). Et agnoscit hanc lucri significationem Clytaemnestra, cui illud dictum est, quum contra quaerit:

ποῦ δῆθ' ὁ τῖμος, ὅντιν' ἀντεδεξάμην;

indicari sibi illud postulans, quo tanquam pretio abalienati filii potita sit: cui quod ille respondet,

αἰσχύνομαί σοι ταῦτ' ὀνειδίσαι σαφῶς,

testatur hoc quoque verborum superiorum illam quam diximus sententiam fuisse. Itaque similiter etiam nunc nobis quaerere licebit, si *πραθῆναι* dii dicuntur, sive proprio sensu sive improprio, *ποῦ δῆθ' ὁ τῖμος*; poterimusque versum explere in hunc modum: *τίς δὲ καὶ πρατὴρ ἔφυ*; quandoquidem non potest quisquam *πραθῆναι* dici, nisi sit aliquis quasi *πρατήρ*, qui lucrum inde perceperit: qui autem serviunt, *πραθῆναι* ita demum recte dicentur, si pro pretio in servitutem ab alio dati sint, quod quam recte in deos conveniat, supervacaneum est examinare.

Non magis probare possumus alterius loci emendationem v. 265, ubi codicum scriptura haec est:

ἐλαφρὸν, ὅστις πημάτων ἔξω πόδα
ἔχει, παραινεῖν νουθετεῖν τε τοὺς κακῶς
πράσσοντας· ἐγὼ δὲ ταῦτα πάντ' ἠπιστάμην.

Versum tertium corruptum esse metrum arguit: emendandi viae duae iniri possunt, aut ut *τὸν κακῶς πράσσοντ'* scribatur, quemadmodum Stanleius aliique censuerunt, quibus ego assensus sum, quandoquidem non raro numeros nominum aut verborum a librariis permutatos esse constat, aut, si quis tamen pluralem hoc loco servatum velit, ut *ἐγὼ δέ* cum alia quapiam dictione commutetur, qua is qui loquitur — est

1) Similiter Electra loquitur, alio eiusdem fabulae loco, v. 130: *πεπραμένοι γὰρ νῦν γέ πως ἀλώμεθα πρὸς τῆς τεκούσης, ἄνδρα δ' ἀντηλλάξατο Αἴγισθον.* Nam recte ibi *πεπραμένοι* pro *πεπραγμένοι* scriptum esse vix dubitari potest. Abalienatos se et Orestem a matre queritur, ut frueretur haec adulteri matrimonio. — Ceterum alio genere translationis *πραθῆναι*, ut *ἐμποληθῆναι* et *πωληθῆναι*, non raro dicuntur ii, qui fraude circumventi et decepti sunt, quos nos quoque vernacule loquentes *verrathen und verkauft* dicimus, similiterque Latini, ut est apud Plautum, cum ioculari imaginis amplificatione, Bacch. IV, 7, 16: O stulte stulte, nescis nunc venire te, atque in eo ipso astas lapide, ubi praeco praedicat. De Graecis vid. Intt. ad Aristoph. Ach. v. 382 et Brunck. ad S. Phil. v. 966.

autem Prometheus — semet ipse significet, in cuius dictionis locum illud *ἐγὼ δέ* tanquam glossema quoddam irrepsisse statuatur. Hoc Reisigio itemque Wieselero placuit, quorum alter *αὐτός*, alter autem
6 *ὅδε δέ* ab Aeschylo scriptum fuisse suspicatur. Nobis si horum alterutrum optandum sit, utrum praestet, plane non dubitari posse videtur. Nam quum opponat Prometheus chori praeceptis suam ipsius intelligentiam, suaque se sponte compertum habere dicat quod ille se docere voluerit, in tali oppositione quam apte *αὐτός* pronomine uti potuerit, quilibet intelligit. Neque additam pronomini etiam adversativam coniunctionem requiremus, quandoquidem, quae ita manifesto inter se opposita sunt, isto coniunctionis adminiculo haudquaquam egere videntur. Itaque nulla alteri coniecturae *ὅδε δὲ* commendatio ex addita coniunctione accedet: ipsum vero pronomen *ὅδε* non poterit non longe quam *αὐτός* deterius iudicari. Etsi enim *ὅδε* non raro etiam de prima persona dicitur, ut significetur eo is a semet ipse qui loquitur, vis tamen eius non haec est, ut is ipse alteri, solus aut sua sponte aliquid agens aliis vel hortantibus vel admonentibus vel aliquo modo ad eum pertinentibus opponatur, quemadmodum fit in pronomine *αὐτός*, sed est illa demonstratio mere localis, qua etiamsi possit, qui ita demonstratur, aliis quodammodo etiam opponi videri, non aliter tamen opponitur, nisi quatenus hoc loco, non alibi est, ut rectius discretionem hanc aut determinationem quam oppositionem dicendam esse appareat. Quodsi quis exempla pronominis *ὅδε* ita usurpati consideraverit, facile intelliget, alteri pronomini *αὐτός*, quod veram oppositionem indicat, plane non locum fuisse, veluti apud Euripidem Alcest. v. 752 Monk.: *οὐ γὰρ τῷδ' ἔτ' ἐς ταὐτὸν στέγος νεῖσθε*, h. e. *οὐκ ἐμοί*, non *ἐμοὶ αὐτῷ*, et ibid. v. 1109: *οὐκ ἔστιν ἥτις τῷδε συγκλιθήσεται*, ubi item potuit *ἥτις ἐμοὶ* aut etiam *μοι, συγκλιθήσεται*, sed *ἥτις ἐμοὶ αὐτῷ συγκλιθήσεται* non potuit dici. Et quod apud Aeschylum in prologo Persarum chorus dicit, *τάδε μὲν Περσῶν τῶν οἰχομένων Ἑλλάδ' ἐς αἶαν πιστὰ καλεῖται*, potuit dicere *ἡμεῖς μὲν — πιστοὶ καλούμεθα*, non potuit *ἡμεῖς αὐτοί*. Accedit quod demonstrativum pronomen hoc sensu usurpatum semper etiam gestum quendam loquentis requirere videtur, quo adiuvetur quodammodo demonstratio: qualis gestus quam sit a vincti Promethei conditione alienus, non opus est exponere.

Longa illa de Atlante et Typhone oratio, quae legitur a v. 348 usque ad v. 377, utrum Promethei an Oceani sit, dissentiunt inter-

pretes. Wieselerus mediam quandam viam ingreditur, ut partem huius orationis, usque ad v. 368, Oceano tribuat, reliqua Prometheo, illius sermonem interpellanti et continuanti. Et priorem quidem partem ut Oceano tribuat, Reisigii se rationibus permoveri dicit, quibus quae a me opposita sunt p. 295, 6, nolo nunc repetere: reliquam autem orationem, inde a verbis *ἔνθεν ἐκραγήσονταί ποτε*, Prometheo assignat duabus de causis: primum, quia vaticinium de futuro Aetnae incendio melius huic quam alteri conveniat, deinde quod commemoratio illa Typhonis, qui quamvis fulmine ictus saevire tamen non de- 7
sinat, ad consilium Oceani Prometheum flectere cupientis parum accommodata sit. Possum equidem haec accipere, quoniam mihi quoque illa verba, licet non sola, sed una cum omni superiore oratione, Promethei esse videntur: quod autem dispescitur a Wieselero oratio inter duos colloquutores, et Prometheus desubito alterius sermonem interpellare fingitur, praesertim in medio versu, id vero probari nullo modo potest. Quantum enim e superstitibus Aeschyli fabulis iudicare licet, abhorret hoc plane ab huius poetae consuetudine, qui nunquam non integris versibus personarum orationes concludit et exorditur: neque ullum est contrarii generis exemplum, praeter unum Promethei locum v. 982, ubi inchoatur versus Promethei exclamatione *ᾤμοι*, continuatur autem Mercurii verbis, *τόδε Ζεὺς τοὔπος οὐκ ἐπίσταται.* Id cur hoc loco ita Aeschylus instituerit, potest fortasse ratio haud improbabilis afferri:[2]) quamquam non repugnabo equidem, si quis erratum a librariis esse suspicetur, locumque ita refingat, ut primum *ᾤμοι* Prometheus exclamet extra versum, ac deinceps Mercurius repetita eadem exclamatione versum integrum pronuntiet. Et hanc rationem Lachmanno, viro intelligentissimo, placuisse memini[3]). Verum utut de hoc loco statuitur, in alterum illum locum rem adeo insolitam contra omnes codices inutili coniectura invehere, id, opinor, criticis

non di, non homines, non concessere columnae.

In eadem oratione versum 354

Τυφῶνα θοῦρον, πᾶσιν ὃς ἀντέστη θεοῖς, -

corruptum esse satis constat. Wieselerus *πάλιν* pro *πᾶσιν* scribi iubet, idque referri vult ad pugnam Atlantis contra deos, quo devicto Typhon rursus bellum iis intulerit. Sed dubito ego quidem magno-

2) Cf. Hermann. epit. doctr. metr. p. 276.
3) De chor. syst. p. 124.

pere, licueritne ita πάλιν dici de repetito certamine alterius, quum neque socius huius certaminis Typhon fuerit, neque hoc ipsum in superioribus memoratum sit.

Versu 471 pro vulgata lectione ὥς τις Wieselerus pronomen relativum ὅστις, in aliquot codicibus inventum, restitui, omnemque locum in hunc modum scribi et interpungi vult:

Πέπονθας αἰκὲς πῆμ᾽, ἀποσφαλεὶς φρενῶν·
πλανᾷ κακὸς δ᾽ἰατρὸς, ὅστις ἐς νόσον
πεσὼν ἀθυμεῖ —.

Scilicet in vulgata scriptura, quum ὥς τις legitur et post πλανᾷ interpungitur, utcunque verba construuntur, semper orationem habemus ἀσύνδετον, quum nulla intercedat inter haec duo verba, πέπονθας et πλανᾷ, coniunctio. Huic igitur malo Wieselerus occurrens alterum
8 verbum, πλανᾷ, in unum cum nominibus κακὸς δ᾽ἰατρός membrum conflari vult, ut sic etiam δέ coniunctio, nominibus his interposita, ad verbum illud pertineat, idque ita cum superiore membro nectatur. Sententiam autem eandem esse, ac si dictum sit, πλανᾷ δὲ ὥς κακὸς ἰατρός, quod ut comprobet, ad Schneideri ad hunc locum annotationem provocat. Nempe docet ibi Schneiderus id quod nemo facile in dubium vocaverit, δέ coniunctionem etiam ab Aeschylo nonnunquam secundo, non primo vocabulo postponi, eiusque rei aliquot exempla commemorat. Atqui exempla huius nostri similia neque citavit, neque potuit, opinor, citare. Scilicet haec verba, κακὸς ἰατρός, pro appositione habenda erunt ad id subiectum, quod est verbi πλανᾷ, eiusque appositionis vis erit comparativa, ut saepe alibi. Iam vero in tali orationis conformatione, quum postposita sit verbo appositio, non potuit coniunctio, a verbo seiuncta, mediae appositioni inseri, sed debuit necessario inter verbum et appositionem collocari, πλανᾷ δὲ κακὸς ἰατρός: si anteposita esset appositio, potuit coniunctio vel secundo loco poni, ut insereretur appositioni, κακὸς δ᾽ ἰατρὸς πλανᾷ, vel etiam tertio loco: κακὸς ἰατρὸς δὲ πλανᾷ, sed πλανᾷ κακὸς δ᾽ ἰατρός absonum est, neque quisquam unquam sic loquitur. — Quid autem faciemus isto ἀσυνδέτῳ, erepta nobis hac medicina? Tolerabimus, censeo, aut, si opus fuerit, tuebimur similibus exemplis haud adeo difficilibus inventu. Nam est sane nihil hoc genere frequentius, ubi quis, quod primum universe proposuit, statim quale sit disertius eloquitur, ut nostro loco chorus, postquam universe Prometheum turpi malo laborare dixit, hoc iam quale sit exponit his verbis,

ἀποσφαλεὶς φρενῶν πλανᾷ et sequentibus. Sexcenta id genus, si quis hoc agat, invenire nullo negotio poterit: ego nunc tribus defungar exemplis Homericis, quae obiter quaerenti prima se obtulerunt. Il. II, 217: *αἴσχιστος γὰρ ἀνὴρ ὑπὸ Ἴλιον ἦλθεν· φολκὸς ἔην, χωλὸς δ' ἕτερον πόδα κτλ.* Deformitas Thersitae, primum universe commemorata, statim per partes describitur. XXIV, 680: *Λητοῖ ἰσάσκετο καλλιπαρῄῳ· φῆ δοιὼ τεκέειν, ἡ δ' αὐτὴ γείνατο πολλούς.* Od. IV, 445: *ἀλλ' αὐτὴ ἐσάωσε καὶ ἐφράσατο μέγ' ὄνειαρ· ἀμβροσίην ὑπὸ ῥῖνα ἑκάστῳ θῆκε φέρουσα.*

In verbis Promethei quae leguntur v. 509, 10:

οὐ ταῦτα ταύτῃ Μοῖρα πω τελεσφόρος
κρᾶναι πέπρωται,

recte Wieselerus *Μοῖραν* non sortem sed Parcam h. e. divam personam esse agnoscit: quod autem rescribi vult, *Μοῖρ' ὅπως τελεσφόρος κράνῃ*, videtur nobis sententiam loci corrumpere. Dicet enim ita Prometheus, nondum haec sic esse fato constituta, ut a Parca perficiantur, habebimusque Parcam fatalia decreta exsequentem, diversam itaque a Fato eique parentem, qualem vereor ut Prometheus agnoscat, 9
qui quum *Μοίρας* dicat *τῆς ἀνάγκης οἰακοστρόφους* (v. 512, 13) non ministras has alienae cuiusdam potestatis, sed summas rerum moderatrices a se haberi significat, omnium eventuum necessariam seriem ipsas praefinientes et gubernantes.

In Mercurii verbis, v. 1015,

αὐθαδία γὰρ τῷ φρονοῦντι μὴ καλῶς
αὐτὴ καθ' αὑτὴν οὐδενὸς μεῖζον σθένει,

quum sint qui *μεῖον* pro *μεῖζον* scribendum censeant, recte ab his Wieselerus dissentit: ipse autem in fine versus secundi interrogationis signum poni vult, quod qua ratione fieri possit, non perspicio. Nam interrogare Mercurius non potuit nisi aut hoc modo: numquid est, quo plus polleat contumacia? — in qua interrogatione indefinitum pronomen ponendum fuisse apparet, *μῶν τινος μεῖζον σθένει;* — aut hoc: quidnam est, quo plus polleat contumacia? ut pronomen poneret interrogativum: *τίνος ἔχει μεῖζον σθένος;* Qui autem sic interrogat: nullane re plus pollet contumacia? is significat, hoc, quod est in hac interrogatione positum, sibi non ita se habere videri, h. e. non videri sibi nihil esse, quo plus contumacia polleat, sed esse potius aliquid eiusmodi: quae sententia quam aliena sit a Mercurii persona, quis non intelliget? Vult enim profecto nihi

eiusmodi esse, et hoc ipsum planissime eloquitur in vulgata lectione: *αὐθαδία οὐδενὸς* (aut *οὐδ' ἑνὸς*) *μεῖζον σθένει*: contumacia non ulla re plus pollet, h. e. nihil contumacia sola per se, absque prudentia, vincere et superare potest[4]).

Restant aliquot loci a me, qui eos sanos esse iudicarem, silentio praetermissi, a Wieselero autem supervacaneis coniecturis attentati, idque tanta cum levitate, ut in plerisque ne causas quidem, cur vulgatam lectionem mutatam vellet, exponere conatus sit. Veluti versu 258, ubi interroganti choro

οὐδ' ἔστιν ἄθλου τέρμα σοι προκείμενον;

Prometheus respondet:

οὐκ ἄλλο γ' οὐδέν, πλὴν ὅταν κείνῳ δοκῇ.

displicere sibi ostendit *γέ* particulum, cuius rationem Hartungus in doctr. part. I, pag. 392 reddere studuerit: cur autem displiceat et quid ab Hartungo erratum esse censeat, non dicit. Ipse hanc proponit emendationem:

οὐκ ἄλλοτ' οὐδέν, πλὴν ὅταν κείνῳ δοκῇ,

licetque suspicari, huius prae vulgata lectione praestantiam adeo ei manifestam visam esse, ut omni demonstratione supersederi posset. Nos hanc praestantiam, qualis sit, non perspicimus. Nam id quidem non credimus, concinnitatis cuiusdam amore eum permotum esse, ut adverbio temporis relativo, *ὅταν*, alterum item adverbium temporis, *ἄλλοτε*, responderet. Nimis enim hoc puerile est. Ceterum *γέ* particula hoc loco plane ex vulgatissimo omnium scriptorum usu posita est in ea responsione, qua quis id ipsum, quod alter interrogaverit, ita esse affirmat, simulque aliquid insuper addit. Res est notissima diuque ante Hartungum a multis observata: et extant eius in hac ipsa fabula aliquot exempla, velut v. 253. 4, 515, 747, 769, 775.

Item v. 436 sqq. vulgatam lectionem

βοᾷ δὲ πόντιος κλυδὼν
ξυμπιτνῶν, στένει βυθός,
κελαινὸς δ' Ἄϊδος ὑποβρέμει μυχὸς γᾶς.

refingi vult in hunc modum, ut pro *βυθός* rescribatur *βαθύς*, pertinens scilicet eodem quo *κελαινός*, ad *μύχος*, comma autem post

4) Similia quaedam exempla contulit nuper Sauppius ad Plat. Protag. p. 324 D.

ξυμπιτνῶν deleatur ponaturque post στένει, de quo se ambigere dicit, sitne pro dativo accipiendum, ut dicatur marinus fluctus cum gemitu collidi, an pro verbo, ut dicatur scilicet fluctus marinus boare collisus gemere, quale asyndeton iure mireris ei in mentem venire potuisse, qui aliud, idque plane usitatissimum, v. 471, tolerare nequiverit. Sed magis mireris vulgatam lectionem cuiquam displicuisse. Nimirum quum in Robortelli editione βαθύς scriptum sit, manifesto typographi errore, in Mediceo autem codice, si minus hoc ipsum βαθύς, at certe βάθος, hoc satis causae fuit ad excogitandam istam emendationem.

Versu 852 Prometheus Ioni Apidis in Aegypto partum praedicens haec ait:

ἐνταῦθα δή σε Ζεὺς τίθησιν ἔμφρονα,
ἐπαφῶν ἀταρβεῖ χειρὶ καὶ θιγὼν μόνον.
ἐπώνυμον δὲ τῶν Διὸς γεννημάτων
τέξεις κελαινὸν Ἔπαφον.

Γεννήματα Wellauerus, Wunderlichius aliique multi ipsam illam contrectationem, versu superiore memoratam, dici statuerunt. Id Wieselerus improbat propterea quod „ita nimis abrupte et obscure loquutus esset poeta." Rescribendum igitur suadet, ἐπώνυμον δὲ τῶν Διὸς γέννημ᾽ ἀφῶν. Nimirum debebat Prometheus vaticinans omnia quam planissime et disertissime exponere, et hoc ipsum perspicuis verbis declarare, non de concubitu cogitandum esse, sed de contrectatione tantum: et si forte Io iam ex concubitu Iovis gravida esset, cavendum Prometheo erat, ne responderet sibi illa, filium suum Epaphum, utpote
ab ἐπαφῇ dictum, non recte nunc γεννημάτων ἐπώνυμον dici: nam 11
γεννήματα quidem iam alio modo peracta, contrectationem autem illam nihil nisi quandam obstetricationem futuram esse.

Superest unus locus, de quo disputandum sit, in prologi initio, v. 6, ubi quum vulgo nunc ea scriptura recepta sit, quam vetus Aristophanis interpres ad Ran. v. 827 servavit,

ἀδαμαντίνων δεσμῶν ἐν ἀῤῥήκτοις πέδαις,

Wieselerus codicum Aeschyleorum auctoritatem maiorem ratus hunc versum reponi vult,

ἀδαμαντίναις πέδαις ἐν ἀῤῥήκτοις πέτραις.

Nempe hoc ipsum in Robortelli editione legitur: codices autem, quotquot collati sunt, omnes in ἀῤῥήκτοις πέτραις conspirant, suntque etiam qui ἐν praepositionem addant, itemque in omnibus ἀδαμαντι-

νοις aut ἀδαμαντίναις, et πέδαισιν aut πέδῃσιν extat. „Quivis unus", inquit Wieselerus, „qui accurate pensitaverit, quantopere codicum lectiones consentiant et ab ea, quae a scholiasta Aristophanis tradita est, discrepent, illi codicum consensui plus tribuendum censebit, quam scholiastae." Mihi contra, quo quis accuratius illum consensum consideraverit causamque eius reputaverit, eo minus ei tributurus videtur. Constat enim omnes illos codices ex uno exemplo originem habere, quod exemplum quum alius alio fidelius repraesentet, poterunt hinc inter se comparati alii aliis meliores aut deteriores dici, consensus autem omnium nihil aliud probabit, quam veteris illius exempli lectionem. Haec igitur quum opposita sit alteri lectioni, ab Aristophanis interprete servatae, non multorum nobis testimonia audire videbimur uni opposita, sed singulos utrimque testes esse censebimus, quorum utri fidem adiungamus, non aliunde nisi aut ex ipsorum auctoritate aut ex rei, quam testantur, natura ac probabilitate diiudicandum sit. Et de auctoritate quidem hoc unum nunc dicere possumus, nihil causae esse, cur illum Aristophanei scholiastae codicem, cuius praeter hoc unum specimen nihil nobis innotuit, non meliorem aut adeo deteriorem isto fuisse iudicemus, unde nostri codices fluxerunt, quem quidem non optimum fuisse multis argumentis colligitur. Rem autem ipsam per se contemplanti, non poterit dubium videri, utra lectio probabilior sit. Nam quod Wieselerus hanc quam scholiastes habet lectionem coniectori alicui deberi, non ex integriore libro servatam esse iudicat, nulla ratione facit. Quid enim in coniectoris illius libro scriptum fuisse credit, quod ille corrigendum putaverit? Hocine, quod nostri codices habent? Parum credibilis erit tanta corrigendi audacia. An illud, quod Wieselerus verum iudicat? Negabit ipse, corrigendi causam fuisse. Quamquam nos qui-
12 dem aliter iudicamus; et si vere hoc inventum in illo libro fuisset, tolerari non debuisse contendimus. Quis enim talem versum, non dicam Aeschylo, sed quolibet de trivio poeta dignum iudicet, ἀδαμαντίναις πέδαις, ἐν ἀῤῥήκτοις πέτραις, duabus partibus aequalibus in homoeoteleuta desinentibus? Aut quis ab Aeschylo uni verbo ὀχμάσαι in uno orationis membro, uno structurae tenore, haec duo πρὸς πέτραις et ἐν πέτραις adiungi potuisse credet?

τόνδε πρὸς πέτραις
ὑψηλοκρήμνοις τὸν λεωργὸν ὀχμάσαι
ἀδαμαντίναις πέδαις ἐν ἀῤῥήκτοις πέτραις.

Et hoc πρὸς πέτραις ὀχμάσαι ἐν πέτραις, ad rupes affigere in rupibus, significabit Wieselero interprete: ad rupes ita affigere alterum, ut is simul etiam inclusus in rupibus h. e. in aliquo hiatu rupium lateat! — Talia si aut non assequutus aut abominatus aliquis ad coniecturam quamvis audacem confugisset, summopere laudaremus. Sed nequaquam tamen scholiastae illius lectionem ex huiusmodi coniectura ortam esse censemus: impressam enim habet certissimam veritatis notam, estque haud dubie ex incorrupto quodam fabulae Aeschyleae exemplo prompta: haec contra, quae in nostris codicibus leguntur, inepte excogitata sunt ad explendam depravati codicis scripturam. Nam primum ἐν ἀῤῥήκτοις πέτραις, pro πέδαις, scriptum erat, errore proclivi, et in Wellaueri etiam annotatione ad h. l. commisso: deinde media versus pars aliquo casu oblitterata, ut legi non possent nisi haec: ἀδαμαντίν — — ἐν ἀῤῥήκτοις πέτραις: denique in margine adscriptum πέδαις, quo scilicet illud πέτραις corrigeretur. Hoc postea corrector male abusus est ad explendam lacunam, et hine nostrorum codicum lectiones ortae sunt. — Quae autem protulit praeterea Wieselerus ad emendationem scilicet suam comprobandam: „videri Prometheum in aliquo rupis hiatu positum fuisse ita, ut pars tantum corporis promineret et in conspectum veniret, eamque sententiam egregie quadrare ad id, quod pluribus de causis pro certo sumi possit, Promethei imaginem quandam ligneam oculis eorum, qui spectarent, subiectam fuisse: posse enim statui, hanc imaginem ita comparatam fuisse, ut sola anterior pars exhibita esset, ut is, qui Prometheum agebat, non in ea, sed pone eam in hiatu rupis versaretur," haec nunc accuratius examinare non libet: et cur ligneum illud simulacrum, de quo illi non dubitandum videtur, mihi parum placeret, dixi in prolegomenis editionis meae p. 85. 86. Hoc tamen non gravabor profiteri, si fuerit tale simulacrum, malle me id in rupis hiatu magna ex parte delitescens, quam totum in theatri conspectu positum cogitari, ne scilicet ligneus ille Prometheus nimis cito aut taedium aut risum populo moveret. — Sed admonet me haec res alius cuiusdam Promethei, non lignei quidem, sed picti in vase fictili, itemque in hiatu 13
quodam pube tenus delitescentis, quem a Scrofanio, Italo archaeologo, acceptum nuper Geppertus, popularis noster, spectandum nobis proposuit in libro de antiquo Graecorum theatro, Lipsiae a. 1843 edito. Vereor tamen equidem magnopere, ne hic quoque Prometheus explodendus sit. Hominem enim pictum videmus adolescentem et im-

berbem, qua specie unquam Prometheum propositum esse parum credibile est. Is prominet dimidia fere sui parte e strue quadam lapidum, rudium quidem illorum, sed ordine tamen compositorum, ut esse solent in aedificiis, quae cyclopia dicuntur, nisi quod in hac pictura lapides satis parvi sunt, maximique eorum, si ad hominis mensuram comparentur, vix capitis modum excedunt, minimi, quantos facile manus totos comprehendat: universa autem species muri est aut imperfecti aut diruti, quali specie rupem, in qua Prometheus vinctus fuit, repraesentare nemo profecto potuit. Denique advolat ad hominem serpens alatus: quem pro aquila, Promethei corpus laniatura, a pictore substitutum esse aut potuisse substitui nunquam nobis persuadebitur. — Necesse est igitur aliud esse huius picturae argumentum: quodnam sit, non quidem pudeat me nescire, neque tamen, quid mihi videatur, dicere verecundabor, quum praesertim Iahnius noster, archaeologus peritissimus, idem sibi dudum visum esse significaverit, in Palamede p. 44, simulque eorum me admonuerit, quae in eandem sententiam a viro illustrissimo, duce de Luynes, scripta sunt in Annalibus inst. archaeol. tom. I, pag. 407 sqq. Videor igitur mihi hominem agnoscere in cavernam Trophonii descendentem; eamque sententiam etiam contra Welckeri disputationem, in Diurnis antiquariis a. 1838, p. 219, facile defendi posse arbitror. Nam quod is Palamedem repraesentari credit lapidibus obrutum, vix minus incredibile est, quam illud de Prometheo. Primum enim in lapidatione, quum lapides a magna multitudine coniiciuntur, hos nemo credet ita cadere posse, ut in muri diligenter constructi formam coeant, eum autem, in quem coniecti sunt, erectum stare, dum lapides ad pubem usque accumulantur et post eum adeo in altum exsurgunt, ut supra ipsius caput emineant, quemadmodum in hac pictura factum videmus. Non igitur intelligo, qui potuerit Welckerus ad ipsum adspectum provocare, qui mihi quidem omnem lapidationis cogitationem excludere et procul arcere videtur. Quod autem introitum in cavernam Trophonii repraesentari negat, non sane ostii instar videmus, patulo vel aditu vel descensu: sed ad Trophonii cavernam descensum fuisse legimus per foramen angustissimum, quo quum is qui descensurus erat pedes immisisset, subito occulta quadam vi intus abriperetur: idque foramen fuisse in latere specus cuiusdam non natura
14 sed arte facti, cuius circuitum probabile est lapidibus exstructum

fuisse in hunc modum, quem pictura repraesentat [5]). Et quod non omnem hunc circuitum depictum videmus, sed partem tantum eius cum ipso illo foramine atque homine intus collocato: necessario hoc ita pictor instituit, quandoquidem, si totum circuitum pinxisset, hominem necesse fuisset abscondi nec potuisse conspici. Fecit igitur, quod maxime consentaneum erat, ut muri imperfecti speciem repraesentaret, eumque ex altera parte humiliorem, quo propius draconem, ex hac parte advolantem, homini admovere posset. Hunc autem draconem ne nos quidem pro uno eorum accipimus, qui in caverna Trophonii esse dicebantur, quos quidem Welckerus recte negat alatos pingi potuisse: sed nihil obstat, quominus Agathodaemonem significari credamus, in cuius aede, qui oraculum consulebant, aliquamdiu morabantur. Is igitur nunc adest descendenti propitius, opinor, et opem laturus. Proxime Agathodaemonem ad dextram caduceus est, mercuriale signum, quo nihil aliud a pictore significatum coniicio, quam Trophonium, oraculi dominum. Quippe fuerunt qui ipsum Trophonium pro Mercurio haberent, uno de quinque, in quos huius numen a philosophantibus mythologis dispertitum est. — Denique litteras *ΑΓΔ*, paullo longius ad dextram positas quilibet, opinor, malet de Agamedis nomine interpretari, quam cum Welckero, de Palamedis, ut prima littera *Π* deleta, *Δ* autem cum *Γ* permutata esse statuatur, quum praesertim ipse Welckerus huic se coniecturae non multum tribuere professus sit. Quae autem ab hoc causae proferuntur, quominus Agamedes significari credatur, hae mihi, si fas est litteratori contra archaeologum de huiusmodi artis arcanis dicere, inanes esse videntur. Aut ipsum Agamedem, aut rem aliquam ad Agamedem pertinentem; velut aram, non autem litteras initiales pingi debuisse contendit. Ipsum Agamedem cur noluerit pictor pingere, mihi satis manifestum videtur: aram qui postulat, demonstrare ante omnia debebit, fuisse aram Agamedi consecratam. Nam Pausanias quidem huic ab iis, qui in cavernam descensuri essent, arietem non ad aram, sed *εἰς βόθρον* sacrificatum esse scribit. De alia denique re quacunque ad Agamedem

---

5) Veram oraculi faciem talem fuisse, qualem pictor repraesentavit, nemo credet. Nam illam sic extra conspici non potuisse manifestum est. Usus igitur est libertate pictoribus concessa, ut quae abscondita essent quodammodo tamen significaret. Ceterum de vera oraculi facie subtilissime a Wieselero disputatum est: Das Orakel des Trophonios. Goetting. 1848.

pertinente, qua is melius quam primis litteris nominis significari potuisset aut debuisset, tum demum disputari poterit, si qualis haec res sit, fuerit demonstratum. — Itaque mihi quidem nihil obstare videtur, quominus id quod dixi argumentum huius picturae esse statuatur, neque in iis, quae in reliquis vasis partibus picta sunt, quidquam esse arbitror, quod huic interpretationi adversetur, etiamsi de singulis, quid sibi velint et quo pertineant, non potest certo demonstrari. Sed quemadmodum in philologicis ita etiam in archaeologicis multa esse puto, quae satius sit nescire, quam inanibus coniecturis operam ludere.

Scribebam Gryphiswaldiae mense Martio ann. MDCCCXLIV.

VINDICIAE IOVIS AESCHYLEI.

Quae tribus abhinc annis de Aeschyli Prometheo commentatus 3
sum, facile iis quidem omnibus probatum iri sperabam, qui libero necdum occupato diversis opinionibus animo disputationis meae viam attente persequi rationumque momenta ex aequo ponderare vellent ac possent; qui autem iam antea de fabulae illius argumento et consilio aliter secum statuissent, hos praevidebam profitebarque paullo aegrius mihi assensuros esse, non quo eos omnes veritatis minus amantes esse crederem, sed quoniam, quum semel aliquid pro vero amplexi sumus, ipse noster veritatis amor impedimento esse potest, quominus veriora, sed iis, quae adhuc vera nobis visa sunt, dissimilia aequo animo accipiamus. Idque tanto facilius accidere etiam optimo cuique solet, quo magis nova et ab iis, quae ipse sibi persuaserat, abhorrentia proferri videt, hoc praesertim tempore, quo multi nimio quodam novitatis studio abrepti levissima saepe commenta fidenter temere iactitant, nec desunt etiam, qui non tam quod ipsis persuasum sit, quam quod gratum aut vulgo aut potentioribus fore existiment, prae se ferre videantur. Hanc ob causam non miratus sum, in iis, qui meae de Aeschylo disputationi obloquerentur, etiam Godofredum Hermannum extitisse [1]), virum optimum veritatisque amantissimum, sed qui quum aliter dudum de Aeschyli tragoedia iudicaverit, tum iudicio suo non sine causa plurimum confidere solitus sit, nec facile concedat dissentientibus, me autem meosque mores ignoret, ut licuerit fortasse dubitare, id quod initio dissertationis suae significat, ex animone an consultius ratus ista scripserim. Is est Hermannus, cui me convictum

1) In dissertatione de Prometheo Aeschyleo Lips. a. 1845. edita.

manus dare haud puderet; is autem ego sum, qui auctoritate non facilius quam gratia movear, veritati omnium libentissime concedam. Itaque si vera Hermannum contra me disputasse viderem, publice me victum confiteri non sane cunctarer: nunc autem, quum re identidem
4 considerata non labefactatum meum de Aeschylo iudicium sed confirmatum sit, officii mei esse arbitror, ut causam semel susceptam tuear, neque alios in errorem induci talis viri auctoritate patiar.

Concedit Hermannus p. 4 verum esse, quod ego dixi, non debere tragoediam pugnare cum religione populari nec quae sancta et venerabilia sint, privare illa sanctitate atque in contemptum adducere; reprehendit tamen quod addiderim, non magis licere poetae tragico Iovem ut odio dignum tyrannum fingere, quam statuario in templo signum Iovis forma satyri aut vultu malevoli daemonis ponere: non enim comparari inter se ista posse, quia nec ridiculi quidquam in Aeschylei Iovis persona, ut in satyro, nec tetri, ut in malevolo daemone, inveniatur. Quasi vero ego dixerim Iovem in Aeschyli fabula aut mihi aut aliis ridiculum ad instar satyri aut tetrum ad instar mali daemonis visum esse. Hoc dixi, Iovem illum permultis saevum, ingratum, iniustum odioque dignum visum esse, — et fuerunt adeo, qui eum cum Satana compararent; — talem autem Iovem proponere non magis licuisse, quam aut ridiculum aut tetrum; nam pariter utrumvis religioni contrarium esse. Id autem cur Hermannus nec recte et cupidius iudicatum diceret, nulla profecto causa erat[2]). Reprehendit porro Hermannus quod eodem loco a me scriptum est, non posse ab Aeschylo maximae temeritatis culpam averti, si in summo deorum exemplum proposuisset morum pravitatis, idque ait documento esse, aliter me de animo Iovis quam Aeschylum sentire, qui non putaverit se aliquid de maiestate Iovis detrahere. Possit haec facile aliquis in eam partem interpretari, quasi Hermannus pravitatem morum non alienam a maiestate Iovis Aeschylo visam esse censeat; sed quum statim addat, ne videri quidem pravos Iovis mores Aechylum voluisse,

---

2) Ne quis forte credat me ambigue saltem loquutum esse, ut errari facile de sententia mea potuerit, adscribam ipsa verba, quibus p. 13 usus sum: „*Was dem frommen Gemüthe ehrwürdig und heilig ist, das darf sie (die Tragödie) auf der Bühne nicht herabwürdigen, und dem Dichter war es eben so wenig erlaubt, hier den Zeus als einen hassenswürdigen Tyrannen darzustellen, als es dem Bildhauer erlaubt gewesen sein würde, im Tempel der Statue des Zeus eine Satyrgestalt oder das Antlitz eines boshaften Koboldes zu geben.*“

ostendit se plane mecum sentire, et utrique nostrum pravum Iovem salva maiestate ab Aeschylo proponi non potuisse videri. Cur igitur me reprehendit? Propterea scilicet, quod ego in Prometheo pravos Iovis mores non quidem esse, sed videri tamen dixi, idque Aeschylum voluisse: ille contra ne videri quidem tales, aut, si videantur, noluisse tamen hoc Aeschylum contendit. Id vero fieri non potuit, nisi aut malus poeta ille fuit, aut aliter atque nos de bonitate et pravitate morum iudicavit. Tam malum poetam fuisse, ut, quod noluerit, invitus tamen commiserit, nemo facile credet: restat igitur alterum, apparetque, Hermanno non illud dicendum fuisse, aliter me de animo Iovis, sed hoc potius, aliter me de morum pravitate sentire, atque Aeschylus sentiat aut sentire ipsi videatur. Sed hoc quale sit, mox accuratius videbimus: nunc considerandum est, quam ob causam Aeschylum ne videri quidem in hac fabula pravos Iovis mores voluisse contendat. „Non tulissent hoc", inquit, „aequo animo spectatores, nescientes in ea demum quae sequutura esset tragoedia Iovem qualis 5
re vera esset apparitutum [3])." Atqui hoc certe non nesciebant, sequuturam esse tragoediam, quae exitum certaminis reconciliatumque cum Iove Prometheum exhiberet, et spectaverant paullo ante aliam, in qua certaminis illius causa atque origo proposita erat. Nam trilogiam hanc igniferi, vincti et soluti Promethei nunc etiam Hermannus agnoscit. Itaque quum negat laturos spectatores fuisse talem sibi Iovem propositum, cuius mores summae pravitatis speciem haberent, quid aliud quam homines sibi fingit perquam imperitos, qui partem tanquam partem, non tanquam totum, aestimare nequiverint, ideoque, si quid esset in parte, quod per se solum displicere merito posset, non tulerint hoc propterea, quod exitum, licet mox cognitum iri scirent, atque etiam qualis futurus esset, facile suspicari possent, tamen quis esset futurus, nondum plane cernerent? Ego contra longe probabi-

3) Praeivit haec Iulius Caesar, vir doctissimus pariter et acutissimus, in censura libri mei Diurnis antiquariis inserta, ann. 1845 p. 329, illud maxime urgens, quod dixi p. 10, voluisse Aeschylum hac tragoedia animos spectatorum ita affici, ut saevum Iovem et crudelem sibi proponi crederent. Non quidem immerito Caesarem Hermannus circumspecte considerateque adversus me disputasse dicit: verum tamen ita disputavit, ut maiore etiam circumspectione et consideratione adhibita facile redargui posse videatur, id quod ego facere conatus sum in epistola ad ipsum Caesarem scripta, et ab hoc in Diurnis antiquariis ann. 1846 publicata, quam etiam his vindiciis nunc adiiciendam putavi.

lius arbitror, Aeschyli spectatores, quum unam, et mediam quidem trilogiae fabulam spectarent, satis prudentes fuisse, ut quem ad finem omnis res tenderet expectandum partemque ex toto iudicandam esse recordarentur, praesertim praeparatis iam prima fabula animis, id quod, etiamsi factum esse in hac trilogia demonstrari nequit, potuisse tamen fieri apparet. Itaque ista, quam Hermannus attulit, causa obstare Aeschylo non potuit, quominus hanc quidem partem trilogiae ita componeret, ut, si quis eam solam intueretur, non posset non saevum Iovem et importunum, Prometheum autem propter egregia facinora iniusto supplicio affectum credere. Sciebat enim eo magis omnes in exitum intentos fore, quo suum utrique locum restitutum iri expectarent, tantoque altius veritatem in mentes eorum penetraturam, quanto propius errorem ipsi fuissent. Hinc apparet etiam, quod porro Hermannus ex his, quae ipse posuit, manifestum fieri autumat, hodiernas me aut christianas de bonitate et pravitate morum opiniones Aeschylo supposuisse, id ista quidem ratione, qua ne videri quidem pravos Iovis mores Aeschylum voluisse colligit, nequaquam confici posse. Ceterum ego semper veterum opiniones non aliunde quam ex ipsorum monumentis cognoscendas esse statui: Aeschylus autem quid de bonitate aut pravitate morum sentiat, omnia eius carmina tam liquido demonstrant, ut qui mediocriter modo attendat falli hac in re non posse videatur. Atque de humanis quidem moribus ipsum Hermannum hoc mihi concessurum esse arbitror: obloquetur autem de divinis, imprimis de iis, quos Iovi Aeschylus tribuerit. Nam in errorem me inductum esse ait Iovis nomine, cuius non distinxerim duplicem usum. „Significat enim," inquit, „nomen illud nunc unum ex diis, qui supre-
6 mus habetur, nunc omnino divinam naturam, ut in Agamemnonis et Supplicum versibus, a quibus p. 21 profectus videtur Schoemannus. Ipsa id verba docent, *Ζεὺς ὅστις πότ' ἐστιν*. Illis in versibus Aeschylus, ut omnes antiqui, quum universe de deo loquuntur, summa id reverentia facit, aeque ut Christiani perfectissimum et sanctissimum omnisque labis expers numen venerans. Valde ab eo deo diversus est is Iupiter, quem unius ex diis personam sustinentem potentia quidem praevalidum, cetera autem homini similem iisdem quibus humanam naturam affectionibus animi obnoxium cogitabant. Hos non distinguens Schoemannus fieri non potuit, quin pugnare secum Aeschylum crederet, qui quem alibi ut sapientissimum et iustissimum gubernatorem mundi praedicaret, in Prometheo ingratum, iniustum, saevum,

crudelem fecisset. Itaque deum, qualem Christiani colimus, Aeschyli animo obversatum ratus, necessario in eam incidere opinionem debuit, ut ista, quae in Iove vituperanda putaret, re vera non vitia sed furto Promethei provocatam iustam dei iram esse statueret, idque ostensum esse crederet ea tragoedia, quae soluti Promethei nomen gerens illam quam integram habemus sequebatur.“ In hac omni disputatione equidem nihil veri inesse video praeter hoc unum, quod Iovis nomen duobus modis a veteribus usurpatum esse dicit: nam est hoc sane verissimum dudumque ab aliis observatum, ut ignorari a nullo possit, qui modo mediocriter sit in hoc litterarum genere versatus. Fuerunt proinde, qui duos Ioves facerent, unum naturalem, ut ait Lactantius [4]), alterum fabulosum, h. e. unum qualem philosophi cogitarunt, totius mundi aut creatorem aut certe rectorem, cuius perfectissima esset vereque divina natura, alterum qualem poetarum fabulae impiae saepenumero et ridiculae proposuerunt, hominum simillimum nulliusque humanae labis expertem. Aeschyli autem Iupiter quantum distet a summo illo numine, quod Iovis nomine philosophi appellant, ego ipse compluribus libri mei locis indicavi [5]). Nam neque absolutum esse docui neque creatorem mundi, sed generatum diis antiquioribus et certis fati legibus obnoxium et ne erroris quidem immunem, praepotentem quidem, non autem omnipotentem, et in universum ab humanae naturae similitudine, sicut ceteros deos populares, non magnopere abhorrentem, neque igitur labis omnis expertem, siquidem etiam error in labe ponendus est iraeque atque amoris affectus, quibus ille nequaquam caret: verumtamen non insipientem, non impotentem animi, non effrenatum libidine, denique non deteriorem viro bono et probo, sed omnes deos hominesque, sicut potentia et imperio, ita etiam sapientia et virtute longissime superantem [6]). Talem Aeschyli Iovem quum plurimum ab illo vero deo, quem Hermannus in Agamemnonis et Supplicum canticis intelligi vult, tum etiam ab eo diversum esse apparet, quem fabulae vetustae, aut reapse aut specie saltem impiae 7

4) Institt. div. 1, 11, 37. Cf. Cudworth. system. intellect. c. IV. § 14 et 25. Valckenar. diatr. p. 37.

5) Vid. p. 37. 38. 49. 98. 109. 132. 143.

6) Cf. L. Preller in Encyclop. real. a Paulio edita, tom. IV. p. 594, quem mecum consentire tanto magis laetor, quanto maiorem in eo doctrinam et harum praecipue rerum, quae ad mythologiam religionesque pertinent, peritiam omnes agnoscunt.

et ineptae et Aeschyli quidem aetate prudentioribus omnibus summopere improbatae, risu potius aut comtemptu quam cultu et veneratione dignum proponebant. De illo autem Iove Aeschyleo, quamvis esset eo, quem philosophi dicebant, aliquanto inferior, potuerunt tamen profecto ea omnia praedicari, quae Hermannus tantummodo de universa divina natura aut de tali, qualem Christiani colimus, deo accipienda esse opinatur: in quo quantum aberraverit ab Aeschyli mente ipsa illa duo cantica manifestum facient. Nam in Agam. v. 155 sqq. apertissime indicatur, ante Iovem illum, quem chorus tam piis precibus invocat, duos alios fuisse mundi dominos, Uranum primum, *ὅστις πάροιθεν ἦν μέγας*, v. 162, ac deinde Saturnum, *ὃς ἔπειτ' ἔφυ*, v. 165, Iovem autem tertium extitisse, victorem decessoris, *τριακτῆρα*, et propterea *ἐπινικίοις* celebrandum, v. 167; ut iure mireris in re tam manifesta errorem cuiquam obiici potuisse illa formula, qua chorus in invocando utitur, *Ζεὺς ὅστις πότ' ἐστιν*, quae, etiamsi potuerit usurpari de illo Hermanni deo universe dicto, locum tamen habebat etiam in quovis uno de popularium deorum numero, et usurpabatur ab hominibus religiosis, qui nomina deorum ab hominibus tantum imposita esse reputarent, neque sciri posse, acceptane diis et naturae eorum convenientia essent, id quod etiam ipsi chori verba significant, *εἰ τόδ' αὐτῷ φίλον κεκλημένῳ, τοῦτό νιν προσεννέπω.* In Supplicibus autem v. 519 sqq. eundem deum, qui ut *ἄναξ ἀνάκτων, μακάρων μακάρτατος καὶ τελέων τελεώτατον κράτος* invocatur, in eodem cantico chorus progenitorem suum et Ius *ἐφάπτορα*, v. 530, appellat, multisque verbis Ius aerumnas, propter huius ipsius Iovis amorem exantlatas, auxiliumque tandem ab eodem ei latum commemorat v. 566. Hinc apparet, unum ubivis Aeschylo Iovem esse, Saturni et Rheae filium, patris et Titanum victorem, Promethei adversarium, Ius amatorem, eundem denique, quem Prometheus in fabula cognomine maledictis insectatur exitiumque ei minatur ad exemplum eorum, qui ante ipsum regnaverint. Hic idem est, non alius, „de quo illis in versibus Aeschylus summa reverentia loquitur, aeque ut Christiani, perfectissimum et sanctissimum numen venerans.“ Quodsi cui tamen pugnare inter se videntur haec perfectissimi dei veneratio et ista rerum fabulosarum commemoratio, non intercedam equidem, quominus is Aeschylum repugnantia et parum convenientia componere et conciliare non recte conatum esse arguat: duos autem Aeschylo Ioves obtrudere nemo audebit, nisi qui eius in tractandis rebus divinis

rationem parum perspectam habeat. Deos ille omnes, quos populus
publicis religionibus coleret, et esse deos credit et adorandos tanquam
mundi rerumque humanarum praesides et moderatores, alium alio
sapientia, virtute, potentia praestantiorem, honore tamen et reverentia
dignos omnes. Atque hanc reverentiam et religionem non passim
tantummodo inspersis dictis praeclaris, qualia etiam apud Euripidem
multa sunt, hominum animis inculcat, sed est haec omnium eius tra-
goediarum summa, omnisque earum descriptio et compositio huc per-
tinet, non ut infinitam aliquam et absolutam naturam divinam, rerum
omnium effectricem et moderatricem, sed ut hos ipsos deos, quorum
nomina a maioribus tradita acceperat, quorum templa in urbibus con- 8
stituta erant, quos sacris et caerimoniis cives colebant, religiose vene-
randos esse doceret. Huic autem consilio attemperavit etiam fabula-
rum, quas proponeret, delectum et tractationem. Nam profecto
Aeschylus non magis quam quisquam illa aetate, qui paullo supra vul-
gum saperet, tam superstistiosus stulteque credulus fuit, ut quidquid de
deorum rebus gestis vetustae fabulae narrarent, propterea quod anti-
quitus traditum erat et credebatur fortasse ab aniculis, sibi quoque
credendum et pro vero habendum esse statueret; plurima haud dubie
ficta, plane certum et indubitatum fortasse nihil esse iudicabat. Sed
ut tragicus poeta alias ex his fabulis, quas nec deorum maiestate
indignas et populo utiles aut esse aut tractatione sua effici posse
existimaret, asciscebat, alias autem spernebat, easque aut silentio
praetermittebat aut etiam apertis verbis reiiciebat; in quo delectu dis-
sentire fortasse aliquis a summi viri iudicio possit, ipsam autem quam
tenuit rationem agnoscere debemus talem esse, quae ad religionem
omnia et pietatem unice referat, nihilque admittat variandorum et or-
nandorum carminum causa, quod ab illis seiunctum esse et deorum
apud homines venerationi officere posse videatur. Itaque Iovem,
ceterorum deorum longe praestantissimum, etiam ubi traditas de eo
fabulas non spernit, non tamen propterea nihil diversum proponit ab
isto fabuloso, quem sapientiores dudum spernere coeperant, utpote sola
potentia et immortalitate, non vero sapientia et virtute quolibet me-
diocri homine praecellentem: non magis autem absolutissimum et
perfectissimum numen, qualem summum et unum verum deum esse
debere philosophi intellexerunt, sed quasi mixtum utroque et tempe-
ratum, quem, quum ab humanae naturae similitudine non nimis ab-

horreat, venerari tamen et adorare non solum propter potestatem, sed propter sapientiam, iustitiam, bonitatem deceat.

His in universum de Aeschyli Iove praemissis iam de Promethei fabula videndum est. In hac enim pravissimos Iovis mores plerisque visos esse nemo ignorat, neque Hermannus ipse olim aliter iudicavit. Nam crudelissimi tyranni exemplum in eius persona propositum esse dixit, idque apud Graecos offensionem habere potuisse negavit, ut in religionibus, quae totae ex huiusmodi fabulis essent compositae[7]). Tantam igitur vir doctissimus apud Aeschylum eiusque aequales perversitatem religionis fuisse credidit, ut pravis deorum moribus non offenderentur, Iovemque crudelissimum tyrannum aequo animo ferrent. Nunc autem hactenus saltem mutavit iudicium, ut duos Aeschyli Ioves distingui velit, alterum fabulosum, qui salva religione etiam minus reverenter tractari potuerit, alterum perfectissimum et sanctissimum, summa semper cum reverentia memoratum: in Prometheo fabulosum istum proponi, ac ne hunc quidem tam pravum esse, quam plerisque visus sit, modo quis rem non ex hodiernorum theologorum aut ex philosophorum placitis, sed ex Aeschyli et eius aequalium opinionibus aestimare velit. Hoc igitur novum suum iudicium probaturus p. 5 ab
9 exponendo fabulae argumento initium facit. „Quum Titanes," inquit, „inter se deliberarent, utrum Saturnum an Iovem regnare oporteret, Prometheus effecit, ut ereptum Saturno regnum traderetur Iovi: quo ille potitus, Titanibus in Tartarum detrusis, munia singulis diis sua assignavit." Poterat dicere, Prometheum illud a se effectum esse gloriari: nam facilior fieret Iovis defensio, si ille fortasse meritum suum supra verum extulisset; sed mittamus hoc, audiamusque reliqua. „Iovi, quum deletis hominibus aliud novum genus creare vellet, Prometheus miseritus hominum obstitit, subductumque clam ignem cum mortalibus communicavit, quo compotitos artes docuit, quibus ab agresti feritate ad commodae et iucundae vitae cultum eveherentur. Quapropter iratus Iuppiter eum in Scythiae deserto rupi affigit." Ita exposito fabulae argumento, „quid", quaerit, „est in his, quod aut morum pravitatem Iovis arguat, aut probitatem suspectam reddat Promethei? Ingratus, inquit, Iuppiter est erga Prometheum, per quem est regnum adeptus. Prometheo ita videri non est mirum. Num vero, si regnat per Prometheum Iuppiter, propterea ferat adversantem

7) Dissert. de Aesch. Prom. solut. in Opuscc. tom IV. p. 256.

regnanti, nec puniat propter ignem clam surreptum datumque hominibus? Dominator mundi est Iuppiter, pro arbitrio suo cuncta regens, *παρ᾽ ἑαυτῷ τὸ δίκαιον ἔχων*, asper novitate imperii, *ἅπας δὲ τραχὺς ὅστις ἂν νέον κρατῇ*, eoque inexorabilis, *ἀκίχητα γὰρ ἤθεα καὶ κέαρ ἀπαράμυθον ἔχει*: ceterum nec fato maior nec futurorum omnium gnarus. Similia legimus in Eumenidibus v. 620.

τὰ δ᾽ ἄλλ᾽ ἄνω τε καὶ κάτω
στρέφων τίθησιν οὐδέν, ἀσμένῳ μένει [8]).

Eiusmodi ingenium durum quidem est et violentum, sed nihil habet ignaviae, nihil quod indignum aut indecorum sit regi deorum. Severus est: severitas autem, etsi non amatur, tamen per se ne odii quidem caussas habet. Cui traditum est rerum omnium arbitrium, iure suo postulat ut sibi obediatur; iure suo etiam non obedientem punit: quod si Prometheo crudelissimas imponere poenas videbitur, non obliviscendum est immortales esse et qui punit et qui punitur, ut poenis quoque non potuerit Prometheus qualibus inter mortales affici." Sunt sane haec omnia verissima, sed sunt etiam adeo plana et perspicua, ut nihil eorum non sit a me quoque animadversum et expositum. Nam quod ingratus Iupiter Prometheo videatur, non mirum esse, neque id permovere nos posse ut idem iudicemus, monui libri mei p. 30, et in ipsa Aeschyli tragoedia ne eos quidem, qui Promethei supplicium aegre ferant, iniustitiam Iovi exprobrare ostendi p. 31. Durum illum dici et implacabilem adversus eos, qui imperio suo obnitantur; id vero necesse fuisse in novo imperio, quod debuerit contra quemvis rebellem fortiter stabiliri: pro arbitrio suo cuncta regere; sed iniustum illud arbitrium praeter Prometheum atque Io nemini videri: porro nec fato maiorem neque futurorum omnium gnarum, quemadmodum supra dixi p. 6, ita etiam in libro illo exposui. De sola crudelitate poenarum tacui, quippe quae, si non esset a iustitia seiuncta, vix videretur cul- 10
pari in deo contra deum posse; sed non aegre fero etiam huius rei excusationem ab Hermanno non praetermissam. Quid igitur differt inter me atque illum? Nihil profecto, nisi quod ille suum Iovem convenire Aeschyleae tragoediae, ego non convenire iudico. Huius igitur dissensionis causas, quoniam Hermannus aut non animadvertit aut dissimulavit, iam ego aperiam.

8) Ita refinxit Hermannus vulgatam lectionem, *οὐδὲν ἀσθμαίνων μένει*: parum probabiliter, meo quidem iudicio.

Regem nuper imperio potitum de amico, cuius auxilio regnum adeptus sit, propter factum aliquod, generoso quidem animi impetu, sed contra regis imperium commissum poenas repetentem gravissimas, non modo in theatro sed ne in vita quidem magnopere reprehendendum iudicabimus, quod regni firmandi curam potiorem habuerit veteris amicitiae memoria. Verumtamen si factum illud amici saluberrimum patriae fuerit, sitque ille amantior populi, quam rex ipse, consulendumque populo etiam invito rege cum summo suo periculo certaque pernicie statuerit, nonne amabimus, non admirabimur eius animi magnitudinem, non laudabimus, quod regis iram mereri quam deesse populo maluerit, denique, si optare iubeamur, non hunc quam illum regem factum malemus? Atqui talis plane conditio est Iovis et Promethei, si Hermannum audiamus. Regnat quidem Iupiter, sed dignior regno Prometheus est. Nisi forte nihil referre dicamus, quali sit aut rex erga populum aut Iupiter erga homines animo. Nam hoc quidem manifestum est, illum in Prometheo Iovem, in quo Hermannus quidquam tragoedia indignum esse negat, talem esse, quem nemo non victum a Prometheo quam victorem esse maluerit. Odit enim genus humanum, deletum contra fati leges cupit, quumque delere nequeat, a Prometheo impeditus, sortem certe hominum quam miserrimam manere, neque emergere eos ex abiectissima conditione et ad perfectionem naturae suae pervenire, sed brutorum instar omnibus humanae vitae subsidiis carere vult, illumque, qui miseritus hominum ignem iis artesque attulerat vitaeque melioris viam monstraverat, crudelissimo supplicio afficit, immemor veteris beneficii, quo victoria ipsi regnumque ab hoc hominum fautore partum est. Hunc talem Iovem non immerito a quibusdam cum Satana comparatum esse fatebimur. Nam odium certe generis humani in utroque par est, quamvis dispari potentia modisque diversis grassentur. Hermannus autem hunc suum Iovem tragoediae, et Aeschyleae quidem, convenire iudicans quid aliud quam ipse sibi contradicit? quandoquidem professus erat, non debere tragoediam pugnare cum religione populari nec quae sancta et venerabilia essent privare illa sanctitate atque in contemptum aut odium adducere. Nisi forte odium nihil officere venerationi dicamus, religionemque veterum metum tantummodo fuisse odio mixtum. Nam duplicitatem Iovis ne obtendat, et licuisse dicat poetae in altero impium esse salva alterius sanctitate, hoc quidem effugium superiore disputatione ereptum est.

Sequitur ut de Prometheo videamus, quem quidem ego, nostri

aevi sensus christianamque disciplinam adhibens ideo vituperasse dicor
p. 5, quod quas artes hominibus impertivisset, eae omnes non ad
morum probitatem atque animi virtutem, sed ad vitae necessitates et 11
commoditates spectarent, ita ut homines ad solum utilitatis studium
informaverit eoque non de bonitate vitae cogitantes pellexerit ad vitium;
in quo sim p. 54 usque eo progressus, ut Prometheum vel diabolo
aequipararem: quibus relatis exclamat indignabundus:

τλῆμον Προμηθεῦ, τοῦ δίκην πάσχεις τάδε;

Iure indignari virum optimum faterer, si dixissem ego ista omnia, et ita dixissem, ut ab illo relata sunt, neque addidissem etiam alia quaedam, quae ille aut non animadvertit, aut quacunque de causa referre noluit, quamvis magnopere ad rem pertinentia. Nam quod p. 50—52 de artibus dixi non ad probitatem ac virtutem, sed ad necessitates tantum commoditatesque vitae spectantibus, non sane vituperandi causa dixi, sed ut beneficia Promethei ex vero aestimanda neque maius quam par esset pretium iis statuendum esse docerem. Hanc ob causam non sufficere haec omnia ad veram humanitatem monui, sed requiri maius quiddam atque divinius, quod non impertiverit hominibus Prometheus neque potuerit impertire, quoniam huius dispensator unus sit is, qui *ἀριστοτέχνας πατήρ, δαμιουργὸς δίκας τε καὶ εὐνομίας* est[9]), Iupiter et qui Iovis ministri ac socii sunt in vita hominum tuenda et regenda. Vituperavi autem p. 49 Prometheum propterea, quod opposuerit se Iovi in humani generis cura et tanquam educatione, cuius rectio et moderatio penes hunc unum esse deberet: vituperavi, quod ipse contra Iovis imperium suo modo hominibus consulere conatus sit, scilicet sapientiorem se Iove et meliorem et hominum amantiorem esse ratus, quodque perstiterit in hoc consilio, quamvis admonitus, summa cum pertinacia:

τὸ μὴ εἰδέναι γὰρ μηδὲν ὧν ἡμάρτανεν
ἔκκαυμα τόλμης ἱκανὸν ἔσχε καὶ θράσους.

Apparet autem, quo animo erga Iovem Prometheus fuit, eodem etiam homines ab eo institutos esse debuisse, itaque non amantes Iovem, non venerantes cum pietate, ut sapientem, iustum, bonum, patrem denique vitae suorum prospicientem bonaque omnia sapienter et iuste dispensantem, sed abhorrentes potius aut formidantes metu servili tanquam malevolum bonisque hominum invidentem, cuius asperitatem

9) Pind. fr. 29 p. 571 Boeckh.

et saevitiam anxie precibus et sacrificiis placare conarentur. Quodsi verum est, id quod est sane verissimum, ad omnem honestatem, iustitiam, temperantiam, omnem denique virtutem homines veteribus ac praecipue Aeschylo pervenire sine deorum auxilio non posse visos esse, neque existere unquam illas a pietate seiunctas, consequitur necessario, homines a Prometheo institutos similique erga deos animo impletos non potuisse pios deorumque amantes, ideoque ne virtutis quidem atque honestatis compotes esse. Atque hoc sensu in Prometheum convenire dixi nomen *διαβόλου*, p. 53, siquidem id nomen eum significat, qui alicuius animum ab altero abalienat. Id Hermanno in eam sententiam detorquere placuit, ac si plane Prometheum cum Satana comparassem, qui et ipse *διάβολος* a Christianis appellatur.
12 Ego abalienasse eum homines a diis dixi, eoque factum esse, ut a vera via illi aberrarent et in mala multa inciderent: Hermannus autem ita loquitur p. 6, ac si voluisse eum homines ad pravitatem pellicere dixerim. Quantum absim ab hac sententia, si minus omnis mea disputatio docebat, ex iis certe intelligi debuit, quae Themidem dicentem feci Prometh. solut. v. 608—618. 692—694, et quae huic Prometheus v. 741 respondet. Nam posteaquam exposuit Themis, omnes illas artes, quas Prometheus hominibus tradiderit, non obstitisse quominus hi pravi ac miseri evaderent, idque propterea evenisse, quod intempestive illas et praepropere tradidisset, poenitet Prometheum facti sui, et simulatque intelligere coepit, et sapientiam in Iove maiorem, nec minorem erga homines benevolentiam esse, odisse Iovem desinit reconciliarique cum eo cupit. Hinc manifestum est, quanta sit inter Prometheum et Satanam dissimilitudo, licet pariter uterque *διάβολος*, h. e. abalienator hominum a deo, dici potuerit. Alter enim non minore in homines quam in deum odio incensus est, alter, quum Iovem quidem ceterosque deos oderit, hominum tamen est amantissimus: alter sciens volensque homines ad pravitatem pellicit, quo eos miseros faciat, alter consultum hominibus vult, sed ignarus verae rationis ea iis beneficia tradit, quae videantur quidem non sint autem vere beneficia, sed pravitatis potius et malorum alimenta, scilicet si illa sola homines habeant, non adiunctis aliis bonis maioribus, de quibus non cogitaverat Prometheus neque impertire ipse ea hominibus potuerat. Hinc simul etiam illud intelligitur, quam vere Hermannus p. 6 me postulasse significet, ut morum virtutisque praecepta Prometheus traderet. Neque dixi unquam aliquid eiusmodi, nec potui profecto dicere, nisi

pugnare mecum ipse vellem. Negavi enim p. 46. 47. 51 Prometheum tribuere hominibus potuisse, quae a Iove tantum Iovisque amicis ad homines permanarent: neque postulavi igitur, ut tribueret ille, quae non poterat tribuere, sed hoc postulavi, ut ne ea quidem, quae poterat, hominibus impertiret contra Iovis imperium, neve opinaretur, quid conveniret iis tribui, et quando conveniret, se melius Iove perspicere. Sed operae pretium est ipsa Hermanni verba cognoscere. Nam postquam illud de morum virtutisque praeceptis, quasi meum errorem reprehendens, re vera autem nihil nisi suum prodens, proposuit, pergit deinde in hunc modum: „Id verso si fecisset Prometheus, (scil. ut morum praecepta traderet,) mirati essent spectatores supervacanea et quae nemo expectasset proferentem. Exemplis homines antiqui et monitis pro re ac tempore iactis ad virtutem instituebantur, non praecepta morum in doctrinae formam redacta ediscebant, aut, si quid huiusmodi, id poetarum carminibus expositum memoriae mandabant. Ita domi doctus scire unus quisque putabatur, quid fas et nefas, quid iustum et iniustum, quid aequum et iniquum, quid honestum et turpe, decorum et indecorum, bonum et malum esset, et recte quidem: est enim huius scientiae fons ratio, quae non aliunde accipitur, sed una cum homine nascitur, ut sine ea ne cogitari quidem homo possit.“ Viden quam diligenter summus vir provideat, ne quis persuaderi sibi patiatur Prometheum tanquam quendam ludi magistrum aut moralium professorem induci ab Aeschylo potuisse? Quis autem est, qui talia persuadere conetur? Me scilicet putabunt, qui librum meum non legerunt: qui autem legerunt, aut mirabuntur tam supervacaneam 13
Hermanni disputationem, aut etiam, si minus norint viri optimi animum, subesse nescio quid consilii suspicabuntur. Ceterum de morum disciplina apud veteres Graecos, et qua illi ratione homines ad omnem humanam civilemque virtutem efficacissime informari crediderint, quid ego sentiam non quidem ex iis, quae de Aeschyli Prometheo commentatus sum, ubi nulla erat huius rei explicandae occasio, sed ex libro antiquitatum Graecarum ante hos octo annos edito intelligere Hermannus si volet poterit, neque inveniet in eo quidquam, quod culpare tanquam ex vano haustum possit. Quod autem de ratione dicit, omnis moralis disciplinae fonte, non aliunde accepta, sed una cum homine nata, ut sine ea ne cogitari quidem homo possit, est sane verum neque veteribus ignotum: vereor tamen magnopere, ut quid illis hac de re visum sit, Hermannus recte perspectum habeat. An forte facilius

veteres ad virtutem quam ad ignis artiumque inventionem sola natura et ratione duce perveniri potuisse crediderunt, ut ad haec quidem opus fuerit divino quodam praeceptore, ad illam ipsa natura suffecerit? Hermanno quidem ita videri necesse est: alioquin ignis artiumque monstratorem Prometheum non magis ferret, quam virtutis ac morum. Nam ignem quid opus fuit a Prometheo afferri, quem possent homines vel fulmine incensis arboribus[10]) vel alio quolibet modo nancisci? artes autem quid attinebat ab illo monstrari, quarum nullam non paullatim „meditando extundere usus[11])“ et necessitas potuissent? Et tamen haec Aeschylus non ab hominibus inventa sed a Prometheo data esse voluit: scilicet mancam et debilem ratus humanam rationem auxilioque coelestium semper egentem. Eodem igitur modo inesse quidem in hominibus veteres intelligebant rationis facultatem eam, qua ad virtutem ac sapientiam eniti possent; sed hanc quoque per se solam mancam et debilem esse credebant, quae excitari alique deorum auxilio deberet. Itaque omnem virtutem, omnem sapientiam, omnem morum probitatem et honestatem, quamvis natura facti ad eam homines et praeformati essent, emersisse tamen initio et magis paullatim perfectam esse non sine diis iudicabant. Diis auctoribus in societates coire, civitates condere iurisque ac legum imperio parere homines didicisse[12]): deorum beneficio fieri, si quis animi bonis praeter ceteros excelleret, regere sapienter populum, exempla edere fortitudinis, temperantiae, iustitiae posset[13]): denique deos exorandos esse, non solum ut vitam et opes, sed ut εὐαρμοστίαν atque εὐρυθμίαν animi hominibus impertirent, tribuerentque καλοῖς γενέσθαι τἀνδόθεν[14]): quandoquidem, ut ait Plato, nulla virtus in homine nisi θείᾳ μοίρᾳ emer-
14 git, quam sententiam Iustinus Martyr[15]) non inepte comparat cum

10) Lucret. V, 1090 sqq.

11) Vergil. Georg. I, 133.

12) Cf. Soph. Oed. R. v. 863 sqq. Plat. Legg. 1 in. ibiq. Ast. p. 6. Demosth. or. ctr. Aristocr. § 70. Diodor. I, 94. Strab. X, p. 482. Aristid. Panath. p. 313. Clem. Alex. Strom. I, 26, 170. Platner. not. iur. et iust. ex Hom. et Hesiodi carm. p. 32 sqq. Wachsmuth. Antiquitt. I, 1 p. 87 et II, p. 113 ed. 2.

13) Pind. Isthm. III, 6. Ol. X, 10. IX, 30. V, 11. Simonid. ap. Plat. Protag. p. 339.

14) Plat. Phaedr. p. 279 B. cf. Clem. Alex. Strom. II, 5, 22. Pind. Ol. XIII, 115. Pyth. XI, 50.

15) Cohort. ad gent. c. 32, tom. 1. p. 92 ed. Ott.

christiana doctrina *περὶ τῆς ἄνωθεν παρὰ θεοῦ κατιούσης ἐπὶ τοὺς ἁγίους ἄνδρας δωρεᾶς, ἣν πνεῦμα ἅγιον ὀναμάζουσιν οἱ ἱεροὶ προφῆται.* Neque vero unus aut alter ita sentiebat e veteribus istis paganis, sed erat haec constans et infixa plerisque persuasio, cuius testes inde ab Homero et fabularum auctoribus usque ad Platonem plurimi produci possunt. Extitisse etiam non paucos qui aliter statuerent, quis aut nescit aut mirabitur[16]? Neque intercedo equidem, quominus horum sententia hodie alicui verior esse videatur: est enim huic noviciae doctrinae, qualem plerique nunc amplexantur, aliquanto convenientior. Sed illud tamen non ferendum esse arbitror, si quis hanc sapientiam etiam veteribus illis, Aeschylo eiusque similibus obtrudens deinde sibi, ad Livii exemplum, antiquas res tractanti animum fieri antiquum gloriatur. Mihi crede, non antiquus iste animus, sed plane totus novicius est.

Nunc Io contemplanda erit, de qua quae Hermannus mihi obiecit, haec quoque recte examinata nihil nisi falsam de Iove Aeschyleo persuasionem penitus animo eius insedisse demonstrant. Fatendum est sane, permultas de amoribus deorum fabulas ita aut fictas ab auctoribus aut diffictas a posterioribus esse, ut religiosae deorum venerationi non possent non magnopere officere: verumtamen qui nihil aliud iis omnibus quam amatoriam quandam libidinem et intemperantiam significari contendat, haud minus profecto peccet, quam qui in nulla id commissum esse credat. Probavi equidem, id quod alii quoque dudum intellexerunt, subesse huiusmodi fabulis, non quidem omnibus, sed tamen non paucis, eam sententiam, ut dii, quo genus humanum ad sui similitudinem extollerent, procreasse dicerentur ex mortalibus mulieribus filios, in quibus humana natura cum divina coniuncta esset, et qui ceteris aut exempla ederent ad imitandum, aut vitae eorum praeclaris factis et institutis prodessent. Id Hermannus neque auctore ullo testatum nec re comprobatum esse arguit, sed si quis homo alios virtute multum antecelleret, eum visum esse ab deo originem ducere, ut Tantalidas illos,

---

16) Novimus tamen huius contrariae sententiae ante sophistarum aetatem auctorem nullum: postea, labente vetere disciplina, latius serpsit. Huc pertinet, quod Cic. de N. D. III, 36 Academicum dicentem facit: „Virtutem nemo unquam acceptum deo retulit. Nimirum recte. Propter virtutem enim iure laudamur et in virtute recte gloriamur, quod non contingeret, si id donum a deo, non a nobis haberemus. Num quis, quod bonus vir esset, gratias diis egit unquam?“

οἳ θεῶν ἀγχίσποροι
οἱ Ζηνὸς ἐγγὺς, οἷς ἐν Ἰδαίῳ πάγῳ
Διὸς πατρῴου βωμός ἐστ᾽ ἐν αἰθέρι,
κοὔπω σφιν ἐξίτηλον αἷμα δαιμόνων.

Quid sit illud, quod re comprobatum esse negat, fateor me non satis intelligere. Nam quod totum fictum et commenticium est, qui potuit re comprobari? An forte hoc voluit, illos deorum filios non apparere ne in fabulosa quidem hisoria tales, quos merito quis dixerit divinam naturam humanae mixtam habere? Atqui hoc certe manifestum est, deorum filios ceteris mortalibus praestantiores creditos esse ideoque diis similiores. Qui si multa saepe faciunt, quae nobis quidem nequaquam divinae naturae convenire videantur, commune id habent cum parentibus. Non meliores deos aut deorum filios fingere fabularum auctores quam pro suo captu poterant: posteriores autem poetae fabulas ab ultima antiquitate traditas alii repetebant promiscue quales erant, aut exornabant etiam suo modo, nihil nisi voluptatem auditorum quaerentes, alii sanius iudicium ac delectum adhibebant, quaeque inepta et diis indigna viderentur, aut omittebant aut etiam apertis verbis reprobabant, ut *ἀοιδῶν δυστήνους λόγους*, cuius generis exempla apud Pindarum aliosque complura sunt[17]). In his etiam Aechylum esse iam supra monui, qui quum in Supplicibus Iovem ut perfectissimum deorumque omnium maxime divinum, simul autem in eodem cantico ut Ius amatorem celebret, necesse est etiam amorem illum non libidinosum, ut hominis intemperantis et nequam, sed dignum cogitaverit Iovis sui divinitate. Iam vero quam ob causam religiosi homines deos cum mulieribus concubuisse crediderint, duobus certe testimoniis disertis a me demonstratum est. Nam cum Alcmena Iovem congressum esse non libidinis explendae causa, sed ut filium procrearet semideum, et Diodorus testatur IV, 9, antiquiores auctores sequutus[18]), et Hesiodeus poeta in Scuto Herc. v. 29,

---

17) Pind. Ol. I, 52. IX, 38. VII, 21. cf. Seebeck, über den religiösen Standpunct Pindars, in Museo Rhen. ann. 1844, p. 594 sqq. — Ita Aeschylus Eum. v. 5 aperte obloquitur fabulae de Delphico oraculo per vim Themidi erepto, in Agam. tacite reiicit fabulam de Diana propter cervam interemptam immolari Agamemnonis filiam iubente, in Prometheo fabulam de sacrificio Meconensi. Cf. etiam quae Aristophanes Ran. v. 1053 sqq. Aeschylum dicentem facit.

18) Hoc enim ipse significat. Simile de amoribus Iovis iudicium ex antiquioribus haud dubie auctoribus servavit schol. Pindar. Nem. VIII, 6: ὁ γὰρ Ζεὺς οὐ

ὄφρα θεοῖσιν
ἀνδράσι τ' ἀλφηστῇσιν ἀρῆς ἀλκτῆρα φυτεύσαι.

„At“, inquit Hermannus p. 8, „numquid hic de genere humano ad deos evehendo, et non de gignendo deorum atque hominum propugnatore dictum est?“ Dictum est, opinor, de generando homine divino, qualis generari nisi a Iove non potuerit; et causam eius generandi hanc fuisse, ut hominibus mala depelleret. Movit igitur Iovem humanae salutis cura: nam quod simul etiam diis ἀρῆς ἀλκτῆρα generare voluisse dicitur, quod manifesto ad gigantomachiam pertinet, cuius Herculem socium fuisse fabulae ferunt, non spero a quoquam in eam sententiam detortum iri, quasi alioquin Iupiter Herculem non fuisset generaturus. Porro de evehendo ad deos genere humano fateor equidem nihil dictum esse, scilicet si quis haec ipsa verba a me commonstrari postulet. Sed quid est evehere homines ad deos? Hoc, nisi
fallor: excitare, ut deorum quantum possint similes, gratique diis et 16
accepti fiant. Id autem per heroes, deorum filios, efficitur eo, quod hi exemplo suo ceteris virtutis viam monstrant, quamobrem etiam ipsi dii, a quibus ingeneratam heroes virtutem habent, facta eorum egregia montrasse hominibus dicuntur a poeta Homerico, hymn. in Sol. XXXI, 18:

ἡμιθέων ὧν τ' ἔργα θεοὶ θνητοῖσιν ἔδειξαν,

quod recte Ernestius interpretatur: proposuerunt hominibus tanquam παραδείγματα, exempla, ad quae se componerent. Hermannus autem quum fateatur p. 7, si quis homo alios virtute multum antecelleret, eum visum esse ab deo originem ducere, debebat etiam cur id ita visum esset quaerere. Nempe quia infixa haec erat veteribus persuasio, humanam naturam ipsam per se magnae cuiusdam et eximiae virtutis incapacem esse. Quamobrem quod Cicero ait, d. n. d. II, 65, neminem virum magnum sine aliquo afflatu divino unquam fuisse, hoc idem veteres illi sentientes pro afflatu stirpem atque generationem dixerunt. Nec latuit haec ratio viros doctissimos, quos in libro meo p. 143 laudavi: quodsi tamen Hermannum latuit, non certe ego in culpa sum.

μόνον δι' ἐπιθυμίαν ἐμίγη τῇ Αἰγίνῃ, ἀλλ' ἵνα καὶ σπερμήνῃ τοὺς ἀρίστους ἐξ αὐτῆς, Αἰακὸν, Πηλέα, Ἀχιλλέα, Νεοπτόλεμον. Οὗτοι οἱ ἔρωτες ἄριστοι, οἱ μὴ μόνον ὀρεγόμενοι τῆς ἀπολαύσεως καὶ τῆς ὥρας αὐτῆς, ἀλλ' ἀποτελεσμάτων ἀξιολόγων καὶ ἔργων ἐπιφανῶν τελεσιουργοί. Add. quae de Iovis cum Themide concubitu ex Pindaro refert Aristid. tom. II p. 142, laudatus a Prellero in Encyclop. real. tom. IV p. 613.

Quod autem in Epapho, Iovis et Ius filio, quidquam inesse negat, quod similiorem diis hominem, quam quemvis alium, prodat: respondebunt pro me Pindarus et Cicero, quorum alter, Nem. X, 5, multas in Aegypto civitates ab Epapho conditas esse testatur, alter, de re publ. I c. 7, nullam esse rem, in qua propius ad deorum numen virtus accedat humana, quam civitates aut condere novas, aut conservare iam conditas. Itaque si Epaphus rudes atque agrestes homines in Aegypto congregavit, civili societate coniunxit, legibus atque institutis a feritate revocavit, hoc, opinor, ne Hermannus quidem, quamvis magnifice de humana natura sentiat, cuiuslibet hominis fuisse contendet, sed eius, qui virtute et sapientia eximius esset: veterum vero, Aeschyli eiusque similium seu pietas seu superstitio perfici talia nisi divino instinctu non posse credebat, ideoque legum institutorumque civilium origines a diis, ut iam supra dixi, repetebat: unde apparet Epaphum re vera unum eorum fuisse, qui, illorum quidem iudicio, divini et deorum filii haberi deberent[19]).

Dicendum aliquid etiam de Alcmena est. Reprehendit enim me Hermannus, quod hanc volentem cum Iove concubuisse finxerim contra notissimam fabulam, quae deceptam esse narrat mariti Amphitruonis specie a Iove assumpta. Ego vero nihil de Alcmena dixi nisi hoc unum, fuisse eam postremam mortalium mulierum, quas Iupiter amaverit, Aeschylumque, quum et Ionem, quae prima fuerit, et Alcmenae filium Herculem in Prometheo induxerit, simul primum initium generandorum a Iove heroum ad generis humani salutem, et ultimum eius rei saluberrimumque hominibus fructum proposuisse. Hermannus autem, opponi a me Alcmenam Ioni ut ultimam primae videns, hanc
17 meam temporis comparationem suo arbitratu etiam ad animum utriusque traxit, ut, quemadmodum primae postrema, sic etiam nolenti volens opponeretur. Hermanni, inquam, est haec oppositio, non mea: mihi ut eam tribueret, haud dubie aliquo errore factum est facile condonando, nisi adiuncta esset etiam criminatio. Nam postquam me dicentem fecit, quod non dixi, captiosa me fallacia id dixisse autumat. Abstinuisset, vellem, hoc genere pugnandi, et, si me refutare cupiebat, inspexisset saltem accuratius, quid scriptum a me aut non scriptum

19) Celsus ap. Orig. ctr. Cels. 1, 67 p. 125 ed. Lomm.: *οἱ παλαιοὶ μῦθοι Περσεῖ καὶ Ἀμφίονι καὶ Αἰακῷ καὶ Μίνωι θείαν σπορὰν νείμαντες,* [οἷς] *οὐδ' αὐτοῖς ἐπιστεύσαμεν, ὅμως ἐπέδειξαν αὐτῶν* [non ἑαυτῶν] *ἔργα μεγάλα καὶ θαυμαστὰ ἀληθῶς τε ὑπὲρ ἄνθρωπον, ἵνα μὴ ἀπίθανοι δοκῶσι.*

esset. Etiam illud, quod eodem loco de Ione dicit, non a Iove hanc punitam esse, qui eam amare non desierit, sed per Iunonis iram in mala sua incidisse, ita dictum est, quasi a me aut ignoratum aut dissimulatum sit. Atqui ego hoc ipsum exposui p. 59, sed addidi praeterea, quod res postulabat, passum tamen esse Iovem, ut a Iunone illa cruciaretur, et posteaquam satis castigata esset, ipsum Iunonis iram flexisse. De Alcmena autem, etiamsi dixissem, quod Hermannus me dixisse finxit, ne id quidem tali modo criminandum fuisse arbitror. Nam si Iovem illa pro marito suo habuit, certe volens amplexa est: quid autem factura fuisset, si verum scisset, neque narratur a veteribus, neque compertum esse Hermanno credo. Non improbabile tamen est, obtemperaturam fuisse Iovis voluntati, quandoquidem etiam postea, re comperta, neque ipsa indoluit neque maritus, sed laetati sunt Iovis favore, quemadmodum etiam aliae mulieres, velut Semele, illius amore et amplexu beatas se et honoratas censent. Ceterum etiam illud in ista fabula de fraude Iovis simulataque Amphitruonis persona, qui paullo attentius reputare velit, haudquaquam inepte aut impie fictum iudicabit: sed nolo ego hoc nunc exponere, utpote ad Aeschylum nihil pertinens, apud quem nulla fit illius rei mentio.

Restat ut de soluto Prometheo videamus, quem Hermannus, sua de Iove opinione deceptus, negat propterea solutum esse, quod destiterit a contumacia, peccasse se agnoverit, maiorem in Iove quam in se non solum potestatem sed etiam sapientiam, nec minorem humani generis caritatem esse intellexerit, ideoque dignum iudicaverit, cui cum ceteris diis omnique mundo et ipse pareret, sed propterea, quod Iupiter, fatali necessitate coactus, nisi cederet adversario, missaque superbia se feroci submitteret Promethei pertinaciae[20]), imminentem sibi cladem effugere non potuerit. Hic certaminis eventus quam dignus sit, non dico Iovis, sed cuiusvis etiam humani regis maiestate, quilibet sua sponte intelligit, neque eum Hermannus unquam Iove dignum iudicasset, nisi nimis hunc, ut fabulosum, ab Aeschylo contemptum et prorsus irreverenter tractatum esse crederet, in quo quantopere ab Aeschyli ratione aberraverit, satis a me demonstratum esse arbitror. Ostendi autem praeterea libri mei p. 26—28, ne Prometheo quidem satis dignum eiusmodi eventum iudicari posse: quam partem disputationis Hermannus intactam praetermisit, sive quod

---

20) Sunt haec ipsa Hermanni verba p. 11.

non haberet quae contra diceret, sive quod eam refutari non opus esse putaret. Ego autem ab iis, qui iudicare inter nos volent, nihil aliud
18 peto, nisi ut cognoscant saltem ipsi, quibus uterque nostrum rationibus nitatur. Sed ne quid ego quoque de adversarii argumentis reticuisse dicar, Hermannus p. 11, ut ostendat dubitari non posse, quin Prometheus etiam in tertia trilogiae tragoedia perseveraverit in proposito, nec prius quam soluta essent vincula indicaverit, quae illa esset coniux, a cuius filio exutum iri oporteret potestate sua Iovem, provocat ad v. 752, ubi quum quaesivisset Io, nullumne Iovi effugium fatalis sortis esset, respondet Prometheus,

οὐ δῆτα πλὴν ἔγωγ᾽ ἂν ἐκ δεσμῶν λυθείς.

„neque isto solum versu" inquit, „sed saepe et gravius etiam has minas eloquitur, ut v. 167—177. 186—192. 503—517. 887—920. 969—971." Eloquitur sane; sed eloquitur aliis locis etiam alias. Nam v. 757 non ante se solutum iri affirmat, quam exciderit imperio Iupiter:

νῦν δ᾽ οὐδέν ἐστι τέρμα μοι προκείμενον
μόχθων, πρὶν ἂν Ζεὺς ἐκπέσῃ τυραννίδος.

itemque v. 928 Iovis cladem atque exitium quasi utique eventurum praedicit:

πταίσας δὲ τῷδε πρὸς κακῷ μαθήσεται,
ὅσον τό τ᾽ ἄρχειν καὶ τὸ δουλεύειν δίχα.

nec minus diserte v. 941:

δράτω, κρατείτω τόνδε τὸν βραχὺν χρόνον
ὅπως θέλει· δαρὸν γὰρ οὐκ ἄρξει θεοῖς.

et v. 958:

οὐκ ἐκ τῶνδε (περγάμων) ἐγὼ
δισσοὺς τυράννους ἐκπεσόντας ᾐσθόμην;
τρίτον δὲ τὸν νῦν κοιρανοῦντ᾽ ἐπόψομαι
αἴσχιστα καὶ τάχιστα.

Haec qui audiverit, nonne coniici debere dicat, in postrema fabula Iovem imperio exutum, Prometheum autem a Iovis victore vinculis solutum esse? At, inquit, pugnat hoc cum aliis Promethei praedictionibus, et scimus praeterea non evenisse. Sane non evenit, et pugnat cum aliis: verum quae causa fuit Aeschylo, sapientissimo poetae, ut talia tamen Prometheum iactantem faceret et cum eventu rerum et ipsa inter se pugnantia, nisi ut ne nimis fidei istis praedictionibus ha-

beremus? Quod quum ita sit, apparet profecto, ex illis quae Hermannus attulit haudquaquam liquere, quemadmodum et qua ratione Aeschylus in tertia fabula Prometheum solutum fecerit. Et expositum hoc a me est, iisdem versibus citatis, libri mei p. 23, quam partem Hermannus rursus quasi non scriptam silentio praetermisit. Nonne videbitur autem huiusmodi silentio et dissimulatione causae suae apud aequos iudices plus nocuisse quam profuisse? — Porro maiestati Iovis Hermannus eo consultum opinatur, quod non gratuito liberaverit Prometheum, sed dato sibi piamenti loco Chirone, qui illius solutionem immortalitatis suae iactura redimeret. Usum esse hac fabula Aeschylum ego quoque credo, ac proinde et ipse ea usus sum in eo quod 19
composui dramate v. 394 sqq., et qua ratione illud piamentum mihi interpretandum videretur exposui libri mei p. 147, quae hoc loco repetere nihil attinet[21]). Sed Hermannum si audiamus, Iupiter eo necessitatis adactus fuit, ut piamentum illud specie magis quam re fuisse dicendum sit, solvendusque utique Prometheus fuerit, sive obiret mortem Chiro, sive non obiret: namque, nisi solveret Prometheum, ipsi imminebat inevitabile exitium. Hoc, opinor, non maiestatis fuit, sed maximae vanitatis, si, qui reapse ad incitas redactus et plane victus erat, speciem tamen aliquam liberi arbitrii durae et ingratae necessitati praetextam cuperet. Neque magis honori Iovis consultum erit isto poenae simulacro, quod iniunctum Prometheo apud Aeschylum esse Athenaeus refert XV p. 674 D., ut coronam gestaret in vinculorum memoriam, cui addunt alii annulum cum lapide palae incluso in digito gestandum. Scilicet si poenam Iupiter remisit non tam sua voluntate, quam necessitate coactus, *ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ*, quemadmodum Hermanno videtur, ista poenae admonitio nonne hoc effectura erat, ut meminisset simul Prometheus saevitiam adversarii sua constantia fractam, eumque, qui se dominum mundi gloriaretur, tamen, ne privaretur regno, ipsi sese submittere debuisse; cuius rei memoriam Iupiter, si non stultus erat, oblitteratam potius quam conservatam velle debebat.

---

21) Dissentit a me Hermannus p. 12 etiam de Apollodoro, cuius verba, II, 5, 11, 12: *παρέσχε (Ἡρακλῆς) τῷ Διῒ Χείρωνα θνήσκειν ἀθάνατον ἀντ' αὐτοῦ (τοῦ Προμ.) θέλοντα*, ego p. 48. not. sic interpretanda dixi, ac si, ex Apollodori quidem sententia, moriendum Prometheo fuerit, nisi Chiro eius vicem obiret. Ipse nihil aliud illis verbis significari vult, nisi mortem Chironis mercedem fuisse solutionis e vinculis. Atqui hoc si voluit Apoll., non *ἀντ' αὐτοῦ* sed *ὑπὲρ αὐτοῦ* dicere debuit.

Talia Aeschylum facere potuisse, sicut olim negavi, ita nunc quoque pernego, negabuntque, credo, omnes, qui qualem ille Iovem, non alium alibi, sed unum ubique et eundem cogitaverit, ex ipso intellexerunt. Et me quidem ut oppugnarem falsas opiniones, quarum multos magnosque patronos esse non ignorabam, nihil profecto aliud impulit, quam contracta per assiduam lectionem cum Aeschylo familiaritas, natusque hinc amor non poetae modo summi, sed viri sapientissimi, deorumque, quos coleret, maxima cum pietate reverentissimi. Quodsi in enarrando Aeschyleae fabulae argumento et consilio multa posuisse videor a vera religione, quam nos Christiani profitemur, non nimis abhorrentia, culpandus tamen propterea non sum, nisi si demonstratum fuerit, abhorrere haec ab Aeschyli mente: sin conspirant autem et consentanea sunt iis, quae de diis rebusque divinis illum sensisse reliquae eius fabulae docent, non sane ego vituperandus sum, sed Aeschylus ipse, qui talia senserit, quae eum sensisse multi quum non animadverterint ipsi, tum aegre ferant ab aliis animadversa. Ego autem ut non irascor hebetioribus, ita ne dissensionem quidem et reprehensionem eorum, qui nihil nisi sua sibique convenientia probant, magnopere curo. Multa vident pictores in umbris et in eminentia, quae nos non videmus: multa, quae nos fugiunt in cantu, exaudiunt in eo genere exercitati[22]). Eodem igitur modo etiam in rebus ad religionem spectantibus fieri potest, ut qui minus hoc genus attendere soliti sint, plurima non videant, quae aliorum oculos attendere haec et observare consuetos facile feriant. Neque illud recuso, quominus vere de me iudicasse Rauchensteinius, vir praestantissimus, censeatur, quum me, quae essent apud Aeschylum cum religione coniuncta, quasi per microscopium spectata enarrasse diceret. Nempe microscopium non ea nobis ostendit, quae nulla sunt, sed quae, quum adsint, facile tamen oculos fugiant, quique spernit microscopii usum, saepenumero non modo non videt, quae sunt, sed videtur etiam sibi videre, quae nec sunt neque esse possunt: id quod in hac Aeschyli fabula permultis accidit. Quodsi in hac enarranda, sicut in ea, quam ipse de soluto Prometheo composui, nonnunquam verbis atque genere dicendi usus sum hodiernae magis et christianae disciplinae quam veterum ethnicorum propriis, vel excusandum hoc vel etiam probandum esse arbitror. Nam et ipse, qui scribebam, hac disciplina innutritus eram, et legi me atque

22) Verba haec Ciceronis sunt, Academ. II, 7, 20.

intelligi ab iis cupiebam, qui eadem pariter imbuti essent: enarrandus
autem mihi erat poeta, ethnicus quidem ille, sed in multis tamen ma-
gnisque rebus non nimis certe cum hac disciplina discordans, quamvis
ea, quae sentiret, forma admodum dissimili multoque minus ad rem
accommodata induens: quae formarum discrepantia quum apud pleros-
que recto rerum intellectui adeo offecisset, ut quae formis dissiderent,
etiam reapse prorsus diversa esse crederent, non sane effecissem quod
volebam, nisi rem ita, ut agnosci ab omnibus posset, hoc est exutam
forma ethnico poetae propria, aliaque ad nostrorum hominum captum
accommodatiore indutam proposuissem. Nam quod Hermannus me
p. 10 quasi evocare Aeschyli manes et violento baptismate Christianos
facere autumat; non moveor facetiis, sed argumenta requiro, quae a
viro ingeniosissimo nulla aut certe non vera prolata sunt; quem qui-
dem ob id ipsum, quod Christianum a me fieri Aeschylum suum que-
ritur, vereor ne multi Christianorum illud, quod maxime sit christi-
anae religionis proprium, quo eniti Aeschylo non magis quam cuiquam
de veteribus contigerit, non satis cognitum habere dicant. Sed haec
disputare non meum est: de meo autem Prometheo soluto, quemad-
modum olim, quum eum ederem, ita etiam nunc profiteor, formam ei
et colorem antiquitatis habitumque Aeschyleum deesse, et compluribus
eum vitiis laborare, quae peritos non fugient, a me autem ut comme-
morentur nihil opus est. Ad duo tamen ab Hermanno mihi obiecta
paucis respondere placet. Primum, quod negat tragoediam hanc no-
minari posse, quia metu et miseratione careat, iudicarunt contra alii,
horum utriusque tantum inesse, quantum satis sit ad tragoediae no-
men antiquo sensu tuendum. Nam et miseratione lectorem affici,
quum Prometheum videat aerumnas suas et solum et cum Titanibus
conquerentem, et metu, dum incertum sit, persuaderine sibi salubria
consilia patiatur, an persistat in pertinacia exitiabili. Sed esto: verius
iudicaverit Hermannus; mea nihil interest, qui nunquam adspiraverim
ad poetae tragici laudem, et optaverim ipse, ut opus illud aliquis sus-
ciperet poetica facultate me magis pollens. Quod autem porro culpat,
omnes quas inducam personas spirare illam communis caritatis ple- 21
nam virtutem, quam christiana doctrina praecipiat, nescio cur commu-
nem caritatem dicat, quae dicenda fuit reverentia Iovis, non ut poten-
tissimi solum, sed ut optimi, h. e. ut sapientis et iusti et paterno erga
homines amore praediti, qualem Iovem et ab Aeschylo et a quovis
cordato illius aetatis ethnico creditum esse, satis, ut arbitror, demon-

stratum est. Non improbat Hermannus Herculis cum Christo comparationem, quam Ioannes Diaconus instituit, a me p. 139 commemoratus; sed utitur hac occasione ut demonstret, quantum tamen intersit inter antiquam et christianam doctrinam. Id ego me non ignorare credo: sed multa tamen etiam conspirare video, videruntque ipsi apostoli et antiqui ethnicae superstitionis impugnatores Christiani, quorum plurimi talia ethnicos non ipsos excogitasse, sed a Moyse et prophetis accepisse crediderunt, quum contra ethnici de suorum scriptis multa ad Christianos fluxisse contenderent. Id autem, quod Hermannus tanquam proprium antiquitatis et a christiana doctrina maxime diversum memorat, illi quoque parti, qua ceteris animantibus similes sumus, ius suum esse concessum, hoc, quantum quidem ego sciam, ne a nostra quidem religione alienum est: verum non plus illi parti quam ius suum concedi debere, et summum in virtutibus locum obtinere pudorem, continentiam, temperantiam, etiam veteres illi intellexerunt. Quod autem addit tanquam consectarium ex illo alteri parti concesso iure, fluctuare antiquorum virtutem cupiditatibus et modo huc modo illuc impelli, ut, si vincat melior pars, tamen non pudeat alteri quoque aliquid indulsisse: hoc alterum, indulgere aliquid corpori et cupiditatibus, ne Christiani quidem veremur aut vetamur; fluctuare autem et modo huc modo illuc impelli, neque coercere cupiditates ratione posse, veteribus non magis quam nobis decorum visum est. Caritatem autem communem amoremque etiam inimicorum praecipit quidem nobis lex divina, quam illi nondum noverant: sed prae se ferre hunc amorem quis nostrum ausit? Re vera, quod veteribus Hermannus proprium tribuit, amare amicum, inimicum odisse, idem etiam nos facimus, agnoscimusque hac in parte, sicut in aliis multis, vitam nostram doctrina deteriorem esse. Sed quid, quaeso, haec omnia ad Aeschylum aut ad meam soluti Promethei tragoediam? Non enim ego tam ineptus fui, ut talia praecepta dari fingerem. De iustitia tantum, de pace, de concordia, de moderatione, de pietate Themis mea loquitur, quas virtutes qui a veteribus minoris quam a nobis aestimatas dicat, summam profecto iniuriam iis faciat. Hermannus autem quemadmodum illud in Ioanne Diacono probat, quod Herculem quodammodo cum Christo comparari posse dixit, ita etiam hoc recte factum agnoscere debebat, quod Prometheum idem cum Adamo composuit. *Οὐκ ἄτοπον*, inquit, *καὶ ἐπὶ τοῦ προπάτορος ἐκλαβέσθαι τὸ νόημα, ὡς ἠπάτησε μὲν τὸν δημιουργὸν ὁ πρωτόπλαστος*

τὴν ἐντολὴν παραβὰς, ἐξόριστος δὲ γέγονεν ἐκ τότε τῆς Ἐδέμ, καὶ — τὴν ἐπίπονον κληροῦται διαγωγὴν καὶ τὴν ἐς τὸ κλαυθμῶνος πέδον κατάκρισιν, — ἕως οὗ Ἡρκαλῆς ἐλθὼν, ὁ ἐμὸς Ἰησοῦς, τῶν δεσμῶν ἠλευθέρωσεν. Comparatur igitur hominis
ex Edem relegatio cum supplicio Promethei, peccatum autem huius
cum illius delicto: nec fugit, opinor, Ioannem, id quod neminem fugere
potest, quantum tamen differat inter hos duos, quippe quum alter sua 22
sponte deliquerit, sapientia sua et virtute nimium confisus, alter inductus sit a callido dei hominumque adversario: sed simul illud rectissime animadvertit, typicam esse Promethei personam exemplumque in eo proponi animi humani divino numini reluctantis,

ὅθ' ἡ φρόνησις τοῦ θεοῦ μεῖζον σθένειν
ζητεῖ, τὸ γαῦρον δ' ἐν φρεσὶν κεκτημένοι
δοκοῦμεν εἶναι δαιμόνων σοφώτεροι.

Itaque illius adversus Iovem certamine repraesentatur humana arrogantia et superbia divino imperio renitens, nec mirum, qui Promethei animi aliquam in se similitudinem habent, huic potius quam Iovi favere. Aeschylum autem longe aliter et de Iove et de humana natura sensisse omnis eius poesis clamat, ut manifestum sit, nihil eius animo fingi alienius potuisse, quam istam solvendi Promethei rationem, quae Hermanno placuit.

Scrib. Gryphiswaldiae a. d. IV. Id. Iul. MDCCCXLVI.

UEBER DEN PROMETHEUS DES AESCHYLUS.

An Herrn Professor Caesar.

Verehrtester Herr Professor!

Durch Ihre umsichtige und eingehende Beurtheilung meiner Arbeit über den Aeschyleischen Prometheus haben Sie mich zu wiederholter Erwägung und Prüfung der von mir aufgestellten Ansichten veranlasst, und da der Gegenstand, um den es sich handelt, Ihnen gewiss nicht weniger als mir der allgemeinen Theilnahme werth zu sein scheint, so befürchte ich keine Fehlbitte zu thun, wenn ich Sie ersuche, den nachstehenden, zur Rechtfertigung und festeren Begründung meiner Ansichten bestimmten Bemerkungen einen Platz in eben der Zeitschrift zu gönnen, in welcher Sie Ihr Urtheil über mich gesprochen haben. Eine öffentliche Beantwortung dieses Urtheils scheint mir um so nöthiger, je mehr ich Grund habe anzunehmen, dass Viele ihm beistimmen, wie denn vor Kurzem auch der hochverehrte Meister unserer Studien, G. Hermann, dasselbe ganz zu dem seinigen gemacht, und zugleich durch weitere Ausführung einiger von Ihnen nicht besprochenen Punkte zu ergänzen unternommen hat. Ich lasse es dahin gestellt sein, ob Sie in dem, was H. vorträgt, wirklich eine Ergänzung in Ihrem Sinne finden mögen; was ich meinerseits dagegen einzuwenden habe, ist soeben in einer dem Lectionsverzeichnisse der hiesigen Universität für das künftige Wintersemester vorangeschickten Abhandlung, Vindiciae Iovis Aeschylei, von mir dargelegt worden, zu deren Vervollständigung nun der gegenwärtige Aufsatz dienen mag, insofern er diejenigen Punkte erörtert, die H. als von Ihnen hinlänglich erwiesen angenommen hat.

Als ein Hauptargument gegen meine Auffassung der Prometheustrilogie machen Sie S. 329 d. Rec. zunächst den auffallenden Widerspruch geltend, in welchem die von mir angenommene Lösung des Kampfes mit dem Eindruck stehe, den das erhaltene Stück auf Jeden machen muss, der sich ihm „ohne eine durch andere Rücksichten bedingte Stimmung“ hingiebt, und den es mithin nach der Intention des Dichters auch zu machen bestimmt war. „Wie?“ sagen Sie, „des frömmsten Dichters Intention war es, das Wesen, welches er als das höchste, gerechteste, von allem Makel freie erkannte, als das ungerechteste und tyrannischste darzustellen, und zwar so, dass Niemand, der dem Sinn des Dichters folgte, es anders auffassen konnte? Trieb er da nicht ein gefährliches, seine Frömmigkeit sehr in Frage stellendes Spiel mit dem Volksglauben? trifft ihn da nicht der Vorwurf, den Herrn der Herren, der Seligen Seligsten zu einem blossen Bühnenzweck benutzt, und den Glauben an die Gerechtigkeit des höchsten Wesens auf eine höchst bedenkliche Weise erschüttert zu haben? Konnte er es wagen, ein Stück von dieser Tendenz, dessen endliche Auflösung im ganz entgegengesetzten Sinne der Zuschauer doch nicht ahnen sollte, dem an der herkömmlichen Religion gläubig oder abergläubig haftenden Publikum vorzuführen?“ Aber, frage ich dagegen, aus welcher Stelle meines Buches entnehmen Sie denn, dass, nach meiner Ansicht von der Intention des Dichters, der Zuschauer die endliche wahre Lösung gar nicht habe ahnen sollen? Sie berufen sich auf S. 10; aber dort ist ja blos von dem Eindruck die Rede, den der gefesselte Prometheus für sich allein betrachtet machen müsse, und folglich auch machen sollte? So lange man sich lediglich auf dem Gesichtspunkt hält, sage ich Seite 12, auf den unsere Tragödie uns stellt, so lange kann man schwerlich eine andere Ansicht fassen. Ist denn aber dadurch die Ahnung einer Lösung im entgegengesetzten Sinne ausgeschlossen? oder war es überhaupt nur möglich sie auszuschliessen, bei Zuschauern die mit „einer schon durch andere Rücksichten bedingten Stimmung,“ mit der Ueberzeugung nämlich herantraten, dass der Gott in der That ein ganz anderer sei, als er hier zu sein scheine, dass er nicht bloss ihnen, sondern auch dem Dichter ein anderer sei, und dass sie jetzt nur erst einen Theil der ganzen Dichtung sähen, den Schluss aber, und mit ihm die befriedigende Lösung noch zu erwarten hätten. Ich könnte hinzufügen, dass sie auch schon durch das erste Stück der Trilogie auf die endliche Lösung vorbereitet

sein mochten: doch ich verzichte darauf, weil wir von diesem Nichts wissen, und weil mir auch das Angeführte schon vollkommen genügend scheint. Ein gefährliches Spiel mit dem Volksglauben aber würde Aeschylus nur dann getrieben, den Glauben an die Erhabenheit des Zeus würde er nur dann auf eine bedenkliche Weise verletzt haben, wenn er dem Eindrucke, den der gefesselte Prometheus machte, nicht wirklich eine Lösung im ganz entgegengesetzten Sinne hätte folgen lassen.

Ich wende mich nun zu Ihrer zweiten Einrede. Wie Sie nämlich soeben meine Ansicht als unverträglich mit der Frömmigkeit des Dichters dargestellt haben, so stellen Sie sie jetzt als unvereinbar mit den Forderungen der Kunst dar. „Allerdings," sagen Sie, „pflegte der Dichter die trilogische Compositionsart zu sichtbarer Darstellung der Conflicte zu benutzen, deren Lösung die höchste Aufgabe der dramatischen Kunst schien; aber es liegt in der Natur dieser Conflicte, dass es schwankend bleibt, auf welcher Seite das Recht liege, und die endliche Versöhnung eben in der Lösung dieses Zweifels, in der Ausgleichung der von beiden Seiten verfolgten einander gegenüberstehenden Rechte besteht. Hier dagegen wäre nach des Verfassers Ansicht in Wahrheit alles Recht nur auf der einen, alles Unrecht auf der andern Seite, der Dichter aber hätte, um dieses nachher hervortreten zu lassen, zuerst auf den Berechtigten den vollsten Sehein des Unrechts geworfen, für den nicht Berechtigten die vollste Sympathie, die dem Rechte zu Theil wird, erweckt, und darin sollen wir seine „ungemeine Kraft und Kunst" erkennen. Wir zweifeln sehr, ob das wahre Kunst wäre." Lassen Sie mich Ihnen gestehn, dass ein solcher Einwand mir noch unerwarteter und befremdlicher war, als der obige. Das freilich war mir nicht unbekannt, was namentlich bei den Verhandlungen über die Antigone in den letzten Jahren vielfältig erörtert worden ist, dass die höchste tragische Wirkung aus der Darstellung solcher Conflicte hervorgehe, wo jede von beiden Parteien, in einseitiger Verfolgung dessen befangen, was ihr als Recht erscheint, eben in dieser Einseitigkeit das wahre Recht verkennt, und so gerade in demjenigen fehlt, worin sie am meisten recht zu thun glaubt; aber dass überall nur Conflicte dieser Art für die Darstellung der Tragödie geeignet, oder nur solche von den klassischen Tragikern dargestellt worden seien, — ich müsste besorgen, Sie zu beleidigen, wenn ich dies für Ihre Meinung ansähe. Ohne Zweifel meinten Sie wohl nur dies, dass, da einmal ein

solcher Conflict tragischer als jeder andere, und ein solcher auch namentlich für die trilogische Compositionsart vorzugsweise geeignet sei, man annehmen müsse, Aeschylus werde auch wohl den Conflict zwischen Zeus und Prometheus am liebsten in solcher Weise aufgefasst, und also Recht und Unrecht, Wahrheit und Irrthum zwischen beide Gegner möglichst getheilt haben. Mit andern Worten, ein Conflict zwischen dem höchsten Gott und dem Vertreter der Menschheit eignete sich Ihrer Meinung nach zu einer des Aeschylus würdigen trilogischen Darstellung nur dann, wenn auch dem höchsten Gotte sein Maass von Unrecht und Irrthum zugetheilt wurde, woraus denn folgen würde, dass Aeschylus entweder jenen Conflict gar nicht darstellen oder dass er ihn auf eine Weise darstellen musste, die sich mit seiner Verehrung des höchsten Gottes schwerlich vereinigen liess. Er konnte den Forderungen, die Ihre Poetik an ihn macht, nur genügen auf Kosten seiner Religiösität. Ihre Poetik, sage ich; denn dass die Poetik der Alten solche Forderungen wirklich gemacht habe, würde jedenfalls erst zu erweisen sein. Ich denke, den Alten schien auch ein Kampf, wo Irrthum und Schuld nur auf der einen Seite stehn, und eine Lösung, wo der Irrthum gebüsst und die verkannte Wahrheit anerkannt wird, ein würdiger und schicklicher Gegenstand tragischer Darstellung. Ein solcher Kampf nun und eine solche Lösung ist nach meiner Ansicht in der Prometheustrilogie vom Aeschylus dargestellt worden: und wenn der Dichter es verstand, den Zuschauer selbst für die Seite des Unrechts und des Irrthums aufs lebhafteste zu interessiren, ihn auf einen Standpunkt zu stellen, dass er trotz seiner mitgebrachten andern Ueberzeugung dennoch nicht umhin konnte, auch mit dieser Seite lebhaft zu sympathisiren, und dass er also um so gespannter der endlichen Lösung und Beruhigung entgegensehn musste, das sollte nicht wahre Kunst sein? Ich zweifle sehr, dass eine Theorie, die dies läugnen möchte, die wahre sei. Doch mag man darüber denken wie man wolle, wer die Kunst nicht anerkennt, der wird doch wenigstens die Kraft des Dichters anerkennen müssen, eine Kraft, die sich an Ihnen selbst wie an so vielen Andern aufs glänzendste bewährt hat. Denn was anders als eine Wirkung seiner mächtigen Kraft ist es, dass Sie an dem Standpunkte, auf welchen der gefesselte Prometheus Sie gestellt hat, so fest halten, dass Sie so ungerne ihn aufgeben, ihn, wenn nicht ganz, doch wenigstens theilweise behaupten wollen?

Unmittelbar an jenen Einwand von Seiten der Kunst knüpfen Sie

nun die folgende Bemerkung: „Auch fühlt Hr. S. bei dieser Ansicht selbst die Nothwendigkeit, in unserm Drama wenigstens Andeutungen des erst im folgenden Stück in sein rechtes Licht zu setzenden richtigen Verhältnisses zu finden; aber eben dadurch kommt er mit sich selbst in einen gewissen Widerspruch. Zwar hebt der Vf. S. 31 alle Züge hervor, welche die Ansicht, dass Zeus im Unrecht sei, als nicht bewiesen darstellen sollen, und behauptet, bei der entgegengesetzten Auffassung gehe man von einer Ansicht aus, die noch erst des Beweises bedürfe; aber er selbst hat ja gesagt, dass eben diese Vorstellung bei dem Hörer zu erwecken die Absicht des Dichters gewesen sei.“ Das habe ich allerdings gesagt, aber nicht, dass die Absicht des Dichters sich darauf beschränkt habe. Er erweckte jene Vorstellung vielmehr nur deswegen, um dem Falschen nachher das Wahre desto wirksamer gegenüberzustellen. Und wenn es nun in der That auch schon in unserer Tragödie an Andeutungen des Wahren nicht fehlt, so war doch für den Erklärer wohl auch die Nothwendigkeit vorhanden, diese nicht unbeachtet zu lassen, und ich würde gerechten Tadel verdienen, wenn ich sie übersehn hätte. Dabei soll ich nun aber in eine offenbare Inconsequenz verfallen sein, indem ich S. 33 sage, man thue dem Okeanos Unrecht, wenn man in ihm nur furchtsame Unterwürfigkeit und ein kraftloses Wohlmeinen finden wolle, dem es an Energie gebreche, das Würdige und Grosse zu thun, da ich doch vorher S. 11 gesagt habe, er erscheine nach dem ersten Eindrucke als ein gutmüthiger Schwächling, der die sittliche Grösse seines Freundes gar nicht zu begreifen im Stande sei. Meine Inconsequenz wird also wohl darin bestehn, dass ich, nachdem ich vorher den ersten Eindruck geschildert, nachher das Ergebniss einer von der Gewalt dieses Eindruckes nicht mehr befangenen, besonneneren Betrachtung ausspreche, und dadurch jenen als Täuschung bezeichne. Mit welchem Rechte aber Sie darin eine Inconsequenz finden, gestehe ich nicht einzusehn.

Hierauf beginnen Sie, meiner Ansicht die Ihrige entgegenzustellen. Sie erkennen an, dass der Eindruck, den die Tragödie, für sich betrachtet, mache, dem Prometheus günstig sei; jedoch nicht in dem Maasse, dass gegen den Prometheus gar kein Bedenken erhoben werden könnte, ganz in Uebereinstimmung mit meiner S. 30 gegebenen Auseinandersetzung: „aber,“ setzen Sie hinzu, „auf der andern Seite können wir eben so wenig zugeben, dass der Wahrheit nach alles Recht auf Seiten des Zeus sein könne; sonst dürfte, wie schon bemerkt,

das vorliegende Stück nicht überwiegend den entgegengesetzten Eindruck machen.“ Das haben Sie allerdings vorher bemerkt, aber Sie haben es nicht bewiesen: denn Ihre Behauptung, dass dies keine wahre Kunst gewesen sein würde, kann doch unmöglich als ein Beweis gelten sollen. Aus dieser unbewiesenen und unerweislichen Behauptung nun, und aus Ihrer Ansicht über die allein zulässigen tragischen Conflicte folgern Sie denn weiter, dass auch in diesem Kampfe des Prometheus auf beiden Seiten eine einseitige Verfolgung des Rechtes bis zum Uebermaass, eine ὕβρις, stattfinden müsse, welche, wenn sie nicht ausgeglichen werde, beide Theile nicht zum Ziele führe; die Ausgleichung aber müsse in dem Zurückführen beider Theile auf das rechte Maass bestehn, und das Verhältniss werde wohl ein ähnliches sein, wie wir es in einer andern, ihren Stoff aus derselben mythischen Sphäre entlehnenden Composition unsers Dichters, in der Orestia erkennen. Im Prometheus nämlich sei dem Zeus eine ähnliche Stellung gegeben, wie den Eumeniden in dem Schlussstücke der Orestia: Zeus sei hier nicht der höchste Gott des Volksbewusstseins, nicht der sonst vom Aeschylus so erhaben geschilderte; sondern, wie in den Eumeniden, so führe uns auch im Prometheus der Dichter die Zeit der noch unentwickelten Weltordnung vor; wie jene finstern Urmächte ihr Wesen einer Veränderung und Läuterung unterwerfen müssen, um in der bestehenden sittlichen Weltordnung eine Stelle zu finden, die jeden Streit im Reiche der Götter aufhebe, so sei auch dieser Zeus in seiner schroffen Opposition gegen das höhere Göttergeschlecht ein selbst der Entwickelung fähiges, der Läuterung bedürftiges Wesen, und der Dichter begehe keine Sünde, wenn er diesen in einem gehässigen Lichte erscheinen lasse. Den Process, den er mit den Eumeniden vornahm, habe er wohl auch bei dem höchsten Gotte, der nicht minder als ein gewordener gedacht wurde, sich erlauben dürfen. Dies ist, wie Sie selbst nicht unbemerkt lassen, auch Dissens Ansicht, gegen die ich meine Einwendungen S. 29 meines Buches vorgetragen habe. Die eine dieser Einwendungen ist: es sei kein triftiger Grund vorhanden, dem Aeschylus eine solche Vorstellung von einem noch unvollkommenen, der Entwickelung und Läuterung bedürftigen Zeus zuzuschreiben. Dissen gehe nämlich davon aus, dass im gefesselten Prometheus Zeus doch wirklich tyrannisch handle, womit er nichts anders meinen könne, als dass die Bestrafung des Prometheus, so unverhältnissmässig für das Vergehen, ein Uebermaass tyrannischer Gesinnung zu verrathen

scheine. Nun sehen wir aber aus den vorhandenen Ueberresten des gelösten Prometheus, dass Zeus nach den Jahrhunderten, die seit der Handlung des gefesselten verflossen sind, noch eben so hart ist als vorher. Denn nicht nur lässt er die Strafe des Prometheus fortdauern, sondern er hat sie sogar noch verschärft durch den Adler, der an seiner Leber nagt. Dies deutet, sage ich, auf keine Sinnesänderung, und ich halte mich [deswegen] überzeugt, dass Zeus dem Aeschylus in seinem Thun und Wollen unwandelbar und ewig sich selber gleich blieb, und dass mithin, wenn der Zeus des gefesselten Prometheus ein Tyrann war, auch der des gelösten es gewesen sei, und wenn dieser nicht, dann ebensowenig auch jener. Dem letzten Theile dieser Argumentation werfen Sie S. 334 eine petitio principii vor: ich habe darum jetzt eine Causalconjunction eingeschaltet, die ich früher gespart hatte, in der Meinung, dass der Zusammenhang auch ohne sie nicht verkannt werden könnte. Ist nun etwa meine Folgerung nicht richtig? Ist Zeus, wie er zu Anfang des gelösten Prometheus erscheint, weniger hart als im gefesselten? Und wenn er dies nicht ist, was haben wir denn für einen Grund zu der Annahme, dass Aeschylus im gelösten den höher entwickelten und edleren, im gefesselten aber den noch unvollkommenen der Entwickelung und Läuterung bedürftigen Zeus hat darstellen wollen? Der Grund, sagen Sie, müsse sich aus Ihrer bisherigen Darstellung ergeben: wahrscheinlich wohl aus Ihrer Behauptung über die Natur der tragischen Conflicte; denn Alles, was Sie ausserdem sagen, kann doch nur die von mir selbst S. 29 anerkannte Möglichkeit einer solchen Ansicht von Zeus erweisen, keineswegs aber, dass Aeschylus sie wirklich gehabt, oder, wenn er sie hatte, dass er sie in dieser Trilogie dargestellt habe. — Meiner andern Einwendung, dass ich mir nicht denken könne, wie Aeschylus die im Laufe der Zeit eingetretene Umwandelung des Zeus auf angemessene Weise in seiner Tragödie habe darstellen können, setzen Sie Folgendes entgegen: „Wie der Dichter die Sinnesänderung des Zeus eintreten liess, wissen wir freilich nicht, weil wir überhaupt sehr wenig von dem gelösten Prometheus wissen; das hindert aber die Vermuthung, dass eine solche eingetreten sei, ebensowenig, als der Verfasser durch die eiserne Consequenz und Starrheit des Prometheus in unserem Stücke sich gehindert gesehn hat, dessen Sinn im folgenden beugen zu lassen.“ Hiergegen erlaube

ich mir zuvörderst zu bemerken, dass meine Einwendung nicht war, *wir wüssten nicht*, sondern ich *könne mir nicht denken*, wie Aeschylus die Umwandlung des Zeus aus einem grausamen Tyrannen in einen sittlich erhabenen Herrscher schicklich habe darstellen, d. h. namentlich wie er sie habe motiviren können. Die Umwandlung des Prometheus aus einem trotzigen Gegner in einen Freund und Verehrer des Zeus lässt sich begreifen als Folge einer Belehrung über seinen früheren Irrthum, wie sie ihm in meinem Versuche stufenweise durch die Titanen, die Gäa, den Herakles, endlich durch die Themis zu Theil wird; und dann erscheint er mir in dieser Umwandelung, in dieser Bereitwilligkeit, dem jetzt erst richtig erkannten sich unterzuordnen, grösser und edler, als in seinem früheren Trotze: womit übrigens nichts von dem zurückgenommen sein soll, was ich selbst über die mir sehr wohl bekannten Mängel jenes Versuches gesagt habe. Ebenso wird in den Eumeniden die Umwandlung der Erinyen durch den weisen Zuspruch der Zeustochter Athene motivirt, indem diese ihnen das Vorgegangene in seinem wahren Lichte zeigt, und sie überzeugt, dass ihnen dadurch ihr altes wohlbegründetes Recht nicht genommen, dass sie auch fernerhin als mächtige und ehrwürdige Gottheiten bestehn und geachtet werden sollen.

Wenn Sie daher sagen, „auf ähnliche Art wie in den Eumeniden dürfen wir uns also auch wohl hier die Versöhnung der streng zürnenden Macht denken," so könnte es scheinen, als ob Sie auch über dem Zeus, wie über den Eumeniden eine höhere Weisheit annehmen, durch die er belehrt und somit umgestimmt würde. Das ist nun aber doch Ihre Meinung nicht; vielmehr „nachdem der Sturm sich gelegt, die Verhältnisse sich geordnet, die Berechtigung des Zeus zur Weltherrschaft von Göttern und Menschen, also auch vom Prometheus, anerkannt ist," soll der streng zürnende versöhnt sein. Aber, mein Verehrtester, Versöhnung des streng zürnenden, und Umwandelung aus einem grausamen Tyrannen, wie Zeus im gefesselten Prometheus erscheint, in einen sittlich erhabenen Herrscher, wie ihn der Menschenfreund Prometheus ehren und lieben konnte, oder, um mich Ihres eigenen früheren Ausdruckes zu bedienen, Entwickelung und Läuterung des noch unvollkommenen zu dem vollendeten obersten Gotte der gegenwärtigen Weltordnung, das sind doch zwei gar sehr verschiedene Dinge. Zürnen gegen einen Empörer, Strafe verhängen über den eigensinnig Trotzenden, durfte doch wohl auch der schon vollkommen

entwickelte Zeus; und dass Zeus auch damals schon, als er scheinbar tyrannisch den Prometheus strafte, nicht unversöhnlich war, hat ja Aeschylus selbst durch den Mund des Okeanos ausgesprochen. Sie meinen freilich S. 332, das sei eine schwach begründete Meinung des guten Alten; aber warum? Hat doch Okeanos, der nach Prometheus' eigener Aussage V. 331 Alles gemeinschaftlich mit ihm unternommen hatte, an sich selbst schon die Erfahrung von der Versöhnlichkeit des Zeus gemacht. Aber freilich, er hat sich nicht trotzig gegen ihn aufgelehnt, sondern der höheren Macht und Weisheit unterworfen: darum ist er ungestraft geblieben: und auch Prometheus' Strafe, weiss er, wird aufhören, sobald er sich selbst erkennt, sobald er aufhört zu trotzen und sich dem Zeus unterordnet. Das ist nun freilich dem Prometheus noch nicht möglich, dem widerstrebt sein Stolz, und die hohe Meinung, die er von sich selbst, die geringe, die er vom Zeus hat: aber liegt denn nun die Schuld nicht bloss an ihm? kam es nicht bloss darauf an, dass er sich selbst erkannte, wie Okeanos ihm V. 310 empfiehlt; und bedurfte es deshalb einer „wesentlichen Modification des Charakters des Zeus," wie Sie meinen? Das einzige vielmehr, dessen es bedurfte, war die Sinnesänderung des Prometheus, die dieser freilich jetzt noch nicht über sich gewinnen kann, die aber in dem folgenden Stücke doch nothwendig eingetreten sein muss: und es fragt sich also bloss, wie der Dichter dieselbe hier habe motiviren können. Nach meiner Ansicht nur so, dass er den Prometheus seines früheren Irrthums inne werden, ihn sowohl sich selbst und seine That, als auch den Zeus und dessen Wesen und Gesinnung, die er vorher verkannt hatte, im wahren Lichte erkennen liess, wobei denn Zeus derselbe blieb, der er von Anfang an gewesen war, und sein Verfahren gegen den Prometheus nicht als eine ὕβρις des noch unentwickelten Gottes, sondern als ein Akt der, wenn auch streng, doch nicht unverdient strafenden Gerechtigkeit erschien: nach Ihrer Ansicht dagegen so, dass Zeus wirklich ein anderer wurde, als er gewesen war, und Prometheus dem Vollkommneren die Ehre erwies, die er dem Unvollkommneren verweigert hatte. Für diese Ansicht, die, wie ich gezeigt zu haben glaube, durch Nichts bisher von Ihnen vorgebrachtes begründet ist, führen Sie nun S. 333 auch noch Folgendes an: „Wäre," sagen Sie, „der Zeus im Prometheus nicht dieser unentwickelte Gott, so konnte bei ihm selbst die Befürchtung nicht vorhanden sein, noch einmal entthront zu werden: er konnte nicht mit den gestürzten Göttern

in eine Kategorie gebracht werden;" und S. 335: „der ganze Conflict beruht darauf, dass Prometheus wirklich auf ein Wissen pochen kann, das den Zeus von ihm abhängig macht. — Ist Zeus, wie Hr. S. will, als ewig derselbe und unwandelbar in der ganzen Composition des Dichters aufgefasst, so kann er nicht von den Drohungen des Prometheus so geängstigt sein, wie er in den Worten des Hermes erscheint." Aber lassen Sie mich zunächst einmal fragen, woher Sie denn eigentlich wissen, dass Zeus wirklich seinen bevorstehenden Sturz befürchte, dass er wirklich nur aus solcher Furcht den Hermes absende, um den Prometheus zur Entdeckung des Geheimnisses zu vermögen, von dem die Fortdauer seiner Herrschaft abhänge? Weil Prometheus es sagt und glaubt? Dass dies nichts beweisen könne, ist wohl augenfällig; und überdies habe ich in meinem Buche S. 22, 23 die Voraussagungen des Prometheus näher beleuchtet, und gezeigt, wie wenig ein sicheres Wissen aus ihnen hervorgehe. Auch berufen Sie selbst sich nicht auf diese, sondern nur auf die Sendung des Hermes, durch welchen Zeus dem Prometheus befiehlt, ihm die Ehe kund zu thun, von der er prahle, und wer jenen vom Throne stürzen solle. Ist es nun etwa von selbst klar, dass Zeus solchen Befehl nur aus Furcht habe erlassen können? Mir scheint das keineswegs so ganz unzweifelhaft. Zeus konnte den Befehl auch deswegen erlassen, damit der Hass und Trotz des Prometheus sich in seiner vollen Grösse zeige, ganz ebenso wie er in der Theogonie bei dem Opfer zu Mekone nur deswegen sich unwissend stellt, damit Prometheus seinen beabsichtigten Trug vollführe, und so seine Gesinnung vollkommen offenbar werde. Und ich sehe nicht, durch welchen Grund Sie mich nöthigen könnten, dem Zeus des Aeschylus lieber jene Furcht, als dieses Motiv zuzuschreiben. Aber ich will Ihnen freiwillig einräumen, was Sie verlangen: Zeus soll wirklich die Möglichkeit einer Entthronung gefürchtet, wirklich kein Mittel gewusst haben, die Gefahr abzuwenden, wenn Prometheus es ihm nicht entdeckte: daraus würde denn doch nur folgen, dass Zeus weder allmächtig und vom Schicksal unabhängig, noch allwissend und seiner eigenen Moira vollkommen kundig sei. Dies habe ich selbst S. 38 auseinandergesetzt. Meinen denn Sie nun etwa, er sei nur zu Anfang noch nicht allmächtig und allwissend gewesen, aber es nachher bei weiterer Entwickelung geworden? Ich meines Theils meine, dass der Zeus der Volksreligion, der Zeus, wie Aeschylus ihn auffasste, auch in seiner höchsten Entwickelung immer nur relativ, nicht absolut der höchste

gewesen sei. Als ein gewordenes, nicht ursprünglich vorhandenes Wesen, als ein Erzeugniss von Ursachen, die vor ihm da waren, ist auch er von einer ausser ihm seienden Nothwendigkeit abhängig, derselben, die ihn selbst und Alles von Anbeginn hat entstehen lassen. In dem Gebiete zwar, welches ihm in der von jenen uranfänglichen Ursachen ausgegangenen Entwickelung der Welt zugefallen, ist er der oberste Herrscher: aber er hat in eben dem, woher er seinen Ursprung hat, auch seine nothwendige Beschränkung, und dies ist seine Moira: und so ist es denn auch wohl möglich, dass, obgleich er innerhalb seines Gebietes Alles weiss und vermag, doch die Moira, von der er selbst abhängt, ihm nicht vollständig klar und offenbar ist. Zu einer höhern Idee des Zeus hat sich Aeschylus schwerlich erhoben, und von solcher Idee konnte die Möglichkeit einer Entthronung durch einen Grösseren niemals ausgeschlossen werden, worüber ich ebenfalls S. 109 und 136, 137 ausführlich gesprochen habe. Ihrem Zeus nun aber soll diese Möglichkeit nur in seinem früheren unvollkommneren Zustande drohen, später nicht mehr, und Sie wollen also mit Ihrem entwickelten und vervollkommneten Zeus viel höher hinaus, rücken ihn dem Gott des Christenthums viel näher, als ich, den Sie beschuldigen, christliche Ansichten in den Aeschylus hineinzutragen.

Ein fernerer Punkt, den ich zu erledigen habe, betrifft die Aeusserungen der Nebenpersonen in unserer Tragödie, von denen keine, wie Sie S. 332 richtig bemerken, selbst diejenigen nicht, die entschieden auf der Seite des Zeus stehn, Gründe vorzubringen vermögen, welche den Prometheus im Unrecht erscheinen zu lassen geeignet wären, woraus denn folgen soll, dass auch nach der Intention des Dichters Prometheus nicht ohne Weiteres als strafbarer Empörer, Zeus als unfehlbarer Weltregent aufgefasst werden dürfe. Was Sie hinzufügen, der ganze Gang des Stückes bringe nichtsdestowenigen den Eindruck hervor, dass Prometheus bei dem sich immer steigernden und zuletzt nur noch auf seine Kunde von dem bevorstehenden Sturze des Zeus übermüthig trotzenden Starrsinn nicht beharren könne; sei er auch nicht eigentlich im Unrecht, so sehe man doch, dass hier der Punkt sei, wo er werde umkehren müssen: dies muss ich bekennen, nicht zu verstehen. Woraus sieht man denn, dass er nicht beharren könnte? Weil Zeus ihn in den Tartarus zu schleudern droht? Er lässt sich ja hinabschleudern. Weil er nicht vermögen wird, die Qualen des Tartarus, oder was ihm nach dem Wiederaufsteigen aus diesem bevorsteht,

länger zu ertragen, auch nicht so lange, bis der von ihm vorausgesehene Mächtigere kommen und den Tyrannen entthronen wird? — Ich wünschte, Sie hätten hier Ihre Meinung mit Ihren Gründen etwas deutlicher auseinandergesetzt, statt sich bloss auf den *Eindruck*, auf ein *Man sieht doch* zu berufen, was für denjenigen, der nun einmal nicht sieht und auf den der Gang des Stückes diesen Eindruck nicht hervorbringt, — und dass sich Viele und keinesweges geringe Leute in diesem Falle befunden haben, kann Ihnen ja nicht unbekannt sein, — unmöglich die Stelle von Gründen vertreten kann. — Hinsichtlich aber der Aeusserungen der Nebenpersonen, aus denen Sie einen Beweis zu Gunsten des Prometheus entnehmen zu können meinen, erlauben Sie mir mit meiner Antwort hierauf zugleich das zu verbinden, was ich gegen eine frühere Stelle Ihrer Recension zu sagen habe, wo Sie den von mir behaupteten höheren sittlichen Adel des Zeus und den Irrthum und die Schuld des Prometheus ebenfalls durch die Aeusserungen der Nebenpersonen zu widerlegen suchen. „Welche der in dem vorliegenden Stücke auftretenden Personen erkennt den höheren sittlichen Adel des Zeus an?“ fragen Sie mich S. 337. Ich frage dagegen: welche, ausser dem Prometheus, leugnet ihn? Dass Hephästos nur von der Härte und Strenge des neuen Regiments redet, Okeanos als Motiv seines Rathes an den Prometheus, sich zu unterwerfen, nur die Furcht vor noch härteren Strafen geltend macht, kann doch nicht als Beweis dienen sollen, dass auch in der That der Zeus in diesem Stücke von dem Dichter nur als der Mächtigere, nicht als der Bessere gedacht worden sei. Denn welchen Grund konnte Aeschylus haben, jenen Personen das richtige Verständniss und Urtheil in den Mund zu legen? Gebot ihm nicht vielmehr seine Kunst, in dieser Tragödie, die den Widerstand des Prometheus auf seinem höchsten Punkte darstellen und die Theilnahme des Zuschauers für den menschenfreundlichen Götterfeind in Anspruch nehmen sollte, Alles zu vermeiden, wodurch jener Widerstand sogleich als ein unberechtigter erscheinen und die Theilnahme für ihn beeinträchtigt werden musste? — „Wer schreibt,“ fragen Sie weiter, „dem Zeus die Absicht zu, nach Vertilgung des vorgefundenen Menschengeschlechtes ein anderes und besseres zu schaffen?“ Niemand allerdings von den im vorhandenen Stück auftretenden Personen; und dennoch drängt uns Alles zu dieser Annahme. Wer spricht überhaupt von der beabsichtigten Vertilgung und der Erschaffung eines neuen Geschlechtes? Nur Prometheus. Und welchen Grund

schreibt er dem Zeus zu? Gar keinen. Wir haben deswegen zwischen folgenden drei Möglichkeiten wählen. Entweder Zeus wollte das Menschengeschlecht vertilgen um ein besseres zu schaffen, oder er wollte es vertilgen, weil es aus der Zeit der ihm verhassten Titanenherrschaft stammte, oder endlich, er wollte es vertilgen aus einer unmotivirten Zerstörungslust: denn eine vierte Möglichkeit, er habe ein schlechteres Geschlecht erschaffen wollen, darf ich wohl mit Stillschweigen übergehn. Das erste nun von jenen dreien wollen Sie nicht zugestehn, weil es nicht ausdrücklich bezeugt ist. Aber ist denn das zweite oder dritte bezeugt? Wenn Sie also eins von diesen beiden annehmen, so können Sie es nur in Folge Ihrer anderweitig bestimmten Ansicht über den Charakter des Zeus thun. Wollen Sie nun etwa das dritte? dann haben Sie einen nicht bloss unentwickelten, der Vervollkommnung bedürftigen, sondern Sie haben einen bösartigen Zeus, der ganz offenbar an sittlichem Werthe weit unter seinem Gegner steht, und der nicht bloss der Vervollkommnung, sondern einer gänzlichen und radikalen Umwandlung bedürfen wird, um der Weltherrschaft werth zu sein. Oder wollen Sie lieber das zweite? Ich denke, Ihr Zeus erscheint nicht weniger bösartig, wenn er die Menschen bloss aus solchem Grunde, als wenn er sie aus gar keinem Grunde vertilgen will. Es dürfte also doch wohl die erste Annahme die einzig zulässige sein. — Ihre letzte Frage ist: „wo ist es auch nur angedeutet, dass Prometheus, der wiederholt als Wohlthäter der Menschen gepriesen wird, dies nicht auf die rechte Art gewesen sei?" Allerdings nirgends: nirgends aber auch, dass er es auf die rechte Art gewesen sei. Die Stellen, wo von seinen Wohlthaten gegen das Menschengeschlecht geredet wird, — diejenigen abgerechnet, wo er selbst sich preist, die, wie Sie zugeben werden, hier nicht in Betracht kommen dürfen, — sind folgende. Erstens, in den Worten des Kratos V. 7 bis 9, wo der Feuerraub als eine *ἁμαρτία* bezeichnet wird: zweitens, in den Worten des Hephästos V. 30, wo ihm ein Ueberschreiten der Gebühr Schuld gegeben wird: drittens, in den Worten des Kratos V. 82, wo seine That als eine *ὕβρις* bezeichnet wird: viertens in den Worten der Okeaniden V. 251, wo die blinden Hoffnungen, die Prometheus den Menschen eingeflösst, ein *μέγ' ὠφέλημα* genannt werden: fünftens, in den Worten derselben V. 450 folg., wo seine That als eine eigenwillige, aus übergrosser Vorliebe für die Menschen hervorgegangen, bezeichnet wird: sechstens, in den Worten der Io V. 596, wo Prometheus als Wolthäter des ganzen

Menschengeschlechts anerkannt wird: siebentens endlich, in den Worten des Hermes V. 925, wo seine That, ähnlich wie von Kratos, als ein ἐξαμαρτεῖν εἰς θεοὺς bezeichnet wird. Die Aeusserungen des Kratos und Hermes werden Sie natürlich, als parteiisch und einseitig, nicht gelten lassen, und ich gebe sie Ihnen gerne Preis, wogegen Sie mir denn auch zugestehn werden, dass ich dem Urtheil der Io kein allzugrosses Gewicht einräume. Es bleiben also nur Hephästos und die Okeaniden übrig. Den ersten bezeichnen Sie selbst S. 332 als theilnehmend für den Prometheus, der der wiederholten Ermahnungen von Seiten der rohen Gewalt bedürfe, um das ihm aufgetragene Werk zu vollführen, dem er widerstrebend seine Hände leiht, und der nur die Härte und Strenge eines neuen Regiments als Grund für die harte Bestrafung, nur die bittere Nothwendigkeit, den Willen des Vaters zu vollführen, als Grund für seinen Antheil an dieser Bestrafung anzuführen vermöge. Nicht weniger gross ist die Theilnahme der Okeaniden, die sie theils durch Klagen über die Härte des Zeus, theils dadurch an den Tag legen, dass sie den Titanen, auch als der Abgrund ihn verschlingt, nicht verlassen wollen. Und dennoch billigen weder sie noch Hephästos die That des Prometheus; beide vielmehr tadeln sie als ein Ueberschreiten der Gebühr, ein eigenwilliges, übermässiges Streben für die Menschheit. Der eigentliche Sinn und Gehalt dieses Tadels bleibt freilich unklar: klar aber ist doch soviel, dass er die Auflehnung des Prometheus gegen den Willen des Zeus betrifft. Ob diese Auflehnung bloss als unklug gegen den Mächtigeren, oder ob sie auch als unsittlich gegen den Weiseren und Besseren getadelt werde, ist nicht deutlich. Wer nun aber, wie Sie, einen noch unvollkommnen und unentwickelten Zeus annimmt, der muss sich natürlich die untergeordneten Götter noch unvollkommner denken, und kann ihnen kein anderes Motiv als das der furchtsamen Klugheit zutrauen, die da räth, dem Mächtigeren zu gehorchen, wer er auch sei. Steht es aber so um die Nebenpersonen des Stückes, wie können Sie denn verlangen, dass die rechte Würdigung der That des Prometheus, wie ich sie mir denke, durch Andeutungen in den Reden dieser Nebenpersonen hätte begründet werden sollen, die ja zu solcher Würdigung durchaus unfähig sein mussten. Gewiss, diese Würdigung musste anderswoher genommen werden, und konnte nirgendswo anders hergenommen werden, als aus dem, was uns sonst über des Dichters religiöse Weltansicht, über sei-

nen Glauben von Zeus und dessen Verhältniss zur Menschheit bekannt ist.

Sie tadeln mich S. 338, dass ich mich für meine Auffassung der durch Prometheus dem Menschengeschlechte zu Theil gewordenen Güter auf den Platonischen Protagoras berufen habe. „Wer berechtigt uns," sagen Sie, „Plato und Aeschylus auf eine Linie zu stellen, und das religiöse Bewusstsein und die Mythenauffassung des einen nach dem rücksichtlich des Charakters der Zeit und der Individuen so wesentlich verschiedenen Standpunkte des andern zu messen?" Darauf könnte ich mehreres erwiedern, was mich jetzt zu weit führen würde: darum hier nur soviel. Ich denke, meine ganze Darstellung S. 50 ff. muss zeigen, dass jene Auffassung unabhängig von Plato sei. Versuchen Sie es nur einmal und streichen in meiner Einleitung S. 50, 2 die Worte „mit dem Platonischen Protagoras," S. 51, 14 die Worte „wie Protagoras es nennt," und S. 52 unten die ganze Stelle „Klarer noch tritt dies beim Platonischen Protagoras hervor" sammt dem folgenden Satze fort; ich bin überzeugt, Sie werden finden, dass mein Raisonnement auch ohne alle Berufung auf Plato's entsprechende Ansicht vollkommen bestehe, wie ich mich denn auch hinsichtlich der höheren, sittlichen Güter, die den Menschen auch nur von den Göttern kommen können, ja nicht auf Plato, sondern auf Aeschylus selbst und seine Zeitgenossen, Simonides und Pindar, berufen habe. Dass Prometheus, der götterfeindliche Titan, diese Güter den Menschen gegeben habe oder habe geben können, werden Sie nicht behaupten: auch das werden Sie wohl eingestehn, dass ein Leben nur mit den Mitteln zur Befriedigung der niedern Bedürfnisse, aber ohne jene sittlichen Güter, kein der Menschheit wahrhaft entsprechendes, und Prometheus, so gut er es auch mit den Menschen meinte, doch, wenn er sie den Göttern entfremdete, von denen, nicht nach mir oder nach Plato, sondern nach Aeschylus, Simonides, Pindar, jene Güter stammen, nicht unbedingt als Wohlthäter der Menschheit angesehen werden konnte. — Sie sagen ferner: „Nicht das bestreiten wir, das Aeschylus, wie die auf gleicher geistiger Höhe stehenden Zeitgenossen, die Gottheit in höchster ethischer Vollendung aufgefasst, dass er in ihr die Quelle der Tugend gesehn habe; aber dass es seine Absicht gewesen sei, in der Mittheilung jener auf die äussere Existenz gerichteten Güter das Verbrechen des Prometheus zu bezeichnen, weil er sie dadurch vom rechten Wege abgeleitet, und ihn zum Verführer der Menschen eben deswegen zu

stempeln, weil er sie klug und nicht gut gemacht, das ist es, was wir nicht zugeben können.“ Ich habe in der Vorrede den Wunsch ausgesprochen, dass man bei dem Widerspruche, den ich voraussah, sich nicht verdriessen lassen möge, meine Behauptungen und die Auseinandersetzung ihrer Gründe überall im Zusammenhange zu prüfen; und diesen gewiss billigen Wunsch wiederhole ich auch jetzt. Solche Prüfung wird zeigen, dass auch ich die Schuld des Prometheus gar nicht in die Mittheilung jener Güter an und für sich, sondern vielmehr darin gesetzt habe, dass er, um meine eigenen Worte S. 49 zu wiederholen, dem Zeus in demjenigen widerstrebt habe, worin dieser allein zu gebieten hatte, in der Führung und Erziehung des Menschengeschlechts, dass er (S. 47) die Rathschlüsse des Zeus in selbstgefälligem Dünkel auf seine bessere Einsicht gemeistert, als ungerecht und tyrannisch gescholten, und durch keckes Eingreifen zu stören und zu vereiteln unternommen habe. Sie wird ferner zeigen, dass ich die Richtung auf das Niedere ebenfalls nicht an sich, sondern nur deswegen getadelt habe, weil sie einseitig war und eben um dieser Einseitigkeit willen, die das Höhere ausschloss, die Menschen vom wahren Wege abführte, woraus denn auch klar ist, dass, wenn ich den Prometheus als Verführer der Menschen bezeichne, ich dabei nur die nothwendige Folge seines Eingreifens in die göttliche Führung des Menschengeschlechtes, nicht eine auf Verführung und Verderben gerichtete Absicht meine. Prometheus ward der Verführer der Menschen vielmehr aus Irrthum, weil er die nothwendigen Folgen seiner Handlung nicht vorhersah, und dieser Irrthum hat seine Quelle in selbstgefälliger Ueberschätzung seiner eigenen Weisheit und Einsicht, dass er besser als Zeus zu wissen meinte, was den Menschen, und wann es ihnen fromme und nöthig sei. Dies Alles scheint mir nun aber so einfach und nahe liegend, dass ich mich nur darüber wundern kann, wenn man dem Aeschylus die Fähigkeit absprechen will, es von seinem Standpunkte aus ebensogut zu erkennen. Sie indessen gestehn ihm S. 339 doch wenigstens eine Ahnung davon zu, und nehmen somit zurück, was Sie S. 329 ausgesprochen, dass Ihnen meine Ansicht Nichts als ein Phantasiebild, eine Illusion scheine. Es käme demnach bloss darauf an, uns über den grössern oder geringern Grad von Klarheit zu verständigen, mit welcher Aeschylus sich das, was nach Ihrem eigenen Eingeständniss in seiner eigenen Weltanschauung begründet war, zum Bewusstsein gebracht habe. Sie reden nun so, als ob ich ihm vollkommen entwickelte, christliche Ideen

von einer der Menschheit anhängenden Sündhaftigkeit, welche nur durch Hingabe an die göttliche Gnade zur Erlösung gelange, zugeschrieben habe. Was ich aber wirklich gesagt habe, ist nur dies, dass Aeschylus eine den Göttern befreundete Gesinnung der Menschen für die nothwendige Bedingung ihres Glückes angesehn, dass er geglaubt habe, wie alle andere Güter, so kämen auch die höchsten Gaben der Sittlichkeit und Tugend nur von den Göttern. Und ich sollte meinen, dies haben auch Sie wohl im Aeschylus gefunden, und Sie werden mir beistimmen, wenn ich sage, dass, wer es nicht gefunden, auch gar nicht verdiene, dass man über den Aeschylus mit ihm rede. In diesem Sinne aber, und nur in diesem, nicht in dem christlichen, den Sie meinen, ist Alles das gedacht, was ich über die That des Promethus, über seine Verführung der Menschen und über die Art der Versöhnung mit dem Zeus vorgebracht habe. Findet man darin etwas dem Christlichen Analoges, eine Vorahnung des Christenthums, gleichsam eine fides implicita, um mit Hieronymus zu reden, so habe ich Nichts dagegen: Alles wahrhaft Religiöse ist dem Christenthum verwandt.

Soll aber damit gemeint sein, dass es eben deswegen nicht antik, oder — da das Antike gerade in dieser Beziehung eine ebenso grosse Mannichfaltigkeit von Standpunkten zeigt, als die neueste Zeit, — dass es nicht Aeschyleisch sei, so hoffe ich dagegen gezeigt zu haben, dass wenigstens die Einwendungen, die Sie vorgetragen haben, meine Ansicht, sofern sie nur unentstellt und im Zusammenhange aufgefasst wird, nicht treffen oder widerlegen. Dass übrigens meine eigene Nachdichtung des gelösten Prometheus in Ton und Haltung vielmehr modern als Aeschyleisch sei, habe ich selbst ausdrücklich genug gesagt; aber von dieser Nachdichtung handelt es sich auch gar nicht, sondern lediglich von meiner Einleitung und der dort S. 63 ff. gegebenen Entwickelung. Dass aber Sie, mein Verehrtester, es vorgezogen haben, zu der Dissen'schen Ansicht über die Art, wie Aeschylus den Conflict zwischen Zeus und Prometheus gefasst und die Lösung gegeben habe, zurückzukehren, wundert mich um so mehr, weil Sie mir dadurch in Widerspruch mit eben den Forderungen zu gerathen scheinen, die Sie gegen mich haben geltend machen wollen. Sie verlangen nämlich, ich hätte mich bei der Reconstruction des gelösten Prometheus durchaus nur an die Andeutungen halten sollen, die sich im Gefesselten finden, und Sie tadeln es mehrmals, dass ich mich weiter umgesehen und von meiner anderweitigen Kenntniss, oder, wenn Sie

wollen, von meiner Vorstellung über den religiösen Standpunkt des Aeschylus ausgegangen bin. Wollen wir nun aber diesen Standpunkt ausser Acht lassen und die Reconstruction des gelösten Prom. lediglich von dem Gefesselten aus unternehmen, so müssen wir, wenn wir consequent sein wollen, nothwendig zu einem derartigen Ergebniss kommen, wie es Gravina, Schütz u. A. und am schroffsten Bellmann aufgestellt haben: Zeus muss ein undankbarer, hassenswürdiger Tyrann sein, wie Prometheus ihn schilt, da nirgends in unserm Stücke sich eine Aeusserung für das Gegentheil findet; er muss im Gelösten entweder gestürzt werden oder sich vor dem Prometheus demüthigen; denn dies wird ja ausdrücklich im Gefesselten vorausgesagt, und von Anerkennung eines Unrechts von Seiten des Prometheus, von einer Ausgleichung, bei der auch Er gegen Zeus gefehlt zu haben gestände, ist in dem erhaltenen Stücke gar nichts angedeutet. Sie müssen also dies von anderswoher erschliessen, sei es aus Ihrem Kunstgesetze über die Natur der tragischen Conflicte, sei es aus Ihren Ansichten über die Religion des Dichters. Damit haben Sie also sich ebendasselbe erlaubt, was Sie mir nicht erlauben wollen, und also selbst das Fundament Ihrer Critik verläugnet. Sie haben durch die That anerkannt, dass man sich nicht lediglich an den Gefesselten halten dürfe. Nur soweit soll man doch nicht gehn, als ich gegangen bin, so sehr Unrecht soll doch Prom., so ganz Recht Zeus nicht haben. Deshalb also greifen Sie zu der Vorstellung von einem in dem vorhandenen Stücke noch unvollkommen, nachher aber entwickelten und geläuterten Zeus, und schreiben diese unbedenklich dem Dichter als die Grundidee seiner Dichtung zu, ohne dazu, wie ich glaube gezeigt zu haben, durch irgend eine bei ihm selbst vorkommende Aeusserung berechtigt zu sein. Dass an und für sich betrachtet der Zeus des Volksglaubens, als ein gewordener, solche Vorstellung nicht ausschliesse, habe ich schon bemerkt, und ich könnte Ihnen selbst einige sprechende Belege dafür geben, dass Manche im Alterthum ihn sich in der That als einen solchen gedacht haben, der erst allmählich herangereift, und nach Ablegung jugendlicher Fehler und Mängel mit der Zeit zu dem erhabensten Wesen geworden sei; aber dem Aeschylus dürfen wir doch diese Vorstellung nicht so ohne Weiteres leihen, noch sie zur Erklärung seiner Dichtung gebrauchen, ausgenommen wenn es gar keine andere mögliche Erklärungsart gibt. Da es nun aber eine solche allerdings gibt, so bedarf es für ihre Auffassung positiver Beweise, die Sie nicht gege-

ben haben und nicht geben können. — Und worin soll denn eigentlich Ihrer Meinung nach das Unrecht, die ὕβρις des noch unentwickelten Zeus bestanden haben? Lag darin ein Unrecht, wenn er dem untergeordneten Titanen nicht gestattete, im dünkelhaften Vertrauen auf besseres Wissen und Wollen seinen Geboten zuwider das zu thun, was Er nicht gut hiess? Hatte Prometheus ein Recht des Widerstrebens gegen ihn? musste Zeus ihn gewähren lassen, seinen Trotz, seine Lästerungen ertragen, ohne ihn dafür zu strafen? Das werden Sie nun wohl nicht verlangen; aber Sie werden vielleicht das Unrecht des Zeus eben darin finden, dass, was Prometheus wollte, Er nicht wollte; in welchem Falle Sie denn nothwendig den Prometheus für den Weiseren und Besseren erklären müssen; oder, wenn dies nicht, vielleicht darin, dass Zeus nicht lieber durch Güte und Belehrung den Prometheus von seinem Vorhaben abzubringen gesucht habe. Dann würde Ihnen aber obliegen zu zeigen, dass Prometheus schon damals, als seine That mit ihren Folgen noch ungeschehen war, der Belehrung empfänglich, und bereit gewesen sein würde, seine vermeintliche Weisheit der höhern des Zeus unterzuordnen, was, wie Sie eingestehn werden, durchaus im Widerspruch mit seinem Character steht. Oder sollte etwa das Unrecht des Zeus nur in dem Uebermaass und der Härte der Strafe bestehn? So hätte denn auch im gelösten Prom. die Ausgleichung wohl darin bestehn müssen, dass er dem Prom. wegen dieses Uebermaasses eine Genugthuung gegeben, sich mit den Umständen, den noch ungeordneten Verhältnissen des neuen Regiments, seiner eigenen noch jugendlich unentwickelten Natur entschuldigt, etwa auch für die Zukunft grössere Mässigung und königlicheres Handeln verheissen hätte. Und ein solches Bild des höchsten Gottes, ein solches Stück aus seiner Jugendgeschichte, einen in jugendlicher ὕβρις das Maass überschreitenden, allmählich erst, einem schwachen Sterblichen gleich, zur Besonnenheit gelangenden Zeus, der, wenn er seinen Feind nicht versöhnte, nothwendig seinen Thron verlieren musste: dies seinen Zuhörern vorzuführen, das, meinen Sie, hätte sich mit der Religiösität des Aeschylus besser vertragen, dadurch würde er weniger „den Glauben an die Gerechtigkeit des höchsten Wesens auf eine höchst bedenkliche Weise erschüttert", weniger „ein gefährliches, seine Frömmigkeit sehr in Frage stellendes Spiel mit dem Volksglauben getrieben haben", als wenn er, wie ich es mir denke, zuerst zwar ein falsches, einseitiges, unwahres Bild hinstellte, unmittelbar darauf aber

die Wahrheit in desto hellerem und wirksamerem Lichte zeigte? — Ich sollte meinen, die Antwort könne nicht zweifelhaft sein. Und so glaube ich denn, dass Alles, was Sie gegen meine Auffassung des Prom. vorgebracht haben, sich mit gleichem oder grösserem Rechte gegen die Ihrige wenden, von gültigen Gründen aber, wie ich sie für die meinige aufgestellt, sich Nichts für die Ihrige vorbringen lasse. Möge nun die Sache nochmals Ihnen und allen unbefangenen und vorurtheilslosen Forschern zur allseitigen Erwägung empfohlen sein.

Greifswald. Schömann.

EMENDATIONES AGAMEMNONIS AESCHYLEAE.

3 Quum Aeschyleam Agememnonem hoc semestri auditoribus nostris praelegeremus, ne saepius ac diutius quam vellemus in emendandis locis corruptis, qui plurimi sunt in hac fabula, morari cogeremur, hanc rationem inire placuit, ut de huiusmodi locis iudicium nostrum inter praelegendum paucis tantum verbis significaremus, accuratiorem autem disputationem proximae scriptioni academicae reservaremus, quae hibernarum scholarum indici praemittenda esset. Sic enim et nostrae et auditorum commoditati melius consulere videbamur, quam si intermisso identidem interpretationis cursu ad criticas quaestiones deverteremus, animosque totos modo in praestantissimae tragoediae virtutibus defixos subito ad minutum hoc et spinosum genus disputandi avocaremus, ac pro summi poetae versibus librariorum errores codicumque sordes tractaremus. Quamvis enim multas corruptelas superiorum criticorum sollertia iam sustulerit, ad quorum disputationes remittere auditores liceat, restant tamen non pauciores, quae quum nondum a quoquam emendatae, partimque ne animadversae quidem sint, aut intactae et tanquam desperatae relinqui, aut aliter quam a superioribus factum est tentari debeant. Harum unam atque alteram sic ego mihi emendasse videor, ut de emendationis veritate dubitari a peritis certe non posse confidam; in aliis, si minus ipsam veritatem assequutus esse, propius tamen fortasse quam superiores ad eam accessisse iudicabor. Quoniam autem non doctis solum et peritis, sed tironibus quoque nunquam antehac in Aeschyli lectione versatis haec disputatio scribenda fuit, accuratius nonnunquam et copiosius etiam talium emendationum rationes exponendae esse videbantur, quae apud doctiores nulla demonstratione egerent. Tirones vero ante omnia

docendi sunt, quam multis quamque gravibus omnis generis corruptelis omnes fere Aeschyli tragoediae affectae sint, quamque multae saepenumero mutationes in paucorum verborum ambitu faciendae sint, ad speciem fortasse audaces, reapse autem certae et necessariae. Nam non solum levius illud et tralaticium genus vitiorum in Aeschyli codicibus corrigendum est, quod litterarum aut syllabarum similium permutatione aut prava vocabulorum coniunctione, aut verborum ac versuum vel omissione vel transpositione aliisque eiusmodi erroribus constat, a quibus ne attenti quidem librarii satis tuti esse solent, praesertim quum describunt quae ipsi non intelligunt, id quod in Aeschyli 4
fabulis saepenumero accidisse nemo mirabitur; sed alia multa sunt aliquanto graviora et ad emendandum difficiliora. Horum primum genus e scripturae compendiis ortum est. Apparet enim in eo codice, unde nostri omnes derivati sunt, saepenumero non integra vocabula omnibus litteris perscripta fuisse, sed partem quandam, modo extremam modo mediam, omissam et siglis tantum notatam [1]), quae ubi aut deessent aut negligerentur aut secus acciperentur, permultos pepererunt librariorum errores, eosque nonnunquam tales, ut omnis locorum sententia mutaretur et perverteretur. Peius etiam genus corruptelarum, et quod facilius fallere possit, ex interpretamentis natum est, quum quae aut obscurae alicuius aut inusitatae dictionis explicandae causa ab aliquo enarratore adscripta erant, post a librariis pro emendationibus haberentur expulsisque genuinis in orationem poetae inferrentur [2]). Accessit denique correctorum mala sedulitas, qui quum vi-

1) Tironum causa aliquot decurtatorum vocabulorum exempla apponam ex huius ipsius fabulae codicibus superstitibus enotata, unde cognoscent saltem quale sit hoc genus corruptelarum. Sic igitur *λέξει* v. 38. pro *λέξειεν* est in cod. Flor. *παλίντροπ.* pr. *παλιντρόποις* v. 745. in Farn., *πρόπαρ.* pr. *προπάροιθ'* v. 982. in Flor. *ταλάϊν* pr. *ταλαίνας* v. 1102. in Ven. et Flor. *νύμφ.* pr. *νύμφας* v. 1138. in iisdem. Imprimis saepe vocabulorum exitus propter compendia permutati sunt, ut v. 115. *βοσκομένην* in Farn. pro *βοσκομένους*, v. 435. *ἐχθρῶν* pr. *ἐχθρά* in eodem, v. 717. *πικροῦ* pr. *πικράς* in Flor. ne de iis dicam, ubi similitudo litterarum permutationis causa fuit.

2) Hinc est quod v. 110. omnes codices habent *δίκας πράκτορι* pro eo quod Hermannus verissime restituit *πράκτορι ποινᾶς*, item v. 98. *εἰπεῖν* pro *αἰνεῖν* (*αἰνεῖ*) Flor. et Farn. v. 103. *θυμοφθόρον* pr. *θυμοβόρον* Med. v. 184. *Ἀργείων* pr. *Ἄργους* omnes, v. 202. *αὐδᾷ* pr. *ὀργᾷ* Guelph. et Farn., v. 267. *ἀγγέλου* pr. *ἀγγάρου* omnes, v. 403. *δόξαι* pr. *δοκαί* omnes, v. 405. *παραλλάξασα* pr. *παραλλαγᾷ* omnes, v. 527. *τυράννων* pr. *κοιράνων* Flor., v. 1087. *τύπτει* pr. *θενεῖ* omnes, v. 1123. *δήγματι* pr. *δάκει* omnes.

tiosa, aut quae ipsi vitiosa esse crederent, corrigere pro captu suo conarentur, nimis saepe ex mediocri et sanabili vulnere ulcus fecerunt longe malignius, tantoque ad curandum difficilius, quanto tectius est falsamque sanitatis speciem prae se fert. Atque hae omnes corruptelarum causae non raro in uno eodemque loco concurrerunt, ut non unum atque simplex vitium extiterit, sed multa inter se coniuncta aliaque ex aliis nata, quorum nisi caput et fontem detexeris, medicinam frustra tentes. — Haec igitur corruptelarum genera in Aeschyli codicibus omnia, et creberrime quidem, deprehendi periti non ignorant, imperiti docendi sunt. Et poterunt doceri e superiorum criticorum commentariis, eo maxime, quem e Godofredi Hermanni schedis ante biennium M. Hauptius edidit, in quo et codicum scripturas omnes accurate consignatas, et genera vitiorum plerumque indicata, multa etiam egregie emendata videbunt. Ac licet ne Hermannus quidem omnia aut animadverterit aut recte tractaverit, nihilo minus tamen longe omnes superasse dicendus est, qui nostra memoria partim in Britannia partim in Germania Aeschylo emendando operam dederunt.
5 Sed nobis nunc in Aeschyleis locis tractandis hunc ordinem sequi placet, ut a facilioribus, quorum simplex corruptela certaque emendatio est, ad difficiliora graviusque corrupta progrediamur.

Promptissima emendatio est vers. 1203. ed. Herm., ubi chorus, postquam Cassandram audivit de coena Thyestae liberisque ad vescendum patri propositis vera praedicantem, haec ait:

τὴν μὲν Θυέστου δαῖτα παιδείων κρεῶν
ξυνῆκα καὶ πέφρικα, καὶ φόβος μ᾽ ἔχει
κλύοντ᾽ ἀληθῶς οὐδὲν ἐξῃκασμένα,

Quid autem significare dicemus haec *οὐδὲν ἐξῃκασμένα*? Stanleius quidem, quum vertit non ex coniectura prolata, *οὐδὲν* pro *οὐ* dictum esse statuit, verbo *ἐξεικάζειν* autem eam significationem tribuit, qua simplex quidem *εἰκάζειν* dicitur, ut sit coniecturam capere ex notis quibusdam atque indiciis, nunquam autem illud compositum. Nam *ἐξεικάζειν* semper est i. q. *ἐξομοιοῦν*, assimilare, simile facere, *ἐξῃκασμένος* i. q. *ὁμοῖος*, quemadmodum ab Aeschylo Sept. ctr. Theb. v. 426 fulmen Iovis dicitur *οὐδὲν ἐξῃκασμένον μεσημβρινοῖσι θάλπεσιν τοῖς ἡλίου*: haudquaquam simile meridianis Solis caloribus. — Schützius autem, qui locum sic convertit: metus me occupat, vera te dicere, haud conie-

cturas proferre audientem, de verbo *ἐξεικάζειν* in eodem quo Stanleius errore versatur, sed adverbium *ἀληθῶς* cum *κλύοντα* coniunctum sic accepisse videtur, quasi *ἀληθῶς κλύειν* idem sit atque *ἀληθέα κλύειν*. Hoc refutare non opus est. Diversam ab utroque, sed non meliorem viam Blomfieldius iniit: nam *οὐδὲν ἐξῃκασμένα* significare putat non modo levi similitudine expressa, ut subaudiri necesse sit sed prorsus assimilata atque congrua. Cuinam igitur? Nempe veritati rerum. Et fortasse hanc veritatis significationem invenire sibi visus est in adverbio *ἀληθῶς*, quasi *ἀληθῶς ἐξῃκασμένα* idem sit quod *ἀληθέσιν ἐξῃκασμένα*. Quid plura addam? Certum est Aeschylum scripsisse *ἀληθῶς οὖσιν ἐξῃκασμένα*, et *οὐδὲν* pro *οὖσιν* librariis deberi. Nam *ἀληθῶς ὄντα* sunt res vere gestae, vaticinia autem rebus vere gestis congrua easque, ut gestae erant, sic referentia, recte dicuntur *ἀληθῶς οὖσιν ἐξῃκασμένα*.

Non minus certa emendatio est v. 1211, ubi Cassandrae, vaticinia sua a choro non recte percepta videnti, haec verba in codicibus tribuuntur:

ἦ κάρτ' ἄρ' ἂν παρεσκόπεις χρησμῶν ἐμῶν.

Piget superiorum conamina referre, quorum nemo in constructione verbi *παρασκοπεῖν* cum genitivo casu offendisse videtur, licet nulla sit huius defendendae ratio. Unus Musgravius accusativum requiri intellexit, proposuitque *ἦ κάρτ'* (voluit *κάρθ'*) *ὅρον παρεσκ.* Aeschylus autem scripsit

ἦ κάρτα νοῦν παρεσκόπεις χρησμῶν ἐμῶν,

unde postquam *καρταναν* factum est, correctores alterum *ἂν* in *ἄρ'* mutarunt. Quodsi qui forte sint, qui *νοῦν* v. mentem vaticiniorum sibi probari postulent, hi Fischerum adeant, ad Aristoph. Plut. v. 55, ubi legitur: *πυθοίμεθ' ἂν τὸν χρησμὸν ἡμῖν* (vulgo *ἡμῶν*) *ὅ τι νοεῖ.*

Versuum 1243 et 1244 ordinem in codicibus turbatum rectissime 6
Hermannus restituit:

ὀμώμοται γὰρ ὅρκος ἐκ θεῶν μέγας,
ἄξειν νιν ὑπτίασμα κειμένου πατρός.

sed quae ab eodem interpretatio proposita est, Opusc. II. p. 81, vereor ut teneri possit: magnum enim ab diis dictum est iusiurandum, revocaturam eum esse necem prostrati patris. Immo

non hoc solum dii iurarunt, rediturum in patriam Oresten, sed perfecturum vindictam necis paternae: *πράξειν νιν ὑπτίασμα κειμένου πατρός*. Nam *πράττειν* pro *πράττεσθαι* etiam alibi Aeschylus dixit, Eum. v. 614: *φράζειν Ὀρέστῃ τῷδε τὸν πατρὸς φόνον πράξαντα μητρὸς μηδαμοῦ τιμὰς νέμειν*. — In proximo versu

τί δῆτ' ἐγὼ κάτοικος ὧδ' ἀναστένω;

Hermannus *μέτοικος* scripsit, quemadmodum iam ante H. L. Ahrens coniecerat. Respici enim ait ad v. 1234, ubi Cassandra se ab Apolline e patria deductam esse queritur ad mortem Argis obeundam, confirmarique emendationem etiam proximis versibus, ubi opponantur *τῇ μετοίκῳ* illi, qui in patria interempti sint. Atqui vix credo eam, quae captiva in peregrinam terram deducta sit, recte *μέτοικον* dici potuisse, quum praesertim non habitatura ibi, sed statim moritura sit[3]): neque rationem video, cur facillimam Scaligeri emendationem *κάτοικτος* spernamus. Nam id quidem nemo dubitabit, quin prorsus personae suae convenienter Cassandra dicere possit: quid ego sic lamentabilis conqueror? An forte hoc ipsum huic emendationi offecit, quod nimis facilis ideoque parum sagax visa est? Certe sagacius Auratus *πρόοικος* coniecisse dicitur. Nempe sic est nonnunquam vir summus, ad instar venatoris illius Callimachei, *τὰ μὲν φεύγοντα διώκειν οἶδε, τὰ δ' ἐν μέσσῳ κείμενα παρπέταται*. Nam hoc non credo eum movisse, quod *κάτοικτος* alibi non legitur. Ne *ἔποικτος* quidem alibi legi arbitror, quam uno Aeschyli loco, Ag. v. 1582; neque tamen propterea a quoquam in dubium vocatum est.

Versuum 1282 sqq. in codicibus haec forma est:

7 *ἡλίῳ δ' ἐπεύχομαι*
πρὸς ὕστατον φῶς, τοῖς ἐμοῖς τιμαόροις
ἐχθροῖς φονεῦσι τοῖς ἐμοῖς τίνειν ὁμοῦ
δούλης θανούσης εὐμαροῦς χειρώματος.

quae quum manifesto corrupta aliterque ab aliis tentata sint, Hermannus

---

3) *Μετοίκους* Reisigius, enarr. Oed. Col. p. CXXV, recte monet a poetis generatim dici eos, qui sedibus suis mutatis alieno in loco habitent; sed hoc ipsum, ut habitent ibi, non negligendum est. Quamobrem non recte puto ab eodem Reisigio et ab Hermanno in Ag. v. 57 *τῶν δὲ μετοίκων* de pullis vulturum accipi e nido abreptis, licet praeiverit hanc explicationem scholiastes. Intelligendi sunt ipsi vultures in altissimis locis nidulantes et in summo aethere volitantes, ideoque caelestium deorum quodammodo inquilini.

ingeniosissimam quidem, sed audaciorem tamen quam opus erat coniecturam proposuit. Nam Agamemnonis quoque mentionem fieri debuisse censuit, ne Cassandra suam a regis causa seiungeret ac futuros illos ultores non Agamemnonis sed ipsius poenas ab interfectoribus repetituros esse diceret. Igitur versum aliquem de Agamemnone excidisse statuit, quumque apud Hesychium *ἀσκεύοις* ex Aeschyli Agamemnone citetur, quod vocabulum in superstitibus fabulae partibus nusquam legitur, id in hac ipsa Cassandrae oratione commodissime usurpari potuisse ratus, verbis aliquot transpositis integroque versu addito sic locum refinxit:

ἡλίῳ δ' ἐπεύχομαι
πρὸς ὕστατον φῶς βασιλέως τιμαόρους
ἴσας δίκας φανέντας ἀσκεύοις ὁμοῦ
ἐχθροῖς φονεῦσι τοῖς ἐμοῖς τίνειν ἐμοῦ
δούλης θανούσης εὐμαροῦς χειρώματος.

Mihi autem vix videtur Aeschylus post possessivum *ἐμοῖς* statim otiosum illum et supervacaneum genitivum *ἐμοῦ* additurus fuisse: deinde, quum aliae multae magnaeque sint huius fabulae lacunae, Hesychianum illud *ἀσκεύοις* facile potuit in alia quapiam parte legi: denique Agamemnonis hoc loco mentionem necessariam fuisse non existimo. Nam de hoc quidem eiusque ultione Cassandra iam ante quantum satis fuit dixerat; nunc de semet ipsa loquens non vituperanda est, si ultores illos, licet ipsos quidem unius regis mors ad vindictam vocatura sit, tamen solum tanquam suae caedis vindices memorat. Immo videtur mihi hoc Aeschyleae arti magis consentaneum, quippe quem alias quoque semper de una quaque re separatim dicere videam, neque facile miscere, quae quamvis reapse coniuncta, efficacius tamen singulatim proponi intelligat. Itaque omni additamento abstinendum esse puto, locumque, paucis verbis leniter mutatis unoque versu transposito, sic scribendum:

ἥλιον δ' ἐπεύχομαι
πρὸς ὕστατον φῶς, τοὺς ἐμοὺς τιμαόρους,
δούλης θανούσης, εὐμαροῦς χειρώματος
ἐχθροῖς, φονεῦσι τοῖς ἐμοῖς τίνειν ὁμά.

Et *ὁμά* pro *ὁμοῦ* scribendum esse iam Stanleius vidit, quod vocabulum, licet alias apud epicos tantum lectum, alienum tamen a tragicorum sermone nemo dicet, praesertim Aeschyli, qui etiam alia quae-

dam epica ascivit, a ceteris tragicis, quantum quidem constet, non usurpata.

Hi loci, quorum facilis et, nisi me animus fallit, certa emendatio fuit, ex uno omnes episodio sunt, in quo Cassandrae persona induci-
8 tur; quo episodio nihil quidquam excellentius, nihil ad animos auditorum vel horrore vel admiratione vel misericordia permovendos efficacius a quoquam ullius aut gentis aut aetatis poeta factum est. Et prospera quadam fortuna accidit, ut haec pars tragoediae, sicut longe ceteris praestantior est, ita etiam corruptelis paucioribus et levioribus tantum afficeretur. Restant tamen nonnullae in eius parte priore, de quibus, antequam ad reliquam fabulam accedam, dicendum esse videtur. — Primum igitur v. 1009—1011 Clytaemnestra Cassandram ut regias aedes secum introeat hortata sic loquitur:

ἀλλ' εἴπερ ἐστὶ μὴ χελιδόνος δίκην
ἀγνῶτα φωνὴν βάρβαρον κεκτημένη,
ἔσω φρενῶν λέγουσα πείθω νιν λόγῳ.

Hoc *ἔσω φρενῶν* plerique cum *λέγουσα* coniungentes interpretantur: ita loquens ut intelligat ac mente percipiat. Sed nullum extat loquutionis hoc sensu usurpatae exemplum: nam quae ab Hermanno afferuntur, Soph. Phil. v. 1325, *γράφου φρενῶν ἔσω*, et Eurip. Med. v. 316, *ἔσω φρενῶν ὀρρωδιά μοι*, longe diversam significationem habere apertum est. Klausenius cum Bothio *ἔσω φρενῶν* i. q. *φρονίμως*, prudenter, esse voluit, Schützius denique verba sic construxit, *φωνὴν βάρβαρον ἔσω φρενῶν κεκτημένη*: quorum utrumvis pariter insolens et improbabile est. Mihi Aeschylus scripsisse videtur *εἰ σωφρονεῖ*, idque mutatum esse vel librariorum errore vel correctorum inscitia, quibus duplex illa protasis, *εἴπερ* et mox *εἰ*, offensioni fuerit. Sunt autem huius generis exempla non admodum rara, quum priori conditioni subiungitur altera, quo indicetur, quod prius positum est, ad id quod in apodosi dicitur efficiendum ita demum valere, si accedat etiam altera conditio, quemadmodum hoc loco non satis est intelligere Cassandram quae Clytaemnestra dicat, nisi etiam recte sapiat, ut id, quod intellexerit illam dicere, etiam faciendum sibi statuat neque contumaciter respuat, *κακῶν φρενῶν κλύουσα*, ut paullo post Clytaemnestra ait v. 1023. Exempla autem duplicis protaseos ex utriusque linguae scriptoribus suppeditabunt Heindorf. ad Plat. Phaed. p. 51 sq. Ellendt. Lex. Soph. 1 p. 493. Madvig. ad Cic. de fin. p. 332.

V. 1085 vaticinantis de regis caede Cassandrae verba haec leguntur:

> ἆ ἆ ἰδοὺ, ἰδού· ἄπεχε τῆς βοὸς
> τὸν ταῦρον· ἐν πέπλοισιν
> μελαγκέρῳ λαβοῦσα μηχανήματι
> τύπτει.

Pro *μελαγκέρῳ* alii *μελάγκερων* scripserunt, idque nonnullis placuit, Agamemnonem cum tauro comparari credentibus nigris cornibus praedito. Mihi hoc perineptum videtur: nec minus ineptum, quod in altera lectione epitheton illud ad *μηχανήματι* appositum ideo putant, quo indicetur ictibus ferri Agamemnonem quasi nigris cornibus peti. Repudiatur ista interpretatio vel hoc uno argumento, quod *μηχάνημα* non de ictibus ferri dici potuit, sed tantum de artificio, quo virum Clytaemnestra irretiverat, h. e. de *ἀπείρῳ* illo *ἀμφιβλήστρῳ*, ut alibi vocatur. Huic autem epitheton a cornibus ductum nullo modo convenire apparet, sed debetur illud librariis, quibus, quum antea vaccam et taurum nominari viderent, nunc quoque horum cornua obversa- 9
bantur. Aeschylum autem scripsisse credo *μελαγκότῳ μηχανήματι.* Nam ut atrocem iram *μέλανα κότον* dici potuisse nemo ambiget, sic illud atrocis irae artificium recte *μελάγκοτον μηχάνημα* dici potuisse manifestum est: neque dubitari de hoc adiectivo propterea debebit, quod aliud eius exemplum fortasse non extat. Pro *τύπτει* autem Hermannus *θένει* scriptum fuisse suspicatur propter strophicum versum 1076, qui ab iambo, *φόνου*, incipit; sed debuit potius *θενεῖ*, quoniam praesens *θένω* nullum est. Nam quod statim subiungitur *πίτνει*, praesens post futurum in prophetica oratione neminem offendet; *τύπτει* autem ex interpretatione illatum est, cuius generis sat multa sunt in Aeschyli codicibus exempla, unumque et alterum mox a nobis tractabuntur.

In proximis chori versibus 1092 sqq.

> κακῶν γὰρ διαὶ
> πολυεπεῖς τέχναι θεσπιῳδοὶ
> φόβον φέρουσιν μαθεῖν,

parum credibile est *φόβον μαθεῖν* dici potuisse pro eo quod est metus sensum percipere. Credibilius est Aeschylum scripsisse *φόβον φέρουσιν μάταν*: timorem afferunt, quo nihil tamen proficitur, quemadmodum *τὸ μάταν ἄχθος* supra v. 154 de sollicitudine

dicitur, qua quis incassum nulloque cum fructu angitur. Et talia futurorum malorum praesagia etiam v. 246 chorus recusavit.

V. 1096. Cassandra canit sortem suam conquerens:

ἰὼ ἰὼ ταλαίνας κακόποτμοι τύχαι.
τὸ γὰρ ἐμὸν θροῶ πάθος ἐπεγχέασα.

quorum versuum alter, quum antistrophico v. 1106 una syllaba longior sit, ab Hermanno mutatus est, prima persona θροῶ in secundam θροεῖς, participio autem ex feminino ἐπεγχέασα in masculinum ἐπεγχέας mutato. Id probari nullo modo potest. Nam chorus nihil nisi de vaticiniis Cassandrae dixerat infaustis sibique auditu ingratis, quod profecto non erat sortem illius conqueri. Immo recte se habet θροῶ: incipit enim ipsa nunc iam sua mala lamentari. Sed ἐπεγχέασα ex interpretatione irrepsit pro eo, quod Aeschylus scripserat, ἐπεγχυτόν: meam calamitatem, inquit, Agamemnonis calamitati admixtam. Scilicet quia in fatis fuit, ut una cum Agamemnone ipsa quoque periret, propterea huius sorti suam admixtam dicit. Sed interpretes, quasi diceret se, postquam Agamemnonis sortem questa sit, nunc adiecturam suae sortis querimoniam, ἐπεγχέασα adscripserunt. Similiter participium pro nomine verbali irrepsit v. 405, παραλλάξασα pro παραλλαγᾷ, et Choeph. v. 65 καθαίροντες pro καθαρσίοις, quod recte Hermannus restituit. — Neque erat, quod in proximo versu,

ποῖ δή με δεῦρο τὴν τάλαιναν ἤγαγες;

pro secunda persona tertia ἤγαγεν scriberetur. Vera est codicum scriptura: obversatur enim Cassandrae animo Apollo, quem appellaverat supra v. 1032 et 1036, ab eoque se huc deductam questa erat v. 1046; neque opus erat nunc quoque diserte eundem nominari, quandoquidem nemo facile tam tardus est, quin etiam sine nomine quis intelligendus sit perspiciat.

10 In chori verbis v. 1112:

τὰ δ' ἐπίφοβα δυσφάτῳ κλαγγᾷ
μελοτυπεῖς ὁμοῦ τ' ὀρθίοις ἐν νόμοις,

illud ὁμοῦ τ' falsum esse non potest dubitari; sed non minus falsa est Hermanni emendatio: μελοτυπεῖς ὁμοῦ στένουσ' ὀρθίοις ἐν νόμοις. Sic enim ille scripsit, integro pede ad versum addito, propterea quod etiam in stropha v. 1102 sic ab Aeschylo scriptum fuisse coniecit: ἀκόρετος βοᾶς φιλοίκτοις ταλαίναις φρεσίν. Et leguntur sane haec duo epitheta in cod. Ven. et Flor.; sed veram scripturam servavit cod. Farn., in quo solum φιλοίκτοις extat, omisso eius interpreta-

mento *ταλαίναις*. In Mediceo *φεῦ ταλαίνας* aut *φεῦ ταλαίναις* esse dicitur, ortum, ut arbitror, ex *φιλταλαίναις*, quum scriba a vero vocabulo ad eius interpretamentum aberraret et sic utrumque in unum conflaret. In antistrophico autem sine dubio scribendum est

μελοτυπεῖς ἄμουσ' ἐν ὀρθίοις νόμοις.

Nam *ἄμουσα* Cassandrae vaticinia dicuntur eadem ratione, qua Sphingis infausta aenigmata *ἀμουσόταται ᾠδαὶ* apud Euripidem, Phoen. v. 814. *Ὀρθίοις* disyllabum est per synizesin.

Mox Cassandra, postquam vetera Pelopidarum scelera commemoravit, chorum compellat interrogans: *ἥμαρτον, ἢ θηρῶ τι τοξότης τις ὥς; ἢ ψευδόμαντίς εἰμι θυροκόπος φλέδων;* h. e. quid ais? veraxne tibi esse videor, an mendax et vana? atque his deinde subiungit v. 1155:

ἐκμαρτύρησον προὐμόσας τό μ' εἰδέναι
λόγῳ παλαιὰς τῶνδ' ἁμαρτίας δόμων.

quae verba quin corrupta sint dubium esse non potest. Absurdum est enim postulare, ut chorus iuratus testimonium dicat, ipsam ea, quae cecinerat, fama accepisse, *λόγῳ εἰδέναι*: nam neque scire chorus potest, famane accepta an divinitus inspirata cecinerit, et si cecinit fama accepta, non iam vates, qualem se esse affirmat, sed nihil diversa a quovis relatore veteris memoriae videbitur. Atque etiam si cum Hermanno scribas *τὸ μὴ εἰδέναι*, partem quidem corruptelae, nondum tamen totam sustuleris. Nam *προὐμόσας τὸ μὴ εἰδέναι* non is dici potest, qui alterum, sed is tantum, qui semet ipsum nescire aliquid iurat: ut nihil dicam de mirifica talis iuris iurandi postulatione. Aeschylus scripsit *ἐκμαρτύρησον πορύμοσάσῃ μὴ εἰδέναι* — h. e. tu mihi testis esto (scil. utrum vera an falsa sim), postquam tibi affirmavero, me nihil istarum rerum fama compertum habere. Scilicet haec affirmatio in his ipsis verbis inest. Ad loquutionem conferri potest v. 1143: *καὶ μαρτυρεῖτε συνδρόμως ἴχνος κακῶν ῥινηλατούσῃ τῶν πάλαι πεπραγμένων.* — *Ἐκμαρτυρεῖν* pro *μαρτυρεῖν* de praesentis, non, ut in forensi sermone, de absentis testimonio non solum Aeschylus dixit Eum. v. 453, sed etiam Aeschines in Timarch. p. 126 (§ 107), ubi recte scholiastes interpretatur *ἐκφῆναι διὰ μαρτυρίας*. — Respondet chorus: *καὶ πῶς ἂν ὅρκου πῆγμα γενναίως παγὲν παιώνιον γένοιτο;* h. e. non sibi opus esse significat Cassandrae affirmatione, quoniam nihil ex eo solātii percepturus sit, si de veritate eius praedictionum sibi persuasum fuerit.

Nam manifestum est, tanto maiorem eius sollicitudinem fieri debere, quanto minus de veritate praedictionum illarum dubitare liceat. *Παι-*
11 *ώνιον* de eo, quod sollicitudinem consolatur, eodem modo dictum est, atque supra v. 99: *παίων τε γενοῦ τῆσδε μερίμνης*. — Sequuntur deinceps haec:

θαυμάζω δέ σε
πόντου πέραν τραφεῖσαν ἀλλόθρουν πόλιν
κυρεῖν λέγουσαν, ὥσπερ εἰ παρεστάτεις.

Sed *πόλιν* in versu secundo ineptum est: neque enim de civitate, sed tantum de regia domo Cassandra dixit. *Ἀλλόθρους* ipsa est, pro *πόλιν* autem scribendum *πάνυ*, coniungendumque cum verbis sequentibus. Librariis haec collocatio adverbii fraudem fecit. Neque ferendum fuit, quod codices in primo versu habent, *θαυμάζω δέ σου*. Huiusmodi constructionum deliciae grammaticorum acumini admodum placere solent; ab Aeschyli ingenio abhorrent.

V. 1166. Postquam Cassandra se ab Apolline amatam esse dixit, chorus interrogat:

ἦ καὶ τέκνων εἰς ἔργον ἠλθέτον νόμῳ;

fueruntque qui illud *νόμῳ* satis defendi posse crederent Homerico illo, *ἣ θέμις ἀνθρώπων πέλει, ἀνδρῶν ἠδὲ γυναικῶν*, aliisque similibus. Sed aliud est *νόμος*, aliud *θέμις* vel *δίκη*. Neque Butleri coniectura, *ἠλθέτην ὁμοῦ*, vera est, sed scribendum *γάμῳ*, quod vocabulum non solum de iustis nuptiis, sed de amatoria consuetudine saepissime a tragicis usurpari nemini ignotum esse debet.

In Cassandrae verbis v. 1187:

οὐκ οἶδεν οἷα γλῶσσα μισητῆς κυνὸς
λέξασα κἀκτείνασα φαιδρόνους, δίκην
Ἄτης λαθραίου, τεύξεται κακῇ τύχῃ.

omnes, quod sciam, *φαιδρόνους* de simulata laetitia acceperunt, quemadmodum etiam in Eum. v. 622 *εὔφροσιν* non unus aut alter interpretum, sed plerique omnes de simulata benevolentia dictum esse opinantur. Scilicet licuisse poetae illud ipsum omittere, quod maxime ad rem pertineret, atque sic contrarium eius dicere, quod intelligi volebat. Quumque videam hodieque esse, qui in Eum. istam interpretationem tueantur, neque audiant verum docentes me ad h. l. et Bernhardium Syntax. p. 83, iisdem etiam illud *φαιδρόνους* numquam non satis placiturum esse certo scio. Qui autem saniore iudicio sunt, malent, opinor, mecum scribere *φαιόνους*, eadem significatione qua

μελανόφρων et *κελαινόφρων* (Eum. v. 451), quemadmodum etiam *φαιοχίτων* pro *μελαγχίτων* Aeschylus dixit Choeph. v. 1046.

Haec sunt quae in Cassandrae episodio non improbabiliter mihi emendasse videor: nunc de proxima parte fabulae videbimus, cuius item aliquot vulnera curanda erunt, sed nec nimis gravia illa, nec admodum sanatu difficilia. Ac primum quidem in Clytaemnestrae verbis, quae post perpetratam regis caedem in scenam prodiens loquitur, v. 1332 sq.:

πολλῶν πάροιθεν καιρίως εἰρημένων
τἀναντί᾿ εἰπεῖν οὐκ ἐπαισχυνθήσομαι.
πῶς γάρ τις ἐχθροῖς ἐχθρὰ πορσύνων, φίλοις
δοκοῦσιν εἶναι, πημονὴν ἀρκύστατον
φράξειεν ὕψος κρεῖσσον ἐκπηδήματος;

scribendum utique cum Hermanno *πημονῆς ἀρκύστατ᾿ ἄν*: sed quod 12
idem in versu tertio *πᾶς* pro *πῶς* scripsit, nollem factum[4]). Vulgatae lectionis sententia haec est: non me pudet nunc aliter loqui, atque olim tempori serviens (*καιρίως*) dissimulanter loquuta sum: quo enim modo possit aliquis insidias inimicis insuperabiles struere, scilicet nisi sic, ut ego, in tempore dissimulet? Reticetur autem haec conditio, utpote facile e contextu subintelligenda, usitato Graecorum more in huiusmodi enuntiationibus post *γάρ* et *ἐπεί*, quum superius dictorum ratio redditur, ubi noster sermo aliquod adverbium, ut sonst vel anders, usurpare solet ad omissam protasin significandam. Quodsi Aeschylo quoque scribere placuisset: *πῶς γάρ τις ἄλλως ἐχθρὰ μηχανώμενος ἐχθροῖς, φίλοις δοκοῦσιν εἶναι, πημονῆς ἀρκύστατ᾿ ἂν φράξειεν;* nemo profecto haesisset. Sed de ista omissione res in vulgus nota est et iam in scholasticis libris tradita, ut a Krügero in gr. gr. § 54, 12, 9 p. 173 ed 1. et Naegelsbach. ad Il. 1, 223.

V. 1382 in oratione Clytaemnestrae, qua choro caedem regis haud inultam fore minanti respondet, haec leguntur:

λέγω δέ σοι
τοιαῦτ᾿ ἀπειλεῖν ὡς παρεσκευασμένης

---

4) Olim in Opusc. 1 p. 98 vir summus *πῶς* retinuerat, scripserat autem *πημονῆς ἀρκυστάτων φράξει᾿ ἂν ὕψος* —, quod cur postea repudiaverit periti sua sponte intelligent, minus periti cognoscere poterunt ex Elmsleii annotatione ad Eurip. Med. v. 416.

ἐκ τῶν ὁμοίων χειρὶ νικήσαντ' ἐμοῦ
ἄρχειν· ἐὰν δὲ τοὔμπαλιν κραίνῃ θεός,
γνώσει διδαχθεὶς ὀψὲ γοῦν τὸ σωφρονεῖν.

Qualem fere sententiam contextus postulet, non obscurum est: talem scilicet: suadeo tibi huiusmodi minis tum demum uti, si me superaveris imperiumque nactus fueris; quibus dein apte opponitur: sin contra deus fecerit, (nempe ut ego te superem,) sero sapere disces. Sed in codicum scriptura neque sententia neque constructio verborum iusta agnosci potest. Primum enim haec verba *ὡς παρεσκευασμένης ἐμοῦ ἄρχειν*, quae nihil aliud significare possunt, quam: ut quae parata sim imperare, hoc loco prorsus inepta esse apparet. Qui potuit enim Clytaemnestra chorum ad minandum provocans hac ratione uti, quod ipsa ad imperandum parata esset? Deinde, etiamsi aliquis ista *ὡς παρεσκευασμένης ἐμοῦ ἄρχειν* ferri posse censeat, tamen quid sibi velint haec, quae interposita sunt, *χειρὶ νικήσαντ'* nemo dixerit. Nam sive dativum, *νικήσαντι*, esse statuis, sive accusativum, *νικήσαντα*, pariter et collocatio verborum et sententia perversa est. Nam quod Hermannus hanc striblíginem ferendam tamen putat atque sic interpretandam: iubeo te talia minari, ut me parata imperare mihi, qui vicissim me vi vicerit, idque esse: minitare, si libet; ego parata sum, si, quemadmodum ego nunc potentior sum, sic tu me viceris, ferre imperium: equidem ista latina non minus quam graeca perverse dicta esse arbitror. Quis enim unquam dixit: parata sum mihi imperare aliquem pro eo quod est parata sum alicuius imperium ferre aut alicui parere:
13 *παρεσκευασμένη εἰμὶ ἄρχειν τινὰ ἐμοῦ* pro *ἄρχεσθαι ὑπό τινος*? — Aliorum conamina referre nolo. Emendationem locus poscit haudquaquam difficilem:

λέγω δέ σοι
τοιαῦτ' ἀπειλεῖν ὡς παρεσκευασμένῳ
ἐκ τῶν ὁμοίων χειρὶ νικήσαντ' ἐμοῦ
ἄρχειν —.

h. e. age vero, minare mihi, quippe quum te paratum esse videam in certamine aequis viribus suscipiendo me superare. Et apparet hoc „quippe quum“ cum acerba quadam irrisione dici: nequaquam enim senes illos tantum valere iudicat, ut certamen secum aequis viribus inire victoriamque sperare possint. *Ἐκ τῶν ὁμοίων* non est vicissim, quemadmodum Hermannus voluit, sed, ut

dixi, aequis viribus s. opibus, eadem vi praepositionis, quae est infra v. 1608: *ἐκ τῶν δὲ τούτου χρημάτων πειράσομαι ἄρχειν πολιτῶν.* Significatur enim id, quo quis adiuvatur tanquam instrumento rei alicuius efficiendae.

Paullo post, v. 1396, Clytaemnestra dicit:

οὔ μοι φόβου μέλαθρον ἐλπὶς ἐμπατεῖ.

Infinitivum *ἐμπατεῖν* restituendum esse dudum alii viderunt, sed ineptam hoc loco domum formidinis Hermannus demum removit, scripsitque *οὔ μοι φόβον μέλαθρ᾽ ἂν ἐλπὶς ἐμπατεῖν.* Mihi tamen probabilius est ab Aeschylo scriptum esse *οὔ μοι φόβους μέλαθρον ἐλπὶς ἐμπατεῖν.* Pluralem illum habet etiam Sophocles, Oed. R. v. 917: *ἀλλ᾽ ἔστι τοῦ λέγοντος, ἂν φόβους λέγῃ*: neque opus fuit *ἂν* particula, quae rem a conditione suspensam, hac autem impleta certo expectandam significaret. Cf. Thucyd. I, 127: *νομίζοντες ἐκπεσόντος αὐτοῦ ῥᾷον σφίσι προχωρεῖν τὰ ἀπὸ των Ἀθηναίων,* quo loco, quum commemorata sit conditio, *ἐκπεσόντος αὐτοῦ*, magis etiam *ἂν* in apodosi desiderari possit. Et similia exempla omissae huius particulae apud inf. praes. aor. et fut. post verba sperandi et expectandi sat multa sunt. Vid. Brem. ad Demosth. Olynth. 1 in Schaeferi appar. crit. I, p. 204 sq.

In eadem Clytaemnestrae oratione haec leguntur, de Cassandra una cum Agamemnone interfecta, v. 1409.

κεῖται φιλήτωρ τῷδ᾽· ἐμοὶ δ᾽ ἐπήγαγεν
εὐνῆς παροψώνημα τῆς ἐμῆς χλιδῆς.

Parum probabiles priorum coniecturas merito Hermannus sprevit, sed ne ipse quidem probabiliorem attulit, *εὐχῆς* pro *εὐνῆς*, quod accipi voluit de voto Clytaemnestrae, cuius ea compos facta esset interfecto Agamemnone. Vellem autem addidisset etiam, in hac duorum genitivorum compositione utrum horum ab altero regi vellet, et quid esset aut *εὐχὴ τῆς ἐμῆς χλιδῆς* aut *ἐμὴ χλιδὴ εὐχῆς*: nam utrocunque modo haec construantur, non videtur apta huic loco sententia evadere. Retinendum puto vocabulum a codicibus traditum, casu tantum mutato, et in superiore versu pronomine possessivo pro personali posito: *ἐμῇ δ᾽ ἐπήγαγεν εὐνῇ παροψώνημα τῆς ἐμῆς χλιδῆς*: hanc caram suam amasiam, inquit, adduxit Ag. lecto meo tanquam condimentum deliciarum mearum. Lecto meo, h. e. meis et Aegisthi nuptiis, quae quidem aptissime hoc loco commemorantur post commemoratos paullo ante Agamemnonis et Troianarum mulierum 14

amores, v. 1401, quos ipsa ulta erat Aegistho in lectum suum recepto, par scilicet pro pari referens Agamemnoni. Neque dubitari potest, quin Aeschylus Clytaemnestram, licet initio fortassis odio tantum mariti Aegistho se dederit, mox tamen etiam amore huius captam esse voluerit, quo pertinent in Choeph. v. 590 sqq. *γυναικῶν ἔρωτες παντόλμοις ἄταισι σύννομοι*, et *θηλυκρατὴς ἀπέρωτος ἔρως*: quin ipsa se, quod tamdiu viro carendum esset, caelibis vitae taedio ad adulterium illectam esse fatetur v. 908 [5]).

Mox in commaticis chori canticis 1449 sqq. haec leguntur:

ἦ μέγαν οἴκοις τοῖσδε
δαίμονα καὶ βαρύμηνιν αἰνεῖς.

quorum versuum priorem corruptum esse antistrophus arguit, penthemimeres dactylicum, *ὡς μὲν ἀναίτιος εἶ*, pro quo qui aut *εἶ σὺ* aut *ἐσσί* scripserunt, non tamen restituerunt legitimam apud Aeschylum aequabilitatem numerorum, quum in strophico spondeus sit pro dactylo antistrophi. Itaque Hermannus scribendum censuit

ἦ μέγα δώμασι τοῖσδ'
αἵμονα καὶ βαρύμηνιν αἰνεῖς,

in quibus *μέγα* pro *μάλα* accipi, *δαίμονα* autem ex ante dictis subaudiri vult: parum, ut mihi videtur, probabiliter. Duae se offerunt faciliores emendandi viae: altera, ut statuamus codicum lectionem ortam esse ex interpretamento alicuius adiectivi ab Aeschylo positi, velut *ἦ μέγαν αὐτογενῆ δαίμονα* h. e. *συγγενῆ*, quemadmodum *συγγενὴς πότμος* dicitur a Pindaro Nem. V, 40. Isthm. I, 40, aut *ἦ μέγαν οἰκίδιον δ.*, quemadmodum *κατοικίδιοι δαίμονες* dici solent, aut etiam *ἦ μέγαν ἐγγενέταν δ.*, ut apud Apollonium Rh. IV, 1549 *δαίμονες ἐγγενέται* dei indigenae sunt, potuitque haud dubie etiam alastor domesticus *ἐγγενέτης* dici. Altera via haec est, ut scribatur *ἦ μέγαν ἐν μελάθροις δαίμονα*, eamque, ut facillimam, equidem praetulerim. Potuit autem vulgata existere vel ex correctione, quum oblitterata praepositione *ἐν* turbatum metrum aliquis restituere quadamtenus saltem conaretur, vel etiam sic, ut vocabulum ab interprete adhibitum a librariis per errorem pro genuino poneretur. Tertiam quandam coniecturam, quae nescio cui in mentem venit, *ἦ μέγαν Ἀτρεΐδαις*, cur spernendam ducam, non opus est exponere.

---

5) Ab Homero quoque et Pindaro et Sophocle rem sic proponi monui in comm. ad Eum. p. 56. 57. Addi poterat etiam Eurip. Orest. 26. 27. et 568.

Paullo post, item in commaticis, v. 1479, codices haec habent:

βιάζεται δ' ὁμοσπόροις
ἐπιρροαῖσιν αἱμάτων
μέλας Ἄρης· ὅποι δὲ καὶ προσβαίνων
πάχνα κουροβόρῳ παρέξει.

Προβαίνων iam dudum Canterus reposuit, *πάχνα* Hermannus, cruorem hoc vocabulo significari credens, sententiamque sic interpretans: et quoquo progrediens nativoro cruori eas exhibebit, nempe *ὁμοσπόρους ἐπιρροὰς αἱμάτων*. „*Ὅποι δὲ καὶ προβαίνων*", inquit, „idem est atque *ὅποι δ' ἂν καὶ προβῇ*." Id mihi perquam incredibile videtur, et *πάχνα* de cruore inauditum certe ac sine exemplo. Aeschylum scripsisse suspicor:

— — *ὅμοια δ' αὖ προβαίνων*
ποινᾷ κουροβόρῳ παρέξει.

h. e. et porro progrediens similia rursus exhibebit, persequendo poenam liberorum devoratorum. *Ποινὰ κουροβόρος* est *ποινὰ κούρων βρωθέντων*, ut *εὐάγων τιμά* apud Pindarum Nem. X, 71 est *τιμὰ ἀγῶνος καλοῦ*, similiaque apud Matthiaeum, gr. gr. § 446 not 3. c. *Ὅμοια* postquam in *ὅποι* corruptum fuit, etiam *δ' αὖ* a correctoribus metri causa in *δὲ καί* mutatum est.

V. 1491. Clytaemnestra propter mactatam Iphigeniam iure occisum Agamemnonem arguit:

ἀλλ' ἐμὸν ἐκ τοῦδ' ἔρνος ἀερθὲν
τὴν πολύκλαυτόν τ' Ἰφιγένειαν
ἀνάξια δράσας ἄξια πάσχων
μηδὲν ἐν Ἅιδου μεγαλαυχείτω
ξιφοδηλήτῳ
θανάτῳ τίσας ἅπερ ἦρξεν.

Correxerunt *τὴν πολυκλαύτην Ἰφιγένειαν* Porsonus, *τῆς πολυκλαύτης Ἰφιγενείας* Hermannus, propterea scilicet, quia postremam huius nominis syllabam in accusativo produci non posse statuebant; neque id iniuria, quamquam Dindorfium, virum praestantissimum, aliter iudicare video. Sed mederi huic incommodo, simulque planiorem verborum constructionem et sententiam restituere licebit uno versu transposito et participio *πάσχων* in verbum finitum mutato:

ἀλλ' ἐμὸν ἐκ τοῦδ' ἔρνος ἀερθέν,
τὴν πολυκλαύτην Ἰφιγένειαν,
μηδὲν ἐν Ἅιδου μεγαλαυχείτω.

Cum acerbissima ironia haec dicta esse apparet: *nolo eum gloriari apud inferos de filia mea, Iphigenia, a se mactata.* Verbum *μεγαλαυχεῖν* sic cum accusativo participii constructum nihil offensionis habet. Sequitur

ἄξια δράσας ἄξια πάσχει
ξιφοδηλήτῳ
θανάτῳ τίσας ἅπερ ἦρξεν.

Nam *ἄξια δρ.* pro *ἀνάξια δρ.* scribendum omnes intellexerunt, estque hoc cum eadem ironiae acerbitate dictum; praesens autem tempus *πάσχει* propterea, quod nunc quoque apud inferos Agamemno poenam a se exactam, scelus non inultum esse aegre fert.

V. 1562 narrat Aegisthus, ut patri suo Thyestae ab Atreo liberorum mactatorum carnes in convivio pro epulis appositae fuerint, absconditis extremitatibus, ille autem sic deceptus execrabilem dapem voraverit:

τὰ μὲν ποδήρη καὶ χερῶν ἄκρους κτένας
ἔθρυπτ' ἄνωθεν ἀνδρακὰς καθήμενος,
16 *ἄσημα δ' αὐτῶν αὐτίκ' ἀγνοίᾳ λαβὼν*
ἔσθει βορὰν ἄσωτον, ὡς ὁρᾷς, γένει.

Duo manifestissima in hoc loco vitia dudum ab aliis correcta sunt, primum *ἔθρυπτε*, quod in *ἔκρυπτε* mutandum, deinde *ἄσημα δ' αὐτῶν*, pro quo, mutata simul interpunctione verborum, *ἄσημ'· ὁ δ' αὐτῶν* — scribendum fuit. Sed restant duo alia *ἄνωθεν* et *καθήμενος*. Nam hunc singularem vel ipsum adverbium *ἀνδρακάς* refutat, siquidem *ἀνδρακὰς καθῆσθαι* de uno graece non magis, quam *viritim sedere* latine dici potest[6]). Et Hermannus quidem *καθημένοις* scripsit, accusativum, *καθημένους*, propterea repudiandum autumans, quia non id egisset Atreus, ut convivas celaret, sed ut coram convivis Thyesten. Atqui arbitror tamen etiam convivas pariter omnes celandos fuisse, quorum profecto nemo, si vidisset abscissas puerorum extremitates, taciturus fuit. Itaque haec quidem repudiandi accusativi causa nulla fuit, neque vero dativus illo sensu, ut esset *coram convivis* dici potuit. Tamen dativum et ipse probo, sed construendum illum cum proximo adiectivo *ἄσημα*. *Ἄνωθεν* qui probarunt, de loco sedendi, acceperunt. Sed ad celanda, quae celari Atreus volebat, nihil intererat

6) Futilis est annotatio in cod. Farn.: *ἀνδρακὰς ἀντὶ τοῦ καθ' ἑαυτόν.*

superiore an inferiore loco, ἄνωθεν an κάτωθεν sederet, praesertim quum singulae separatim convivis mensae appositae essent. Hoc enim significat adverbium ἀνδρακάς, fuitque is mos aetatis heroicae, ut ex Homero constat. Cf. Plutarch. Quaestt. sympos. II, 10, 1 et Nitzsch. ad Od. tom. 1. p. 27. Itaque incredibile est, otiosam istam et supervacaneam loci designationem ab Aeschylo esse; debetur librariis veram lectionem corrumpentibus, quae fuit ἄνευθεν, quemadmodum iam Blomfieldius suspicatus est, citato loco Homerico ad rem comprobandam accomodatissimo. Il. XXII. 367: ἦ ῥα καὶ ἐκ νεκροῖο ἐρύσσατο χάλκεον ἔγχος, καὶ τόγ' ἄνευθεν ἔθηκε. Idem significat χωρίς in Herodoti narratione de simili quadam Astyagis atrocitate, I c. 119: τοῖσι μὲν ἄλλοισι καὶ αὐτῷ Ἀστυάγεϊ παρετιθέατο τράπεζαι ἐπιπλέαι μηλείων κρεῶν· Ἁρπάγῳ δέ, τοῦ παιδὸς τοῦ ἑωυτοῦ, πλὴν κεφαλῆς τε καὶ ἄκρων χειρῶν τε καὶ ποδῶν· ταῦτα δὲ χωρὶς ἔκειτο ἐπὶ κανέῳ κατακεκαλυμμένα.

In eadem Aegisthi oratione v. 1568 haec sunt de Thyeste, postquam rem cognoverit:

μόρον δ' ἄφερτον Πελοπίδαις ἐπεύχεται,
λάκτισμα δείπνου συνδίκως τιθεὶς ἀρᾷ.

Versum secundum Abreschius, Animadv. in Aeschyl. lib. II, c. 23 p. 399 sic convertit: despectum in convivio detestans ac diris devovens, additque deinceps: „poterat eodem, opinor, sensu scribi τιθεὶς ἀράν.“ Hoc Hermannus recepit, et mirum est non ab omnibus receptum esse, qui de sententia loci idem atque Abreschius sentirent. Nam ἀρᾷ τιθέναι τι, aliquid diris devovere, graece non dici certum est:[6a]) alterum illud, ἀρὰν τιθέναι h. e. ἀρὰν ποιεῖσθαι, potuit fortasse videri pro ἀρᾶσθαι dictum esse, et ἀρὰν τιθέναι τι pro ἀρᾶσθαί τι eodem modo, quo supra, v. 781, ἀνδροθνῆτας Ἰλίου φθορὰς ψήφους ἔθεντο pro φθορὰς ἐψηφίσαντο. Utque multa, alias incredibilia, in Aeschylo tamen credibilia visa sunt, sic potuerunt fortasse etiam ἀρὰν τιθέναι τι (v. ἀρᾶσθαί τι) ferendum putare pro eo quod est: 17
aliquid cum execratione exprobrare. Iam vero quid est λάκτισμα δείπνου? Impiam hospitalis mensae violationem, inquit Schützius, elegantius quam Abreschius, sed sensu non diverso, conferrique iubet locum iam ab hoc citatum, Lycophr. v. 137, ubi de

6a) Tamen fuit qui hoc crederet, comparans hanc locutionem cum ea, quae est apud Archilochum: τοῖς θεοῖς τίθει τὰ πάντα.

Paride dicitur: ἔτλης θεῶν ἀλοιτὸς ἐκβῆναι δίκην, λάξας τράπεζαν κἀνακυπτώσας θέμιν. Itaque voluerunt illi λάκτισμα δείπνου idem esse quod ἀτίμωσιν τραπέζας, quemadmodum Aeschylus supra loquutus est v. 677; quodque de Paridis iniuria recte dicitur, idem etiam de Atrei facinore dici potuisse opinati sunt. Miror Schützium, elegantis alioquin ingenii virum, et hoc nomine ceteris interpretibus plerisque longe praestantiorem, non persensisse, quam hoc incredibile et poeta vel mediocri, nedum Aeschylo, indignum esset. Namque Paridis peccatum, quamvis vituperabile et iusta deorum animadversione dignum, tamen, si cum Atrei facinore comparatur, leve et humanum videri debet. Ille, alienae mulieris amore captus, hospitii ius violavit; Atreus, fratris odio inflammatus, sanctissima naturae iura conculcavit, innocenti puerorum sanguine se polluit, filiorum viscera patri comedenda dedit, denique id sceleris commisit, cuius atrocitatem nullo satis gravi verbo notare licet, quod omnem humanitatis captum excedit, adeo ut Sol ipse, qui tot hominum scelera quotidie intuetur, tamen hoc conspecto oculos obvolvisse dicatur. Et Thyesten, tam immani facinore laesum, nihil aliud conquestum esse, quam mensae hospitalis aut potius convivii violationem? idque non aliquem de trivio versificatorem, sed Aeschylum, omnium, quotquot fuerunt, poetarum longe principem sic fecisse? Absit ab illo dedecus hoc; absint interpretes talia ferentes! Satius profecto fuerat, illos audire, qui Thyesten comperto facinore exsilire de sede mensamque eversam pedibus conculcare fecerunt, quae sententia, quamvis manifesto falsa neque ullo modo ex Aeschyli verbis elicienda, tamen, si rem ipsam intuearis, minus inepta minusque hoc poeta indigna videri debet. Quid autem Aeschylus dixerit, statim patefiet. Nota sunt ex Homero ἀναθήματα δαιτός, μολπὴ καὶ φόρμιγξ, quum vel cantor aliquis epulantes cantu suo oblectat, vel ipsi quoque convivae per vices canunt: eaque coenae oblectamenta ἀκροάματα sunt vel ἀκούσματα, quod vocabulum apud Atticos magis quam illud alterum usitatum fuisse grammatici testantur. Nunc autem, in hoc infausto Atrei convivio, pro cantu hilari et delectabili dira Thyestae vox audita est, quum iustam domui perniciem imprecaretur,

ἄκουσμα δείπνου συνδίκως τιθεὶς ἀράν.

Nullo amplius verbo opus est. Tantum de adverbio συνδίκως addam, non videri id mihi, cum Hermanno, trahendum ad proximum versum, οὕτως ὀλέσθαι πᾶν τὸ Πλεισθένους γένος, et significare i. q. communiter, communi iustitia, sed esse potius i. q. πρεπόντως. Nam

σύνδικον, praeter vulgares significationes, etiam id esse puto, quod alicui recte et condecenter conveniat: neque enim diversae stirpis sunt δίκη et decet. Sic Pindarus, quum phormingem dicit Apollinis et Musarum σύνδικον κτέανον, non communem his sed aptam atque decentem dicit, atque sic Aeschylus, quum Thyesten pro acroamate convivii diras devotiones συνδίκως inclamasse dicit, id eum iuste reique atroci condecenter fecisse dicit, potuitque eodem sensu etiam ἐνδίκως dicere.

Perpetrato facinore ab Atreo sese adhuc parvulum cum patre terra 18
expulsum esse Aegisthus memorat v. 1573:

τρίτον γὰρ ὄντα μ' ἐπὶ δέκ' ἀθλίῳ πατρὶ
συνεξελαύνει τυτθὸν ὄντ' ἐν σπαργάνοις.

Tredecim Thyestae filios fuisse nemo memorat: tres tantum aut a nonnullis quattuor fuisse dicuntur. Neque ipsum per se credibile est, duodecim ab Atreo mactari potuisse. Recte igitur Emperius locum corruptum esse iudicavit; sed quae ab eo correctiones proponuntur, in Diurn. antiquar. ann. 1835, una p. 635, τρίτον γὰρ ὄντα μ' ἔλιπε κἀθλίῳ πατρὶ συνεξελαύνει, altera p. 1000, μ' ἐπὶ δύσ' vel ἐπὶ δύ' ἀθλ. πατρί, harum neutram probabilem esse quilibet haud dubie Hermanno assentietur. Ipse Hermannus scripsit: τρίτον γὰρ ὄντα μ' ἐπίδεχ' ἀθλίῳ πατρί, novum et inauditum vocabulum commentus ἐπίδεξ, idque passive dictum suspicatus „de eo, qui post alios acceptus sit, ut hic de Aegistho post mactatos fratres patri nato." Ad hoc genus coniecturae non facile confugiendum est, nisi quum ceterae viae aut emendandi aut interpretandi frustra tentatae sunt. Hoc autem loco permirum est nemini in mentem venisse τρίτον γὰρ ὄντα μ' ἔτι, praeterquam uni G. C. W. Schneidero, qui anno 1839 Agamemnonem cum commentario edidit sane futilissimo et absurdissimis nugis referto, quae causa fuisse videtur, ut nemo eum inspicere aut quae ab homine tam imperito et insulso prolata essent repetere voluerit. Haec tamen coniectura nequaquam spernenda erat. Duobus pueris mactatis, tertius adhuc superstes erat: id et conveniebat dici et dicitur aptissime: τρίτον γὰρ ὄντα μ' ἔτι. Δεκάθλιος autem non est verendum ne quis cum eodem Schneidero itidem ut τρισάθλιος dictum esse credat. Scribendum erit δυσαθλίῳ. Nisi quis forte hoc propterea spernat, quod nimis facile inventu est. Nam sunt sane nonnulli tam inepte fastidiosi, et illius, cuius supra mentionem feci, venatoris similes, ut quae in medio

posita sunt arripere nolint, longius remota quaerant, scilicet sagacitatis laudem ex his maiorem fore rati.

Aliquanto plus negotii facessunt priores tragoediae partes inde a parodo chori usque ad quartum s. Cassandrae episodium, in quibus praeter leviores quasdam corruptelas non pauca tam graviter affecta sunt, in melicis praesertim, ut de certa atque indubitabili emendatione, nisi quando meliores codices reperti fuerint, desperandum esse videatur. Dicam nunc non quidem de omnibus, sed de praecipuis, versuum ordinem sequens. Itaque in anapaesticis v. 97 sqq. ubi chorus Clytaemnestram alloquitur:

τούτων λέξασ' ὅ τι καὶ δυνατὸν
καὶ θέμις αἰνεῖν
παίων τε γενοῦ τῆσδε μερίμνης,

non offendor equidem liberiore verborum structura, qua praeter necessitatem *τὲ* particula addita est[7]), sed infinitivum illum *αἰνεῖν* permu-
19 tandum esse aio cum verbo finito *αἰνεῖ*. Tulerunt infinitivum qui *αἰνεῖν* idem quod *λέγειν*, *δηλοῦν* aliaque indicandi verba significare posse crediderunt, quod mihi secus esse videtur, quaeque ad probandam istam sententiam afferunt, omnia diversi generis sunt. Velut quod a Klausenio citatur, Ag. v. 1449, *ἢ μέγαν — δαίμονα καὶ βαρύμηνιν αἰνεῖς*, licet potuisset etiam *λέγεις* dici, tamen *αἰνεῖς* fortiorem habet praedicandi notionem, quae in altero non inest. Choeph. v. 187, *ἐγὼ δ' ὅπως μὲν ἄντικρυς τάδ'· αἰνέσω* — est i. q. approbem, de coniectura ante proposita. Ib. v. 276 Hermannus recte scripsit *τὰς δ' αἰνῶν νόσους*, *αἰνῶν* autem non est simpliciter dicens, sed denuntians, praedicens. In incerta fabula fr. 305. *γένος μὲν αἰνεῖν ἐκμαθὼν ἐπίσταμαι Αἰθιοπίδος γῆς*, eodem sensu *αἰνεῖν* dictum est, quo *εὔχεσθαι* apud Homerum. Choeph. v. 549, *αἰνῶ δὲ κρύπτειν τάσδε συνθήκας ἐμάς*, est i. q. *παραινῶ*, iubeo, suadeo, quemadmodum Suppl. v. 165, *αἰνῶ φυλάξαι τἄμ' ἔπη δελτουμένας·* et Soph. Phil. 1380, *ὦ δεινὸν αἶνον αἰνέσας, τί φῂς ποτε;* Denique

7) De hac anacoluthia satis ab Hermanno dictum est, et video Doederleinum quoque, qui alia non pauca exempla interpretando removit, huic loco pepercisse, Lectt. Hom. spec. II, p. 9. Naekius ad Valer. Cat. p. 299 etiam latina quaedam huius generis exempla habet, in quibus Vergilianum illud Aen. IX, 401: Suspiciens altam lunam et sic voce precatur, ubi deletam ab Heynio copulam Wagnerus et nuper Paldamus noster restituerunt.

nullum locum inveniri arbitror, in quo non adiuncta huic verbo appareat aliqua aut praedicandi et laudandi, aut approbandi, aut suadendi, praecipiendi, admonendi significatio, vel, ut una definitione omnia complectar, *αἰνεῖν* non est dicere simpliciter vel indicare, sed semper habet aliquam iudicii ac voluntatis adsignificationem, quae eadem est etiam in substantivo *αἶνος*. Hinc fabulae *αἶνοι* dicuntur, quoniam hoc genus narrationum semper aliquid praecepti in se habet: et Ulixis quoque narratio, Od. XIV, quam manifestum est eo consilio narrari, ut admoneatur Eumaeus vestem algenti praebendam esse, propterea ab Eumaeo, mentem Ulixis perspiciente, *αἶνος* dicitur, v. 508. Quum autem *αἶνος* de threno dicitur, velut Ag. v. 1513 manifestum est, hic quoque significationem alicuius praedicationis obtinere. — Hinc igitur apparere puto, nostro loco *αἰνεῖν* ferri non posse, sed scribendum esse, *ὅ τι* — *Θέμις αἰνεῖ* h. e. quod Fas te dicere vel iubet vel approbat sive sinit.

Omnium vexatissimus locus est v. 105:

— — *ἔτι γὰρ θεόθεν καταπνείει*
πειθὼ μολπὰν ἀλκὰν σύμφυτος αἰών.

de quo si diversas interpretum sententias omnes percensere vellem, liber mihi conscribendus esset. Tenuerunt nonnulli codicum lectionem, quam Klausenius sic interpretatur: dii me ad canendum suscitaverunt iusti*que* temporis adventu fiduciam suppeditaverunt. De iusto tempore mox: nunc de iusta verborum constructione videndum erit. Unum habemus nominativum, *αἰών*, verbum item unum *καταπνείει*, accusativos autem ab hoc verbo pendentes tres *πειθώ*, *μολπάν*, *ἀλκάν*. Non poterunt igitur, qui rectae constructionis leges servare volent, aliter haec accipere, quam ut *αἰὼν* sive tempus inspirare dicatur fiduciam, cantum, robur. Additum adverbium *θεόθεν* significabit, hoc fieri divinitus. Quid igitur? deorumne numine hanc vim tempori tributam esse dicemus, ut illa tria inspiret? an *θεόθεν* ad unum accusativum *πειθώ* pertinere censebimus, ut significetur, fiduciam illam, quam tempus inspiret, divinitus inditam esse? Sic ergo dii potius quam tempus eam inspirare dicendi erant, idque Klausenius quoque sensisse quodammodo videtur, quum in interpretando deos tanquam subiectum enuntiationis ponat. Quamquam qua ratione reliqua verba construxerit, nullo modo perspici potest. Certissimum est au- 20
tem, rectam sanamque eorum constructionem nullam esse. Schützius in ed. minore ann. 1800 edita *πειθώ* nominativum esse statuit, lo-

cumque sic convertit: adhuc enim fiducia divinitus immissa cantum inspirat, potentiam *vero* aetas congenita, additque in parenthesi: quia illud, quod narraturus sum, ipse vivendo attigi. Omitto durissimum prorsusque incredibile asyndeton: nam debebat ἀλκὰν δὲ σύμφ. αἰών dici: omitto magis incredibilem obscuritatem dicendi, ut σύμφυτος αἰών sit vitae tempus rei gestae aequale; tantum de potentia illa quaeram,quae qualisque sit. Nempe eam Schützius intelligit, quam chorus ipse paullo ante significavit, quum dixit κύριός εἰμι θροεῖν. Atqui hoc significat potius fas est me dicere; aut si maxime potestatem significari dicas, interest tamen aliquid inter potestatem et potentiam, neque unquam quisquam, qui quidem graece sciat, eiusmodi canendi potestatem ἀλκάν dici potuisse concedat. Bothius, quemadmodum ex Dindorfii annotatione video, (nam ipsius Bothii editionem inspicere non potui,) scribi voluit: ἔτι γὰρ θεόθεν καταπνείει πειθὼ μολπᾶν ἀλκᾷ σύμφυτος αἰών, idque convertit: nam adhuc viribus coniuncta aetas divinitus inspirat fiduciam canticorum: neque aliter O. Müllerus in Script. minor. 1 p. 277, cuius haec est conversio: denn noch haucht mir durch Götterhülfe die Zuversicht der Lieder das der Kraft nicht gestorbene Alter ein. Atqui primum ἀλκᾷ ξύμφυτος αἰών nullo modo dici potuit aetas senilis adhuc vigens viribus, sed ea demum aetas, cui robur natura sua insitum est, qualis est virorum, non senum, ex quibus chorus constat. Deinde robusta aetas nullam potest inspirare fiduciam, nisi talium rerum, ad quas robore opus est. Num igitur robore opus est ad rerum memoriam cantu repetendam? Non est verendum, ne quis lateribus tamen robustis opus fuisse dicat ad laborem canendi perferendum. Porro quid sibi vult illud θεόθεν? An peculiari quodam divino auxilio opus fuit ad istam fiduciam, quam quilibet satis robustus ex ipso robore suo capere posset? Divinitus indita illa potius fiducia videbitur, si quis aliquid supra vires suas atque robur tamen fidenter suscipit. Denique πειθὼ μολπᾶν non potest significare fiduciam ad canendum: neque enim unquam πειθώ cum genitivio rei de tali fiducia dicitur, qua quis ad suscipiendam rem impellitur. Neque igitur Franzii ratio probari potest, qui πειθὼ μολπᾶν eodem sensu dictum, ἀλκὰν autem de expeditione bellica accipit, ut αἰὼν ἀλκᾷ σύμφυτος sit tempus huic bello fatis praefinitum, quod quum nondum praeterierit, hinc fiduciam canendi senibus inspirari, quia sperent scilicet adhuc victoriam post certum tempus promissam.

Hermannus recte quidem intellexit, πειθὼ μολπᾶν isto sensu dici non potuisse, ideoque πειθὼ nominativum esse statuit et verbi καταπνείει subiectum, cui pro obiecto μολπάν, accusativo casu, adiungit, sed de reliquorum verborum sententia non magnopere a Franzio discrepat. Nam ἀλκάν et ipse de bello, αἰῶνα ἀλκᾷ σύμφυτον de tempore accipit quod bello fatis praefinitum sit, constructionem vero hanc esse putat, ut ἀλκᾷ σύμφυτος αἰών per appositionem adiectum sit ad πειθώ, quo significetur id quo nitatur ea fiducia. De huiusmodi appositione quid alii sensuri sint nescio: mihi quidem vix credibilis esse videtur. Deinde, ut possit ἀλκά de bello accipi, — quamquam locorum, ubi sic accipi potest, velut Sept. ad. Theb. v. 855 aliorumque ab aliis citatorum diversa tamen ab hoc nostro ratio est; sed hoc nunc disputare non vacat, — certe ἀλκᾷ σύμφυτον αἰῶνα „satis usitato genere 21
dicendi," ut Hermannus autumat, de tempore fatis ad bellum perficiendum destinato dici potuisse nunquam credam, neque quae ab Hermanno ad comprobandam hanc interpretationem exempla afferuntur quidquam similitudinis habere existimo. Horum alterum est Soph. Oed. Col. v. 7: στέργειν γὰρ αἱ πάθαι με χὠ χρόνος ξυνὼν μακρὸς διδάσκει: atqui aliud est ξυνών, aliud σύμφυτος, aliud est tempus cum re coniunctum, sive per quod ea res permansit, aliud autem tempus rei nondum peractae sed adhuc peragendae fatis praefinitum. Alterum exemplum est Oed. R. v. 1082: οἱ δὲ συγγενεῖς μῆνές με μικρὸν καὶ μέγαν διώρισαν, ubi συγγενεῖς μῆνες sunt menses vitae meae aequales, qui me nascente coeperunt, quasi mecum nati sunt, unaque mecum adoleverunt creveruntque, non autem menses vitae meae fatis praefiniti. Σύμφυτον autem, praeter propriam significationem, de eo dicitur, quod cum altero natura sua coniunctum est, vel quod alteri congruum atque consentaneum est, ut aut consequatur ex eo, ut ex causa effectus, aut gignat alterum, ut effectum causa [8]). Ita-

8) Sic infra, v. 141, Iphigeniae sacrificium Calchas dicit νεικέων τέκτονα σύμφυτον, ex quo Clytaemnestrae odium erga maritum quasi naturaliter ortum est. Magnopere enim falluntur, qui hoc per hypallagen dictum volunt pro νεικέων συμφύτων, idque de odiis inter cognatos interpretantur. Neque enim cognati (σύμφυτοι) inter se fuerunt Agamemno et Clytaemnestra. Rectius hypallagen esse dicemus in altero, quod ibi additur, epitheto οὐ δεισήνορα. Nam expectari potius debebat νεικέων οὐ δεισηνόρων. Sed haec hypallage neque dura neque insolens est, similiaque exempla complura tractata sunt ab Ellendtio, Lex.

que *ἀλκᾷ σύμφυτος αἰών*, si unquam aliquid, hoc quidem certe, quod viri doctissimi voluerunt, significare nunquam poterit. Manifestum est igitur aliquam corruptelam subesse, idque etiam Schützium, non quidem anno 1800 sed tamen anno 1784, quum priorem de maioribus, editionibus rursusque anno 1811, quum alteram publicaret, persensisse video. Scripsit enim in utraque *πειθὼ — ἀλκᾷ σύμφυτος αἰέν*. Neque tamen hoc *αἰέν* verum esse puto, sed scripsisse Aeschylum arbitror

ἔτι γὰρ θεόθεν καταπνείει
πειθὼ μολπὰν ἀλκᾷ σύμφυτον ᾄδειν.

h. e. adhuc enim divinitus fiducia inspirat mihi cantum fortitudini congruum (h. e. qualem fortes canunt)[8a]) canendum. Nam *μολπὰ ἀλκᾷ σύμφυτος* est i. q. *μολπὰ ἄλκιμος*. Corruptela nata est ex unius litterae *δ* omissione: quippe postquam *αἴειν* pro *αἴδειν* scriptum fuit, id a librariis aut a correctoribus in *αἰών* mutatum est.

In eodem cantico v. 115 haec sunt de duabus aquilis gravidam leporem devorantibus:

βοσκόμενοι λαγίναν ἐρικύματα φέρματι γένναν
βλαβέντα λοισθίων δρόμων.

Et *φέρματι* etiam in Mediceo legi Franzius et Hermannus aiunt, quum alii *φέρματα* ex eo codice enotarint, ut a Turnebo scriptum est. Debebat utique hoc reponi, itemque *ἐρικύμονα*, quod in Flor. et Farn.
22 extat, pro *ἐρικύματα*. Dativus correctoribus debetur, qui gravidam leporem non putabant *φέρματα* dici potuisse vel propter numerum pluralem, quum non plus una esset, vel propter ipsam formam vocabuli, quae id potius, quod gereretur in utero, quam matrem in utero gestantem significare videretur. Atqui huius formae vocabula non raro etiam activam significationem habent, velut *ὄμμα* est quod videt, non quod videtur, *ἔχμα* apud Hom. quod retinet, non quod retinetur, *μείλιγμα*, id quod placat aliquem, non quod placatur, *μνῆμα*, quod monet, non quod

---

Soph. II, p. 84, qui unus omnium subtilissime de hac figura exposuit. — Ceterum quoniam versus 141 mentionem feci, addam obiter, non videri mihi aliquid excidisse; sed si quid tamen exciderit, id neque *μῆνιν*, cum Lachmanno, neque *φωτός*, cum Hermanno, sed infinitivum potius *κρᾶναι* esse crediderim, pendentem illum a *σπευδομένα*.

8a) Hoc ne de robusta voce acciperetur non verebar: et tamen id censori cuidam accidisse video. Idem etiam ΑΙΔΕΙΝ in ΑΙΩΝ corrumpi nunquam potuisse tanquam de tripode pronuntiavit.

netur, δορυφόρημα dicuntur οἱ δορυφοροῦντες, quin λάλημα apud Soph. Ant. v. 320 est ὁ λαλῶν. Pluralem autem huiusmodi abstractorum saepenumero etiam de uno dici videmus, velut Πιτθέως παιδεύματα de Hippolyto apud Eurip. Hipp. v. 11. συγκοιμήματα de una uxore apud eundem Androm. v. 1274, τεχνήματα de uno poculo Soph. Phil. v. 36, aliaque apud Wakefield. Silv. crit. IV p. 48, Porson. append. ad Toup. p. 402 et ad Eur. Or. v. 1051, qui usus quum non una ubivis ratione explicandus sit, hoc quidem loco pluraliter φέρματα una lepus propterea dici potuisse videtur, quia plures in utero fetus gestabat, ideoque non simpliciter sed multipliciter φέρμα erat. Scribendum igitur: λαγίνας ἐρικύμονα φέρματα γέννας: idque iam Prienium voluisse video [9]).

Cantat deinde chorus, ut angantur improbi scelerum conscientia utque deorum castigatione etiam repugnantes ad sanam mentem revocentur, v. 166 sqq.: 23

στάζει δ' ἔν θ' ὕπνῳ πρὸ καρδίας
μνησιπήμων πόνος, καὶ παρ' ἄκοντας ἦλθε σωφρονεῖν.

Mirum est codicum scripturam ἔν θ' ὕπνῳ tamdiu ab editoribus tolerari potuisse, licet copula τὲ nullam aptam explicationem admittat: nam quod quis fortasse dicat, respondere ei proximum καί, ineptum est. Recipienda igitur est Emperii emendatio ἀνθ' ὕπνου, qua recepta etiam hoc intelligitur, qua ratione verbum στάζει ab Aeschylo usurpatum sit, quod Klausenius mirifice interpretatur de sanguine incitato, nuper autem nonnemo corrigendo removere conatus est. Nempe στάζειν eleganter de somno dicitur, quem solent poetae cum rore comparare fessis corporibus instillato eaque recreante. Ὑγρὸς γάρ ἐστιν ὁ ὕπνος, inquit Orus in Etymol. M. p. 80, 33, eoque refert Homericum illud νήδυμος ἀμφιχυθείς, cuius similia ἐπὶ γλυκὺν ὕπνον ἔχευεν aut περὶ δ' ἀμβρόσιος κέχυθ' ὕπνος Heynius ad Verg. Aen. III, 510, comparavit cum latini poetae dictione: fessos sopor irrigat artus. Et frequentatur maxime a latinis poetis haec imago, ut Verg. Aen. I, 692: Venus Ascanio placidam per membra quietem

9) De versibus 127 et 137 dixi Gottingae in conventu philologorum ann. 1852, quae, quoniam disputatio mea in Actis eius conventus edita est, repetere hoc loco nolo. Tantum dico, in altero versu οἴκτῳ mihi pro οἴκῳ scribendum videri, alterum autem locum sic refingendum: τερπνὰ τούτων, αἰτῶ, ξύμβολα κράναι, δεξιὰ μέν, κατάμομφα δὲ φάσματ' Ἀτρειδᾶν.

irrigat. Sil. Ital. X, 355: oculisque quietem inrorat. Alia dabunt Barth. ad Stat. Theb. II, 144. Burm. ad Valer. Flacc. II, 16. VIII, 72. Drakenborch. ad Sil. Ital. VIII, 121. notavitque ad Stat. VI, 27 scholiastes: sic somnus a pictoribus simulatur, ut liquidum somnum ex cornu super dormientes videatur effundere. — Improbis autem, inquit Aeschylus, non somnus instillatur in praecordia, sed pro somno cura et sollicitudo. *Πρὸ καρδίας* enim est i. q. in praecordia, quorum etiam graecum nomen *τὸ προκάρδιον* est. — Sequitur deinceps

δαιμόνων δέ που χάρις βίαιος,
σέλμα σεμνὸν ἡμένων.

Sic enim, *βίαιος*, scribendum est, non *βιαίως* cum codicibus, neque *βίαια* cum Hermanno, qui hoc pro adverbio esse et cum secundo versu coniungi voluit, peioribus numeris et minus apta sententia. Nam *βιαίως ἧσθαι* de eo demum aliquis dicet, quem significare vult sedem per vim occupatam tenere, id quod etiamsi potuit de diis iunioribus dici, qui veteribus pulsis regnum obtinuerunt, tamen ut hoc loco commemoraretur nihil opus fuit. Contra aptissime *χάρις βίαιος* dicitur hoc genus beneficii divini, quum homines malis admoniti ad sanam mentem revocantur, ut *ἄκοντες σωφρονεῖν* discant habeantque, ut paullo ante dictum est, v. 164, *τῷ πάθει μάθος*. Et ut *χάρις βίαιος*, sic etiam *εὐμενὴς βία* dicitur Suppl. v. 1038. Quae una causa Hermanno obstitit, quominus verum agnosceret, metrica fuit. Nam quum in antistropho v. 178 *παλιρρόθοις* legatur, in strophico amphibrachyn necessarium esse credidit. Sed correxerunt illud Ahrensius et Franzius, alter *παλιρρόχθοις* scribens, alter, hoc non improbato, etiam *παλιρροίβδοις* proponens. Quidni autem *παλιρροίοις*? Nam omnes tres formae pariter et solitariae et ad analogiam recte factae sunt. Ceterum *βίαιος* etiam feminino genere dici nemo sibi probari postulabit. De numeris autem dubitare, qui aures habent, non poterunt, quin rectius prior versus in *βίαιος* finiatur, quam alter a *βίαια* incipiat.

Recte autem Hermannus scripsit v. 184:

24 *τρίβῳ κατέξαινον ἄνθος Ἄργους,*

pro eo, quod codices habent, *Ἀργείων*; quod ex interpretamento ortum est numerosque corrumpit. Nam corripi mediam syllabam, id quod nonnulli voluerunt, non licet. Sed in antistrophis v. 196. 7 minus probo quod ab Hermanno scriptum est

μιαίνων παρθενοσφάγοισιν
πέλας πατρῴους χέρας ῥεέθροις.

Codices habent *μιαίνων παρθενοσφάγοισιν ῥεέθροις πατρῴους χέρας βωμοῦ πέλας*. Non dubito autem, quin hoc *βωμοῦ πέλας* a correctore sit, qui quum excidisset praeposito *πρό* ante *βωμοῦ*, sarcire lacunam conaretur, inductus etiam fortasse corrupta strophici versus lectione *Ἀργείων*, si eodem quo recentiores quidam errore id pro cretico habuit. Sed etiam *ῥεέθροις* aliquo casu invectum est pro vera scriptura *ῥοαῖς*, quam reponendam esse strophicus versus demonstrat. Denique in stropha cur Aeschylum *τρίβῳ*, insolitam hoc sensu formam, praetulisse alteri *τριβᾷ* censeam, nullam causam video. Nam codicum nostrorum in huiusmodi re nulla auctoritas est.

In eadem antistropho, ubi Agamemnonis verba referuntur de postulato filiae sacrificio anxie deliberantis, haec leguntur v. 199 sqq.:

πῶς λιπόναυς γένωμαι ξυμμαχίας ἁμαρτών;
παυσανέμου γὰρ θυσίας παρθενίου θ' αἵματος ὀργᾷ
περιόργως ἐπιθυμεῖν θέμις· εὖ γὰρ εἴη.

de quorum lectione atque interpretatione multa a multis admodum inter se diversa prolata sunt, quae repetere et confutare longum est. Mihi quidem non dubium est, quin hoc a choro dicatur: Agamemnonem, posteaquam aliquamdiu incertus animi fluctuaverit, postremo concedendum esse sociorum voluntati filiamque immolari debere statuisse: neque enim nefas haberi posse, quod tam vehementer id ab exercitu flagitaretur, quandoquidem aliter placari Diana obstaculumque ab ea expeditioni obiectum removeri non posset. De sententia, quin aptissima sit, nemo facile ambiget. Immo necesse fuit hoc dici, non nefariam Agamemnoni visam esse sociorum flagitationem; nam sic demum intelligi potest, cur concedendum esse, quamvis aegre, tandem tamen animum induxerit. Ad infinitivum *ἐπιθυμεῖν* subaudiendam aliquis dixerit *τὴν ξυμμαχίαν* superius nominatam: nam significari *τοὺς ξυμμάχους*; ego tamen Aeschylum subiectum disertius significasse credo, sic: *ὀργᾷ περιόργῳ σφ' ἐπιθυμεῖν θέμις*. Sed postrema tria verba haud dubie corrupta sunt. Hermannus quidem ea sic explicari posse autumat, ut subaudiatur sententia, ad quam causalis particula *γάρ* referatur, nempe: sic fiat. „Ita", inquit, „quod brevissime dixit poeta, accipiendum est hunc in modum: nam, quoniam evitari non potest, optandum ut bene vertat." Ergo, quamvis subaudias illud sic fiat, nondum tamen procedit interpretatio

nisi etiam amplius aliquid subaudiatur. Tale artificium interpretandi non vereor ne multis placiturum sit: mihi quidem perquam improbabile videtur. Suspicabar aliquando Aeschylum scripsisse: *εἰ δ' ἄρ', εἶεν*: quodsi ita est, age — esto — fiat! Nam *εἰ δ' ἄρα* sic elliptice usurpatur, ubi, quid subaudiendem sit, e superioribus obscurum esse non potest, ut hoc loco *εἰ δ' ἄρα θέμις ἐστί*. Sic Demosthenes loquitur, Mid. p. 559, 26: *ἐπεὶ περιαιρεθεὶς τὰ ὄντα ἴσως μὲν οὐκ ἂν ὑβρίζοι· εἰ δ' ἄρα, ἐλάττονος ἄξιος ἔσται*. Nunc autem nihil mutandum esse iudico praeter unam litteram: pro *γάρ* enim *τἄρ'* scribendum est. Nam *τἄρα* h. e. *τοὶ ἄρα* usurpatur, ubi aliquid consequens esse cum quadam asseveratione ponitur, ut hoc loco: quandoquidem fas est sacrificium ab exercitu flagitari, ergo optandum est certe, ut bene eveniat. Quam saepe *τἄρ* et *γάρ* permutentur a librariis nemo nescit. Cf. Ellendt. Lex. Soph. 1 p. 215.

In postremis huius cantici verbis, v. 240.

πέλοιτο δ' οὖν τἀπὶ τούτοισιν εὔπραξις, ὡς θέλει
τόδ' ἄγχιστον Ἀπίας γαίας μονόφρουρον ἕρκος,

quid sit illud *ἄγχιστον ἕρκος* non intelligo. Schützius quidem cum aliis Clytaemnestram designari putans, „chorus“ inquit „de regina loquitur, quam propius ad se accedere videt.“ At quis unquam alterum propius accedentem huiusmodi adiectivo, superlativo praesertim, designavit? Scholiastes *τὸ συγγενικὸν* interpretatur, videturque de senibus accepisse terrae ipsius, quam tuentur, utpote patriae suae quasi proximis cognatis. Blomfieldius contra eos designari credit, ad quos absente rege haec tutela proxime pertineat. In cassum laborant qui explicare inexplicabilia quovis modo conantur. Aeschylus scripsit *εὔπιστον*, unde *ἄπιστον*, hinc *ἄγγιστον* et *ἄγχιστον* ortum est. Designant autem his verbis senes semet ipsi, utpote absente regi soli ad terram tuendam una cum regina relicti. Et comparari aptissime possunt cum illis Persarum senibus, qui a Xerxe in Persia relicti curas suas et consilia cum Atossa communicant, ipsique de se dicunt *τάδε μὲν Περσῶν — πιστὰ καλεῖται*. Nam quod Hermannus his Argivis obiicit, stolidam et importunam esse iactationem, si *μονόφρουρον ἕρκος* se dicant, qui paullo ante (v. 82) ipsi se *ὄναρ ἡμερόφαντον ἀλαίνειν* dixerint: non reputavit scilicet vir summus, illo loco tantummodo de bellico robore sermonem fuisse: hoc sese carere dixerunt, ad arma gerenda invalidos, puerorum adeoquo umbrarum similes. Nihilo minus tamen iidem consilio satis valere possunt, et ut *πρόβου-*

λοι rei publicae praeesse. An vero, si Clytaemnestram cum Hermanno designari sumimus, plus bellici roboris in muliere quam in senibus fuisse dicemus?

In oratione Clytaemnestrae v. 271 sqq.:

ὑπερτελής τε, πόντον ὥστε νωτίσαι,
ἰσχὺς πορευτοῦ λαμπάδος πρὸς ἡδονὴν
πεύκης τὸ χρυσοφεγγές, ὥς τις ἥλιος,
σέλας παραγγείλασα Μακίστου σκοπαῖς.

probandum est quod Hermannus scripsit *σκοπῷ*: sed in explicanda totius loci structura frustra laboravit. Desideratur utique verbum finitum, idque intelligens Bambergerus sagacissima coniectura *παρηγγάρευσε* pro *παραγγείλασα* proposuit. Id quum explicatum esset adscripto verbo usitato *παρήγγειλε*, hoc ipsum a librariis illius loco scriptum, ac dein a correctoribus metri causa in *παραγγείλασα* mutatum esse perquam veri simile est. Nisi quis forte illud potius *πρὸς ἡδονήν* in versu secundo vitiatum esse credat, permutandumque cum aliquo verbo finito, velut *προηλάθη*. Id mihi olim in mentem venit, ante quam Bambergeri emendationem nossem: nunc nescio an haec praeferenda sit. — In eadem Clytaemnestrae oratione v. 289, quod 26
codices habent *ὤτρυνε θεσμὸν μὴ χαρίζεσθαι πυρός*, Hermannus cum aliis compluribus mutavit in *μὴ χατίζεσθαι*, quod interpretatur: ne desideraretur h. e. ne destitueret exspectantes. Mihi probabilius videtur Aeschylum scripsisse *μὴ χρονίζεσθαι*, ne tardaretur. Cf. Sept. ad Theb. v. 54: *καὶ τῶνδε πύστις* (sive *πίστις*) *οὐκ ὄκνῳ χρονίζεται*, in quo versu item *χαρίζεται* pro *χρονίζεται* scriptum est in Stobaei codice A., Floril. VII, 86.

Sequitur chori stasimum, praestantissimum illud quidem, sed aliquot locis adeo a librariis corruptum, ut plane intelligi nequeat. Primum in stropha prima, postquam dictum est, impios esse qui res humanas a diis respici et male facta puniri negent, haec leguntur, v. 358:

πέφανται δ᾽ ἐγγόνους
ἀτολμήτων ἄρη
πνεόντων μεῖζον ἢ δικαίως.

Hermannus edidit: *πέφανται δ᾽ ἐκγόνοις ἀτολμήτως Ἄρη πνεόντων μ. ἢ. δ.* idque interpretatur: apparuit natis intolerabiliter maiorem quam fas erat Martem spirantium. Quid apparuerit, e superioribus intelligi vult, nempe divinam male factorum animadversionem. Atqui haec nunc quidem non natis sive posteris (*ἐκγόνοις*),

sed ipsis qui deliquerunt apparuit. Loquitur enim chorus de Paride et Troianis: hos Iovis vindictam expertos esse, horumque exemplo patefieri, non impunita esse hominum male facta. Itaque etiamsi verum est, maiorum delicta saepenumero a posteris demum lui, tamen in hoc contextu hanc sententiam non aptam esse apparet. Deinde haud scio quam recte illud *Ἄρη πνεόντων* de Paride atque Troianis dici potuerit. Nam Martem spirare dicuntur, qui ferocia aut odio instigati vim et arma spectant bellique et certaminum cupidi sunt et hostilia perpetrant, quemadmodum infra v. 1194 Clytaemnestram videmus *ἄσπονδον Ἄρη φίλοις πνέουσαν;* Paridis autem et Troianorum delictum non ex tali ferocia aut odio natum erat, sed ex illius libidine, horum nimia securitate, quam diuturna felicitas opumque affluentia pepererat, *φλεόντων δωμάτων ὑπέρφεν*, ut est v. 361. Itaque recte Emperius *Ἄρη* ab hoc loco alienum esse intellexit, scripsitque *ἀρά*, quo vocabulo recepto iam aptum habemus enuntiationis subiectum: *πέφανται ἀρά*, apparuit pernicies: quo sensu id vocabulum non solum ab epicis sed etiam ab Aeschylo usurpatur Suppl. v. 76. Merito hanc amici emendationem probavit doctissimus Bambergerus in programmate gymn. Brunovic. a. 1835 edito p. 14, idemque pro *ἐγγόνους* non *ἐκγόνοις*, quod propter eam quam exposui rationem improbandum est, sed *ἔκγονος* reponi voluit, ut dicatur pernicies male factorum (*ἀτολμήτων*) progenies. Neque sane vituperanda est haec coniectura, sed probabilius tamen et minus etiam a librorum lectione distans est *ἐγγὺς οὖσ'*, unde quam facile *ἐγγόνους* fieri potuerit ipse aspectus docet. Atque habemus sic etiam accuratiorem numerorum aequabilitatem: nam antistrophicus quoque versus 375, *μελαμπαγὴς πέλει,* in longam syllabam exit; eamque rem in Aeschylo haud parvi faciendam esse periti sciunt.

Longe corruptissima autem et plane pro desperata habenda est eiusdem stasimi stropha secunda v. 394. Sed de hac antequam disputo, de antistropha videndum est, quae, quamquam et ipsa non
27 incorrupta, paullo certiorem tamen medicinam admittere videtur. Leguntur ibi v. 410 in codicibus haec: *τὸ πᾶν δ' ἀφ' Ἑλλάδος αἴας συνορμένοις πένθεια τλησικάρδιος δόμων ἑκάστου πρέπει.* quae qui scripserunt, *συνορμένοις* haud dubie accipi voluerunt de iis, qui e Graecia in bellum profecti essent. Sic scholiastes: *τῶν συνηγμένων ἀπὸ τῆς Ἑλλάδος ἁπάντων τοῖς οἴκοις ὀδυνηρὰ πένθησις διαπρέπει:* neque aliter recentiores, velut Klausenius, qui vertit: omnino

vero iis, qui e Graecia profecti sunt, domi uniuscuiusque ortus est luctus animum affligens, et Schützius: propter eos qui e Graecia profecti sunt etc. Atqui hos si designare Aeschylus voluit, articulum participio addi necesse fuit; ne de casu dativo dicam, cuius commode explicandi nullam rationem video. Nam quod Schützius ei causalem significationem tribuit, habeat sibi. Scholiastes legisse videri possit *συνορμένων* et mox *δόμοις*: sed huic non multum tribuendum est. Aeschylum autem scripsisse crediderim *συνορμένα*, quod quum in vetusto codice, nostrorum omnium fonte communi, per compendium scriptum esset, hinc error describentibus obiectus, ut *συνορμένοις* ponerent, idque de militibus in bellum profectis acceptum necessario etiam alteri corruptelae ansam dedit, ut *ἀφ' Ἑλλάδος αἴας* scriberetur pro eo, quod scribendum erat, *ἐφ' Ἑλλάδ' αἶαν*. Possit etiam *ἀν' Ἑλλάδ' αἶαν* coniici; sed illud praefero propter faciliorem mutationem. Itaque versus habebimus hosce:

τὸ πᾶν δ' ἐφ' Ἑλλάδ' αἶαν
συνορμένα πένθεια τλησικάρδιος
δόμων ἑκάστου πρέπει.

Omnino autem per Graecam terram coortus luctus corda mordens unius cuiusque domus conspicuus est. Numeri concinni, sententia apta. Nam *τὸ πᾶν*, adverbii instar, omnino, in universum, recte dicitur propterea, quod, quum antea de unius Menelai eiusque domus dolore dictum esset, nunc ad universae Graeciae dolorem transitur: *ἐφ' Ἑλλ. αἶαν* dictum, ut *ἐπὶ γαῖαν εἰσὶ δύο* ap. Hes. O. et C. v. 11. et *ἐπ' ἀπείρονα γαῖαν* aliquoties apud Homerum.

Haec si non improbabiliter restituta sunt, etiam de strophicis coniecturam audere licebit. In codicibus scriptum est: *πάρεστι σιγᾶς ἄτιμος ἀλοίδορος ἄδιστος ἀφεμένων ἰδεῖν*, nullis numeris nullaque sana sententia. Iambicos versus restitui antistropha postulat, unde apparet non posse aut *σιγὰς* aut *σιγῶσ'* aut *σιγῶν* scribi, quae omnia ab uno aut altero critico proposita sunt, sed *σιγᾶς* librariorum errori deberi, nato illi ex geminatione duarum primarum litterarum vocabuli sequentis. Deinde in *ἀφεμένων* syllabam secundam *ει* esse debere iam alii intellexerunt. Quaenam autem probabilis verborum sententia fuisse videbitur? Cantat chorus, qualis dolor in domo Menelai excitatus fuerit propter Helenae fugam. Lamentabantur, inquit, domestici prophetae: *ἰώ, ἰὼ δῶμα, δῶμα καὶ πρόμοι, ἰὼ λέχος καὶ στίβοι φιλάνορες.* His, opinor, non incommode talis sententia

subiungi potuit: *πάρεστι σῖγ' ἀτίμως — δόμους — ἀφειμένους ἰδεῖν*: licet videre domum silentio (h. e. sine valedictione) contumeliose desertam. Sic *σῖγ' ἀτίμως* coniunguntur etiam in Choeph. v. 86, et omnis enuntiatio comparari potest cum Eum. v. 168: *πάρεστι γᾶς ὀμφαλὸν προσδρακεῖν αἱμάτων βλοσυρὸν ἀρόμενον ἄγος ἔχειν.* De duobus vocabulis, *ἀλοίδορος* et *ἄδιστος*, quid faciam nescio. Interim amplector Hermanni coniecturam, qui pro
28 *ἄδιστος* reposuit *αἴσχιστ'*, in *ἀλοίδορος* autem, quod miris modis alii interpretari conati sunt, duo vocabula latere arbitror, alterum illud quod supra scripsi *δόμους*, alterum *ἄλαι* h. e. *ἄλᾳ*,, quo nomine fortasse desertricis Helenae fuga invidiose designari potuit. Sic versus existunt hi

πάρεστι σῖγ' ἀτίμως
ἄλᾳ δόμους αἴσχιστ' ἀφειμένους ἰδεῖν.

strophicis, quos supra posui, duobus prioribus ad amussim exaequati.

Initium antistrophae secundae in codicibus hoc est, v. 402 sqq.:

ὀνειρόφαντοι δὲ πενθήμονες
πάρεισι δόξαι φέρουσαι χάριν ματαίαν.
μάταν γὰρ εὖτ' ἂν ἐσθλά τις δοκῶν ὁρᾶν,
παραλλάξασα διὰ χερῶν
βέβακεν ὄψις κτλ.

Hermannus in versu secundo *πάρεισιν δόκαι* reposuit, vere haud dubie, nisi quod *δοκαί* potius scribendum fuisse Dindorfius monet; in quarto *παραλλαγαῖσι*, si minus vere, haud procul tamen a vero. Sed in constructione versus tertii et sequentium expedienda falli videtur. Nam quod ait *μάταν* coniungendum esse cum *βέβακεν*, reliqua autem brevius dicta esse pro *εὖτ' ἂν ἐσθλά τις δοκῶν ὁρᾶν ὁρᾷ*: haec brevitas inaudita atque incredibilis est, nec puto recte *μάταν* cum *βέβακεν* coniungi posse propter sententiam. Scripsisse Aeschylum suspicor:

μάταν γὰρ ηὖκτ' ἂν ἐσθλά τις δοκῶν ὁρᾶν,
παραλλαγᾷ δὲ διὰ χερῶν
βέβακεν ὄψις —.

In eiusdem cantici antistropha tertia v. 449, ubi in codicibus scriptum est,

βάλλεται γὰρ ὄσσοις Διόθεν κεραυνός.

ὄσσοις Hermannus in hanc sententiam interpretatur, ut lumine oculorum et vita privari dicantur quos Iovis fulmen feriat. Id non magis

credo, quam quod Klausenio placuit, fulmen oculis Iovis emissum dici. Scribendum erit ὀξύς.

Denique in epodo v. 454 codices habent:

πόλιν δίηκει θοὰ βάξις· εἰ δ' ἐτητύμως,
τίς οἶδεν; ἤ τοι θεῖόν ἐστι μή ψύθος;

Hermannus ἐτήτυμος scripsit, cum Aurato, et εἴ τι pro ἤ τοι. Est autem vel sic perquam inelegans oratio: verusne sit rumor, quis scit? nisi divina aliqua fraus est. Nam quum prius illud verusne sit rumor, quis scit? ostendat eum, qui sic interrogat, de veritate rumoris dubitare, non conveniebat huic dubitationi illud nisi —, h. e. conditionem negativam adiungi, quasi aliquid illi dubitationi opponeretur. Nam nisi sic demum recte diceretur, si superiora verba confidentiam, non dubitationem significarent. Accedit, quod etiam μή loco insolito positum iustam offensionem habet. Itaque scribendum est: οὐδ' ἐτητύμως τις οἶδεν, ἤ τι θεῖόν ἐστιν ἢ ψύθος. Nam ἐτητύμως εἰδέναι 29
proba loquutio est, qua utitur Aeschylus etiam infra v. 1255: ἤ — ἤ pro πότερον — ἤ non solum epici dicunt, de quibus nemo dubitat, sed etiam tragici, de quibus sine causa Hermannus controversiam movit ad Elmslei edit. Medeae, in Opusc. III p. 198. Aeschylo certe hunc usum etiam Doederlinus concedit ad Soph. Oed. Col. v. 80.

Sequitur alterum episodium, a. v. 480 ad v. 659, cum narratione nuntii, in qua pauca quaedam et leviora vitia emendanda nobis relicta sunt. Primum enim v. 615,

εὔφημον ἦμαρ οὐ πρέπει κακαγγέλῳ
γλώσσῃ μιαίνειν· χωρὶς ἡ τιμὴ θεῶν.

vereor ut probari possit Hermanni iudicium, qui postrema verba convertit praemium sine diis est, sententiamque hanc esse vult: „praemium accipit malorum in re laeta nuntius tale, cui non favent dii." Certe graviter vituperandus foret poeta, si talem sententiam, malis nuntiis mala praemia contingere, tam perplexe eloqui voluisset. Rectius Stanleius aliique sententiam hanc esse iudicarunt: honorem diis alias aliis habendum esse h. e. suo cuiusque tempore, nec propitiorum et infestorum numinum honores miscendos atque confundendos. Eam sententiam Aeschylum sic eloquutum esse credo: χωρὶς ἡ τιμὴ (vel quod verius puto, αἱ τιμαὶ) θεοῖς: diis sui cuique separatim honores habendi, alio tempore iis, qui propitii sunt, laeto animo grates agendae, alio tempore illis, qui mala immittunt, planctus et lamenta debentur. — Terminationum permutatio etiam v. 618 vitium

peperit. Neque enim dubito, quin, cum Blomfieldio, scribendum sit *πόλει μὲν ἕλκος ἓν τὸ δήμιον τυχόν*, non *τυχεῖν*, ut codices habent. Duo *πήματα ἄπευκτα* nuntius commemorat, alterum publicum, universae civitati grave, *τὸ δήμιον τυχόν*, alterum singulis familiis dolendum, *πολλοὺς πολλῶν ἐξαγνυσθέντας δόμων*. Nam *ἐξαγνυσθέντας* pro *ἐξαγισθέντας*, quod in codd. est, confidenter reponendum esse aio. Quodsi in superiore membro *τυχεῖν* dixisset, debuit etiam in altero membro infinitivum *ἐξαγνυσθῆναι*, non *ἐξαγνυσθέντας* dicere, nisi forte gratum facere grammaticis quibusdam, voluit, ut hoc quoque mutatae subito structurae exemplum aliis a se collectis adderent. Sed hi contenti esse poterunt eo, quod paullo infra v. 624—626 sibi oblatum vident. — Denique v. 623 *παιᾶνα τόνδ' Ἐρινύων* non potest verum esse. Neque enim ea, quae in superioribus versibus conditionaliter dicta sunt, *ὅταν δ' ἄπευκτα πήματ' ἄγγελος φέρῃ*, pro paeane Furiarum haberi possunt. Scribendum igitur *παιᾶνα τῶν Ἐρινύων*. Codicum scriptura hinc orta est, quod quum *τόν* pro *τῶν* scriptum esset, correctores fulciendi versus gratia illud *δ'* addiderunt. Articulus autem tanto minus offendere debet, quod *Ἐρινύων* nomen appellativum magis quam proprium est. Vid. quae dixi ad Eum. p. 63. Cf. Prom. v. 940: *οἱ προσκυνοῦντες τὴν Ἀδράστειαν σοφοί.*

31 In secundi stasimi stropha secunda v. 697 sqq. Aeschylum scripsisse suspicor:

πολέα δ' ἔσχ' ἐν ἀγκάλαις νεοτρόφου τέκνου δίκαν,
φαιδρωπὸν ποτὶ χεῖρα σαίνοντα γαστρὸς ἀνάγκαις.

Codices habent *φαιδρωπός* et *σαίνων τε*, quam lectionem qui tueri volent, his necesse erit aut *ἔσκε* scribere cum prioribus, aut *ἔσχε* cum Hermanno neutrali significatu dictum statuere, quod quam durum sit in hoc contextu neminem fallere potest. Accedit quod in codicum scriptura non recte separatim ponuntur quae res ipsa coniungi postulat. Nam non aliud est *φαιδροπὸς ποτὶ χεῖρα*, aliud autem *σαίνων*, sed catulus ille leonis *ποτὶ χεῖρα σαίνει φαιδρωπός*, ad manum domini hilariter adulans accedit. Vulgatae lectioni nihil praeter codicum auctoritatem patrocinatur, quae quanti facienda sit, in his praesertim fabulae partibus, ubi Mediceus deficit, peritis exponi non opus est. — Neque recte Hermannum v. 693 *ὧδ'* pro *οὕτως* scripsisse puto. Mutanda potius fuit antistropha, v. 700 sqq. in hunc modum: *χρονισθεὶς δ' ἀπέδειξεν ἔ — θος τὸ πρὸς τοκέων· χάριν — γὰρ*

τροφεῦσιν ἀμείβων —. Ad eundem modum etiam strophae versus dimetiendi erunt.

Quarta huius cantici stropha tam misere corrupta est, ut emendari, nisi quando integriores codices opem tulerint, vix posse videatur. Sed quemadmodum in desperatis aegrotis medici tentare tamen aliquam medicinam solent, sic in huiusmodi locis non invidendum est critico, si coniecturam, quamvis ancipitem, non tamen absurdam periclitetur. In primo quidem versu,

φιλεῖ δὲ τίκτειν ὕβρις μὲν παλαιὰ νεάζουσαν ἐν κακοῖς
βροτῶν ὕβριν,

nihil offensionis est; in proximis autem,

τότ᾽ ἢ τόθ᾽ ὅταν τὸ κύριον μόλῃ
νεαρὰ φάους κότον,

postrema tria verba plane sensu cassa esse apparet, neque priora satis sana esse videntur. Primum enim ipsa haec loquutio *ὅταν τὸ κύριον μόλῃ* certe insolens est et sine exemplo, neque id quod Hermannus posuit, *ἔστ᾽ ἂν ἐπὶ τὸ κύριον μόλῃ*, multum probabilitatis habet. Quid est enim *ἐπὶ τὸ κύριον μολεῖν*, de insolentia dictum? Porro autem illud quoque vix credo ab Aeschylo dictum esse, insolentiam solere novam ex se insolentiam parere *τότ᾽ ἢ τότε*, h. e. serius ocius, quemadmodum recte haec formula ab interpretibus accipitur. Nam insolentiae propriam hoc esse puto, ut nullo non tempore insolenter agat. Sed serius ocius exitium insolentes consequitur, ubi fatalis terminus advenerit. Itaque si scribamus *τότε δ᾽ ἢ τότ᾽, ἢν τὸ κύριον μόλῃ τέλος* —, et loquutionem habebimus usitatam, (*κύριον τέλος* est Eum. v. 534. *τέλος μολεῖν* dicitur Sept. Theb. v. 348), neque vero nimis audacter aut additum versui breve vocabulum, quod excidere facile potuit, aut *τότε δ᾽ ἢ* pro *τότ᾽ ἢ* repositum, aut *ἢν* pro *ὅταν* scriptum videbitur. Nam hoc quidem *ὅταν* facile ex interpretamento irrepere potuit, praesertim si statuas, in cod. *ἂν* scriptum fuisse, quod aliquoties pro illo altero etiam in tragicorum codicibus inveniri constat, potuitque interpretationem postulare videri, ne haberetur pro 32
particula potentiali. Versus autem est iambicus trimeter, ut antistrophus v. 744, quamquam non plane iisdem pedibus incedens. Sed hoc postea curabitur: nunc videamus tria illa inexplicabilia *νεαρὰ φάους κότον*. Hermanni sententia, qui *κότον* delevit, ut ex interpretamento illatum ad *δαίμονα*, v. 783, adscripto, haud facile cuiquam probabitur, siquidem neque opus fuit ulla huius vocabuli interpretatione, neque

apparet, qua ratione aliquis *δαίμονα* interpretari *κότον* potuerit. Non magis probabile est *νέᾳ· ῥαφῇ*, quod ille pro *νεαρὰ φάους* posuit. Voluit nimirum novam insolentiae machinationem significari. Atqui *ῥαφή* de dolosis callidisque consiliis, maximeque de clandestinis dicitur, quae minus insolentiae, h. e. feroci et protervo animo, quam fraudulento ac malitioso convenire videntur. Sed ipsum illud, quod in codicibus scriptum est, *φάους* contrarii vocabuli, *σκότον*, iam superiores quosdam criticos admonuit, idque mihi quoque verum esse videtur. Pro *νεαρά* reponendum erit *νεαρόν* aut, quod mihi aptius esse videtur, *νέατον*. His igitur receptis versus habemus hosce:

τότε δ' ἢ τότ', ἦν τὸ κύριον μόλῃ τέλος,
νέατον φάους σκότον,

pendetque accusativus a verbo *τίκτειν* in versu primo. Reliqua sic restituenda erunt:

δαίμονά τιν' ἄμαχον ἀπόλεμόν τ',
ἀνίερον θράσος μελαίνας μελάθροισιν ἄτας,
εἰδομέναν τοκεῦσιν.

in quibus nihil a codicibus discessi, nisi quod in versu primo *δαίμονά τιν'* pro *δαίμονά τε τόν* scribendum, in fine versus autem *τ'* addendum fuit. Codicum scripturam vitiosam esse vel hinc intelligi potest, quod sic ille *δαίμων* distingui videtur a mentis occaecatione, quam insolentia ad extremum parere dicta est, quum dubitari non possit tribus his nominibus *σκότον, δαίμονα, θράσος ἄτας*, unam eandemque rem designari. Nam ipsa illa mentis occaecatio daemonis instar homines in perniciem abripit, ipsa nihil aliud est, quam Ates temeritas. Post *ἀπόλεμον* autem cur *τ'* addiderim, ex antistropha patebit, quam nunc adscribam sic ut debet emendatam.

Δίκα δὲ λάμπει μὲν ἐν δυσκάπνοις δώμασιν, τὸν δ' ἐναίσιμον τίει βίον·
τὰ δὲ χρυσόπαστ' ἔδεθλα σὺν πίνῳ χερῶν
παλιντρόποις λιποῦσ'
ὄμμασιν ὁσιότροπα προσέβα,
δύναμιν οὐ σέβουσα πλούτου παράσημον αἴνῳ·
πᾶν δ' ἐπὶ τέρμα νωμᾷ.

In versu secundo codices habent *τὰ χρυσόπαστα δ' ἐσθλά* aut *τὰ χρυσόπαστ' ἐσθλά*: *ἔδεθλα* autem scribendum esse iam Auratus coniecit, receperuntque Schützius et Hermannus, ut evidentissime verum. Partculam *δέ* transponi necesse fuit, quo versus strophico

exaequaretur, eaque transpositio tanto minus improbabilis videri debet, quod in codice Farn. particula post *χρυσόπαστα* plane non comparet. Porro codices habent *παλιντρόποις ὄμμασι λιποῦσ'*, quae item 33
responsionis causa transponenda fuerunt[10]). Eandem ob causam pro *ὅσια* scripsi *ὁσιότροπα*, vocabulum licet alias fortasse non lectum, recte tamen formatum, ut *ὁμοιότροπος*, *κακότροπος*, *αἰολότροπος* et similia: quam facile autem duae syllabae postremae propter sequens *προς* — excidere potuerint, in aperto est. Denique quod in codicibus legitur *τοῦ* post *προσέβα*, articulum huc ex sequente versu venisse Hermannus censet, quum supra scriptus esset ad *πλούτου*: idque haud dubie verum est.

In anapaestis chori Agamemnonem advenientem salutantis quod legitur v. 769, *θάρσος ἑκούσιον ἀνδράσι θνήσκουσι κομίζων*, Hermannus interpretando tueri conatus est: dictum enim esse acerbe de mortifera expeditione, vexisse Agamemnonem (ad Troiam) spontaneam audaciam mori volentibus viris. Ego mihi haec non minus quam graeca obscura esse fateor, quum neque qui sint illi mori volentes viri intelligam, quibus Agamemno spontaneam audaciam ad Troiam vexerit, neque volentes mori propterea iam morientes dici potuisse credam. Verissime alii emendarunt *θράσος ἀκούσιον*: et *θράσος* quidem etiam in cod. Flor. scriptum est; reliquerunt autem ineptum illud *θνήσκουσι*, pariterque de morituris aut mori non recusantibus dici potuisse opinati sunt. Mihi persuasum est Aeschylum tam mirifice non loquutum esse, sed sic potius: *θράσος ἀκούσιον ἀνδράσιν ἀποκνοῦσι κομίζων*. h. e. audaciam involuntariam afferens (s. iniungens) viris detrectantibus, ut significetur cives etiam invitos a rege coactos esse ad expeditionem. Ex *ἀποκνοῦσι* quum *ἀποθανοῦσι* factum esset, hoc correctores propter metrum ferri non posse intelligentes in *θνήσκουσι* mutarunt. Coniiciat aliquis *ἀνδράσιν ὀκνοῦσί*, quum facilius etiam *ὀκνοῦσι* in *θανοῦσι* corrumpi potuerit, et sic *θνήσκουσι* a correctoribus poni; sed non credo tamen ab Aeschylo primam illius verbi syllabam in thesi productam esse.

In proximo diverbio Clytaemnestrae et Agamemnonis, quod illam

10) Ne sic quidem plane respondet strophico antistrophus, si *νέατον* v. *νεαρόν* pro anapaesto habetur. Sed licuit, opinor, Aeschylo hoc per synizesin pro iambo usurpare, quod genus synizeseos, quamvis rarum, non tamen inauditum esse Hermannus monet, Elem. doctr. metr. p. 53.

codices v. 851 dicentem faciunt, *εἴ τε δημόθρους ἀναρχία βουλὴν καταρρίψειεν*, non credo sic ab Aeschylo scriptum esse. Interpretes quidem *βουλήν* de senatu quodam accipiunt, cui regnum absente rege tuendum fuerit; sed id si intelligi Aeschylus voluisset, paullo disertius haud dubie eloquutus foret. Scripsisse eum suspicor *βουλὴν κακὴν ῥάψειεν*. — Neque incorrupta sunt Agamemnonis verba v. 899: *γνώμην μὲν ἴσθι μὴ διαφθεροῦντ᾽ ἐμέ.* Quippe *γνώμην διαφθείρειν* vix recte dicitur, qui alteri concedens non perseverat in sententia, sed is potius qui alteri persuadet, ut deterius consulat. Itaque scribendum erit: *γνώμην μὲν ἴσθι μὴ διαφθεροῦσ᾽ ἐμήν.* — Proxima verba Clytaemnestrae v. 900: *ηὔξω θεοῖς δείσας ἂν ὧδ᾽ ἔρδειν τάδε*, plerique sic interpretati sunt: vovistine diis metuens sic facturum te ista? aut etiam, quoniam sic *ἄν* particula non conveniret sententiae, sublato signo interrogationis, in hunc modum: vovisses haec ita facere, si aliquid metuisses. Neutram interpretationem ferri posse recte Hermannus monuit. Immo ridicula est sententia, si *ὧδ᾽ ἔρδειν τάδε* accipitur de recusatione Agamemnonis, quum se negat per stragula incessurum esse. Nam id se non
34 facturum vovere sic demum potuisset, si praevidisset fore ut stragula sibi redeunti substernerentur. Hermannus scripsit *δείσασαν*, restituto signo interrogationis, sed interpretatione nulla addita: neque ego exputare possum, quid hoc significare voluerit. Aeschylum autem scripsisse aio: *εὖξαι θεοῖς δείσας· σὺ δ᾽ ὧδ᾽ ἔρδειν τάδε.* h. e. precibus placa deos si eos (eorum animadversionem) metuis; sed fac quod te iubeo. Conformationem orationis, haud raram illam in huiusmodi adhortatione, quae ante dictis opponitur, comprobabunt aliquot exempla. Hom. Od. XXII, 431: *μήπω τήνδ᾽ ἀνέγειρε· σὺ δ᾽ ἐνθάδε εἰπὲ γυναιξίν.* Hesiod. O. et D. v. 402: *χρῆμα μὲν οὐ πρήξεις· σὺ δ᾽ ἐτώσια πόλλ᾽ ἀγορεύσεις.* Soph. El. v. 394: *ταῦτα μὲν μέθες· σὺ δὲ τεμοῦσα κρατὸς βοστρύχων ἄκρας φόβας — δός.* Eur. Tro. 420: *ἕπου δέ μοι πρὸς ναῦς· σὺ δ᾽ ἡνίκ᾽ ἄν σε Λαρτίου χρήζῃ τόκος ἄγειν, ἕπεσθαι.* Et in ipsa hac Agam. v. 1019: *εἰ δ᾽ ἀξυνήμων οὖσα μὴ δέχει λόγον, σὺ δ᾽ ἀντὶ φωνῆς φράζε καρβάνῳ χερί.* — Paullo post interroganti Agamemnoni: *ἦ καί σὺ νίκην τήνδε δήριος τίεις;* respondet Clytaemnestra v. 910: *πιθοῦ· κράτος μέντοι πάρες γ᾽ ἑκὼν ἐμοί.* In interrogatione illa qui scribendum censuerunt *ἦ οὐ καὶ σὺ* —, sententiam non recte percepisse videntur. Hoc dicit Agamemno: Num vere tu hanc vi-

ctoriam contentione dignam aestimas? Itaque ἦ οὐ alienum est: καί autem non ad σύ pertinet, ut sit tu quoque, sed ad δήριος τίεις, estque sic dictum, ut in convertendo id quod supra posui „vere" usurpari debeat, de quo usu, quoniam obiter exponi non potest, consulendi erunt Doederlinus ad S. Oed. Col. 147 et Ellendt. Lex. Soph. I, p. 889. Hinc apparet etiam συ non acuendum sed encliticum esse. De constructione verbi τίω cum genitivo, quem pretii vocare solent, non opus est dici. Iam vero quid ad hanc interrogationem Clytaemnestra? Respondetne quod interrogata est? Immo pergit instare: parere sibi Agamemnonem iubet. Atqui, dicat aliquis, eo ipso, quod hoc iubet, respondet etiam quodammodo ad illius interrogationem, quippe quum iterata hac compellatione satis appareat, eam victoriae cupidissimam esse. Est hoc pessimum genus corruptelarum, quae aliqua veri specie fallere indiligentes, ab iis autem, qui minus recto iudicio utuntur, etiam defendi possint. His itaque illud πιθοῦ non invidebimus. Qui autem Aeschylum recte norunt, ab eoque non id, quod aut tolerabile aut excusabile, sed quod ubique optimum reique convenientissimum sit, dici solere sciunt, hi, opinor, librariorum errorem agnoscent, Aeschylumque scripsisse credent τί δ'οὔ; Quidni? nempe: quidni victoriam contentione dignam aestimem? quod idem est ac si respondeat: sane dignam aestimo. Similiter τί δ'οὐχί in responsione a Clytaemnestra usurpatur etiam v. 262. Atque sic demum etiam illud adversativum μέντοι in proximo membro recte se habere intelligetur. Nam postquam victoriam vel contentione dignam sibi videri dixit, apte adiungit: verum tamen tu mihi eam volens, ἑκών, h. e. sine contentione concede.

Restat stasimum tertium; nam huius quoque aliquot vulnera graviora curam nostram postulant. Statim in prima stropha, v. 950 sqq., quae in codicibus extant: χρόνος δ'ἐπεὶ (ἐπὶ Farn.) πρυμνησίων ξυνεμβόλοις ψαμμίας ἀκάτας (ἀκάτα Flor.) παρήβησεν (παρήβησ' Farn.) εὖθ' ὑπ' Ἴλιον ὦρτο ναυβάτας στρατός. haec quid significare possint difficile dictu est. Nam etiamsi χρόνος δ'ἐπεί dictum videri possit pro χρόνος δ'ἐστὶν ἐπεί — diu est, ex quo —, deest tamen sic verbo παρήβησε suum subiectum. Sin quis verba construat in hunc modum: ἐπεὶ δὲ χρόνος παρήβησεν, εὖθ' ὑπ' Ἴλιον ὦρτο στρατός i. e. postquam tempus exolevit, quum exercitus adversus Ilium profectus est, non modo absonam habemus sententiam dictionemque mirificam, sed deest etiam huic

protasi apodosis sua. Nam sequitur nihil nisi hoc: πεύθομαι δ' ἀπ' ὀμμάτων νόστον αὐτόμαρτυς ὤν, quod pro apodosi illorum accipere nemo sanus volet. Recte igitur Hermannus illud χρόνος δ' ἐπεί corruptum esse intellexit, reposuitque χρόνος δέ τοι. Hoc, ut maxime probabile, accipimus: reliquorum emendatio, quae minus prospere viro summo successit, nobis sic perficienda esse videtur, ut scribamus

χρόνος δέ τοι πρυμνησίων ξυνεμβολαῖς
ψαμμιᾶν ἀκάτων παρήβησεν, αἶσθ' ὑπ' Ἴλιον
ὦρτο ναυβάτας στρατός.

Verbum παρηβᾶν licet insolentius non tamen incommode usurpatum est de tempore quasi exolescente atque consenescente. Nam quemadmodum et ζῶν χρόνος dicitur et γηράσκων, Soph. Trach. v. 1159. Aesch. Prom. v. 985. Eum. v. 283, quidni etiam ἀκμάζων, ἡβῶν, παρηβήσας? Bello Troiano tempus suum fuit fatis destinatum: itaque fuit hoc tempus bello quasi congenitum, ut συγγενεῖς μῆνες apud Sophoclem dicuntur, de quibus supra dictum est, et una cum bello tempus quoque tum viguit tum consenuit atque exolevit. Ad bellum eiusque aerumnas significandas percommode memorantur navium in littore stationes: has enim, ut maxime aerumnosas, etiam nuntius conquestus erat v. 533 sqq. Dicuntur autem hae stationes ξυνεμβολαὶ πρυμνησίων ψαμμιᾶν ἀκάτων, quoniam subductae in littoris arenam naves eiectis retinaculis religantur. Nam quemadmodum Pers. v. 391 κώπης ξυνεμβολή de remis dicitur, qui multi simul in aquam incidunt, sic etiam πρυμνησίων ξυνεμβολαί recte dici potuit de retinaculis multarum navium simul in littus coniectis ibique alligatis h. e. de multarum navium statione in littore: quamobrem J. G. Schneideri coniecturam in lex. gr. propositam recipere non dubitavi. Cum dativo casu, ξυνεμβολαῖς, construitur illud χρόνος παρήβησε eodem modo, quo apud Eurip. Ion. v. 353: χρόνος δὲ τίς τῷ παιδὶ διαπεπραγμένῳ; aut apud Herod. II, 124: χρόνον ἐγγενέσθαι τριβομένῳ τῷ λαῷ, aliaque similia ap. Valck. ad Herod. II, 2. — Ἀκάτας, quod codices habent, mutandum fuit in ἀκάτων, partim quod illa altera forma nominis parum auctoritatis habet, partim etiam quod pluralis numerus aptior hoc loco quam singularis est quum de ξυνεμβολαῖς, coniunctis multorum funium eiectionibus, multarum itaque navium stationibus sermo sit. Et apparet etiam, quomodo altera forma invecta sit. Nam si ab Aeschylo ψαμμιᾶν scriptum, id autem in ψαμμίας corruptum fuit, consentaneum fuit etiam ἀκάτας huic adiectivo

accommodari. Denique *εὖθ' ὑπ' Ἴλιον ὦρτο ναυβάτας στρατός* dubitari non potest quin falsum sit. Nam tum quidem, quum exercitus ad Ilium profectus est, non exolevit aerumnarum tempus, sed fuit hoc ipsum eius initium. Itaque scribendum fuit *αἶσθ' ὑπ' Ἴλ. ὦ. ν. στρ.*, pronomine ad *ψαμμιᾶν ἀκάτων* relato.

Non levior est corruptela strophae secundae, v. 968 sqq., quamquam huius bonam partem iam superiores critici emendarunt: restat tantum ut perficiatur emendatio. In codicibus hi versus leguntur:

μάλα γάρ τοι τᾶς πολλᾶς ὑγιείας
ἀκόρεστον τέρμα. νόσος γὰρ γείτων ὁμότοιχος ἐρείδει.

quorum prior quas ob causas mutari debeat, quoniam neminem latere 36
potest, a nobis nunc exponi non opus est. Requiruntur autem duo dochmii, et quidem huius formae, alter ⏑⏑⏑⏑́⏑ –, alter ⏑́⏑⏑́⏑ –; nam in antistropho v. 981 dubitari non potest quin aut cum Porsono scribendum sit *τὸ δ' ἐπὶ γᾶν ἅπαξ πεσὸν θανάσιμον*, aut servato eo verborum ordine, qui in codicibus est, *τὸ δ' ἐπὶ γᾶν πεσόν γ' ἅπαξ θανάσιμον*, inserta particula post *πεσόν*, quod genus emendandi, licet paene infamatum nonnullorum criticorum abusu, hoc tamen loco nihil offensionis habet [11]). Itaque alter dochmius in stropha hic erit: *μάλα γέ τοι τὸ τᾶς* — de quo nemo dubitat: alterum ut efficiamus, pro adiectivo *πολλᾶς* aliud iustae mensurae vocabulum quaerendum erit, nec dubito quin Aeschylus *ἄγαν* scripserit, cuius interpretamentum *πολλᾶς* librariorum errore invectum est. In nomine *ὑγιείας* aut corripienda pronuntiando syllaba penultima, ut in *δείλαιος, γεραιός* aliisque nonnunquam fieri constat, aut scribendum cum Franzio *ὑγιέας*, aut cum Hermanno *ὑγιΐας*. — In versu secundo *ἀκόρεστον τέρμα*, etiamsi id cum Hermanno in malam partem interpretemur, tamen nihil aliud significare poterit quam cuius homines supra modum cupidi sint satiarique eo nunquam possint, quemadmodum infra v. 1304, *τὸ γὰρ εὖ πράττειν ἀκόρεστον ἔφυ πᾶσι βροτοῖσιν.* Sic autem non potuit causalis enuntiatio subiungi, *νόσος γὰρ γείτων ὁμότοιχος ἐρείδει.* Absurde enim hoc diceretur, homines valetudinis propterea supra modum cupidos esse, quod morbus ei vicinus esset, quae res restinguere potius cupiditatem deberet. Quamobrem probandum videri possit quod Schützius proposuit, *ἀπά-*

11) Multo minus aptam particulam esse post adiectivum in v. 968, qui ab Hermanno sic scriptum est: *μάλα γέ τοι τὸ πολέος γ' ὑγιΐας* — neminem fugiet.

ϱεστον τέϱμα: nimiae valetudinis et prosperitatis exitus ingratus: nam in propinquo sunt morbus et calamitas. Sed supersederi tamen hac coniectura potest, dummodo pro *γάϱ* causali reponatur adversativum *δέ*, quod a librariis non semel cum illo permutatum esse constat. Nam sic et sententiae consulitur et numerorum aequabilitati, siquidem brevem post *νόσος* syllabum requiri antistrophi comparatio docet. — Iam sequuntur in codicibus haec:

καὶ πότμος ἐνϑυποϱῶν ἀνδϱὸς ἔπαισεν ἄφαντον ἕϱμα.

ad quorum constructionem nihil desiderandum esse Hermanno concedimus: nam *παίειν* hoc sensu cum solo accusativo, licet rarius, non tamen inauditum est; sed deesse aliquid nobis videtur quum ad numerorum rotunditatem, tum vero ad sententiam. Quippe non quaevis prospera fortuna ad scopulum impingit, sed ea tantum, quae immodica est aut qua quis non recte utitur. Id ipse Aeschylus testatur v. 731: *οἴκων εὐϑυδίκων καλλίπαις πότμος αἰεί.* et Eum. v. 521: *ἑκὼν δ' ἀνάγκας ἄτεϱ δίκαιος ὢν οὐκ ἄνολβος ἔσται.* Deinde credo equidem Aeschylum etiam *ἕϱμα* illud, ad quod nimia aut improba felicitas impingat, quale sit paullo disertius indicasse. Postremo, si quis tamen haec potuisse saltem omitti contendat, utpote ex ante dictis intelligenda, etiam antistrophi, de quibus statim dicendum erit, fidem faciunt aliquid hoc loco excidisse. Commodissime et ad sententiam et ad numeros explendos scribi poterit:

37 *καὶ πότμος εὐϑυποϱῶν ἀνδϱὸς ὑπὲϱ τὸ μέτϱον*
ϑᾶσσον ἔπαισε πϱὸς ἄτας ἄφαντον ἕϱμα.

Et hoc quidem *πϱὸς ἄτας* etiam Prienius addi voluit, in Museo Rhen. vol. VII ann. 1850 p. 388.

In antistropha primi duo versus nihil difficultatis habent. Nam quod ambigi potest, utrum *πεσόν γ' ἅπαξ* an *ἅπαξ πεσόν* legendum sit, nullius momenti est, sed proxima statim verba, ut in codicibus scripta sunt, *τίς ἂν πάλιν ἀγκαλέσαιτ' ἐπαείδων*, duo non ambigua habent corruptelae indicia. Primum enim *πάλιν* abest a Farn., et recte abest: nam poetae nihil opus fuit hoc supervacaneo additamento: interpres id adscribere potuit, quo planiorem faceret vim verbi *ἀγκαλέσαιτο*. Deinde quod in eodem Farn. extat *τίς τ' ἀγκαλέσαιτ'*, demonstrat *ἄν* ab eo, qui hunc codicem scripsit, non lectum esse neque necessariam in tali interrogatione particulam esse evincunt exempla a Reisigio de *ἄν* part. p. 132, ab Hermanno Opusc. IV p. 140 et 157 et a Maetznero ad Antiph. p. 130 collecta: sed non mirum,

additam a correctoribus omissam aegre ferentibus. Aeschylum scripsisse arbitror *τίς δ' ἀγκαλέσαιτ' ἐπαείδων*, repetita coniunctione *δέ*, cuius repetitionis exempla non absimilia vid. ap. Buttmann. in excurs. XII ad Demosth. Mid. p. 152 et ap. Ellendt. in Lex. Soph. p. 392. Sic demum iusta existit huius versus cum strophico aequabilitas, quam neglexisse Hermannum miror, ex cuius descriptione strophicus v. 970 a spondeo *γείτων*, antistrophus autem ab anapaesto *πάλιν ἀγκ.* incipit. Sequuntur deinceps in codicibus haec: *οὐδὲ τὸν ὀρθοδαῆ τῶν φθιμένων ἀνάγειν Ζεὺς αὔτ' ἔπαυσ' ἐπ' εὐλαβείᾳ*: sic enim est in Flor., in Farn. autem *αὔτ'* et *ἐπ' ἀβλαβείᾳ γε*. — Fuerunt qui illud *ἐπ' εὐλαβείᾳ* sibi intelligere viderentur: scilicet — multi enim admirabiles Aeschylo contigerunt interpretes. Alii utrumvis, *ἐπ' εὐλαβείᾳ* vel *ἐπ' ἀβλαβείᾳ γε*, ex interpretamento irrepsisse credunt; quamquam quale hoc et quorum verborum interpretamentum fuerit difficile dictu est. Ceterum ne omissis quidem his verbis sana sententia evadit, etiamsi forte quis insuper corrigat *οὐδὲ* — — *Ζεὺς ἂν αὔτ' ἔπαυσεν*. Nam foret hoc: neque Iupiter rursus cohibuisset eum, qui defunctos ab inferis arte sua revocare potuit: cuius apodoseos si protasin quaeras, nihil invenias nisi hoc: si quis defunctos in vitam revocaret, aut ut, liberales simus, si liceret defunctos in vitam revocare. Non invidebimus si cui hoc placeat. Hermannus quidem, qui olim similem quandam coniecturam tentaverat, postea rectiore iudicio usus eam spernendam esse intellexit, expunctaque negatione *οὐδέ*, expuncto etiam adverbio *αὖτε*, expunctis denique verbis *ἐπ' εὐλαβείᾳ* v. *ἐπ' ἀβλαβείᾳ γε*, scripsit *Ζεὺς δὲ τὸν ὀρθοδαῆ τῶν φθιμένων ἀνάγειν ἔπαυσεν*. Et *αὖτε* quin recte expunctum sit non dubito: videtur enim *αὐτέπαυσε* ex *ἀπέπαυσε* ortum esse; *οὐδέ* autem non deleri sed mutari debuit cum *εἴγε*: nam *οὐ* et *εἰ*, *δέ* et *γέ* facillime inter se permutantur. In reliquis non recidendum aliquid sed addendum potius erat: nam ut in stropha, sic etiam in antistropha aliquot verba interciderunt. Scripsisse Aeschylus videtur:

εἴγε τὸν ὀρθοδαῆ τῶν φθιμένων ἀνάγειν
Ζεὺς ἀπέπαυσε τέχνας οὐκ ἐπ' ἀβλαβείᾳ.

Sic enim et numeros habemus strophico versui exaequatos, et aptam sententiarum connexionem. „Quis“, inquit, „mortuum hominem 38
revocare in vitam possit? quandoquidem eum, qui unus olim hac arte pollebat, ut ab inferis mortuos reduceret,

(apparet Aesculapium designari,) Iupiter artem suam exercere vetuit, non cum impunitate. h. e. non sine poena, *ὥστε μὴ ἀβλαβῆ εἶναι*. Cf. Theogn. v. 757: *Ζεὺς μὲν τῆσδε πόληος ὑπειρέχοι αἰθέρι ναίων αἰεὶ δεξιτέρην χεῖρ' ἐπ' ἀπημοσύνῃ*. — In reliqua parte antistrophae recte Hermannus cum Schützio scripsit: *προφθάσασα καρδίαν γλῶσσα πάντ' ἂν ἐξέχει*, pro eo quod codices habent, *καρδία γλῶσσαν ἂν τάδ' ἐξέχει*. sed quae praecedunt, *εἰ δὲ μὴ τεταγμένα μοῖρα μοῖραν ἐκ θεῶν εἶργε μὴ πλέον φέρειν*, non video qua ratione defendi possint. Schützius quidem, in editione anni 1811, priorem *μοῖραν* fatum, alteram autem Clytaemnestram esse vult, Parcae comparatam. Id mihi perabsurdum videtur. In editione minore ann. 1800 verterat: nisi Parca Parcam divinitus constitutam cohibuisset, quod quid sit non intelligo, neque si quis sortem pro Parca substituat, satis perspicio, qua ratione sors divinitus constituta sorte cohiberi dicatur. Non deerunt fortasse ingeniosiores, qui qualemcunque tamen sententiam aliquo modo extundant, laudentque etiam fortasse poetam propter argutum genus dicendi. Mihi huiusmodi argutiae longe abhorrere videtur ab Aeschyli grandiloquentia, proboque quod Blomfieldius et Boissonadius scripserunt *μοῖρα μοῖρά μ' ἐκ θεῶν*. Nam talis anadiplosis hoc loco non potest non perapta videri [12].

Scrib. Gryphiswaldiae die S. Ioannis. MDCCCLIV.

---

12) Sero animadverti emendationem versus 203 (p. 24.), *ὀργᾷ περιόργῳ σφ' ἐπιθυμεῖν*, occupatam esse a Bambergero in progr. ann. 1835. Tanto magis eam veram esse confido. Nam formam adiectivi *περίοργος* defendi non opus erit, apud eos certe, qui adverbium *περιόργως*, non *περιοργῶς*, scripserunt. Et formantur eodem modo *εὔοργος* et *δύσοργος*. — De verss. 1241 sqq. (p. 6. 7.) itemque de v. 197 (p. 24.) admoneor ab amico, horum quoque emendationes occupatas esse ab Hartungo.

AD SOPHOCLIS AIACEM.

Quod apud Terentium legimus de hominibus sapientiae suae plus 3
justo confisis, facere eos intelligendo ut nihil intelligant, id nobis saepenumero in quosdam veterum scriptorum interpretes convenire visum est, quorum ut quisque et ab ingenio et a doctrina instructissimus videri vult, ita difficillime adducitur, ut aliquid etiam a se non satis intelligi confiteatur, quaeritque potius artificium aliquod, quo, quae non assecutus sit, videatur tamen explicuisse. Ex hoc genere exemplum, unum de multis, nunc Vobis, Commilitones, proponere decrevimus, quo, si nihil aliud, hoc certe discatis, non temere ubique magnis istis interpretandi artificibus fidem habendam esse.

Apud Sophoclem in Ajace Agamemnon Teucrum objurgans, quod nimis magnifice et cum ipsius Agamemnonis ceterorumque ducum contemptu Ajacis virtutem praedicaverit, haec ait vv. 1236. 1237. Br.

ποίου κέκραγας ἀνδρὸς ὧδ᾽ ὑπέρφρονα; 4
ποῖ βάντος, ἢ ποῦ στάντος, οὗπερ οὐκ εγώ;

h. e. de quali viro crepas tam magnifica?
quo profectus ille est, aut ubi constitit, ubi non ego?

Quibus verbis nihil aliud dicit Agamemnon, quam non esse quod Ajacis virtus tanquam incomparabilis praedicetur, quippe qui nihil nisi secum una gesserit, nullum in proelium profectus sit, nusquam adversus hostes constiterit, nisi cum Agamemnone. Atque hanc esse horum versuum mentem neminem vestrum non statim intellecturum confidimus, neque quisquam adhuc aliter interpretatus est, praeter unum editorem, eumque omnium longe celebratissimum, qui alterius quidem versus explicationem proponit plane diversam. Pro *ποῖ* enim, quod a Brunckio et Erfurdtio duorum codicum testimonio receptum

est, *ποῦ* esse restituendum; *ποῦ* autem hic non proprie *ubi*, sed, ut solitum in indignatione, fere idem quod *πῶς* esse. Jam totum versum ita convertit: *quomodo profectus ille est aut constitit alicubi, ubi non ego steterim?* Ac ne quis putet non multum interesse inter utramque interpretationem, illud *ubi non ego steterim* eam vim habere monet, ac si dictum sit: *ubi ille ac non ego potius steterim.* Quodsi hoc in illius locum substituamus, haec erit sententia: *quomodo constitit ille alicubi, ubi ille steterit, ac non ego potius?* Id vero quum fieri nullo modo possit, ut consistat aliquis aliquo loco, ubi tamen non hic ipse, sed potius alius quispiam consistat, apparebit haud dubie nihil aliud dictum esse his verbis, nisi Ajacem nusquam constitisse. Confitebimur, arbitror, hoc omnes; nisi tamen mirabimur istam sane mirificam perplexitatem sermonis, quae quasi dedita opera sententiam loquentis obscuret audi-
5 toremque ludificet. Quotum enim quemque in ipso Atheniensium theatro fuisse putamus, qui, quum haec audiret, non ita potius acciperet, uti nos supra interpretati sumus, ut negaret Agamemnon Ajacem quidquam sine se gessisse, non autem, ut nihil eum gessisse contenderet. Quodsi quaerat aliquis, quid permoverit subtilissimum interpretem, ut tam miram rationem comminisceretur, permovit eum versus 1281, ubi Teucer ad Agamemnonis criminationem respondens,

οὐχ ὅδ' ἦν, ait, Ajacem designans, *ὁ δρῶν τάδε,*
ὃν οὐδαμοῦ φῂς οὐδὲ συμβῆναι ποδὶ;

His enim verbis quum manifesto ad illa, quae supra adscripsimus, responderi videatur, id quod etiam vetus scholiastes animadvertit; haeserunt in iis alii quoque interpretes; nimirum quod hic responderi videatur ad aliquid quod Agamemnon re vera non dixerit. Et Musgravium quidem ab emendatione auxilium satis infeliciter petentem nihil nunc moramur: Erfurdtius autem se plane assentiri Triclinio profitetur, cujus haec est ad hunc locum adnotatio: *φασὶν ἐνταῦθα, ὡς συκοφαντεῖ Τεῦκρος Ἀγαμέμνονα. οὐ γὰρ ἐν τοῖς πρόσθεν αὐτοῦ λόγοις πρὸς τοῦτον τοιοῦτόν τι εὕρηται, ἀλλ' ἔφη· ποῦ βάντος ἢ ποῦ στάντος, οὗπερ οὐκ ἐγώ; φαμὲν οὖν ὅτι, ὥσπερ κατὰ τὰς ἔριδας συμβαίνει προφέρειν ἔσθ' ὅτε τὸν ἀντίδικον ἀπολογούμενον τῷ προηγουμένῳ τῆς δίκης τοιαῦτα, ἃ οὐδέποτ' αὐτὸς ἐφθέγξατο, οὕτω κἀνταῦθα.* — Schneiderus denique hanc esse v. 1281 sententiam putat, ut Ajacis opera, quam in proeliis ediderit, nullius pretii fuisse dicatur. At enim ne hoc quidem responsum aptum foret Agamemnonis criminationi, qui nihil nisi negaverat Ajacem quidquam sine

se gessisse; quantum pretii Ajacis operae statuendum esset, non di-
xerat. Neque verum est, quod Schneiderus credit, οὐδαμοῦ cum quo- 6
libet verbo conjunctum aliquod vile ac sine pretio designare. Quem
enim auctorem citat, Erfurdtium ad Antigon. v. 183, is quidem verba
quae ibi exstant: τοῦτον οὐδαμοῦ λέγω, infinitivum εἶναι supplen-
dum esse monens, recte explicat: *in nullo honoris loco esse dico.* Est
enim οὐδαμοῦ εἶναι, φαίνεσθαι, νομίζεσθαι idem atque Latinorum
nullo numero v. loco esse v. haberi, quem usum, praeter eos, quos
Erfurdtius laudat, illustravit Heindorfius ad Plat. Georg. p. 34; quis
autem inde colligat συμβαίνειν οὐδαμοῦ esse: *operam dare quae nul-
lius sit pretii?* — Nos quidem cum Erfurdtio Triclinii rationem pro-
bamus, ita tamen ut paullo accuratius explicandam putemus; quod prius
quam faciamus, de ista altera explicatione pauca addenda esse viden-
tur. Ait enim vir acutissimus esse hunc locum, si quidem sua senten-
tia probanda sit, iis adnumerandum, in quibus ad primam speciem
abundanter posita videatur particula οὐ. Ac sane potuit etiam ita dici:
ποῦ βάντος ἢ ποῦ στάντος, οὗπερ ἐγώ; sed diversa tamen sententia.
Negaret enim ita Agamemnon, Ajacem quoquam profectum esse et us-
quam constitisse, ubi ipse stetisset; nunc autem, e nostri quidem inter-
pretis sententia, non esse contendit ubi Ajax constiterit, ac non potius
ipse. Quamobrem abundare negationem nemo dixerit, qui hanc inter-
pretationem probet, sed potius deesse adverbium μᾶλλον. Hoc vero
omitti nullo modo potuit, quum omnis sententiae vis in eo posita sit,
ut se potius Agamemnon quam Ajacem alicubi constitisse dicat. Nam
quod monet interpres pronomen ἐγώ voce erigendum esse; quamvis
erigamus, nihil tamen proficimus, nisi suppleatur illud μᾶλλον, quo
omisso quid sibi velit οὗπερ οὐκ ἐγώ nemo recte perspicere potest.
At doctissimus interpres non μᾶλλον suppleri, sed pleniorem hujus-
cemodi locutionem cogitari vult: πῶς γὰρ ἔβη ἢ ἔστη, οὗπερ οὐκ
ἐγὼ σταίην, ἀλλ' ἐκεῖνος; Atqui hoc ipsum ἀλλ' ἐκεῖνος, sine quo 7
verba illa ad istum modum intelligi prorsus non possunt, eo minus
supplendum poëta auditoribus relinquere debuit, quo minus quidquam
inesset in ipso orationis tenore, quod tale supplementum flagitare vide-
retur. Haec est enim bene loquendi lex, ut nihil reticeatur, nisi quod
omissum esse ex ipsa orationis connexione pateat. Nostro autem
loco ne hic quidem ipse vir sagacissimus de tali supplemento cogita-
turus erat, nisi versu 1281, h. e. post interjectos versus quattuor et
quadraginta, in ea verba incidisset, quae ut ad illa priora aliquo modo

adaptaret, hoc suum artificium commentus est, magnopere, ut arbitror, et a Sophoclis elegantia et a Graecae linguae consuetudine alienum. Nam quod confert Thucydidis locum III, 36: *μετάνοια ἦν αὐτοῖς καὶ ἀναλογισμός, ὠμὸν τὸ βούλευμα ἐγνῶσθαι, πόλιν ὅλην διαφθεῖραι μᾶλλον, ἢ οὐ τοὺς αἰτίους*, quod idem esse dicit atque: *οὐ τοὺς αἰτίους, ἀλλὰ μᾶλλον πόλιν ὅλην*: hic quoque ratio eum fefellisse videtur. Nolumus quidem illud nimis urgere, quod Reisigius monuit ad Sophocl. Oed. Col. comm. crit. p. 238, ne hoc quidem *ἀλλὰ μᾶλλον πόλιν ὅλην* sententiae satisfacere, nisi etiam *μόνον* ad *οὐ τοὺς αἰτίους* suppleatur; quippe tota urbe eversa necesse fuisse ut etiam sontes perirent; sed prudentissime nobis de hac formula *μᾶλλον ἢ οὐ* Buttmannus disseruisse videtur ad Demosthenis Midian. p. 144. 145. „Quippe," ait, „qui dicit, *τοῦτο μᾶλλον ποιήσω ἢ ἐκεῖνο*, affirmatione ad *τοῦτο* relata, mente negat idem respectu *ἐκείνου*: quod suffecit usui ad effingendam formulam *μᾶλλον ἢ οὐκ ἐκεῖνο*." Consentit cum Buttmanno etiam Aug. Matthiae gr. Gr. p. 805. ed. sec.; eademque etiam Schaeferi sententia esse videtur, qui in not. ad Demosth. orat. in Timoth. p. 1198, 15 apte comparavit Gallorum atque Italorum idioma, *ne* et *non* ponentium post *plus que* et *più che*. Aliam viam ingreditur Reisigius l. l., rursus aliam Eduar-
8 dus Haenisch ad Lysiae amatorium p. 46; sed de his nunc accuratius disputare non vacat. Restat enim ut videamus de vera ratione versuum Sophocleorum inter se conciliandorum, qua de re probari nobis Triclinii sententiam supra diximus, paullo tamen accuratius explicandam. Nempe dixerat Agamemnon Ajacem nusquam fuisse, nisi ubi ipse quoque fuisset. Hoc Teucer in eam sententiam detorquet, quasi Ajacem Agamemnon usquam fuisse negaverit. Scilicet Agamemnonem nusquam fuisse indicare vult. Quodsi Agamemnon nusquam fuerit, Ajax autem nusquam nisi ubi Agamemnon, efficitur Ajacem non magis usquam fuisse. Atque hoc ita planum atque facile videtur, ut verbum non amplius addendum sit.

Quod reliquum est, monendi nobis estis, Commilitones, ut feriarum, quas proxime instare nostis, otio bene ac salubriter h. e. in honesta animi atque corporis recreatione, non per desidiam atque ignaviam consumpto, ad hibernas scholas, quas Vobis indicimus, tempestive redeatis, oblatisque discendi opportunitatibus naviter atque industrie utamini. Valete.

Scr. Gryphiswaldiae m. Augusto a. MDCCCXXVIII.

AD EURIPIDIS MEDEAM.

Rem nobis facere videmur nec Vobis, Commilitones, ingratam, 3
neque a nostro officio alienam, si, quemadmodum aliquoties iam fecimus, in prooemiis scholarum indici praemittendis argumenta tractamus ex ipso scholarum nostrarum orbe desumpta, quo aut quae coram Vobis proposita sunt, uberius et accuratius scripto explicata recognoscatis, aut ad ea, quae mox audituri estis, praeparatis auribus mentibusque veniatis. Hanc ob causam, quum nuper in Euripidis Medea nonnullis Vestrum interpretanda versati simus, hujus nunc fabulae locos aliquot difficiliores tractare placuit, de quibus aut ab Elmsleio, primario Medeae editore, aut ab iis, qui post Elmsleium in hac fabula operam collocarunt, dissentiendum nobis esse videtur. — Statim in prologo v. 10 sqq.

οὐδ᾽ ἂν — κατῴκει τήνδε γῆν Κορινθίαν
ξὺν ἀνδρὶ καὶ τέκνοισιν, ἁνδάνουσα μὲν
φυγῇ πολιτῶν ὧν ἀφίκετο χθόνα κτλ.

hanc scripturam ab Elmsleio receptam non quidem praeferimus vulgatae *φυγῇ*, probabilem tamen et ipsam, rationibusque non satis validis a Matthiaeo damnatam esse censemus. Nam quum Elmsleius vestigium huius scripturae apud scholiastam sibi deprehendere visus esset, id vestigium Matthiaeus nullum esse contendit, si modo verba scholiastae recte accipiantur. Quod enim is dicat *τὸ δὲ ἁνδάνουσα, ὀρθὴ ἀντὶ δοτικῆς, ἀντὶ τοῦ ἁνδανούσῃ*, hoc tantum sibi velle, quum proprie exilium Medeae, non haec ipsa, placere Corinthiis dici debuisset (*ἁνδανούσῃ φυγῇ*,) poetam inversa dictione non exilium, quod debebat, sed Medeam propter exilium placuisse dicere. Tale iudicium qua ratione scholiastae tribui possit fatemur nos non intelligere. Est enim illud ipsum quod ex vulgata scriptura Euripides dicit, Medeam Corin-

thiis placuisse, adeo proprie ac rei convenienter dictum, ut pro eo alterum istud, ut exilium ejus, non ipsa, Corinthiis placuisse dicatur, nemo facile requirat nisi qui sensu communi careat. Quamobrem grammatici observationem, nominativum pro dativo positum esse, equidem non ad hanc quam codices habent lectionem pertinere credo, sed cum Elmsleio statuo eum ἁνδάνουσα φυγή legisse, eaque verba in hunc modum accepisse, quasi pro ἁνδανούσῃ φυγῇ dicta essent, nominativo absolute
4 aut per quandam ἀντίπτωσιν posito. Ac ne quis obiiciat eum, ut nunc quidem verba eius scripta extant, solius participii, non etiam, ut deberet, substantivi mentionem facere: dubitari non potest quin hoc scholium cum aliis non paucis e vetustioribus commentariis excerptum sit ab homine satis indocto, qui quum lectionem hodie vulgatam in suo exemplo inveniret, ideoque φυγῇ non φυγή scriptum videret, huius vocabuli mentionem in describendo scholio omittendam duceret. — Quodsi de antiquitate illius lectionis non videtur dubitari posse, iam de interpretatione videndum est: quam quidem Elmsleio minus bene cessisse indicamus. Per appositionem enim haec verba ἁνδάνουσα φυγή dici existimat eadem ratione, qua infra v. 1217: κεῖνται δὲ νεκροὶ παῖς τε καὶ γέρων πατὴρ πέλας, ποθεινὴ δακρύοισι συμφορά, et Heraclid. v. 70: ἱκέται δ' ὄντες ἀγοραίου Διὸς βιαζόμεσθα καὶ στέφη μιαίνεται, πόλει τ' ὄνειδος καὶ θεῶν ἀτιμία: quorum locorum hanc rationem esse apparet, ut quae per appositionem adiecta sunt, de toto enuntiato priore praedicentur. Scilicet illud ipsum, quod pater cum filia exanimatus iacet, casus dicitur lacrimabilis, huiusque praedicati causa ac ratio in eo ipso quod enuntiatum erat posita est: itemque quod supplices violantur ac serta polluuntur, hoc ipsum eiusmodi est, ut urbis dedecus ac deorum iniuria dici possit. At vero in eo, quod Medea Corinthum concesserat, nihil est cur hoc exilium Corinthiis placere dici possit; quamobrem tali appositioni, qualem Elmsleius statuit, locum non fuisse arbitror. Et tamen, quum neque ad ἀντίπτωσιν neque ad absolutos nominativos confugere liceat, per appositionem illa verba dicta esse opportet, verum ita ut haec appositio non ad totum enuntiatum, sed ad subiectum tantummodo pertineat. Subiectum autem grammatice quidem Medea est: sententiam si spectes, non haec sola est, sed simul etiam maritus ac liberi. Nam Μήδεια ξὺν ἀνδρὶ καὶ τέκνοισι quid est aliud quam Μήδεια καὶ ὁ ἀνὴρ καὶ τὰ τέκνα? Quod quum ita sit, potuit etiam apponi nomen collectivum, ad Medeam simul cum

marito ac liberis pertinens, quale est hoc ipsum *φυγή*, quod saepenumero sensu collectivo dicitur, ut *φυγάδας* significet, e. c. Thucyd. VIII, 64: *καὶ γὰρ καὶ φυγὴ αὐτῶν ἔξω ἦν — καὶ αὕτη μετὰ τῶν ἐν τῇ πόλει ἐπιτηδείων ἔπρασσε κτλ.* Xen. Hell. V. c. 2, 9: *καὶ γὰρ συγγενεῖς πολλοὶ ἔνδον ἦσαν τῶν φευγόντων καὶ — — κατάγειν ἐβούλοντο τὴν φυγήν.* Isocr. de Big. p. 351: *στρατηγήσαντες τῆς φυγῆς.* Plura vid. ap. Sturz. Lex. Xen. h. v. Schaefer. ap. Ast. addend. ad Plat. Legg. p. 115, 11, eundemque ad Plutarch. tom. V. p. 286. — Hac igitur ratione illud *ἁνδάνουσα φυγή* probabiliter explicari posse videtur; quamquam, ut iam ante dixi, non eo haec nunc a me disputata sunt, quo commendarem hanc lectionem prae ea quam codices nostri omnes offerunt, sed ut tolerari tamen et ipsam posse ostenderem. — Qui sequitur genitivus *πολιτῶν*, pro quo dativum dederunt Barnesius, Brunckius, Porsonus, etiamsi plane similibus exemplis muniri non potest, non tamen videtur contra rationem attractionis positus esse, quamobrem assentiendum est Matthiaeo, nihil mutandum pronuntianti. Erunt quidem fortasse, qui plane similem dicant locum Sophoclis Electr.. v. 652: *φίλοισί τε ξυνοῦσαν οἷς ξύνειμι νῦν, εὐημεροῦσαν, καὶ τέκνων ὅσων ἐμοὶ δύσνοια μὴ πρόσεστιν,* quandoquidem Hermannus „haec“, inquit „proprie ita dici debebant, *καὶ τέκνοις (ξυνοῦσαν), ὅσων ἐμοὶ δύσνοια μὴ πρόσεστι,* sed per attractionem *τέκνων ὅσων* iuncta sunt“. Nobis tamen hic genitivus non tam per attractionem quam partitiva significatione positus esse videtur, ut plena loquutio subsit haecce: *καὶ τέκνων τούτοις, iis ex liberis meis*, potuissetque genitivus poni etiam si non *ὅσων* sed *ὅσοις* aut *ὅσα* sequeretur, velut in tali sententiae conformatione: *καὶ τέκνων ὅσοις ἐμοῦ δύσνοια μὴ πρόσεστι* — aut *ὅσ' εἰς ἐμὲ μὴ μῖσος ὥπλισε.*

Paullo infra, v. 16, haec verba *καὶ νοσεῖ τὰ φίλτατα* novissimus editor, Pflugkius, interpretatur: *et discrimen adest carissimi pignoris.* „*Τὰ φίλτατα*“, addit, „alibi eximie dicuntur parentibus liberi, cf. Hemsterhus. ad Lucian. T. 1 p. 177. Valck. ad Phoen. 437; sed et maritus uxori, ut Herc. F. 514; denique proximus quisque et maxime dilectus.“ ex quibus verbis non satis perspici potest quo sensu id vocabulum hoc loco accipi velit: nam discrimen quidem adest et liberis et marito et ipsi quoque Medeae. Vereor autem ut *νοσεῖν* de discrimine et periculo recte acceperit: nam quum *νοσεῖν* dici soleat quidquid deteriore ac non eo quo debebat statu est, hoc quidem loco *τὰ φίλτατα νοσεῖ* commodissime accipiemus de uxore et marito, qui

quum deberent inter se amici esse, alienato et infesto animo erant. Erit igitur *νοσεῖν* hic quoque idem fere quod *στασιάζειν* vel *διχοστατεῖν* v. 15; quemadmodum frequentissime hoc verbum usurpari satis constat. Vid. quae laudantur a Baehrio ad Plutarch. Philopoem. p. 6. *Τὰ φίλτατα* autem de iis, qui se invicem amare debebant, etiamsi quam maxime infesti sint, eodem modo dicitur ut Androm. v. 176: *διὰ φόνου δ' οἱ φίλτατοι χωροῦσιν.* Aesch. Cho. 228: *τοὺς φιλτάτους γὰρ οἶδα νῷν ὄντας πικρούς.*

V. 44 speciosissimam Mureti coniecturam

οὔτοι ῥᾳδίως γε συμβαλὼν
ἔχθραν τις αὐτῇ καλλίνικον ᾄσεται

pro codicum scriptura *οἴσεται* Porsoni exemplo a ceteris editoribus receptam unus quod sciam Pflugkuis repudiavit: et recte, meo iudicio. Quamquam quod hic exemplum affert ad probandam loquutionem *καλλίνικον φέρεσθαι*, Pindar. Nem. III, 27: *καματωδέων δὲ πλαγᾶν ἄκος ὑγιηρὸν ἔν γε βαθυπέδῳ Νεμέᾳ τὸ καλλίνικον φέρει*, possit, qui pertinacius obniti velit, interpretando removere. Licebit enim coniungere *ἄκος τὸ καλλίνικον*, *medelam illam praeclarae victoriae* h. e. quae constat praeclara victoria, qua ratione admissa non iam *τὸ καλλίνικον* sed *ἄκος* a verbo *φέρει* pendet, neque illud substantivi instar est, sed adiectivum substantivo iunctum. Sed est tamen illa loquutio eiusmodi, quae ipsa se etiam sine exemplis facile tueatur: me autem ut *οἴσεται* servandum iudicem, non solum codicum consensus permovet, sed haec quoque ratio, quod *καλλίνικον ᾄδειν* non ipsius victoris esse arbitror, sed eorum qui victoriam ei gratulantur, concelebrant, laudant. Ita Herc. F. v. 689: *τὰν Ἡρακλέους καλλίνικον ἀείσω μολπάν* chorus dicit Herculis victorias celebraturus, et Electr. v. 866: *ἀλλ' ἐπάειδε καλλίνικον ᾠδὰν ἐμῷ χορῷ*, exhortatio est chori ad celebrandam Orestis de Aegistho victoriam. Neque quod Herc. F. v. 180 de Hercule dictum est *τὸν καλλίνικον μετὰ θεῶν ἐκώμασε*, quidquam facere potest ad contrariam sententiam probandam. Quippe aliud *ᾠδή* est, aliud *κῶμος καλλίνικος*, pompa propter victoriam ducta, in qua etiamsi cantantur haud dubie *ᾠδαὶ καλλίνικοι*, cantantur tamen non ab ipso victore, sed a comitantibus cantoribus ac choreutis. Non magis huc pertinet locus ab Elmsleio laudatus Phoen. v. 1719: *μοῦσαν ἐπὶ καλλίνικον ἔβαν*: significat enim non *cecini* sed *adeptus sum*, *merui* laudatorem victoriae cantum.

V. 139: *οὐδὲ συνήδομαι, ὦ γύναι, ἄλγεσι δώματος,* 6
ἐπεί μοι φιλία κέκρανται.

Miror Matthiaeum *ἐπεὶ μή* scripsisse, quum *μή* in tali orationis tenore neque rationem habeat et classicorum certe scriptorum usu respuatur: nam Plutarchi, Luciani ac similium, quorum exempla ab Hartungio subministrata nuperus grammaticae graecae compositur attulit, nullam in tali re auctoritatem esse apparet. Proximum *φιλία* pro *φίλια* etiam contra codices a Porsono et Elmsleio receptum laudo propterea quod *φίλια*, etsi ipsum per se satis bonum, hoc tamen loco aliquam ambiguitatem haberet propter praegressum substantivum *ἄλγεσι*. Et versum quoque aptiorem esse puto glyconicum, quam compositum ex iambo et ithyphallico, qualis hic foret, altera arsi soluta. Nam quod Hermannus commendat *ἐπεί μοι φίλον κέκρανται*, quamquam et codicum numero et scholiastae quoque testimonio probatum, vix credo graece dici *δῶμα κέκρανται φίλον*, *domus amica facta est*. Habet enim *κραίνω* hanc vim ut significet aut *efficere ut existat* quod antea non fuit, aut *perficere, ad exitum et eventum perducere*, nunquam autem ad qualitatem tantum rei pertinet, ut sit *aliquid tale vel tale reddere*. Itaque et *εὐχὰς, ἀρὰς, ἐέλδωρ κραίνειν* dicitur et *ἔριν, ἔχθραν, φιλίαν κραίνειν*: sed *ἄνδρα ἀνδρὶ ἐχθρόν, δῶμά τινι φίλον κραίνειν* non dicitur.

Vers. 210: *οἶδα γὰρ πολλοὺς βροτῶν σεμνοὺς γεγῶτας.* Non debebat Elmsleius scholiastae obloqui, idem hoc significare docenti quod *σεμνοὺς νομιζομένους*: quin illud ipsum, quod Elmsleius ponit, *σεμνοὺς ὄντας*, si poeta scripsisset, eodem sensu accipiendum foret. Nam non de moribus, quos quis vere habeat, sed de iis, quos hominibus habere videatur, Medeam loqui ea quae sequuntur manifestum faciunt *οἱ δὲ — δύσκλειαν ἐκτήσαντο καὶ ῥᾳθυμίαν*, h. e. *δύσκλειαν ῥᾳθυμίας*, et v. 214 *δίκη γὰρ οὐκ ἔνεστ' ἐν ὀφθαλμοῖς βροτῶν, ὅστις πρὶν ἀνδρὸς σπλάγχνον ἐκμαθεῖν σαφῶς, στυγεῖ δεδορκώς.* Et *σεμνὸν γενέσθαι* de eo, qui non quidem reapse superbus sit, sed ab hominibus tamen pro superbo habeatur, non magis mire dictum videri potest, quam *σεμνότητα λαβεῖν* v. *κεκτῆσθαι* eodem sensu dictum, quemodmodum v. c. *κακίαν ἀντιλαβεῖν* apud Thucydidem III, 58 non is dicitur, qui reapse malitiam in se suscipit, sed qui malitiae infamiam contrahit, aut *ὅστις τὰ μὴ προσόντα κέκτηται κακά* apud Eur. Hel. 281, qui vitia, quae non habet, habere tamen creditur, aut *τὴν δυσσέβειαν εὐσεβοῦσ' ἐκτησάμην* ap. Soph. Antig. 924: *quum pia*

essem impietatem nacta sum, h. e. impietatis crimen in me coniectum est. — Matthiaeus autem, qui σεμνοὺς γεγῶτας convertit: *magnam de se existimationem concitarunt*, loci rationem non satis perspectam habuisse videtur. Non enim de magna existimatione, sed de vitii suspicione Medea loquitur, omnisque sententiae tenor hic est, ut causam exponat, cur foras progressa sit, contra scilicet quam ipsius animus et patrius mos, quippe Asianae mulieris, ferebat. Egressa sum, inquit, ne vos me vituperetis: scio enim quam prompti homines ad vituperandum esse soleant quamque facile vitia alteri affingant. Duo autem potissimum genera vitiorum commemorat, ea scilicet, quorum crimen sibi, si non egressa foret, maxime timendum fuisse videbat, superbiae aut ignaviae. Σεμνός autem saepenumero *superbum* significat aut eum qui affectata quadam gravitate et dignitatis ostentatione conspicuus est. Conf. Hippolyt. v. 92, quem locum iam Elmsleius contulit, μισεῖν τὸ σεμνὸν καὶ τὸ μὴ πᾶσιν φίλον, cui mox v. 94 τὸ εὐπροσ-
7 ήγορον opponitur. Add. Muret. Var. Lectt. p. 234 Wolf. et Spanhem. ad. Aristoph. Nub. v. 48.

Vers. 279: ξυμβάλλεται δὲ πολλὰ τοῦδε δείματος. Matthiaeus genitivum propterea positum esse credit, quia poeta, quum ξυμβάλλεται scriberet, cogitarit de συνάρασθαι, συλλαμβάνεσθαί τινος πράγματος, *adiuvare*, cuius vis in συμβάλλεσθαι, *conferre ad aliquid*, quodammodo insit. Quod comparat haec inter se, non potest reprehendi: modo ne genitivum ad συμβάλλεσθαι positum ex quadam permutatione notionis explicandum putasset. Est enim eadem utrobique structurae ratio, ut genitivus partitivus sit, pendeatque a subaudienda partis notione, quemadmodum ipse in grammatica p. 633 et 624 rectius quam in comment. ad h. l. exponit. Mirifice rem perturbat Pflugkius, confundens primum Musgravii rationem a Matthiaeo in prima grammaticae editione p. 434 adoptatam cum altera, quam δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι suppeditarunt, (nam Musgravius quidem hunc genitivum comparat cum eiusmodi exemplis quale est προφέρειν ὁδοῦ — ἔργον ap. Hesiod. O. et D. v. 179. τοῦ πολέμου καλῶς καθίστασθαι ap. Thuc. III, 92 et similibus, in quibus vis genitivi haec est, ut notionem eius cui additur vocabuli quodammodo definiat commemorata re ad quam illa pertineat, quae vis a partitiva significatione sane diversa est.) dein ipse genitivum a πολλά pendere statuens, ut πολλὰ τοῦδε δείματος συμβάλλεται significet: *multae huius timoris causae conveniunt*: quasi συμβάλλεσθαι sit i. q. συνέρ-

χεσθαι. Veram rationem praeter Lysiae locum iam a Matthiaeo grammat. p. 634 commemoratum aperient duo alii, alter Isocratis, in quo, pariter ut apud Lysiam, plena est loquutio, de permutat. p. 75 Orell. *μέρος τι συμβεβλημένος τοῦ μὴ κατὰ τρόπον γνωσθῆναι περὶ αὐτῶν*, alter Aristotelis, in quo, sicut apud Euripidem, partis notio non verbis expressa sed tacite subaudienda est, de generat. animal. V c. 7. p. 164. Bekk. *τοῦ δὲ φύσει τὰ τοιαῦτα συνίστασθαι ξυμβάλλεται καὶ ἡ θερμότης τοῦ τόπου*, quod plenius dictum foret *τὶ* v. *μέρος τι συμβάλλεται*, quemadmodum nostro loco *πολλὰ ξυμβάλλεται μέρος τι τοῦδε τοῦ δείματος*: *multa sunt, quae partem (suam quidque) huius timoris mihi conferant.*

Vers. 480. *οὐδ᾽ ἔχω μαθεῖν,*
ἢ θεοὺς νομίζεις τοὺς τότ᾽ οὐκ ἄρχειν ἔτι,
ἢ καινὰ κεῖσθαι θέσμ᾽ ἐν ἀνθρώποις τὰ νῦν.

Ita libri omnes, nisi quod in Puteano *εἰ θεούς* scriptum est. Hoc Reiskius, Musgravius, Porsonus dederunt, ac praeter hos etiam Bothius et Pflugkius; alteram scripturam Elmsleius revocavit, probatque etiam Matth. in commentario, licet in ipso fabulae contextu *εἰ* ediderit. Hermannus ad Soph. Oed. Colon. v. 80. vehementer se dubitare ait de veritate huius usus *ἤ* particulae, idque cur faciat in censura Medeae Elmsleianae aperuisse. Sed haec ipsa censura nihil nisi argumenta ab Elmsleio prolata non satis esse ad probandum idonea demonstrat, atque quum nihil neque facilius neque frequentius sit commutatione particularum *εἰ* et *ἤ*, eiusmodi exempla postulat, in quibus aut certo non esse *εἰ* positum credi possit, aut neutra particula in priore membro inveniatur: rationes vero, cur *ἤ* in priore membro pro *εἰ* poni non putuerit, atque, si utraque particula in codicibus extet, *εἰ* utique 8 praeferri, si *ἤ* tantummodo scriptum sit, hoc corrigi debeat, nullas exponit. Quod ad exempla attinet, sunt quaedam Homerica, qualia Hermannus requirit, in quibus certo non esse *εἰ* positum credi possit, quippe quum non *ἤ* monosyllabum, quod potuisset pro *εἰ* per errorem substitui, sed *ἠέ* disyllabum habeant, velut Iliad. X, 308: *ἔκ τε πυθέσθαι ἠὲ φυλάσσονται νῆες θοαὶ ὡς τὸ πάρος περ, ἢ ἤδη χείρεσσιν ὑφ᾽ ἡμετέρῃσι δαμέντες φύξιν βουλεύουσι μετὰ σφίσιν.* XIII, 327: *ὄφρα τάχιστα εἴδομεν ἠέ τῳ εὖχος ὀρέξομεν ἠέ τις ἡμῖν.* XVII, 180: *καὶ ἴδε ἔργον, ἠὲ πανημέριος κακὸς ἔσσομαι, ὡς ἀγορεύεις, ἤ τινα καὶ Δαναῶν — σχήσω ἀμυνέμεναι.* Od. I, 175: *καί μοι τοῦτ᾽ ἀγόρευσον ἐτήτυμον, ὄφρ᾽ εὖ εἰδῶ, ἠὲ νέον*

μεθέπεις ἢ καὶ πατρώϊός ἐσσι ξεῖνος. His exemplis accedit grammaticorum auctoritas, velut Odyss. IV, 712 ubi vulgo scribitur: *οὐκ οἶδ' εἴ τίς μιν θεὸς ὤρορεν ἠὲ καὶ αὐτοῦ θυμὸς ἐφορμήθη ἴμεν ἐς Πύλον*, Aristarchum *ἤ τις* scripsisse scholia cod. Ambr. Pal. Harl. docent, eademque *ἤ* pro *εἰ* positum in huiusmodi enuntiatis indirectam interrogationem aut dubitationem habentibus diserte agnoscunt ad I, 175. III, 72. 172. Neque rationem obstare arbitror, siquidem *ἤ* primitiva significatione non *διαζευκτικὸν* est sed *ἐρωτηματικόν*, et mutato tantum accentu ex *ἦ* ortum, id quod ipse Hermannus agnoscit diss. de ellipsi et pleonasm. Opusc. 1 p. 209. Quod si ita est, etiam in priore bimembris enuntiationis membro non minus recte quam in posteriore ponetur, ac ne a simplici quidem interrogatione indirecta arcendum erit, quemadmodum Odyss. XVI, 138 *ἀλλ' ἄγε μοι τόδε εἰπὲ καὶ ἀτρεκέως κατάλεξον, ἢ καὶ Λαέρτῃ αὐτὴν ὁδὸν ἄγγελος ἔλθω;* ubi tamen olim et *εἰ* et *ἦ* quoque scriptum fuisse schol. Harl. ostendunt: et Iliad. VIII, 111. *ὄφρα καὶ Ἕκτωρ εἴσεται ἢ καὶ ἐμὸν δόρυ μαίνεται ἐν παλάμῃσιν*, quemadmodum pro vulg. *εἰ καὶ* scholiorum auctoritate Spitznerus scripsit. Tragicis vero poetis, ut in aliis rebus multis, ita in hoc quoque *ἤ* particulae usu interrogativo, licebat haud dubie a vulgari suae aetatis consuetudine recedere et ad epicorum exemplum orationem conformare: librariis autem pronior profecto lapsus ab *ἤ* ad *εἰ* quam contra fuit. Quamobrem etiam in hoc Medeae versu et ubicunque in similibus tragicorum locis *ἤ* pro *εἰ* libri aut omnes aut meliores offerunt, mutatione abstinendum erit.

Vers 487: *ἄγ' ὡς φίλῳ γὰρ ὄντι σοι κοινώσομαι,*
δοκοῦσα μέν τί πρός γε σοῦ πράξειν καλῶς;
ὅμως δ', ἐρωτηθεὶς γὰρ αἰσχίων φανεῖ.

Ita Elmsleius scribendum intellexit e codicum fere omnium lectione *μέν τι*, quam scholiastam quoque in exemplo suo habuisse verba eius ostendunt, quum altera *μή τι*, quam Musgr., Pors., Matth., Pflugk., receperunt, admodum exiguae sit auctoritatis. Quamquam quod hanc Elmsleius ne graecam quidem esse contendit, facile erat ad refutandum, refutatumque est ab Hermanno. Sed Elmsleii lectionem commendat primum *ὅμως δέ* versu proximo, quippe quod concessivam particulam *μέν* in priori membro flagitare quodammodo videatur: deinde aliquanto fortior et vividior existit oratio figurata, quum interrogatio pro negatione ponitur: exempla autem huius usus, si quae ab Elmsleio

proferuntur, minus apta videbuntur, accomodatiora ad tuendam huius loci scripturam subministrare poterit Matth. ad Phoeniss. v. 878.

Vers. 718 sqq. *τούτοις δ', ὁρκίοισι μὲν ζυγείς,* 9
ἄγουσιν οὐ μεθεῖ' ἂν ἐκ γαίας ἐμέ·
λόγοις δὲ συμβὰς καὶ θεῶν ἀνώμοτος,
φίλος γένοι' ἂν κἀπικηρυκεύμασιν
τάχ' ἂν πίθοιο.

Consenserunt fere editores post Musgravium omnes in constituenda huius loci lectione ea quam proposui; et duo certe primi versus, si codicibus aliquid tribuendum est, vix videntur aliter scribi posse: nam *μέν* versu primo, et *οὐ* versu secundo omnes tenent. Tertio autem versu *ἀνώμοτος* non extat nisi in tribus Parisinis supra scriptum: ceteri omnes *ἐνώμοτος* habent: quamquam illud et sententia postulare videtur et scholiastae quoque prioris auctoritas comprobat: ait enim: *μὴ ὀμόσας δὲ φίλος γένοιο αὐτοῖς διὰ τοῦ ἐπικηρυκεύματος.* Versu quarto *κἀπικηρυκεύμασι* in codicibus extat omnibus: olim tamen etiam *κἀπικηρυκεύματα* lectum esse, scholia demonstrant. Denique versu quinto pro *τάχ' ἄν*, quae Wyttenbachii coniectura est, codices omnes *οὐκ ἄν* habent, quod quidem cum hoc qui nunc est loci contextu non magis quam *ἐνώμοτος* conciliari posse videtur. Nam quum satis manifesta sit duorum membrorum haec oppositio, ut altero dicatur, quid Aegeus facturus sit, si iure iurando Medeae se obstrinxerit, altero, quid, si se non obstrinxerit, apparet, postquam iuratus eam non traditurus esse dictus est, nunc hoc sequi debere, iniuratum eum facilius adversariorum postulatis cessurum h. e. Medeam ipsis traditurum esse. Tamen codicum lectioni *ἐνώμοτος* et *οὐκ ἂν πίθοιο* accedit etiam alterius scholiastae auctoritas, hos versus in hunc modum interpretantis: *εἰ δὲ ἔλθοις εἰς τὴν σύμβασιν τῶν ἐμῶν λόγων καὶ συνθήκας ἐνωμότους ποιήσαιο πρὸς ἐμέ, εὖ οἶδα ὅτι μοι φίλος γένοιο καὶ ἐπίκουρος ἀσφαλής, καὶ οὐκ ἂν τὴν πρὸς ἐκείνους φιλίαν προκρίναις. ἐπικηρυκεύματα γάρ εἰσι τὰ διὰ τῶν κηρυγμάτων γιγνόμενα πρὸς φιλίαν. κεῖται οὖν ἡ λέξις ἀντὶ τῆς φιλίας. τῇ δὲ εὐθείᾳ ἀντὶ δοτικῆς κέχρηται. ἔδει γὰρ εἰπεῖν· καὶ τοῖς ἐπικηρυκεύμασιν οὐκ ἂν πίθοιο.* Hac scholiastae explicatione tanquam certissimo fundamento nisus Hermannus posteriorum trium versuum lectionem eam quam vel codices offerunt vel scholiasta probat servandam, priores autem duos in contrariam eius quae nunc inest sententiam refingendos statuit. Nam

quum opposita inter se haec duo membra esse agnoscat, non sint autem inter se opposita *ὁρκίοισι μὲν ζυγείς* et *θεῶν ἐνώμοτος*, neque *ἄγουσιν οὐ μεθεῖ' ἂν ἐκ γαίας ἐμέ* et *ἐπικηρυκεύμασιν οὐκ ἂν πίθοιο*, alteram enuntiationem ex affirmativa negativam facit, *μέν* in *μή* mutato, alteram ex negativa affirmativam, pro *οὐ μεθεῖ' ἄν* scribens *ἂν μεθεῖ' ἄν*. — Nobis, ut verum fateamur, neque illud satis caute factum videtur, quod e scholiastae interpretatione hanc quam ipse reponi vult lectionem, non autem eam, quae in codicibus extat, illi obversatam fuisse concludit; neque, si maxime scholiastam ita legisse constaret, meliorem hanc lectionem iudicamus ea, quae ab editoribus probata est. Nam quae statim subiunguntur verba Medeae *τἀμὰ μὲν γὰρ ἀσθενῆ*, quum causam indicent, cur timendum sibi sit, ne ab Aegeo deseratur, necesse est hunc eam timorem in eo, quod proxime praecessit membro, eloquutam esse. Quodsi Hermanni emendationem probes, perversa erit sententiarum consequutio: primo loco timorem eloquetur, secundo loco spem ac fiduciam, tertio loco causam timoris. Atque hoc iam Schaeferus animadvertit: „nam", inquit, „quod continuo sequitur *τἀμὰ μὲν γὰρ ἀσθενῆ* clarissime ostendit in Medeae responsione meliorem feminae conditionem debere praecedere, sequi deteriorem." Deinde non recte Medea diceret Aegeum sibi amicum fore iure iurando dato: nam amicus quidem iam erat, atque id modo illa verebatur, ut satis firmus foret et hanc amicitiam pluris faceret quam adversariorum interpellationes. — Sed ne hoc quidem constat, scholiastam ita legisse: potuit illud ipsum legere, quod in codicibus scriptum est, et nihilo tamen minus locum ita ut fecit interpretari. Nam quod Hermannus incredibile dicit, grammaticos qui hanc interpretationem in medium attulere — novimus tamen nos quidem unum tantummodo — adeo caecos fuisse, ut non modo oppositionem membrorum corruere in codicum scriptura non animadverterent, sed ne illud quidem viderent, ineptissime idem eidem opponi, *ὁρκίοισι μὲν ζυγεὶς* et *λόγοις δὲ συμβὰς καὶ θεῶν ἐνώμοτος*, eodemque modo etiam utramque apodosin idem continere: scio ego sane ut quisque ipse est acutissimus, ita difficillime alios hebetes credere, sed tamen causam nullam video, cur grammaticum istum acutiorem fuisse sumat, quam aut olim Josuam Barnesium, aut nostra memoria Fridericum Henricum Bothium, quorum alter, codicum lectionem sequens et versionem loci adscribens hancce: *his enim, si iure iurando mihi devinctus fueris, abducere volentibus me ex agro non permittes nec trades:*

verbis vero compositione facta et dis iure iurando obstrictus, amicus mihi eris et inimicorum meorum legationibus non parebis, sensum loci hac versione satis expeditum esse autumat; Bothius autem etiam disertius „nihil omnino“, inquit, „hic mutandum est, modo ne quaeras oppositionem verborum *τούτοις* — *ἐμέ* et sequentium *λόγοις-πίθοιο,* quae nihil aliud sunt quam *ἐπεξήγησις*, affirmato quippe eo, cuius contrarium Medea negavit in praegressis, qua figura nihil usitatius in rebus quae nostra interest ut recte constituantur stabilianturque.“ His itaque duumviris si scholiastam tertium adiungas, nullum in eius interpretatione indicium inesse videbis lectionis ab ea quam codices offerunt diversae. Non magis autem illud probo, quod Hermannus e scholiastae verbis *καὶ οὐκ ἂν τὴν ἐκείνων φιλίαν προκρίναις,* eum non *οὐκ ἂν πίθοιο,* sed *οὐκ ἂν προθεῖο* scriptum invenisse concludit. Nam si ita legisset, non potuisset *ἐπικηρυκεύματα* pro *ἐπικηρυκεύμασι, εὐθεῖαν* (voluit, opinor, *αἰτιατικήν*) *ἀντὶ δοτικῆς* positam dicere, neque accusativum per omissionem praepositionis *διά* explicare. Utraque enim explicatio ostendit verbum ab eo lectum esse eiusmodi, cui accusativus non recte adiungeretur, quale verbum non *προθεῖο* sed *πίθοιο* est. Hoc unum igitur ambigi poterit, utrum quod ille legit ab Euripide scriptum an vitiatum fuerit. Atque *πιθέσθαι ἐπικηρυκεύματα* non opinor scribi potuisse, licet *πάντα, ταῦτα, πολλὰ πιθέσθαι* recte dicatur: restat igitur ut aut *ἐπικηρυκεύματα* aut *πίθοιο* vitiatum sit: si *πίθοιο*, potuit hoc ex *πίθοι σε* mutatum esse eo fortasse facilius, quo rarior est activae formae *ἔπιθον* usus; si *ἐπικηρυκεύματα*, non potest hoc nisi ex *ἐπικηρυκεύμασι* depravatum esse: idque ego, quum codices consentiant, verum esse arbitror. Item *ἀνώμοτος*, non *ἐνώμοτος*, scribi cum tribus codd. Paris. oppositionis ratio flagitat, eademque *οὐκ ἂν* tolerari non posse demonstrat. Praestat tamen fortasse *κείνων* quam *τάχ᾽ ἂν* 11
reponere: nam *ἂν* quidem semel positum sufficiebat (vid. ad Isae. p. 371. Herm. ad S. Electr. v. 790 et de partic. *ἂν* p. 192 sqq.) pronomen vero, ad *φίλος γένοι᾽ ἂν* non minus quam ad *ἐπικηρυκεύμασι* pertinens, paene necessarium videtur. — Quae autem Hermannus huic lectioni obiicit, facile videntur removeri posse. Primum haec verba *λόγοις δὲ συμβὰς καὶ θεῶν ἀνώμοτος* negat sic intelligi posse, ut sententiarum in hac lectione connexio postulat, *si nudis tantum sermonibus mecum conveneris neque deos testes adhibueris,* ac *συμβῆναι λόγοις* significare vix aliud quam *dictis alterius accedere* h. e. *facere quod*

alter postulet. Scilicet ita Hermanno visum est quum censuram Elmsleii scriberet; ad Vigerum autem p. 759 *λόγοις συμβῆναι* convertit *colloqui cum aliquo.* Nobis neutrum verum esse videtur; sed quum *συμβαίνειν* sit i. q. *σύμβασιν ποιεῖσθαι*, h. e. *compositionem facere, pacisci*, (vid. Abresch. Diluc. Thucyd. p. 244.) *λόγοις* autem dubitari nequeat dici posse pro *διὰ λόγων*, nihil obstare arbitramur quominus h. l. interpretemur: *si nudis verbis pepigeris.* At, inquit, *λόγοις* sic nude positum non potest hanc vim habere ut *nuda verba* significet. Sane quidem in ipso vocabulo per se spectato non inest haec vis, et sunt *λόγοι* verba etiam iurati: sed nostro loco, quum opponantur inter se *ὁρκίοισι μὲν ζυγείς* et *λόγοις δὲ συμβάς*, manifestum fit non alios *λόγους* cogitari debere quam qui non sint cum iure iurando coniuncti h. e. nuda verba, quod quo minus dubium esse possit ipse Euripides cavit additis verbis *καὶ θεῶν ἀνώμοτος*: nam qui *λόγοις καὶ ἀνώμοτος συμβῆναι* dicitur, hunc apparet dici verbis tantummodo et sine iure iurando pactum esse.

Vers. 831: *πῶς δ' ὄμματα προσβαλοῦσα*
τέκνοις ἄδακρυν μοῖραν
σχήσεις φόνου;

Rectissime cum Hermanno haec verba ita interpretabimur: *πῶς σχήσεις μοῖραν τὴν σὴν ὥστε ἄδακρυν φόνου εἶναι;* Alii *μοῖραν φόνου* pro *φόνον* dici putant eadem circumloquutione qua *μοῖρα θανάτου* v. 957 aliaque similia dicuntur: quo sensu autem *φόνον ἄδακρυν σχήσεις* accipi velint, non exponunt. Nobis haec loquutio aut id significare videtur, quod Hermannus merito absurdum dicit, *caedem s. caedis sortem inhibebis sine lacrimis* h. e. *sine lacrimis temperatura es a caede*: aut nihil omnino significare. Nam quod illi fortasse crediderunt *φόνον ἔχειν* de eo dici posse, qui caedem perpetrare sustineat, id manifesto falsum est. Sed Hermannus etiam *φόνου* cum *φόνον* permutari iubet, quod extat sane in aliquot codicibus, ipsique vel propterea praeferendum videtur, quia, si *φόνου* legatur, statim sequentibus verbis *οὐ δυνάσει*, rudis existat hiatus, quem ab Euripide admissum credi non posse. Esse autem *ἄδακρυν μοῖραν σχήσεις φόνον* idem quod *οὐ δακρύσεις φόνον*, figura dicendi tragicis satis usitata, de qua videndi sint Porson. ad Eur. Phoen. v. 300. Seidler. ad Iph. Taur. 1061. ipse ad Viger. p. 899. Aptissime comparari posse Aeschylum in Agam. v. 822: *δίκας γὰρ οὐκ ἀπὸ γλώσσης θεοὶ κλύοντες, ἀνδροθνῆτας Ἰλίου φθορὰς ἐς αἱματηρὸν τεῦχος οὐ διχοῤῥόπως*

ψήφους ἔθεντο, i. e. φθορὰς ἐψηφίσαντο. Ita hic ἄδακρυν μοῖραν σχήσεις φόνον idem esse ac ἀνέξει μὴ δακρύουσα τὸν φό- 12
νον vel πῶς σχήσεις μοῖραν τὴν σὴν ὥστε μὴ δακρύουσαν εἶναι τὸν φόνον. Nam ἄδακρυν μοῖραν poetam dicere ut effectum complectatur, quum satis fuisset dicere σχήσεις δάκρυα. Simillime Sophoclem in Electra v. 241 γονέων ἐκτίμους ἴσχουσα πτέρυγας ὀξυτάτων γόων. Ut Euripides, φόνον scripserit, ita Sophoclem potuisse etiam γονέας scribere. — Haec ille: quae ego me nec satis omnia intelligere et quae intelligam qua ratione probari possint non perspicere fateor. Figura illa dicendi, quam significat, ea est, quum loquutio aliqua ex verbo et verbi obiecto composita ita usurpatur, quasi sit ipsa unius verbi transitivi instar, ideoque aliud etiam praeter illud quod in ipsa loquutione iam inest obiectum, et quidem accusativo casu, adiungitur. Fit autem hoc duobus modis, quorum utriusque rationem atque indolem probe perspectam habere oportet, ut quam late pateat quibusve finibus inclusa sit illa figura cognoscamus neque dici posse opinemur quae rectae rationi adversantur. Et primum quidem genus hoc est, quum verbi eius, quod est in illa loquutione, significatio, sive haec transitiva est seu intransitiva, addito aliquo nomine substantivo ita quasi temperatur, ut existat nova quaedam actionis transitivae notio, cui obiectum aliquod accusativo casu adiungi possit; velut in illo quod Hermannus usurpavit Aeschyli exemplo verbum τίθεσθαι quum actionem significet ponendi, haec significatio addito substantivo ψῆφον ita temperatur et cum substantivi notione coalescit, ut existat nova notio actionis transitivae ψηφίζεσθαι, cui iam recte accusativus φθορὰς adiungi potest. Simili ratione γόους θησόμεθ' ἃ πάσχομεν Euripides dixit Orest. v. 1119, quia θέσθαι verbum cum substantivo γόους coalescit in unam notionem verbi γοᾶσθαι: et ἐξάρχειν quum solum *exordiri* significet, addito autem substantivo μολπὴν actio significetur cuius exordium fiat, utrumque coalescit in notionem actionis transitivae exordiendae, ut sit *exordientem canere*, quam ob causam Aeschylus dicere potuit μολπὴν ἐξάρχειν θεούς, similiterque Euripides Orest. v. 949: κατάρχομαι στεναγμὸν ἄταν, et Androm. 1201: δεσπόταν γόοις κατάρχειν h. e. δεσπόταν κατάρχοντα γοᾶσθαι. Porro verbum τεθνάναι adiuncto substantivo τῷ δέει temperatur ita, ut existat notio timendi paene ad mortem, quamobrem dici potest τεθνάναι τῷ δέει τοὺς πολεμίους, cuiusmodi exempla sunt ap. Demosth. Phil. I p. 53, 10. de fals. leg. p. 366, 25. Schaef. App. crit.

p. 603. Eadem ratione Sophocles Oed. Col. v. 223 dicit δέος ἴσχετε μηδὲν ὅσ' αὐδῶ, quia ἔχειν et δέος coalescunt in notionem verbi δεδιέναι, et paullo audacius Euripides in Bacch. v. 1281: λέγ' ὡς τὸ μέλλον καρδία πήδημ' ἔχει, pro δέος πήδημα ponens, ut effectum timoris, quemadmodum τρόμος saepenumero dicitur. Est igitur ἡ καρδία πήδημα ἔχει i. q. ἡ καρδία πηδᾷ, quemadmodum ἡ καρδία τρόμον ἔχει i. q. ἡ καρδία τρομεῖ: quod quum πήδημα ut τρόμος pro eo, cuius effectus est, h. e. pro timore dicatur, consequitur etiam πήδημα ἔχειν ut τρόμον ἔχειν eodem sensu quo δέος ἔχειν usurpari et cum accusativo eius rei quam quis timet construi posse. Porro quum μοχθεῖν sit *laborare*, haec significatio addito substantivo θεραπεύμασι ita temperatur, ut alia existat haece: μοχθηρῶς θεραπεύειν, quamobrem Euripides dicere potuit Phoeniss. 1590: ἃ πόδα σὸν τυφλόπουν θεραπεύμασιν αἰὲν ἐμόχθουν. Atque passivorum quoque verborum significatio ita potest addito substantivo temperari, ut existat actionis transitivae notio, velut ad τήκεσθαι, *consumi*, si addas dativum γόοις,
13 ut sit *lamentis consumi*, hinc notio evadit *lamentandi adeo ut consumaris*, ac proinde accusativus addi poterit eius rei, quam quis lamentatur, quemadmodum Euripides dixit Orest. 850: τὸ μέλλον ἐξετηκόμην γόοις. Haec omnia exempla hoc inter se commune habent, quod accusativus adiungitur non a verbo ipso ac solo per se spectato pendens, sed ab ea actionis notione, quae existit e verbi cum substantivo coniunctione; differunt autem inter se eo, quod in aliis substantivum illud actionem transitivam indicat, quae ipsa sua vi accusativum regere videri possit, ut θεράπευμα aliaque verbalia, in aliis non est eiusmodi substantivum, sed accusativus manifesto non nisi ab ea notione pendet, quae e coniunctione verbi et substantivi enascitur, velut in ψῆφον θέσθαι Ἰλίου φθοράς. Sunt etiam pauci aliquot loci, in quibus ne haec quidem verbi cum substantivo coniunctio sufficit ad efficiendam notionem actionis transitivae quae accusativum regat, sed adiectivum etiam adiungi necesse est, veluti in Soph. Electr. 1370: ἥ σε λιπαρεῖ προὔστην χερί: neque enim licuit dicere ἥ σε προὔστην χερί, nisi adiungeretur adiectivum λιπαρεῖ, quo adiuncto enascitur transitiva huius loquutionis notio et constructio eadem quae verbi λιπαρεῖν. — Sequitur secundum huius figurae genus, de quo pauca monere satis erit. Pertinent enim huc eae loquutiones, qualis est ap. Sophoclem Trachin. v. 59: πολλὰ μέν σ' ἐγὼ κατεῖδον ἤδη πανδάκρυτ' ὀδύρ-

ματα τὴν Ἡράκλειον ἔξοδον γοωμένην, in qua uterque accusativus *ὀδύρματα* et *ἔξοδον* a verbo *γοωμένην* sed dispari ratione pendet. Nimirum cuilibet verbo transitivo duo accusativi adiungi possunt, quorum alter ipsam actionem, cuius iam in ipso verbo inest significatio, disertius eloquatur, quale est *γοᾶσθαι γόον*, — quod genus obiectum internum brevitatis causa appellare licebit — alter autem rem aliquam externam designet, ad quam illa actio pertingat, quale est *γοᾶσθαι τὸν ἄνδρα*: utroque autem obiecto adiuncto talis quaedam loquutio existet *πολλοὺς γόους τὸν ἄνδρα σου γοωμένη*. Jam vero potest fieri, et fit non raro, ut interni obiecti loco non id nomen ponatur, quod eiusdem ac verbum ipsum stirpis sit, sed aliud, eiusdem tamen aut similis significationis, et quod possit cum illo salva sententia permutari, veluti quum pro *γόους γοᾶσθαι* dicatur *ὀδύρματα γοᾶσθαι*, quemadmodum a Sophocle factum est. Ex hoc genere apparet esse *παιᾶνα ὑμνοῦσα τὸν Λάτους γόνον* ap. Eurip. Hercul. F. 683. *ἐπευφημήσατε παιᾶνα Διὸς κόραν* Iph. Aul. 1468. *λιγυρὰ δ' ἄχεα βοᾷ τὸν προδόταν* Med. 208, aliaque multa quorum ratio non obscura est. — Jam ut ad nostrum Medeae locum revertamur, loquutionem istam *μοῖραν ἴσχειν ἄδακρυν φόνον* ad hoc secundum genus nullo modo pertinere manifestum est; videndum igitur erit, num forte ad primum genus pertineat. Ex hoc autem genere illum quidem Aeschyli locum, quem Hermannus aptissime comparari posse dicit, prorsus alienum esse iudico. Apud Aeschylum enim e verbis *ψῆφον θέσθαι* emergit notio verbi *ψηφίζεσθαι*: sed ex *μοῖραν ἴσχειν* qualis tandem actionis transitivae notio emergere possit, cui accusativus *φόνον* recte adiungatur? Nempe non solum *μοῖραν ἴσχειν* sed *μοῖραν ἄδακρυν ἴσχειν* considerandum est, ut apud Soph. Electr. non solum *προὔστην χερί* sed *λιπαρεῖ προὔστην χερί*. At plurimum tamen inter utriusque loquutionis rationem interesse arbitror: nam quum dativi illi *λιπαρεῖ χειρὶ* quodammodo adverbii vice fungantur verbique notionem ita temperent, ut abeat in transitivi *λιπαρεῖν* significationem, contra in *ἴσχειν μοῖραν ἄδακρυν*, *cohibere sortem expertem lacrimarum* hoc inest: *cohibere sortem ut sit lacrimarum expers*, vel quemadmodum Hermannus ipse explicat *ἴσχειν τὴν μοῖραν ὥστε ἄδακρυν εἶναι*, indicaturque effectus verbi *ἴσχειν*, h. e. indicatur qualis fiat sors per eam actionem, quam *ἴσχειν* verbum indicat. Quodsi in hac qualitate inest notio actionis transitivae, cui obiectum accusativo casu adiungi possit, apparet tamen hunc accusativum, si adiungatur, nullo modo pendere a verbi notione sub- 14

stantivo et adiectivo adiuncto temperata, sed tantummodo ab adiectivo qualitatem illam indicante, ut plane diversum sit hoc genus ab ea figura de qua supra exposuimus. Veluti si dictum foret ab Euripide *πῶς βιώσει ἄδακρυς τὸν φόνον*, nemo, opinor, dixerit accusativum propterea positum esse, quia *βιώσει ἄδακρυς* idem significet quod *οὐ δακρύσεις*, sed verbum et adiectivum seiungenda esse videbit, et accusativum tantummodo ab adiectivo pendere propterea quia hoc ipsum idem significet quod *οὐ δακρύουσα*. Hanc ob causam si quis vel hanc structuram *βιώσει ἄδακρυς φόνον* vel illam *σχήσεις μοῖραν ἄδακρυν φόνον* probare velit, ei nihil nisi hoc probandum erit, adiectivum *ἄδακρυς* cum accusativo construi. Id ego etiamsi potuisse fieri non nego — quemadmodum *ἀνήκοος* nonnunquam cum accusativo construi notum est — tamen ut factum a Graecis esse credam, certa exempla expecto, qualia donec proferantur, nolim in ambigua loci Euripidei scriptura accusativum genitivo praeferre. Neque hiatum aegrius toleraverim quam structuram inauditam: qui tamen si sit adeo intolerabilis, leniri poterit si cum Musgravio et Elmsleio *ἤ* pro *οὐ* scribatur.

Vers 1052. *ἀλλὰ γάρ ἐστιν*
μοῦσα καὶ ἡμῖν ἣ προσομιλεῖ
σοφίας ἕνεκεν· πάσαισι μὲν οὔ.
παῦρον γὰρ δὴ γένος ἐν πολλαῖς
εὕροις ἂν ἴσως
κοὐκ ἀπόμουσον τὸ γυναικῶν.

Ita hunc locum Hermannus scribi iubet ex Porsoni coniectura, nisi quod *κοὐκ*, a Porsono in *οὐκ* mutatum, servandum ipsi videtur: certissime enim, inquit, eadem ratione *παῦρον κοὐκ ἀπόμουσον* dictum est, qua usitatissimum illud *πολλὰ καὶ μεγάλα*. At nobis haec ratio, qua *πολλὰ καὶ μεγάλα* dici solet, ab ea, quam noster locus postulat, prorsus diversa esse videtur. Nam *πολλὰ καὶ μεγάλα* dicuntur quae simul et multa et magna vel multa eaque magna sunt, ad quod exemplum si de mulierum genere Euripides dixisset *παῦρον κοὐκ ἀπόμουσον τὸ γυναικῶν*, paucas easque sapientes mulieres esse dixisset. Non autem hoc aut voluit aut potuit, sed ex mulieribus quamvis multis paucas tantummodo sapientes esse. Itaque non coordinata inter se sunt illa adiectiva, quemadmodum ea quae copula iunguntur, sed subordinatum alterum alteri, quum *παῦρον* ex universa mulierum multitudine partem aliquam exiguam eximat, quae *οὐκ ἀπό-*

μουσος sit; in quali subordinatione copulativae particulae locum non esse apparet. Ita si velis aliquem dicere non multorum verborum esse, sed pauca eaque vera dicere, in qua sententia coordinata haec adiectiva erunt, hunc recte οὐ πολλῶν λόγων εἶναι dices, ἀλλ' ὀλίγα καὶ ἀληθῆ λέγειν: contra si quem multa quidem, sed in his pauca tantummodo vera proferre dicas, dices cum Euripide Iph. Aul. 957: ὃς ὀλίγ' ἀληθῆ, 15
πολλὰ δὲ ψευδῆ λέγει, ubi manifestum est non potuisse ὀλίγα καὶ ἀληθῆ dici, non magis quam nostro loco παῦρον κοὐκ ἀπόμουσον ea qua Hermannus voluit ratione. Sed non magis etiam si cum Porsono οὐκ non κοὐκ legas sententia loci constabit, quae non potuit nisi ita fere efferri: ἐν πολλαῖς παῦρον ἂν εὕροις τὸ οὐκ ἀπόμουσον vel παῦρον ἂν εὕροις γένος οὐκ ἀπόμουσον. Nunc autem quum τὸ γυναικῶν dictum sit, apparet non de parte tantummodo sed de universo genere aliquid praedicari. Itaque retinendum quidem censeo κοὐκ ἀπόμουσον, hoc tamen non coniungendum cum παῦρον δὲ γένος, sed cum superioribus πάρεστι μοῦσα καὶ ἡμῖν, ut eadem haec sententīa in fine periodi repetatur, illa autem verba πάσαισι μὲν οὔ· παῦρον — εὕροις ἂν ἴσως pro parenthesi interposita sint. Idem etiam Pflugkium sensisse eius interpunctio ostendit. Sed versu quarto παῦρον δέ τι δὴ legendum videtur, quod supra scriptum est in cod. Rom. A. Ceteri pronomen omittunt: γάρ ex coniectura Porsonus scripsit.

Scrib. Gryphiswaldiae a. d. VII. Id. Mart. MDCCCXXXVI.

OBSERVATIONES IN THEOPHRASTI OECONOMICUM ET PHILODEMI LIB. IX DE VIRTUTIBUS ET VITIIS.

Non immerito Socrates apud Ciceronem [1]) dicitur primus devocasse philosophiam de caelo et in urbibus collocasse, et in domos quoque introduxisse et coëgisse de vita et moribus rebusque bonis et malis quaerere. Quamvis enim multi etiam ante Socratem enumerari possint,

qui quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,

vel praeceptis vel exemplis propositis docuerint, idque Homerum adeo *planius ac melius Chrysippo et Crantore* fecisse Horatius iudicet [2]), tamen qui subtiliorem docendi rationem artemque disserendi his rebus adhibuerit e veteribus illis vix quemquam invenimus. Nam ne de poetis loquar illoque genere praeceptorum, quod per Hesiodi imprimis et gnomicorum carmina sparsum est, etiam septem illos qui dicuntur sapientes non tam philosophos quam viros prudentes fuisse comperimus, qui absque subtiliori arte ac disciplina breviter ac simpliciter praeceperint, quae multiplex rerum usus et experientia non vulgaris suppeditasset [3]): quae autem Pythagoras eiusque discipuli [4]), aut Eleaticorum

---

1) Tusculan. V, 4. Cf. Acad. poster. 1, 4.

2) Epist. 1, 2 v. 3. 4.

3) *Καταμάθοι ἄν τις αὐτῶν τὴν σοφίαν τοιαύτην οὖσαν, ῥήματα βραχέα ἀξιομνημόνευτα ἑκάστῳ εἰρημένα.* Plat. Protag. p. 343 B. Ex his quae ad domesticam administrationem pertinent Plutarchus proposuit Sept. Sap. conv. c. 12 et hinc desumpta Stobaeus Flor. 85, 14 tom. III p. 176 Gaisf. Chilonem imprimis Diog. Laert. tom. I p. 46 Huebn. praecepisse memorat: *μανθάνειν τῆς αὐτοῦ οἰκίας καλῶς προστατεῖν.*

4) De veterum Pythagoreorum disciplina ethica, imprimis politica, praeter eos

principes Parmenides et Zeno [5]) de vita et moribus paullo subtilius philosophati sunt, haec et pauca fuerunt nec magni ad eam quae postea 6
extitit morum doctrinam momenti, et uberioribus Socratis et Socraticorum disputationibus mox plane obscurata. Socratem vero ipsum de omni hominum vita civili ac domestica omnique genere officiorum subtiliter et accurate disputantem Platonis nobis et Xenophontis libri repraesentant, quamquam admodum plerumque dissimili ratione, in qua dissimilitudine uter illorum ad magistri sententiam propius accesserit vix satis certo ubique dignosci potest [6]). Sed unum est harum disputationum genus, quod apud Platonem obiter tantummodo et carptim, multo autem copiosius et accuratius apud Xenophontem tractatur, de administratione domestica, estque Xenophontis de ea libellus, qui Oeconomicus inscribitur, sane praestantissimus et Socratis sapientia, meo quidem iudicio, aliquanto dignior, quam plerique eorum sermonum, qui in Memorabilium libris referuntur. Post Xenophontem primus Aristoteles [7]) paullo accuratius hanc moralis philosophiae partem tractasse, et quae ab illo fusius ac liberius disputata erant, subtiliore quadam et severiori disserendi ratione usus, ad iustae artis formulam et descriptionem revocasse videtur: sed de duobus, qui hodie Aristotelis nomen praeferunt, oeconomicis libellis alterum subditicium et ab illius ingenio non minus quam aetate alienum esse nunc quidem satis inter omnes constat [8]); alter utrum ab ipso Aristotele an ab eius auditore

---

quos citavimus in Antiquitt. i. p. Gr. p. 92, 4 cf. H. Ritter, *Geschichte der Pythag. Philosophie* p. 38 sqq. et p. 52. Ipsum Pythagoram Jamblichus cap. 30 dicit *οὐδὲν ἧσσον θαυμασθῆναι διὰ τὴν οἰκονομίαν ἢ τὴν φιλοσοφίαν*, idemque cap. 17 in classibus discipulorum etiam *πολιτικοὺς* et *οἰκονομικούς* fuisse perhibet. De recentiorum Pythagoreorum scriptis oeconomicis cf. not. 9.

5) Utrumque Eleatis leges scripsisse memorant Strab. VI p. 252. Plutarch. cfr. Colot. c. 32 et Diog. Laert. IX, 23 (tom. II p. 348) e Speusippo. — E sophistis praecipue Protagoras commemorandus est, quem Plato Protag. p. 319 A. docuisse testatur *εὐβουλίαν περί τε τῶν οἰκείων, ὅπως ἂν τις ἄριστα τὴν αὑτοῦ οἰκίαν διοικοῖ, καὶ περὶ τῶν τῆς πόλεως, ὅπως τὰ τῆς πόλεως δυνατώτατος ἂν εἴη καὶ πράττειν καὶ λέγειν.*

6) Tractavit hanc quaestionem C. A. Brandis, *Grundlinien der Lehre des Sokrates*, in Museo Rhenano ann. 1827. Vid. impr. p. 122 sqq. et p. 129.

7) Aequalis Xenophontis fuit Antisthenes, cuius *Οἰκονομικὸς* commemoratur a Diogene Laertio VI, 16 (tom. II p. 11.); Aristotelis aequalis Xenocrates, cuius item *Οἰκονομικὸς* nominatur ab eodem IV, 12 (tom. I p. 268).

8) Conf. Niebuhr. opusc. philol. 1 p. 412 sqq. Ceterum ne pertinet quidem

Theophrasto scriptus sit, controversum est. Reliquorum autem philosophorum oeconomica scripta, praeter pauca recentiorum imprimis Pythagoreorum fragmenta [9]), plane perierunt, ac nuper demum unam quasi ex magno naufragio tabellam fortuna nobis retulit, Philodemi Epicurei, Ciceronis aequalis, de administratione rei familiaris disputa-
7 tionem, maioris operis de virtutibus oppositisque vitiis particulam, in Herculani ruderibus repertam, non admodum illam quidem vel disserendi subtilitate vel orationis elegantia commendabilem, verumtamen in tanta aliorum de hoc argumento scriptorum iactura haudquaquam sane contemnendam. Ediderunt hanc Franciscus Iavaronius et Carolus Maria Rosinius in voluminum Herculanensium tomo tertio, Neapoli ann. MDCCCXXVII, et post hos Carolus Goettlingius, una cum Aristotelio et anonymi oeconomico, Ienae ann. MDCCCXXX. Et de Neapolitanis quidem editoribus nunc dicere nolo, nec satis tuto possum, quum ipsam eorum editionem nunquam viderim: popularis autem noster quum praeclare de tribus illis opusculis vel illustrandis vel emendandis meruerit, permulta tamen aliis facienda reliquisse iudicandus est: neque id mirum, in Philodemo praesertim, plurimis et maximis in papyro lacunis aliisque mendorum generibus misere foedato, quae lectionem in nulla non pagina plus semel impediant sententiamque scriptoris obscurent. Hanc ob causam quum nos et olim nonnihil curae his libellis impenderimus, et hoc ipso tempore ad lectionem eorum revocati simus, non ab re visum est aliquot emendationis nostrae et interpretationis specimina publice proponere. Sed Philodemi quum tripertita sit disputatio, verseturque primum in Xenophontis, deinde in Aristotelis, vel, ut ipse ait, Theophrasti oeconomico iudicando, postremo autem

---

hic libellus ad eam quae vere dicitur oeconomiam, quum nihil de domestica administratione praecipiat, sed tantummodo varia artificiorum exempla proponat, quibus civitates earumque principes usi sint ad angustias aerariorum sublevandas.

9) Pleraque horum apud Ioannem Stobaeum servata sunt, e Brysonis, personati haud dubie, *Οἰκονομικῷ* (Floril. tit. 85, 15) Callicratidae libro *περὶ οἴκου εὐδαιμονίας* (ib. 70, 11. 85, 16. 17. 18), Hieroclis *οἰκονομικῷ* (ib. 85, 21), non diverso, ut arbitror, a libro *περὶ οἰκιῶν* s. *π. οἴκων*, quem ipse citat in fr. libri *περὶ γάμου* ib. 67, 22. — Aliquot loci a Stobaeo etiam e Dionis oeconomico excerpti sunt (tit. 42, 12. 62, 46. 74, 59. 60. 85, 12. 13), qui quin Chrysostomus sit, non dubium videtur. Plurimi autem non de omni administratione domestica, sed de una alterave parte scripserunt, veluti de coniugio, de liberorum educatione, de servorum tractatione, de divitiis rectoque earum usu, de apparatu domestico (*περὶ σκευῶν*), quos percensere longum est.

loco propria Epicureorum oeconomiae praecepta edat, nos nunc in ea potissimum parte continebimur, quae ad Theophrasti oeconomicum pertinet, simulque Philodemi de auctore libelli testimonium contra Goettlingium tueri conabimur; quae contra Xenophontem disputantur, nunc quidem plane praetermittemus; de propriis Philodemi praeceptis pauca quaedam delibabimus.

Exorditur Theophrastus a discrimine civilis et domesticae administrationis, easque non eatenus solum inter se differre ait, quatenus quae subiecta utrique sunt, civitas et domus, inter se distent, sed etiam eo, quod in altera plurium, in altera unius sit imperium: *ἡ μὲν πολιτικὴ ἐκ πολλῶν ἀρχόντων ἐστίν, ἡ οἰκονομικὴ δὲ μοναρχία.* Conspirare haec cum iis quae Aristoteles docet Polit. I, 2 p. 11, 21 et III, 10 p. 103, 2, iam Goettlingius monuit. A Philodemo autem p. 45, 13 Goettl. totum hoc exordium reprehenditur, primum quia supervacaneum fuerit de politicae et oeconomicae discrimine exponere: *οὐδὲν γὰρ εἰς οἰκονομικὴν τὸ διαφέρειν τῆς πολιτικῆς*: deinde quod ne verum quidem sit politicam neutiquam, oeconomicam vero utique unius administrationem esse, neque unquam esse in utraque, quae ad alterius similitudinem accedant: *καὶ ἔτι ψεῦδός ἐστι τὸ τὴν πολιτικὴν πάντως μὴ μοναρχίαν εἶναι, καὶ τὸ τὴν οἰκονομικὴν πάντως μοναρχίαν, καὶ μήποτε ἀναλογοῦντ᾽ εἶναι περὶ ἑκατέραν.* Pro *καὶ ἔτι* in editionibus legitur *κἂν εἰ*, quod ferri non posse mihi quidem 8
certissimum videtur. Nam quod Goettlingius nos ad notulam suam in Arist. Polit. p. 285. remittit, ubi *κἂν εἰ* apud Aristotelem saepius pro *καὶ εἰ* inveniri docet: ego ne hoc ipsum quidem *καὶ εἰ* huic loco convenire arbitror, quum nulla sit inter hanc periodum eamque quae praecessit, quae paullo ante a me adscripta est, conditionalis vel concessiva connexio, sed hoc unum aptum, ut postquam prius Theophrasti propositio tanquam supervacanea reprehensa est, nunc altera reprehensio per continuativas particulas adiungatur. Quodsi tamen illud *κἂν εἰ* in papyro plane ac certo scriptum extat, necesse erit negativam particulam addi: *κἂν εἰ μὴ ψεῦδός ἐστι*, ut haec sit Philodemi sententia: supervacaneam utique esse istam de discrimine politicae et oeconomicae disputationem, etiamsi non falsum sit quod dicatur. Sed vix tamen credo, hoc a Philodemo concessum esse, quum praesertim sit haud dubie in illo placito, quod reprehendi posse videatur, ipsaque illa verba *καὶ μήποτε ἀναλογοῦντα εἶναι περὶ ἑκατέραν* vix possint alio consilio addita videri, quam quo facilius Theophrasteae sententiae falsitas

patesceret. Nam si simpliciter assentiebatur Philodemus Theophrasto, quid opus erat ad sententiam eius hoc etiam addere, nunquam esse in politica administratione, quod ad domesticae, neque in domestica, quod ad politicae administrationis similitudinem accederet? Hanc enim eius verborum sententiam esse non dubito. Contra si reprehendere Theophrasti placitum voluit, non inepte haec addidisse videri debet, quum saepenumero accidat et in civitatum administratione ut imperium unus, sicut in domo pater familias, exerceat, et in domestica, ut haec non unius domini, sed multorum, qui parere domino deberent, voluntate et arbitrio regatur. Ceterum nihilo minus Theophrastum facile defendi posse apparet. Non enim respicienda philosopho nisi ea vel civitas vel domus erat, quae recte et rationi convenienter constituta est. Domum autem ab aliis praeter unum patrem familias gubernari non minus contra rationem est, quam civilem administrationem omnem unius imperio regi. Scilicet civilem administrationem cum Aristotele et Theophrasto non dicimus nisi eam, quae est liberae civitatis, in qua necesse est imperium inter plures partitum esse: quodsi contra est, non iam est libera civitas dicenda, neque administratio civilis s. *πολιτική*, sed *μοναρχική*, h. e. aut *βασιλική* aut *δεσποτική* aut *τυραννική*. — Atque etiam alteram Philodemi reprehensionem, quod supervacaneum fuisse dicit illa exponi, removeri posse iudicamus. Tetigit enim illa Theophrastus propterea, quod arctissima sane intercedit inter politicam et oeconomicam coniunctio, pertinetque haud dubie aliquid ad utriusque vim et naturam rectius perspiciendam, ut quid commune inter se habeant, quid sibi quaeque proprium, intelligatur.

9 Ait porro Theophrastus, quum politicae artis sit et constituere initio civitatem et constitutam recte administrare, hinc apparere, oeconomicae quoque utrumque esse, et ut paret domum, et ut paratam administret. Hoc qua ratione consequatur ex illo altero non accuratius demonstrat: neque id opus fuisse Philodemus censet. — Sequitur deinde definitio civitatis: esse eam multitudinem domuum cum agris rebusque ad usum necessariis talem, quae sibi ipsa ad bene vivendum sufficere possit: hinc consequi ut domestica administratio prior sit civili, siquidem domus ipsa prior sit civitate, utpote e domibus exorta: *δῆλον ὅτι πρότερον γενέσει ἡ οἰκονομικὴ πολιτικῆς ἐστι· καὶ γὰρ τὸ ἔργον· μόριον γὰρ οἰκία πόλεώς ἐστιν.* In his quod domus eiusque administratio *γενέσει* prior esse dicitur civitate et administratione civili, pugnare Goettlingio videbatur cum Arist. Polit. I, 2 p. 4,

22 et 29, ubi civitas *φύσει* prior esse dicitur singulis hominibus, quemadmodum totum prius sit partibus suis; unde consequi intelligebat etiam domo civitatem priorem habendam esse. Sed mutavit postea vir doctissimus iudicium, et recte quidem. Nam aliud est *φύσει πρότερον εἶναι*, aliud *γενέσει*. Ac *φύσει πρότερον* totum partibus suis qua ratione dicatur non obscurum est, breviterque etiam a nobis expositum in Antiquitt. iur. publ. Gr. p. 57, 4; *γενέσει* autem prius esse dicitur, non quod ipsa natura ac notione, sed quod existentia prius est priusque in conspectum venit: quamobrem in civitatem ac domum illud ipsum cadit, quod de alio rerum genere Aristoteles profitetur Phys. VIII, 7, *τὸ τῇ γενέσει ὕστερον τῇ φύσει πρότερον εἶναι.*

Iam ad ipsam oeconomicam eiusque opus scriptor accedens, primum quae sint partes domus exponit: *μέρη δὲ οἰκίας ἄνθρωπός τε καὶ κτῆσίς ἐστιν.* — *Ἄνθρωπον* Philodemus de domino s. patre familias accepisse videtur, unde nata est speciosa huius loci reprehensio, de qua mox dicemus. Sed Theophrastus haud dubie singulari numero usus est ad genus universe designandum; intelligi autem voluit quicunque in domo homines sub patris familias administratione et potestate vivunt. Quamquam dubitarit forsan aliquis, utrum servos quoque *ἀνθρώπου* nomine comprehenderit, an, quum opponat *ἄνθρωπον* et *κτῆσιν*, servos huic potius accensuerit: siquidem servi sunt *κτήματα*, et *κτῆσις* nihil aliud est quam *κτημάτων* universitas. Cf. Arist. Polit. I, 2 p. 6, 17 ed. Goettl.: *τὸ κτῆμα ὄργανον πρὸς ζωήν ἐστι, καὶ ἡ κτῆσις πλῆθος ὀργάνων ἐστί, καὶ ὁ δοῦλος κτῆμά τι ἔμψυχον.* Attamen nostro quidem loco servos a reliqua *κτήσει* seiunctos et *ἀνθρώπου* appellatione comprehensos credo, primum propterea, quod etiam postea, cap. 5 init., a reliquis *κτήμασιν* distinguit *τὸ βέλτιστον καὶ ἡγεμονικώτατον· τοῦτο δὲ ἦν ἄνθρωπος* h. e. *δοῦλος*: deinde quia hoc ipso capite, paucis post versibus, ubi de hominibus in domo loquitur, uxorem dicit *πρῶτον τῶν ἐλευθέρων*, non *τῶν ἀνθρώπων*, quod fecisset, opinor, nisi tacite *ἄνθρωπον* in duas species, alteram *τῶν ἐλευθέρων*, alteram *τῶν δούλων*, divisisset. Quamquam hanc divisionem quod tam obscure significavit non iniuria reprehendas. Ceterum conferenda cum hoc loco sunt quae Aristoteles disputat Polit. I, 2 in. et Callicratidas *περὶ οἴκων εὐδαιμονίας* apud Stobaeum Floril. tit. 85, 16 tom. III p. 179. Gaisf.: *τῶν δὲ μερέων*

αὐτοῦ (scil. *τοῦ οἴκου*)[10]) *δύο πρᾶτα καὶ μέγιστα, ἄνθρωπος καὶ κτᾶσις, τὸ κυβερνώμενον καὶ τὰν χρᾶσιν ἐμπαρεχόμενον·* et paullo post: *τῶν δὲ συμπλαρούντων τὸν οἶκον ἀνθρώπων τοὶ μὲν συγγενέες τοὶ δὲ οἰκῆοι.*

Sequuntur deinceps apud Theophrastum haece: *ἐπεὶ δὲ πρῶτον ἐν τοῖς ἐλαχίστοις ἡ φύσις ἑκάστου θεωρεῖται, καὶ περὶ τῆς οἰκίας ἂν ὁμοίως ἔχοι· ὥστε καθ' Ἡσίοδον δέοι ἂν ὑπάρχειν*

οἶκον μὲν πρώτιστα γυναῖκά τε βοῦν τ' ἀροτῆρα.

τὸ μὲν γὰρ τῆς τροφῆς πρῶτον, τὸ δὲ τῶν ἐλευθέρων. — Quod ait unius cuiusque rei naturam primo in minimis eius partibus cognoscendam esse, conspirat cum iis, quae Aristoteles aliquoties praecepit (vid. Goettling. annot. p. 69.); quod autem adiungit *ὥστε — δέοι ἂν ὑπάρχειν*, sane obscurius dictum est propter nimiam brevitatem. Voluit autem hoc haud dubie: *itaque, quia domus quoque natura in minimis eius partibus cognoscenda est, ponamus has, quas Hesiodus commemorat, tanquam minimas.* Sed quum tria Hesiodus nominet, *οἶκον, γυναῖκα, βοῦν ἀροτῆρα*, Theophrastum nunc ita loqui videmus, quasi duo tantum sint: *τὸ μὲν γὰρ τῆς τροφῆς πρῶτον, τὸ δὲ τῶν ἐλευθέρων*: id quod iam e veteribus nonnullos permovit, ut priorem tantum versiculi partem a Theophrasto positam fuisse crederent, omissis verbis *βοῦν τ' ἀροτῆρα*, quae quidem etiam a Philodemi exemplo abfuisse statim videbimus. Verum poterat, opinor, Hesiodus Theophrasto tribus illis nominibus duas tantum res significasse videri, siquidem *οἶκον* intellexit res ad victum necessarias, quo pertinent habitatio cum agro quem colas cuiusque proventu alaris, cui rei quum *βοῦν ἀροτῆρα* adhiberi necesse sit, licebat sane utrumque *τροφῆς* nomine comprehendi. Itaque ego integrum versiculum retinendum esse censeo.

Nunc Philodemi censuram audiemus. Probat is primum quod de partibus domus, itemque quod de cognitione rerum in minimis partibus dictum est: *τῶν δ' ὑπὲρ τῆς οἰκονομικῆς*, ait, *ἴδιον τὸ μέρη λέγειν τῆς οἰκίας ἄνθρωπον καὶ κτῆσιν, ἴδιον δὲ καὶ τὸ τὴν ἑκάστου φύσιν ἐν τοῖς ἐλαχίστοις θεωρεῖσθαι, διὸ καὶ τῆς οἰκονομι-*
11 *κῆς, καὶ ἄξιον ἐπιζητεῖν.* Hoc igitur et proprium oeconomicae dicit, et dignum quod quaeratur. In proximis vero offendit: [*πῶ*]ς

---

10) Vulg. ante Gaisf. *αὐτῆς*, quod ferri non posse manifestum est, quum nullum aliud quo referatur nomen praecesserit quam *συγγενικὰ κοινωνία*. *Αὐτῶν* autem, quod Gaisf. e duobus codd. dedit, plane non habet quo referatur.

[δ' ἐπέ]ζευκται τούτο[ις]· ὥστε καθ' Ἡσίοδον δέοι ἂν ὑπάρ[χει]ν „οἶκον μὲν πρ[ώτ]ιστα [γυν]αῖκά τε.“ τὸ μὲν γὰρ τῆς τροφῆς πρῶτον, τὸ δὲ τῶν ἐ[λευ]θέρων; εἰ μὴ κτῆσις, ὥς γ[ε κα]ὶ τροφή, γαμετή, καὶ ταῦ[τα συ]νοικονομοῦσα. Apparet verba illa, *βοῦν τ' ἀροτῆρα*, a Philodemo non lecta esse apud Theophrastum: nam casu aut etiam consulto haec eum omisisse nemo credet. Ceterum in scribendo et interpungendo hoc loco a prioribus editoribus discedendum iudicavi. Hi enim verba illa *καὶ ἄξιον ἐπιζητεῖν* a superioribus divulsa cum sequentibus coniunxerunt: *καὶ ἄξιον ἐπιζητεῖν πῶς ἐπέζευκται* —, quod non debuisse fieri sententiarum nexus demonstrat. Nimirum Philodemus, postquam probavit nonnulla, nunc his alia opponit, quae improbanda ipsi videntur: quamobrem non recte oratio procederet per *καί*, particulam copulativam, sed requiritur necessario adversativa, *ἀλλ' ἄξιον ἐπιζητεῖν* aut *ἄξιον δ' ἐπιζητεῖν*, non autem *καὶ ἄξιον ἐπιζητεῖν*. Quam autem nos post *πῶς* inseruimus litteram *δ'*, eadem quae primas proximi verbi litteras lacuna papyri hausit. Interrogativam orationis conformationem in huiusmodi reprehensionibus aptissimam esse nemo non sentit; et utitur eadem Philodemus continuo in proximis, *καὶ πῶς* p. 46, 5. 7. 11. 15. 19. 20, *καὶ τί* v. 10, *καὶ διὰ τί* v. 13, 18. 24. Praeterea ex *τοῦτο*, quod in papyro comparet, cur *τοῦτόγε* potius quam *τούτοις* Neapolitani editores et Goettlingius facerent, nulla causa erat: in extrema autem periodo quum dederint *καὶ ταῦ[τα μὲ]ν οἰκονομοῦσα*, quid hoc *μέν* significare voluerint prorsus non intelligo. Sententia Philodemi satis plana est. Reprehendit primum illud *ὥστε — δέοι ἂν ὑπάρχειν*, ut cuius cum superioribus connexio non appareat: neque id iniuria, siquidem paullo propter brevitatem obscurius Theophrastum loquutum esse negari non potest, quemadmodum iam supra diximus. Deinde quum duas partes domus poni videret, *ἄνθρωπον* et *κτῆσιν*, *ἄνθρωπον* autem de patre familias acciperet, non poterat non in eam sententiam induci, ut quidquid praeter patrem familias in domo est, *γαμετὴν* non minus quam *τροφήν*, in *κτήσει* numerari putaret, id quod merito absurdum esse censebat. Atque hoc est quod dicit, *εἰ μὴ κτῆσις, ὥς γε τροφή, καὶ γαμετή*: *nisi forte in possessione, sicut victus, ita etiam uxor est*: quod ironice dictum apparet pro eo, quod proprie dici poterat: *siquidem in possessione sane uxor non est numeranda.* Addit autem *καὶ ταῦτα συνοικονομοῦσα*: *quum praesertim socia sit mariti in domo administranda*: quo magis scilicet rei absurditas manifesta fiat. Apparet autem

hanc omnem reprehensionem niti falsa illa vocabuli ἄνθρωπος interpretatione, mirorque hoc a Goettlingio non perspectum, qui quum et ipse ἄνθρωπον patrem familias dici credat, et tamen contra Philo-
12 demum disputet, pugnat profecto secum ipse, et ad defendendum Theophrastum ea profert, quae nihil pertineant ad rem. Sed haec nunc accuratius exagitare longum est.

Proxima Theophrasti verba in hunc modum refingenda sunt: *ὥστε δέοι ἂν τὰ περὶ τὴν τῆς γυναικὸς ὁμιλίαν οἰκονομήσασθαι καλῶς· τοῦτο δέ ἐστιν, ὁποίαν τινὰ δεῖ ταύτην εἶναι παρασκευάσαι: necesse est consuetudinem cum muliere recte instituere, h. e. talem, qualem eam esse oportet, efficere.* Vulgo scribitur τὸ ποίαν τινὰ δεῖ: sed interrogativum pronomen ποίαν in tali contextu poni non potuit, in quo nulla est neque directa neque indirecta interrogatio, sed relatio tantummodo ad subaudiendum pronomen qualitatis demonstrativum, quasi dicas τοιαύτην τινά, οἵαν δεῖ.

Sequitur locus de κτήσει: cuius quidem praestantissimum genus esse dicitur ex agri cultura; huic proximum quodcunque ex terrae proventu victum praebet, veluti ἡ μεταλλευτική. Vituperantur artes sellulariae, ut quae corpus animumque corrumpant, laudatur agri cultura tanquam roboris et fortitudinis procreatrix. Huic similes sententias quum apud alios multos, tum apud Aristotelem invenias: sed nostro scriptori maxime Xenophontis oeconomicum obversatum esse credo, cap. 4, 2. 5, 1—17. 6, 5. 8—10; et quod hic 6, 10 ἔξω τῶν ἐρυμάτων τὰ ἐπιτήδεια agricolis esse dicit, iisdem fere verbis apud Theophrastum legimus, μόνων γὰρ τούτων τὰ κτήματα ἔξω τῶν ἐρυμάτων ἐστίν.

Exponitur deinde paullo accuratius, quomodo hominibus in domo agendum sit, ac primum quidem cum uxore. Huius quoque de coniugio disputationis bona pars e Xenophontis oeconomico ducta est, imprimis quae p. 5, 26 et deinceps leguntur, e Xenoph. c. 7, 19—30. Alia ex Aristotele sunt, de naturali studio similium sui procreandorum, p. 5. 5 sq., e Polit. I, 1 p. 2, 14; de diversa ratione coniungendi maris et feminae inter homines quam apud bestias, p. 5, 10 sq., ex Ethic. Nicom. VIII, 14 p. 148, 3 sq.; denique de perpetuitate animalium οὐ κατ᾽ ἀριθμόν, ἀλλὰ κατὰ τὸ εἶδος, p. 5, 22, e libro de gener. animal. II, 1 p. 731 extr. Bekk. — In his omnibus Philodemus nihil notavit, nisi quod initio dicitur τῶν περὶ τοὺς ἀνθρώπους ἡ κατὰ γυναῖκα πρώτη ἐπιμέλεια: neque enim opus esse ad bene beateque

vivendum, ut quis matrimonium contrahat, neque omnino coniugalia praecepta ad oeconomiam, quae vulgo dici soleat, pertinere. Atque hoc quidem quale sit alibi videbimus: illud alterum autem ex Epicuri sententia dictum est, quippe qui, ut est apud Diog. Laert. X, 119 tom. II p. 571, in *διαποριῶν* libro *μὴ γαμήσειν μηδὲ τεκνοποιήσειν τὸν σοφὸν* statuerit, in libro de natura autem, *κατὰ περίστασίν ποτε βίου γαμήσειν καὶ διατραπήσεσθαι.*

Sequuntur apud Theophrastum praecepta coniugalia haece: *πρῶ-* 13
τον μὲν οὖν νόμοι πρὸς γυναῖκα καὶ τὸ μὴ ἀδικεῖν. Coniiciebat aliquis scribendum esse: *πρῶτος μὲν οὖν νόμος πρὸς γυναῖκα κείσθω,* [aut *κεῖται*] *μὴ ἀδικεῖν.* Ego vulgatam lectionem servari posse puto. *Νόμοι πρὸς γυναῖκα* eodem sensu dicuntur, quo *τὰ πρὸς τὴν γυναῖκα δίκαια* in personatae Theanus epistola p. 228 (in I. C. Wolf. mull. graec. fragm. Lond. 1739.). Ait igitur certas quasdam conversandi cum uxore normas ac leges esse debere, earumque unam et praecipuam hance, *μὴ ἀδικεῖν*, *ne iniuria afficiatur*: quemadmodum non raro generis alicuius universi commemorationi una quaedam et praecipua species per solam copulam adiungi solet. Vid. quae diximus ad Plut. Ag. p. 75. — Ex iniuriis deinde unam nominatim commemorat: *ἀδικία δὲ ἀνδρὸς αἱ θύραζε συνουσίαι γινόμεναι.* Hanc enim lectionem nemo non praeferet alteri, quae in aliquot codicibus extat, *αἱ θύραζε συνιοῦσαι γυναῖκες.* Goettlingius eandem utrique sententiam subesse credit, ut significentur mulieris conversationes extraneae, quibus maritus iniuria afficiatur, comparatque cum Theophrasti praecepto hoc Hesiodi, *μηδὲ γυνή σε νόον πυγοστόλος ἐξαπατάτω αἱμύλα κωτίλλουσα, τεὴν διφῶσα καλιήν,* quod mihi prorsus ab hoc loco alienum esse videtur. Non enim de mulieris erga virum, sed de viri erga mulierem iniuriis Theophrastum loqui omnis loci contextus manifestum facit. Sunt igitur *αἱ θύραζε συνουσίαι γινόμεναι* adulteria viri et amatoria consuetudo cum extraneis mulieribus, quemadmodum etiam Iavaronius intellexit p. 166 ed. Goettl.; neque *θύραζε συνουσίαι* pro *θύρασι* dictum peritos offendere potest. *Συνουσίαν* autem ut *συνεῖναι* de amatoria consuetudine dici notum est, utiturque hoc verbo de Alcibiadis adulteriis Plutarchus vit. Alcib. c. 8: (*ἡ Ἱππαρέτη*) *λυπουμένη ὑπ' αὐτοῦ περὶ τὸν γάμον ἑταίραις ξέναις καὶ ἀσταῖς συνόντος.* — Proximorum Theophrasti verborum scriptura apud Goettlingium haud dubie corrupta est: *περὶ δὲ ὁμιλίας μήθ' ὥστε δεῖσθαι ἴσως παρόντος,*

μήθ' ὡς ἀπόντος ἀδυνατεῖν ἡσυχάζειν. Nam quem Goettlingius sensum esse dicit, *ὥστε δεῖσθαι ἴσως καὶ ἄλλης ὁμιλίας παρόντος ἀνδρός*, neque ipsum, qualis sit, satis intelligo, et quonam interpretandi artificio inventus sit, nolo quaerere. Bekkerus ita scripsit: *μήθ' ὥστε δεῖσθαι, μήθ' ὡς ἀπόντων ἀδυνατεῖν ἡσυχάζειν*, quae nihilo magis intelligere possum. Illud tamen recte factum, quod verba *ἴσως παρόντος*, ex uno codice a Goettlingio recepta, rursus eiecit. Manifestum enim vel ipsum illud *ἴσως* facit, esse hanc coniecturam alicuius, qui corrupto loco subvenire conaretur. *Ἀπόντος* contra, quod in duobus codicibus pro *ἀπόντων* legitur, non erat spernendum. Persanatum locum habebimus negativo pronomine *μηδέν* vel potius
14 *μηθέν* 11) ante alterum *μήθ'* inserto, quod quam facile excidere potuerit apertum est. Hoc igitur inserto, ut sit *μήθ' ὥστε δεῖσθαι μηθέν, μήθ' ὡς ἀπόντος ἀδυνατεῖν ἡσυχάζειν*, sententia haec est: *oportere uxorem nec plane non requirere maritum, neque absentiam eius non posse aequo animo ferre.* Atque hoc ipsum voluisse philosophum proxima statim verba liquido demonstrant: *ἀλλ' οὕτως ἐθίζειν, ὥστε ἱκανῶς ἔχειν καὶ παρόντος καὶ μὴ παρόντος*. De loquutione *μηδὲν δεῖσθαι, non requirere, non desiderare* vid. quae congessi ad Plutarch. Ag. c. 4 extr. Pro *ὡς ἀπόντος* poterat sane concinnius scribi *ὥστ' ἀπόντος*, et foret hoc utique reponendum, si in vetere scriptore Attico versaremur, a quorum consuetudine *ὡς* pro *ὥστε* dictum abhorrere videtur (cf. Saupp. ad Lycurg. p. 94.); nunc autem neque hic usus particulae offendere potest, cuius etiam alia duo in hoc libello exempla extant, p. 7, 8 et p. 9, 13, et concinnitatem in tali qualis haec est scriptiuncula neglectam esse non mirabimur. — Quae deinceps adduntur de *ornatu mulierum* rursus e Xenophonte ducta videntur, Oecon. 10, 1 sqq.

Hinc pergit ad *κτημάτων* curam, quorum quum praestantissima et maxime necessaria pars homines, i. e. servi sint, de horum tractatione diligentius praecipit. Esse horum duo genera, villicos (*ἐπιτρόπους*) et operarios (*ἐργάτας*): illos, quorum opera liberaliora sint, statim puerulos apta disciplina ab hero instituendos esse: in quo consentit cum Xenophonte, apud quem Oecon. 12, 3. 4 Ischomachus interrogatus a Socrate, *πότερον, ὅταν δεηθῇς ἐπιτρόπου, καταμαθὼν ἐάν που ᾖ ἐπιτροπικὸς ἀνήρ, τοῦτον πειρᾷ ὠνεῖσθαι — ἢ αὐτὸς παιδεύεις*

11) Vid. Lobeck. ad Phryn. p. 182.

τοὺς ἐπιτρόπους; respondet: αὐτός, νὴ Δία, ὦ Σώκρατες, πειρῶμαι παιδεύειν, atque deinceps rationes, cur ita faciat, prudenter exponit, quas si Philodemus reputasset, non reprehendisset fortasse Theophrastum, ut facit p. 46: καὶ διὰ τί παῖδας κελεύει παρασκευασάμενον τρέφειν καὶ παιδεύειν, οἷς τὰ ἐλευθέρια τῶν ἔργων προστακτέον, μᾶλλον ἢ πεπαιδευμένους ὑπ' ἄλλων ἠγορασμένους; Ita enim scribendum censeo pro eo quod editum est ἡγμένους, ex male intellecto scripturae compendio. Iustior videri potest altera reprehensio, quod non recte servos primam et maxime necessariam partem possessionis Theophrastus dixerit, contra quam Hesiodus: nam hic primum posuit βοῦν ἀροτῆρα. Neque enim negari potest, esse domum etiam sine servis posse, quemadmodum Aristoteles ipse Polit. I, 1 p. 3, 5 significat: ὁ γὰρ βοῦς ἀντ' οἰκέτου τοῖς πένησίν ἐστιν. At enim nunc de οἰκίᾳ τελείῳ h. e. de domo bene et commode instructa agitur, quae servis carere non posse videbatur, quo plus hero ad negotia liberaliora otii suppeteret. Cf. Arist. Pol. 1, 2 in.: οἰκία δὲ τέλειος ἐκ δούλων καὶ ἐλευθέρων. — Tractationem servorum porro hanc esse debere praecipit, ὡς μήτε ὑβρίζειν ἐᾶν, μήτε ἀνιέναι, καὶ τοῖς μὲν ἐλευθεριωτέροις τιμῆς μεταδοτέον, τοῖς δ' ἐργάταις τροφῆς πλῆθος. Merito in his Bekkerus offendit: nam ἀνιέναι non recte ita per disiunctivas particulas τῷ ὑβρίζειν ἐᾶν tanquam diversum opponi videtur, quum alterum alteri coniunctissimum sit, et servos suos qui ἀνίησιν, i. e. nimis laxe habet, hoc ipso lascivos fieri patiatur: ἀνιέμενοι γὰρ ὑβρίζουσιν καὶ τῶν ἴσων ἀξιοῦσιν ἑαυτοὺς τοῖς κυρίοις, ut ait Aristoteles Polit. II, 6 p. 53, 28. Maluit igitur Bekkerus μηδὲ ἀνιέναι, ut copula τέ, quae est in μήτε ante ὑβρίζειν posito, referatur ad proximam demum enuntiationem καὶ — μεταδιδόναι. Sed alio ducere videtur Philodemus, qui p. 47 in. de nostro loco iudicium profert, τὸ δὲ μήθ' ὑβρίζειν ἐᾶν τοὺς δούλους, μήτε -- έζειν — ἀνέκτως εἴρηται. Integrum verbum, cuius priorem partem lacuna subtraxit, Neapolitani editores πιέζειν fuisse suspicati sunt, Goettlingius μαλακίζειν, cui similem atque verbo ἀνιέναι sententiam tribuisse videtur. Sed interest haud dubie aliquantum: a Philodemo autem neque μαλακίζειν neque πιέζειν, sed potius ἀνιάζειν scriptum esse crediderim, et a Theophrasto ἀνιᾶν, quod facile in ἀνιέναι depravari potuit, quum praesertim statim sequatur καί. — Legitur praeterea apud Philodemum: καὶ τοῖ[ς μὲν ἀ]ληθινωτέροις τιμῆς μεταδοτέον, τοῖς δ' ἐργάταις τροφῆς πλείονος, in quibus illud

[ἀ]ληθινωτέροις, etiamsi vere hae ipsae duodecim litterae in papyro extant, neque evanidae formae Neapolitanos fefellerunt, tamen dubitari non potest quin commutandum sit cum *ἐλευθεριωτέροις*. Nam quod Goettlingius ait: *οἱ ἀληθινοὶ* sunt ii, qui *περὶ τὴν ἀλήθειαν* sunt occupati i. e. philosophiae vel perspicientiae veri operam suam navantes: hoc neque verum est, neque, si maxime verum esset, quidquam ad rem pertineret. Nam foret haec philosophi laus, non servi, qui quidem si *ἀληθινὸς* dicitur, vereor ut alius intelligi possit, quam qui *vere servus* sit, quemadmodum in eo, quod Goettlingius refert, Stilponis dicto, qui dicenti cuidam, *admirantur te ut belluam*, *οὐμενοῦν*, respondit, *ἀλλ ὡς ἄνθρωπον ἀληθινόν*, hoc nequaquam *hominem veri studiosum*, ut Goettlingio visum est, sed *vere hominem s. hominem veri nominis* significat. Ita *τὸ ἀληθινὸν κάλλος*, *pulchritudo quae vere dici debet*, *ἀληθινὸς πλοῦτος*, *verae divitiae*, *ἀληθινὸς φίλος*, *amicus hoc nomine dignus*. Servus autem *ἀληθινὸς* et nomine suo dignus is est profecto, qui minime est *ἐλευθέριος*, ideoque plane ab hoc loco alienus.

Praeceptorum quae sequuntur summa haec est: vini potionem servis aut nunquam aut raro concedendam: labores, castigationes et alimenta recte et ex cuiusque merito dispensanda, ut melius sit melioribus, neu pari se cum deterioribus conditione haberi videntes et ipsi depraventur, (quod idem a Xenophonte praecipitur Oecon. 13, 10): porro genera servorum eligenda esse, quae ad opus faciendum optima, et neque ignava neque nimis animosa sint: praemium autem omnibus libertatem proponendam, quo libentius serviant, finem fore et mercedem sibi datum iri sperantes: porro contubernia quoque permittenda
16 et liberorum procreationem, quo magis his quasi pignoribus obstringantur: cavendum ne multi eiusdem gentis servi in eadem domo sint, (quod etiam Aristoleles caveri iubet Polit. VII, 9, 9; item Plato Legg. VI p. 777 et Varro R. R. 1, 17 ubi cf. interpp.): denique ferias et festivorum temporum recreationes servorum magis quam liberorum causa comparandas esse. Et huius quidem rei his verbis ratio affertur: *πλείονα γὰρ ἔχουσιν οὗτοι* (sc. *οἱ δοῦλοι*), *οὗπερ ἕνεκα τὰ τοιαῦτα ἐνομίσθη*: quorum Goettlingius hunc sensum esse ait: *πλείονα γὰρ ἔχουσιν οὗτοι τοῦ πάθους, οὗπερ ἕνεκα τὰ τοιαῦτα ἐνομίσθη*, — *πάθος* autem illud nihil aliud esse vult, quam *nimium comissationum amorem*. Mihi vero non dubium est, quin labores a Theophrasto et aerumnae significentur, quorum levandorum causa eiusmodi

festivitates et recreationes institutas esse pervulgata est et sane verissima veterum scriptorum sententia. Vid. Plat. Legg. II, 1 p. 50 c. Astii comm. p. 92. Horat. Ep. II, 1, 140 ibiq. intt. In structura autem horum verborum, quod *οὗπερ ἕνεκα* ait, quum tamen *πλείονα* praecesserit, non est quod offendamur, etiamsi a Philodemo p. 47, 2 *πλέον*, non *πλέονα*, scriptum esse videatur: nam pro certo nihil affirmari potest, quum post *πλέον* statim lacuna sit. Est enim haec non inusitata brevitas dicendi, ut relativum pronomen accommodetur non ipsi, quod praecessit, nomini, sed potius universi generis notioni, cuius hoc nomine pars indicatur, et quod ipsum subaudiendum lectori relinquitur. Itaque hoc loco *πλείονα οὗπερ ἕνεκα* — significat *plura eius generis, propter quod* —; idque genus, ut dixi, labores et aerumnae sunt. Cf. etiam Priscian. XVII, 20, 156 p. 81 Kr. — Ceterum in Philodemi censura horum praeceptorum sunt quidem aliquot satis graves corruptelae: sed has, quoniam probabilis emendatio in praesens non suppetit, praetermittemus.

Pergit deinde Theophrastus ad bonorum (*χρημάτων*) curam, quam contineri dicit his quattuor generibus, ut oeconomus et parare bona, et custodire, et apte disponere, et recte iis uti sciat; quae omnia etiam Xenophon requirit, quamquam alio docendi ordine usus, nec tam diserte singula enumerans et inter se componens. Atque hunc Theophrasto etiam in hac parte obversatum esse, vel ex uno loco probabile fit p. 8, 17, ubi eadem utitur perforati dolii similitudine, quae est apud Xenophontem cap. 7, 40. — Philodemus autem tralaticia haec omnia et pervulgata esse iudicat, nec satis recte inter se composita. Verba eius plurimis lacunis mutilata sunt, quarum nunc eas tantum significabo, de quarum supplementis mihi cum prioribus editoribus non convenit, eaque statim proponam, quae mihi probabiliora esse videntur. *Καὶ μὲν τὸ τέτταρα δεῖν εἶναι τοῦ συνήθως οἰκο*[*νόμου προσαγ*]*ορευομένου π*[*ερὶ τὰ χ*]*ρήματα, τό τε κτητικὸν καὶ τὸ φυλακτικὸν καὶ τὸ κοσμητικὸν καὶ τ*[*ὸ χρηστικόν, οὔτε*] *παρ*[*ὰ τοῖς*] *πολλ*[*οῖς ἀγ*]*νοού*[*μενον, ἀλλὰ*] *καταδ*[*ηλότατ*]*ον* — — — [*ο*]*ὔτ᾽ ὀ*[*ρ*]*θῶς* [*ταῦτ᾽*] *ἔχοντ*[*α*] *σ*[*υγχωρήσο*]*μεν, οὐδὲ κατὰ τὴν τέχνην, τοῦ γε κοσμη-* 17
τικοῦ παρὰ τὸ κτητικὸν καὶ φυλακτικὸν οὐκ ὄντος. Priores editores haec ita restituere conati sunt: *καὶ μὴν τὸ τέτταρα δεῖν εἶναι τοῦ συνήθως οἰκο*[*νόμου εἴδη πορ*]*ευομένου π*[*ρὸς τὰ χ*]*ρήματα, τό τε κτητικὸν κτλ. παρ*[*ὰ*] *πολλ*[*ῶν*] *νοού*[*μενον, οὐ*] *κατὰ δ*[*έον*]. Et *εἴδη* quidem posuerunt propterea, quod a Theophrasto hoc vocabulum

usurpatum est p. 8, 13: *εἴδη δὲ τοῦ οἰκονόμου τέτταρα, ἃ δεῖ ἔχειν περὶ τὰ χρήματα*: quasi necesse fuerit Philodemo, aut factum ab eo in aliis locis, ut ipsa Theophrasti verba repeteret: *πορεύεσθαι πρὸς τὰ χρήματα* autem quem sensum habeat, huic quidem loco convenientem, neque ipsi explicaverunt, neque ego exputare possum. Nostrum autem supplementum, quod totidem habet cum isto altero litteras, ut spatio quidem lacunae non minus certe accomodatum esse appareat, comprobatur quodammodo etiam altero loco p. 46, 17, ubi legimus *τὴν συνήθως νοουμένην οἰκονομίαν*. Minus confido proximo supplemento, *οὔτε παρὰ τοῖς πολλοῖς ἀγνοούμενον ἀλλὰ καταδηλότατον*: aptius tamen credo quam quod a prioribus repositum est. Quae sequuntur in papyro adeo lacunosa sunt, ut tuto suppleri non possint: postrema tantum verba in eum quem proposui modum non improbabiliter restitui posse videbantur, probabilius quidem certe quam a prioribus factum est, qui totum locum, inde a verbis [οὐ] *κατὰ δ*[*έον*], ita continuarunt: *ὃ τὰ π*[*εριτ*]*τὰ τέ*[*μνει*, *τοῦ σχ*]*ολά*[*ζε*]*ιν αὐτο*[*μα*]*θῶς* [*τοῦτ*] *ἔχοντ*[*ο*]*ς*, [*εἶναι νομίζο*]*μεν*, *οὐδὲ κατὰ τὴν τέχνην κτλ.*, quorum nihil ego quidem intelligo. Nostrae lectionis sententia planissima, iisque, quae adduntur statim a Philodemo, convenientissima. Vituperat enim quod *τὸ κοσμητικόν*, h. e. apta dispositio, eodem cum paratione bonorum et custodia loco haberi videatur, quum tamen longe minoris momenti sit et cum iis comparari non possit: si quidem, addit, *τὸ κοσμητικὸν* hoc sensu accipitur, ut sit *recte omnia et suo loco disponere*: *εἴγε τὸ τάττειν ὡς δεῖ καὶ ἔνθα δεῖ τοῦτο λαμβάνεται, καθάπερ ἔοικεν.* Nam hoc etiamsi iucunditatem aliquam et utilitatem quoque habeat, reprehendi tamen Theophrastum debere, qui id *ἀντιδιαιρεῖν ἠξίου τοῖς ἀναγκαιοτάτοις*, h. e. in ista divisione cum ceteris, quae plane necessaria sint, non iucunda solum et utilia, componere voluerit.

Parandorum bonorum praecepta nulla dantur praeter hoc unum, ut certa quadam ratione omnia *κτήματα* descripta sint, pluraque fructuosa quam infructuosa, et opera ita divisa, ne omnis res familiaris in uno periclitetur: *διῃρῆσθαι δὲ δεῖ τῶν κτημάτων ἕκαστον, καὶ πλείω τὰ κάρπιμα εἶναι τῶν ἀκάρπων, καὶ τὰς ἐργασίας οὕτω νενεμῆσθαι, ὅπως μὴ ἅμα κινδυνεύσωσιν ἅπασιν.* Sunt sane haec paullo obscurius dicta: manifestum tamen est agrorum potissimum culturam et rustica opera respici, quorum non unum aliquod genus ita tractandum, ut omnis lucri spes in eo solo sit, sed ita potius opera

describenda, ut, si unum male cesserit, hoc damnum reliquorum fructu sustentari possit. Philodemi de hoc praecepto iudicium apud Goettlingium ita scriptum extat: φιλοχρημάτου δὲ τὸ παραινεῖν τῶν ὑπαρχόντων πλείω τὰ κάρπιμα τῶν ἀκάρπων, εἴ γε τὰ προσοδικὰ καὶ ἀπρόσοδα ταῦτ᾽ ἔλεγεν· (quod fecit haud dubie: sed quam levis haec reprehensio sit, nemo non videt.) εἰ γὰρ τὰ χρήσιμα, καὶ ἄχρηστα κοινῶς· πάν[τα γὰρ] δεῖ χρήσιμα κελεύειν, καὶ μηδὲν ἄχρηστον. Alterius membri, εἰ γὰρ — κοινῶς, hunc sensum Goettlingius esse vult: *sin vero* χρήσιμα *intelligit* τὰ καρπίμα, *inutilia sunt omnino quae dixit*: in quo verborum contextu adverbium *omnino* non potest non pro eo accipi, quod est *plane* vel *utique*; quo sensu κοινῶς non dicitur. Neque vero ἄχρηστα plurali numero recte positum videri potest, quum quod antea dictum est, τὸ παραινεῖν, singularem potius requirat. Equidem non dubito quin ita hic locus scribendus et interpungendus sit: εἰ γὰρ τὰ χρήσιμα καὶ ἄχρηστα, κοινῶς πάν[τα ἔ]δει χρήσιμα κελεύειν καὶ μηδὲν ἄχρηστον, h. e. *nam si* τὰ κάρπιμα *et* τὰ ἄκαρπα *non, ut supra sumptum est, fructuosa et infructuosa, sed simpliciter utilia et inutilia dixit (s. intellegi voluit), debebat potius hoc praecipi, ut omnia in universum utilia essent et nihil inutile.* Quod Goettlingius in interpretando *sin vero* posuit pro eo quod Philodemus dixit εἰ γάρ, etiamsi reprehendere nolo, minus tamen accurate sententiarum connexionem expressit, quae non adversativa sed causalis est. Nimirum alteram verborum κάρπιμα et ἄκαρπα interpretationem, quam priore loco posuit, Philodemus veriorem sibi videri significat eam ob causam, quod si altera illa, quam posteriore loco ponit, accipiatur, Theophrasti praeceptum plane absurdum sit; apparere enim non hoc praecipi debuisse, ut plura sint utilia quam inutilia, sed ut omnia utilia, nihil autem inutile sit. Ceterum quod a me positum est πάν[τα ἔ]δει, etiam ad spatium lacunae melius convenit, quam Goettlingii πάν[τα γὰρ] δεῖ: nam quum Neapolitani editores πάν[τες] δεῖ scripserint, trium, non quinque litterarum spatium vacuum invenisse videntur. 18

Reliqua Theophrasti praecepta ad custodiam bonorum et inspectionem pertinent, in quibus simul etiam aptae dispositionis mentionem facit; de recto usu autem dicere plane praetermisit. In custodia τοῖς τε Περσικοῖς, ait, συμφέρει χρῆσθαι καὶ τοῖς Λακωνικοῖς. Persica quae dicat mox ipse exponit: Περσικὰ δὲ ἦν τὸ πάντα ἐπιτάττειν καὶ πάντ᾽ ἐφορᾶν αὐτόν, quod de rege Persarum Xenophon

commemorat Oecon. c. 4, 6—8. Apud eundem c. 12, 20 illud etiam relatum est, quod Theophrastus paullo infra laudat p. 9, 4, Persae cuiusdam dictum, qui interrogatus, *τί μάλιστα ἵππον πιαίνει, ὁ τοῦ δεσπότου ὀφθαλμός*, respondit: cuius plura similia apud alios extant.
19 Vid. Burmann. et Schwab. ad Phaedr. II fab. 9, 28. Gesner. ad Cat. R. R. 4, 2. *Τὰ Λακωνικὰ* autem quid sint obscurius est. Nam quod Goettlingius affert Catonis praeceptum R. R. c. 2, 7, *patrem familias vendacem, non emacem esse oportere*, itemque aliud ex Plinio H. N. XVIII, 5 s. 6, *agro, ut homini, quamvis quaestuosus sit, si tamen et sumptuosus, non multum superesse*, idque sibi ait videri vere Laconicum esse praeceptum: quamvis sit Laconicum — nolo enim nunc contra dicere — tamen nihil profecto ad custodienda bona atque inspicienda, sed ad comparanda potius et augenda pertinere fatebimur. Neque plus proficimus ex iis quae Muellerus, item a Goettlingio citatus, de Laconum oeconomia docet Dor. tom. II p. 204: patres familias agri sui proventum, h. e. fruges et fructus ab Helotibus colonis acceptos, in forum apportare ibique cum aliis rebus necessariis permutare solitos fuisse. Nam ne hoc quidem proprie ad custodiam pertinet, et mox hoc ipsum Theophrastus de Atheniensibus dicit: *ἀποδιδόμενοι ὠνοῦνται*, neque opus est in parvis oeconomiis, (quales scilicet erant fere Atheniensium), *ἡ τοῦ ταμιείου θέσις* h. e. horrei s. conditorii ad asservandos custodiendosque fructus comparati. Manifestum est enim *ἀποδιδόμενον ὠνεῖσθαι* nihil aliud significare posse, quam venditarum rerum pretio statim alias quibus opus sit coemere, id quod nihil magnopere discrepat ab eo more, quem Laconum fuisse Muellerus docuit: et hos quoque probabile est fructus suos non ipsis semper mercibus, sed saepe etiam nummis permutasse, unde post quae vellent compararent. Itaque illum quidem Laconicum morem, quem Theophrastus cum Persico componit, ab hoc, quem ipse Atticum vocat, diversum esse apparet. Atque hunc quidem parvis possessionibus aptum esse quum hoc loco significat, tum etiam paullo infra p. 9, 21 profitetur: *ἐν μὲν οὖν ταῖς μικραῖς κτήσεσιν ὁ Ἀττικὸς τρόπος τῆς διαθέσεως τῶν ἐπικαρπιῶν χρήσιμος*. Nam non aliam hoc loco *διάθεσιν* significari arbitror, quam quae supra indicata est, *ἀποδιδόμενον ὠνεῖσθαι*, ut supersederi possit magnis horreis et operosa quadam custodia et dispositione. Contra in magna et locuplete domo aliud *διαθέσεως* genus esse iubet, *διαμερισθέντων καὶ τῶν πρὸς ἐνιαυτὸν καὶ τῶν κατὰ μῆνα δαπανωμένων*, quod etiam

Xenophon praecipit Oecon. 9, 8. Item utensilia dispescenda, quae eorum quotidie et quae rarius usurpentur, et haec quidem procuratoribus (τοῖς ἐφεστῶσι) demandanda esse, ipsi autem domino identidem omnia inspicienda, ne ignoret quid supersit et quid deficiat: porro aedes et ad rerum custodiam et conservationem et ad hominum commoditatem et salubritatem aptas esse oportere, cellis et conclavibus cuique rerum hominumque generi convenientibus instructas, situque ad valetudinem salubri collocatas; quae omnia pariter a Xenophonte praecipiuntur cap. 9, 2 sqq.: denique ianitorem quoque (θυρωρόν) constituendum πρὸς τὴν σωτηρίαν τῶν εἰσφερομένων καὶ ἐκφερομένων, h. e. ne fraudes committantur a familia circa res quae vel reponuntur in aedibus vel expromuntur: quae omnia praecepta ad magnas multo magis quam ad parvas oeconomias spectare et sua sponte apparet et ipse Theophrastus admonet. His deinde statim subiungit: πρὸς εὐχρηστίαν δὲ σκευῶν τὸ Λακωνικὸν (scil. χρήσιμόν ἐστι)· χρὴ γὰρ ἓν ἕκαστον ἐν τῇ αὐτοῦ χώρᾳ κεῖσθαι· οὕτω γὰρ ἂν ἕτοιμον ὂν οὐ ζητοῖτο: quibus gemina sunt quae Ischomachus uxori praecipit apud Xenophontem cap. 8, 2. 3. 20. Manifestum est autem hoc quoque ad copiosas potius et locupletes domos quam ad parvam et angustam rem familiarem pertinere, ad easdem igitur, ad quas etiam Persica administratio pertinuit, cui in superioribus adiunctam vidimus Laconicam (πρὸς δὲ φυλακὴν τοῖς τε Περσικοῖς συμφέρει χρῆσθαι καὶ τοῖς Λακωνικοῖς), oppositam vero Atticam administrationem, parvarum illam domuum, et in quibus vix opus sit ταμιείῳ et accuratiore custodia et dispositione. Et sane Athenis, Theophrasti praesertim aetate, perpaucos vixisse divites et opulentos, plerosque pauperes et in tenui re familiari, nemo dubitabit, non magis quam apud Persas ingentes fuisse multorum divitias. Sed Lacedaemonios pauperes fuisse accepimus et in universum a diligentiore quadam rei familiaris cura legibus et moribus alienos, ut mireris apud hos custodiam et dispositionem rerum magnis copiis accommodatam, quae tanquam notum et illustre exemplum ad imitandum proponi, et cum Persica administratione coniungi potuerit. Huius rei explicandae duas vias esse video: alteram, ut dicamus non privatarum domuum administrationem a Theophrasto respici, sed publicam, quippe quum, ut Schneideri verbis utar, praef. ad Anonymi Oecon. p. XVI, „quaecunque ad civium omnium convictum publicum erant necessaria, ad annuum usum et diurnum promenda, servarentur reposita in horreis et apothecis magnis, quorum custodia erat penes servos, cura et inspe-

ctione dominis relicta"; atque hoc esse illud Laconicum, quod imitandum commendetur: alteram autem viam hanc, ut reputemus antiquos Spartanorum mores ac paupertatem, cum aequabili fere omnium possessionum modo, dudum Theophrasti aetate exolevisse. Quem enim non multis post huius mortem annis statum civitatis fuisse legimus, ut universus Spartanorum numerus non esset supra septingentos, ex quibus centum fere, qui agros possiderent, huius initia dubitari non potest quin longe priora fuerint, et Aristoteles iam sua aetate cives Spartanos haud amplius mille numerat, summamque inter hos bonorum inaequalitatem fuisse testatur. Ponamus itaque horum ducentos, qui agros haberent: magna in his latifundia fuisse necesse est, quum ad ducentos pervenissent, quae olim novem millibus, aut, si hunc numerum non
21 ante occupatam Messeniam factum esse statuimus [12]), quattuor certe millibus et quingentis suffecerant. In tantis igitur copiis diligenti custodia et accurata dispositione opus fuisse nemo mirabitur, et credibile est hac in re Spartanos prae ceteris excelluisse, translata nunc in privatorum oeconomiam ea ratione, quam olim in publica tenuerunt.

Percensuimus quaecunque in hoc libello de administratione domestica praecipiuntur: in quibus quamvis multa sint plane Aristotelia, omnis tamen ista scriptiuncula, sive rerum tractatarum ambitum, sive ipsam tractandi rationem, sive formam et compositionem totius opusculi intuemur, talis nobis esse videtur, qualem ab ipso Aristotele scriptam esse vix credibile sit. Primum enim consentaneum est Aristotelem in oeconomica tradenda eundem doctrinae ambitum complexurum fuisse, qui ab ipso Polit. lib. I cap. 2 descriptus est his verbis: *ἐπεὶ δ᾽ ἐν τοῖς ἐλαχίστοις πρῶτον ἕκαστον ζητητέον, πρῶτα δὲ καὶ ἐλάχιστα μέρη οἰκίας δεσπότης καὶ δοῦλος, καὶ πόσις καὶ ἄλοχος, καὶ πατὴρ καὶ τέκνα, περὶ τριῶν ἂν τούτων σκεπτέον εἴη, τί ἕκαστον καὶ ποῖον δεῖ εἶναι. Ταῦτα δ᾽ ἐστὶ δεσποτικὴ καὶ γαμική (ἀνώνυμον γὰρ ἡ γυναικὸς καὶ ἀνδρὸς σύζευξις), καὶ τρίτον ἡ τεκνοποιητική· καὶ αὕτη γὰρ οὐκ ὠνόμασται ἰδίῳ ὀνόματι.* Tres hic poni videmus oeconomicae partes, de servis, quae *δεσποτική*, de coniugio, quae *γαμική*, de liberis, quae *τεκνοποιητική*, vel aptiore vocabulo *πατρικὴ* dicitur cap. 5 p. 22, 17. His deinceps quarta adiungitur, *ἡ κτητική*. Nam quum multis et variis vitae instrumentis opus sit, quae bona, *κτήματα*, vocantur: de his quoque

---

12) Vid. antiquit. i. p. Gr. p. 116 sq.

vel comparandis vel administrandis et utendis in oeconomica praecipi necesse est. Ex his autem quattuor partibus noster oeconomicus primam quidem et secundam attigit, nonnulla etiam ad quartam pertinentia praecepit; tertiam vero, in qua de liberis eorumque tractatione agendum erat, plane silentio praetermisit: quam quo minus ipsum Aristotelem praetermissurum fuisse credamus, vel illa vetant quae Polit. I, 5 p. 23, 8 profitetur: *φανερὸν τοίνυν ὅτι πλείων ἡ σπουδὴ τῆς οἰκονομίας περὶ τοὺς ἀνθρώπους ἢ περὶ τὴν τῶν ἀψύχων κτῆσιν, καὶ περὶ τὴν ἀρετὴν τούτων ἢ περὶ τῆς κτήσεως, ὃν καλοῦμεν πλοῦτον, καὶ τῶν ἐλευθέρων μᾶλλον ἢ δούλων.* Neque suspicari licet hanc partem aliquo casu interceptam esse: nam ubi verus erat eius tractandae locus, post praecepta coniugalia, nullum est in codicibus lacunae vestigium: neque Philodemum quidquam de liberorum tractatione in hoc libello legisse ex eius silentio manifestum est. Quodsi quis forte opponat praetermissam hanc partem esse eam ob causam, quod de liberorum educatione satis iam in Politicis dictum esset: alia haud dubie est civilis, alia domesticae educationis ratio, neque propterea qui alteram in Politicis tractaverat, alteram in oecono- 22
mica tradenda praetermittere debuit. — Iam vero in iis ipsis rebus, quae noster oeconomicus complexus est, non modo summam ubique exilitatem et plane mirificam brevitatem, sed magnam quoque tractationis inaequalitatem animadvertimus. Nam ubi de viri et mulieris coniunctione loquitur, etiam in causas huius coniunctionis sibi inquirendum putavit, easque positas esse ostendit partim in communi omnium animantium natura, qua impellantur ad sui similium procreationem, partim in propria hominum indole, quae talis sit in utroque sexu, ut alter alterius auxilio ad bene vivendum indigeat, sintque ad alia vitae officia viri, ad alia mulieres natura sua aptiores: et ad subolem quoque procreandam homines non eo solum instinctu moveri, quo cetera animalia, ut naturae serviant generis propagatione, sed etiam mutui auxilii et utilitatis e liberis percipiendae causa. Contra ubi ad servorum tractationem accedit, nihil de servitutis natura et origine, iustane an iniusta, et quanam utrumque conditione, necessaria an supervacanea videri debeat, exponit, sed uno verbo servos *κτημάτων πρῶτον καὶ ἀναγκαιότατον* ait, quod ita simpliciter et absque demonstratione positum non immerito Philodemus reprehendit. Ac si quis hanc quoque disputationem propterea omissam esse dicat, quod in Politicis 1, 2 p. 7—12 accurate pertractata fuerit: etiam illa, quae de viri et mu-

lieris coniunctione legimus, iam alibi tractata erant, et repetuntur tamen nihilo minus in oeconomico, scilicet quia ad rem pertinere visa sunt, quemadmodum non minus certe ad rem pertinuit, ubi de servorum tractatione praecipiendum erat, servitutem ipsam eiusque vim et naturam explicare: quamobrem qui de altero diligenter exposuit, alterum ne verbo quidem tetigit, non poterit non inaequabili quodam et inconstanti docendi genere usus esse videri. — Brevitas autem quum ubivis summa, tum in ea potissimum parte, quae de quattuor oeconomici circa bona virtutibus agit, tanta est, ut pleraque praecepta perobscura, omnis autem hic locus prorsus mancus atque imperfectus dici debeat, praesertim si quis eum comparet cum illis, quae in Politicis lib. 1 cap. 3. 4 multo copiosius et accuratius disseruntur. Nihil enim in hoc libello de κτητικῆς ambitu et a quaestuaria (χρηματιστικῇ) discrimine, quam multi temere oeconomicae partem, et praecipuam quidem, fecisse in Politicis dicuntur: nihil de variis bonorum generibus, praeter ea quae cap. 2 p. 4, 15—5, 2 quasi in transcursu attinguntur, quum multus de his sit Aristoteles in Politicis: nihil denique de recto bonorum usu, quum tamen Aristoteli τὸ χρήσασθαι multo magis ad oeconomiam pertinere visum sit quam τὸ πορίσασθαι, Polit. I, 3 p. 12, 28. Nolo alia enumerare in ceteris partibus, de quibus quum in oeconomica dicendum fuisse et res ipsa et eorum quae in Politicis delibantur
23 tur comparatio doceat, nulla tamen in nostro libello ne verbo quidem tenus mentio fit. Nam vel illa, quae commemoravi, eiusmodi esse arbitror, quae si quis omnia reputaverit, omnemque libelli formam et compositionem consideraverit, facile iis accedat, qui ab Aristotele hunc abiudicandum esse censuerunt. Atque ego quidem, quum primum hunc oeconomicum perlegerem, in eam statim coniecturam incidi, ut discipuli alicuius scriptiunculam mihi legere viderer, qui quae magistrum docentem audiverat pro captu suo summatim in chartam coniecisset, aliis breviter significatis, aliis praetermissis, aliis paullo accuratius repetitis, prout quidque aut percepisset aut meminisset. Et nunc etiam, libello identidem relecto, aut huiusmodi scriptiunculam scholasticam esse credo, aut, si a magistro scriptam, certe nihil aliud quam brevem quendam et subitarium ὑπομνηματισμόν, praecipua rerum capita leviter adumbrantem, de quibus vel in schola vel iusta scriptione accuratius disserendum esset; quales ὑπομνηματισμοὺς quum ab Aristotele tum ab aliis relictos esse constat. Cf. A. Stahr, Aristotelia II p. 243. Utrumcunque autem est, ne ita quidem Aristotelis, sed alterutro

modo Theophrasti hunc libellum esse credo propter Philodemi testimonium, cui maior haud dubie fides haberi debet, quam veteribus illis nescio quibus Aristoteliorum operum collectoribus, iisdem qui etiam alterum istum oeconomicum Aristoteli tribuerunt, quem hodie omnes subditicium esse consentiunt. Quamquam testimonium illud Goettlingius nobis eripere conatur, locumque admodum in papyro mancum et corruptum, pessime autem a Neapolitanis editoribus suppletum, in eam sententiam interpretatur, ut Philodemus dissentiri quidem ab aliis de auctore libri, et a plerisque eum Theophrasto vindicari, sibi tamen ipsi contra videri dicat. Verba Philodemi cum editorum supplementis haec sunt: [Δ]ῆλον δὴ διότι καὶ πρὸς [τὰ πλεῖσ]τα τῶν Θεοφράστου [διαλεγό]μεθα, ταῖς δυνάμε[σιν] ἐκεῖθεν κεκεφαλαι[ω]μέ[νοι, μ]ᾶλλον δὲ καὶ τὰ τῶν ἄλ[λων]· ἅπαντες γὰρ ὡς ὑπὲρ [τούτου] μετηλλεύκασιν, ὁπότε [καὶ] Θεόφραστος ἀποψομέ[νοις αὐτ]οῖς διαλλάττει· quorum Goettlingius praef. p. XIII hanc interpretationem proponit: *Apertum est cur disputandum nobis sit etiam adversus Theophrasti placita, secundum artes philosophicas ad res primarias ea redigentibus, vel potius non Theophrasti sed aliorum. Omnes enim de hoc libro quasi is esset Theophrasti disputarunt, etiam in iis locis, ubi facile intelligere poterant, si comparare res voluissent, Theophrastum ipsum dissentire cum doctrina huius libri.* Deinde addit: „Vides statim ipsum Philodemum dubitare de auctore libri, quem dicit plerosque pro Theophrasti fetu habere, quum appareat longe diversum abire Theophrastum a sententiis illius." Invitus facio ut a viro doctissimo et veri studiosissimo dissentiam; sed istam tamen loci restitutionem atque interpretationem non possum non prorsus improbabilem dicere.
Nolo nunc quaerere, qua ratione permotus *διότι* maluerit *cur* conver- 24
tere, quam pro *ὅτι* accipere, qui usus huius particulae et frequentissimus est apud huius aetatis scriptores et huic loco aptissimus [13]); neque cur *διαλεγόμεθα* potius scripserit, quam id quod in promptu erat, et nunquam non de huiusmodi dissensione usurpari solet, *διαφερόμεθα*; sed *ταῖς δυνάμεσιν* pro iure convertat „*secundum artes philosophicas*", et quasnam has artes esse credat — nisi forte regulas,

13) Fortasse hoc ipsum *διότι* plane non a Philodemo scriptum est, sed locus ita restituendus: *δῆλον δ'ἤδη ὅτι.* — Nam *δ' ἤδη* certe paullo aptius videtur quam *δή*. Sed hoc quum non magnopere ad rem nostram pertineat, non opus est accuratius nunc a me demonstrari.

quibus in referenda summatim sententia alterius utendum sit —, et qua ratione perfectae actionis participium a Philodemo positum credat, si is de relatione nondum a se facta, sed nunc ipsum facienda loqueretur, quum linguae lex aut infectae actionis participium, *κεφαλαιούμενοι*, aut etiam aoristi, *κεφαλαιωσάμενοι* h. e. *ἐὰν κεφαλαιωσώμεθα*, posceret, — qua ratione denique medium genus verbi pro activo usurpatum defendi et explicari possit, plane non intelligo. Neque illud recte fecit, quod *τὰ τῶν ἄλλων* interpretatur *aliorum* placita, quum significentur placita *ceterorum*: aut quod *τῶν ἄλλων* dici potuisse credit, si Philodemus illa placita *alius cuiuspiam* quam Theophrasti dicere voluit, quum dicendum haud dubie fuisset *ἄλλου τινός*: prorsus autem absonum, quod *μεταλλεύειν ὑπέρ τινος* eos dici potuisse opinatur, qui aliquem controversi operis auctorem esse contendant, quum *μεταλλεύειν*, si translate usurpatur, nihil significare possit nisi *abdita scrutari et pervestigare*, et hoc ipso sensu ab eo, quo Philodemus utitur, dicendi genere alienum sit: postremo omnium maxime mirum, quod *ὁπότε καί* non *quandoquidem etiam* e constanti usu loquendi, sed i. q. *καὶ ὁπότε*, hoc ipsum autem i. q. *καὶ ἐν* (*τούτοις, ἐν*) *οἷς* significare voluit, et *ἀποψομένοις* interpretatus est *si comparare res voluissent*, quum neque *ἀφορᾶν* sit *comparare*, (ac ne *inspicere* quidem et *diligenter contemplari*, si quis hoc fortasse pro illo altero maluerit), neque participium futuri dici possit de ea actione, quam quis, quum debuisset facere, praetermisisse arguitur. Itaque falsam esse istam interpretationem, et nequaquam ita demonstrari illud posse, quod Goettlingius voluit, manifestum est. Nobis vero, dum probabilem loci corruptissimi restitutionem et intellectum quaerimus, illud maximopere dolendum est, quod Neapolitanam editionem oculis usurpare non licuit. Ita enim neque de lacunarum spatiis, neque de iis verbis, quae extra lacunas sunt, satis compertum habemus, indubiaene omnia et perspicuae lectionis, an, quod veri similius est, nonnulla eorum, litteris in adusto papyro plus minus evanidis et ad cognoscendum difficilibus, ex coniectura potius editorum quam e certa lectione posita sint. Interim videtur nobis Philodemi oratio in hunc fere modum restitui posse: [δ]ῆλον δ᾽ ἤδη ὅτι (aut etiam δῆλον δὴ διότι) καὶ πρὸς [τὰ πλεῖσ]τα τῶν Θεοφράστου [διαφερό]μεθα, ταῖς δυνάμε[σιν] ἐκεῖθεν κεκεφαλαι[ω]μέ[να, μ]ᾶλλον δὲ καὶ τὰ τῶν ἄλ[λων]· ἅπαντες γὰρ ὥσπερ [οὐδὲν] μετηλλ[άχ]ασιν, ὁπότε καὶ Θεόφραστος ἀπ᾽ [αὐτοῦ]ἐ[ν ὀλίγ]οις διαλλάττει. h. e. *apparet autem nos etiam a plerisque Theo-*

phrasti placitis dissentire, quae, quod ad ipsas sententias attinet, summatim inde (h. e. e Xenophontis oeconomico) *repetita sunt, ac magis etiam a ceterorum* (sc. oeconomicae scriptorum). *Omnes enim quasi nihil immutarunt, quandoquidem etiam Theophrastus ab eo* (h. e. a Xenophonte) *in paucis discrepat. Ταῖς δυνάμεσιν*, si quidem haec lectio certa est, nihil aliud significare poterit, quam quod a me expressum est. Non absimilis vocabuli potestas est apud Sextum Empiricum adv. Mathem. VII, 16, ubi Plato dicitur eorum, qui philosophiam in physicam, ethicam et logicam diviserunt, *δυνάμει ἀρχηγός*, quum *ῥητότατα* Xenocrates, Peripatetici et Stoici hanc divisionem proposuerint. Scilicet quod Plato praeiverat, si quis rem ipsam ac sententiam spectet, id illi disertius verbis eloquuti sunt. Item apud Eusebium Praep. euang. XIV, 18, *Ἀρίστιππος οὐδὲν ἐν τῷ φανερῷ περὶ τέλους διελέξατο, δυνάμει δὲ τῆς εὐδαιμονίας τὴν ὑπόστασιν ἔλεγεν ἐν ἡδοναῖς.* Aristippus quum nihil de fine bonorum apertis verbis doceret, tamen, si quis vim et sententiam eorum, quae docuit, consideret, beatam vitam voluptatibus constare dixit. — *Ἐκεῖθεν* apud Philodemum ad Xenophontis oeconomicum pertinere manifestum est: de hoc enim in superiore periodo dixerat: *οὐδὲν ἔτι δεῖ προσδιατρίβειν τοῖς Ξενοφῶντος οἰκονομικοῖς.* Quam vere autem Theophrasti pleraque, si quis *τὰς δυνάμεις* spectet, e Xenophontis oeconomico summatim translata (*κεκεφαλαιωμένα*) dicantur, vel ex iis quae passim supra a nobis commemorata sunt satis apparet[14]). Idemque etiam a ceteris oeconomicae scriptoribus factum esse non improbabile est: quamobrem hi dici potuerunt *quasi nihil* immutasse. Quod *ὥσπερ* posuimus pro *ὡς ὑπέρ*, violentiam certe mutationis accusari non posse confidimus: et *ὥσπερ οὐδέν*, licet exempla plane gemina, quibus haec ipsa utriusque vocis consociatio probetur, non in promptu sint, potuisse tamen dici nemo facile negabit, qui non raro *ὥσπερ* pro *quasi* vel *propemodum* usurpari meminerit. Cf. Heindorf. ad Plat. Cratyl. § 3. 26
Neque *μετηλλάχασιν* pro *μετηλλεύκασιν* repositum offendere quemquam poterit, quum nihil sit in codicibus litterarum *α* et *ευ*, *χ* et *κ*

---

14) Maximam libelli huius partem e Xenophonte ductam esse animadvertit etiam C. H. Rau, *Ansichten der Volkswirthschaft* (Lips. 1821.) p. 7, ubi hanc de eo sententiam dicit: *Man könnte dies Buch für einen Auszug aus Xenophon, mit Stellen aus der Aristotelischen Politik verbrämt, halten, wozu bloss im sechsten Kapitel etwas Eigenthümliches ohne besonderen Werth gekommen ist.*

permutatione frequentius. Vid. Bast. comment. palaeogr. p. 765 et Schaef. ind. ad Gregor. p. 1042. *Ἀποψομένοις* tam manifesto falsum est, ut etiam audaciori medicinae locus concedendus sit: quamquam omnis mea audacia in eo consistit, ut ab editoribus Neapolitanis evanidas quinque litteras pronominis *αὐτοῦ* pro quattuor hisce *οψομ* falso habitas esse credam. Apte denique nectitur oratio per coniunctionem *ὁπότε*, *quandoquidem*. Nam quod ab ipso Theophrasto factum erat, id ab aliis scriptoribus Theophrasto inferioribus factum esse minus profecto mirandum fuit.

Hactenus de Philodemi testimonio: nunc reliquas Goettlingii rationes examinabimus, quibus confisus Aristoteli potius quam Theophrasto hunc libellum tribuendum esse contendit. Primum enim quae in hoc libello de bonis matrimonii et liberorum procreationis proponuntur p. 5, 17 sqq.: *καὶ ἡ τῶν τέκνων κτῆσις οὐ λειτουργίας ἕνεκεν τῇ φύσει μόνον οὖσα τυγχάνει, ἀλλὰ καὶ ὠφελείας. ἃ μὲν γὰρ ἂν δυνάμενοι εἰς ἀδυνάτους πονήσωσι, πάλιν κομίζονται παρὰ δυναμένων, ἀδυνατοῦντες ἐν τῷ γήρᾳ· ἅμα δὲ καὶ ἡ φύσις ἀναπληροῖ ταύτῃ τῇ περιόδῳ τὸ ἀεὶ εἶναι, ἐπεὶ κατ᾽ ἀριθμὸν οὐ δύναται, ἀλλὰ κατὰ τὸ εἶδος.*, haec prorsus pugnare ait cum iis quae Theophrastum in libro de coniugio scripsisse Hieronymus refert adv. Iovinian. I, 47 p. 315 Maff.: *porro liberorum causa uxorem ducere, ut vel nomen nostrum non intereat, vel habeamus senectutis praesidia et certis utamur heredibus, stolidissimum est. Quid enim ad nos pertinet recedentes e mundo, si nomine nostro alius nominetur: quum et filius non statim patris vocabulum referat, et innumerabiles sint, qui eodem appellentur nomine? Aut quae senectutis auxilia sunt, enutrire domi qui aut prior te forte moriatur, aut perversissimis sit moribus? aut certe quum ad maturam aetatem venerit, tarde ei videaris mori?* Etiam alia eodem libro a Theophrasto disputata esse de matrimonio, quae prorsus abhorreant a doctrina Aristotelis, qui sapienti et amore frui et liberis operam dare et matrimonium inire non permiserit modo sed suaserit etiam: quae omnia secus Theophrastum; cuius rei testem citat Diog. Laert. V, 51. — Atqui hic quidem testis nullus est: nihil enim neque hoc loco neque in omni illa vita Theophrasti relatum legimus, ex quo quid hic de matrimonio statuerit cognoscatur: nisi forte ex eius testamento, cuius ibi exemplum a Diogene affertur, Goettlingius eum nec liberos reliquisse et fortasse etiam coelibem vixisse collegit. Hoc autem quam leve sit non opus est de-

monstrare. Sed ne ex iis quidem, quae ab Hieronymo relata sunt, veram Theophrasti sententiam satis tuto perspici posse arbitror. Posuit enim haec Hieronymus in libro adversus Jovinianum, virum egre- 27
gie cordatum et vanae superstitionis adversarium, qui quum alios perversae cuiusdam religiositatis errores, tum illud praecipue impugnaverat, quod multi opinabantur, gratiorem Deo et pietati convenientiorem coelibatum esse quam matrimonium. Adversus hunc Hieronymus argumenta undecunque corradens etiam illum protulit Theophrasti locum ex aureolo, ut ait, libro de nuptiis, in quo quaeratur, an vir sapiens ducat uxorem. Scilicet dubitari non potest, factum a Theophrasto esse id quod consentaneum erat in tali quaestione, ut et quae pro matrimonio et quae contra disputari possent, omnia congereret: neque ex illis, quae Hieronymus, consilio suo serviens, ex altera huius disputationis parte excerpsit, quae contra matrimonium scripta erat, consequitur, non etiam in diversam sententiam, hoc est pro matrimonio, multa a Theophrasto disputata fuisse, quibus illa aut confutarentur aut circumscriberentur. Quid? quod illa ipsa, quae excerpsit Hieronymus, non de matrimonio in universum, sed de matrimonio sapientis dicta erant, h. e. eius, qui philosophiae et litteris studeret. His igitur studiis Theophrastus matrimonium officere iudicavit: non posse simul libris et uxori operam dari: multos esse magnosque in uxorem et liberos sumptus faciendos, plurimas quotidie molestias exhauriendas, quae aequitatem animi perturbarent et a litteris avocarent: denique plura omnino esse, quae dissuaderent sapientibus matrimonium liberorumque procreationem, quam quae commendarent, et ex iis ipsis, quae commendationis causa afferrentur, plurima in contrariam potius partem converti posse. Sed quid, quaeso, pertinent haec ad maiorem partem hominum? qui istius, quam Theophrastus dixit, sapientiae parum curiosi, naturae potius vocem sensumque communem sequuntur, neque otiosa vita in umbra et inter libros frui, sed omni viri boni ac civis officio naviter fungi volunt. Nam hi sunt, opinor, quibus oeconomiae praecepta dari convenit. An credemus ipsum Hieronymum, quamvis sanctiorem coelibatum matrimonio crederet, si forte ad oeconomicam docendam accessisset, non fuisse tamen matrimonium commendaturum, ut et naturae conveniens et ad rem domesticam recte administrandam plane necessarium? Ita ergo etiam Theophrastus matrimonium, etiamsi sapienti suo dissuaserit, oeconomo certe non potuit non commendare. Et in domestica administratione illum pariter atque Xe-

nophontem et Aristotelem praecipuas partes uxori assignasse vel ex eo colligi potest, quod Stobaeus tit. 85, 7 tom. III p. 175 eum dixisse refert, *οὐ χρὴ τὴν γυναῖκα δεινὴν ἐν τοῖς πολιτικοῖς ἀλλ' ἐν τοῖς οἰκονομικοῖς εἶναι.*

Firmissimum porro causae suae praesidium Goettlingius inde repetit, quod pleraque in hoc oeconomico libello cum Aristotelis placitis adeo conspirent, ut non possint non ad hunc ipsum auctorem referri,
28 et uno etiam loco, qui est cap. 3 in., Aristotelis dictum, Polit. 1, 1 p. 2, 14, citari videatur his verbis: *ὑπόκειται γὰρ ἡμῖν ἐν ἄλλοις.* — Sed satis constat Theophrastum, sicut alios Aristotelis auditores, in iis, quae de iisdem cum magistro argumentis disseruerunt, huius vestigia premere solitos, tantamque multorum ex his cum Aristotele similitudinem fuisse, ut non modo ad illustrandos obscuros, sed etiam ad emendandos corruptos Aristoteliorum librorum locos horum imitatorum scripta adhiberi potuerint. Vid. Brandis in Mus. Rhen. 1 p. 283 et Stahr. Aristotel. II. p. 80—84. Id igitur a Theophrasto etiam in Politicis factum esse, quum per se credibile sit, tum vel ex eo colligas, quod Dionysius Halicarn. A. R. V, 73 *aesymnetas* a Theophrasto *αἱρετοὺς τυράννους* dictos esse refert, plane ut ab Aristotele Polit. III, 9 p. 101, 21 horum principatus *αἱρετὴ τυραννίς* vocatur: ex quo ipse Goettlingius praef. ad Oecon. p. XVI Theophrasti Politica nihil nisi Aristoteliorum epitomam fuisse paullo fortasse calidius coniecit; alii autem hos ipsos quos habemus Aristotelis Politicorum libros non ab hoc sed a Theophrasto scriptos esse opinati sunt. Itaque nemo mirabitur etiam illam de naturali ad similium procreationem instinctu sententiam — quae ne propria quidem Aristotelis fuit — in aliquo Theophrasti libro, sive Politico sive alio, propositam fuisse, eoque pertinere illud *ὑπόκειται ἡμῖν*, sive hoc ipse Theophrastus, sive ex eius scholis aliquis discipulus scripsisse statuitur. Neque magis mira videri potest ceterorum in oeconomico nostro placitorum cum Aristoteliis convenientia. Quod autem Goettlingius, ut aliquid tamen iis quoque concedatur, qui olim, quemadmodum ipse Philodemum dicentem fecit, libellum nostrum Theophrasto vindicare studuerunt, epitomam hanc esse vult ex uberiore Aristotelis libro a Theophrasto confectam: hoc mihi quidem, universam eius indolem et conformationem intuenti, longe minus veri simile videtur, quam id quod supra posui, aut discipuli scriptionem hanc esse e scholis Theophrasti summatim et minus accurate repetitis, aut, si ipsius Theophrasti, nihil nisi subitarium com-

mentariolum iustae rerum tractationi quasi praeludentem. Nam epitomas vere Goettlingius p. XV eo maxime consilio confici solitas esse dicit, ut aut discentibus facilior ad ipsa maiora opera aditus pararetur, aut qui haec legere non possent, aliqua saltem praecipuarum rerum cognitione instruerentur, cui consilio libellus tam mancus, tam obscurus, tam tumultuarie scriptus inservire nullo modo potuit. Ut autem inter Aristotelis opera hic libellus reciperetur, factum haud dubie propter magnam cum Aristotelis placitis convenientiam: eaque ipsa causa, meo iudicio, etiam maiorem Philodemi testimonio auctoritatem conciliat, qui sane tam Aristotelium libellum Aristoteli tribuere non dubitasset, nisi eum ad Theophrastum potius pertinere compertum habuisset.

Reliquum est, ut, quemadmodum pollicitus sum, etiam de ipsius 29
Philodemi praeceptis oeconomicis pauca delibem. Is igitur primum p. 49, 13 de ambitu huius disciplinae non convenire sibi cum Aristotele et Theophrasto ostendit: neque enim hoc sibi propositum habere, ut doceat, qua ratione domestica vita instituenda sit, ut bene in domo vivi possit, sed quomodo agendum sit circa bonorum comparationem et conservationem: eamque esse veram ac propriam oeconomiae notionem. *Διαλεξόμεθα τοίνυν*, inquit, *οὐχ ὡς ἐν οἴκῳ καλῶς ἔστιν βιοῦν, ἀλλ᾽ ὡς ἵστασθαι δεῖ περὶ χρημάτων κτήσεως τε καὶ φυλακῆς, περὶ ἃ τὴν οἰκονομίαν καὶ τὸν οἰκονομικὸν ἰδίως νοεῖσθαι συμβέβηκεν*: quemadmodum etiam in superioribus, p. 41, 6, oeconomiae opus hoc esse dixit, *τὸ πορίζειν πολλὰ χρήματα καὶ φυλάττειν, πῶς* (scr. *ὅπως*) *διαμενεῖ τὰ πορισθέντα καὶ προϋπάρχοντα.* Neque aliter vulgo ab hominibus oeconomiae notionem acceptam esse vel ex eo patet, quod ipse Aristoteles, ubi ex vulgari consuetudine, non e sua sententia loquitur, Ethic. Nicom. 1, 1 *τέλος οἰκονομίας πλοῦτον* dicit, et Polit. I, 2 p. 5, 27 oeconomiam nonnullis eandem quam *χρηματιστικήν* videri profitetur. Et Xenophontem quoque, si quis eius librum accuratius examinaverit, non abhorrere ab vulgari usu animadvertet. Quamquam enim initio cap. 1, 2 boni oeconomi hoc esse dicit, *εὖ οἰκεῖν τὸν ἑαυτοῦ οἶκον*, quod sane latius patet, mox tamen §. 8 *οἶκον* idem quod *κτῆσιν* esse statuit; et quaecunque deinceps de oeconomi officiis praecipiuntur, in ea tantum parte versantur, quam *κτητικήν* Aristoteles dixit, et ad bona vel comparanda, vel tuenda, conservanda, disponenda pertinent. Ampliorem autem oeconomiae ambitum et honestius officium Plato assignavit. Artem enim esse voluit domus

ac familiae recte regendae, neque quidquam esse inter *οἰκονομικὸν* et *βασιλικὸν* aut *πολιτικὸν* discriminis, nisi quod in maiore quodam hominum ac rerum orbe horum quam illius administratio versetur. Vid. Polit. p. 259 A. B. Amat. p. 138 C. Hinc etiam Legg. III. p. 694 C. Cyrus propterea, quod liberorum suorum educationem neglexerit eosque mulieribus permiserit, *oeconomiam* parum curasse dicitur, *οἰκονομίᾳ οὐδὲν τὸν νοῦν προσεσχηκέναι:* ex quo apparet, Platoni non minus quam Aristoteli ad oeconomiam pertinere visum esse id omne genus officiorum, quod ab hoc *τεκνοποιητικῆς* s. *πατρικῆς* nomine comprehenditur, Polit. 1, 2 p. 5, 25 et c. 5 p. 22, 17. Itaque de ambitu quidem oeconomiae hi inter se consentiunt, licet de discrimine eius et politicae non immerito dissentiat a Platone Aristoteles. Cf. supr. p. 7. Neque posteriores ex Academia et Lyceo philosophos, si quid de oeconomica disseruerunt, alios disciplinae terminos fecisse consentaneum est; quamquam de horum nullo, praeterquam de Theophrasto, aliquid ad notitiam nostram perduravit: et recentiores quoque illos, qui se Pythagoreos haberi voluerunt, eundem oeconomicae ambitum tenuisse fragmenta a Stobaeo tit. 85 servata demonstrant. Aliter autem statuerunt non solum Epicurei, quorum sententiam modo e Philodemo cognovimus, sed etiam Stoici (vid. Stobae. Eclog. II, 7 part. II p. 188 Heer.), qui quum oeconomicam definirent *θεωρητικὴν ἕξιν καὶ πρακτικὴν τῶν οἴκῳ συμφερόντων*, *οἶκον* tamen non alio sensu accepisse videntur, quam quo a Xenophonte accipitur, ut sit i. q. *κτῆσις*: nam *οἰκονομίαν* dixerunt esse *διάταξιν περὶ ἀναλωμάτων καὶ ἔργων, καὶ κτήσεως ἐπιμέλειαν καὶ τῶν κατ' ἀγρὸν ἐργαζομένων*[15]): quippe hunc unum quaestum, qui ex agri cultura percipitur, praeter ceteros probandum rati, quemadmodum fere etiam a Xenophonte et Aristotele factum est. Et sicut Aristoteles a *κτητικῇ*, quae est quarta oeconomiae pars, constatque in quaestu laudabili et necessario, seiungit eorum quaestum, qui nihil nisi pecuniam quovis modo et supra neces-

---

15) Hoc loco aliquis uti possit ad excusandum hodiernum nominis abusum, quum oeconomia dicitur quasi proprie de rei rusticae tractatione, quod merito Baumstarckius noster improbat in libro egregio, *Kameralistische Encyclopaedie* (Heidelb. 1835.), p. 58. Idem vir doctissimus et, quod equidem longe pluris facio, integerrimus eam quam Plato et Aristoteles dixerunt oeconomiam, h. e. universam administrationem domesticam, ab hac, quam ceteri dicunt, rei familiaris et bonorum administratione aptissimis nominibus distinguit, alteram *Haushaltung* appellans, alteram *Wirthschaft*.

sitatem coacervare student, quales sunt mercatores aliique id genus homines, quorum ars *χρηματιστική* est, nihilque ad oeconomiam pertinet: eodem modo etiam Stoici hanc *χρηματιστικὴν* ab oeconomia seiunxerunt, dixeruntque *ἐμπειρίαν περιποιήσεως χρημάτων ἀφειδῶς, καὶ ἕξιν ὁμολογουμένως ἀναστρέφεσθαι ποιοῦσαν ἐν συναγωγῇ χρημάτων, καὶ τηρήσει καὶ ἀναλώσει πρὸς εὐπορίαν.* Epicurei quoque, licet divitiarum studium haudquaquam a sapiente alienum iudicarent, neque possessionis modum sola necessitate finirent, certa tamen quaestus genera non minus quam ceteri improbarunt, et Philodemus tria tantum sapiente digna esse pronuntiat, de quibus mox dicendum erit. Sed de divitiarum studio et hinc definiendo oeconomicae doctrinae consilio Philodemi locus pravo editorum supplemento in alienam sententiam detortus est, p. 49, 20: *φιλοσόφῳ δ' ἐστὶ πλούτου μ[ικρ]όν, ὃ παρεδώκαμεν [εὐκαίρ]ως τοῖς καθηγε[μόσιν] ἐν τοῖς περὶ π[λοῦ]του [λόγ]οις· ὥστε τὴν οἰκο[νομία]ν τῆς τε τούτου κτήσεως καὶ τῆς τούτου φυλακῆς παραδίδοσθαι.* Prima verba si forte hoc significare editores crediderunt, sapienti parvas opes sufficere, et linguae vim intulerunt, et mentem Philodemi se non assequutos esse ostendunt, cuius proxima omnis disputatio in eo occupatur, ut divitias optabiles esse doceat. Sin vero eam sententiam esse voluerunt, quam quidem lingua solam admittit, ut philosopho exiguae opes esse dicantur, hanc res ipsa falsam esse demonstrat: nam non paucos philosophos perdivites omni tempore fuisse quis nescit? Scribendum est: 31
φιλοσόφῳ δ' ἐστὶ πλούτου μ[εκητέ]ον: atque ita demum etiam illud consectarium, *ὥστε τὴν οἰκο[νομία]ν κτλ.*, recte adiunctum esse apparet. Intermedia vero enuntiatio in hunc modum restituenda videtur: *ὃ παρεδώκαμεν [ἀκολούθ]ως τοῖς καθηγε[μόσιν] ἐν τοῖς περὶ πλούτου λόγοις: quod proposuimus consentanee cum magistris in iis quae de divitiis disputarunt,* aut etiam *disputavimus.* Nam hoc quidem non satis discerni potest, utrum suam de divitiis disputationem significet, an aliorum, ex veteribus sectae suae principibus, quos *καθηγεμόνας* dicit, velut Metrodori, cuius librum *περὶ πλούτου* et Diogenes L. commemorat X, 24 tom. II p. 461, et mox ipse Philodemus citat. vers. 24. Quodsi hoc sumimus, quod sane probabilius est, illud *ὃ παρεδώκαμεν* pertinere dicemus ad superiorem aliquem locum huius ipsius operis de virtutibus et vitiis. Neapolitanum supplementum *εὐκαίρως* pro *ἀκολούθως* non est verendum ne quis praeferre velit: neque quod Goettlingius scripsit, *ὃ παρεδώκαμεν [πάντα καθ]ὼς τοῖς καθηγε[μόσι δο-*

κεῖ], quidquam probabilitatis habet, quum nec tantum sit lacunae spatium inter καθηγε — et ἐν τοῖς περὶ πλούτου, ut verbum δοκεῖ excidisse videri possit, et mirifica prorsus ratione illud πάντα positum, quum praecesserit ὃ παρεδώκαμεν, non ἃ παρεδώκαμεν. — Metrodorum autem Philodemus disputasse ait contra eos, quibus Cynicorum vivendi genus facillimum et maxime curis vacuum videretur: πρὸς τοὺς ἐροῦντας ἴσως, ὅτι πολὺ κουφοτάτην καὶ ῥᾴστην οἱ κυνικοὶ διαγωγὴν ποιοῦνται, πᾶν αὐτῶν περι[αιροῦν]τες εἰς τὸ δυνατόν. Ita enim apparet scribendum esse pro eo quod editores posuerunt, πᾶν αὐτῶν περι[φέρον]τες. Cf. p. 55, 12: εἰ περιήρηκέ τις ἑαυτοῦ τὸ πρὸς μηδὲν ἄλογον κακοπαθεῖν. et p. 61, 1: ἂν ζῆλον ἀζήλων καὶ φόβον ἀφόβων περιαιρῇ τις αὐτοῦ.

Sequitur deinceps locus de divitiarum commodis et incommodis, illaque his longe plura et maiora esse demonstratur, ex quo conficitur, divitias sapienti nequaquam contemnendas esse. Sed hunc locum, quoniam longior est, itemque proximum, de recto sapientis erga divitias habitu, nunc quidem praetermittemus, eaque statim percensebimus, quae de optima ratione opum parandarum proponuntur p. 59, 6: Ἡμεῖς δὲ λέγωμεν ἀκολουθοῦντε[ς δεῖν] μὲν [ν]ο[μίζεσ]θαι πορισμὸν ἀ[ρείω]ν εἶναι τὸν δορίκτητον, κα[ὶ χρῆσ]ιν, οἵαν ἐποιήσατο [Γε]λλίας ὁ Σικελιώτης καὶ Σκόπας ὁ Θετταλὸς καὶ Κίμων καὶ Νικίας οἱ Ἀθηναῖοι, δοξοκόπων ἀνθρώπων εἶναι, κατὰ σοφίαν [δ'] οὐδετέραν, ὡς κἂν [αὐ]τοὶ μαρτυρήσαιεν οἱ βίοι τῶν τὰ τοιαῦτα γραφόντων. Horum primam partem non recte ab editoribus expletam esse quilibet, opinor, animadvertit. Primum enim illud ἀκολουθοῦντες quid significet quove pertineat non potest intelligi. Quodsi hoc pro eo dictum esse crediderunt, quod est ἐφεξῆς, errarunt haud dubie magnopere; neque omnino potest ἀκολουθεῖν aliter usurpari, nisi
32 ut aut adiunctus sit dativus eius rei, quam quis sequitur, aut adsit certe in propinquo, unde adsciscatur: cuiusmodi nihil est in omni hoc verborum contextu. Deinde ἀρείων, quo vocabulo bellicosos homines significari voluerunt, poetarum est, et a Philodemi oratione prorsus alienum; ipsa autem sententia „*nos dicamus quaestum bellicum bellicosorum hominum iudicari debere*“ sane quam putida. Melius igitur locum supplebimus in hunc modum: ἡμεῖς δὲ λέγωμεν ἀκολουθοῦντε[ς οἷς ἔφα]μεν ο[ὐ φαίνεσ]θαι πορισμὸν ἀ[γαθὸ]ν εἶναι τὸν δορίκτητον. *Nos dicamus, convenienter iis quae proposuimus, non bonum videri quaestum bellicum.* In reliquis Goettlingius rem bene admini-

stravit, verissimeque pro *Callia*, quem Neapolitani adsciverant, *Gelliam* reposuit, laudatis Diodor. XIII, 83. Athen. I, 5 p. 4. Valer. Max. IV, 8, ext. 2, ex quibus locis cognoscimus hominem, ut Valerii verbis utar, opibus excellentem, sed multo etiam animo quam divitiis locupletiorem, semperque in eroganda potius quam in contrahenda pecunia occupatum, adeo ut domus eius quasi quaedam munificentiae officina crederetur. Cimonis liberalitatem Plutarchus commemorat vit. Cim. c. 10 et Corn. Nep. c. 4; neque Niciae aut Scopae divitiae et magnificentia obscurae sunt [16]). Adversativam particulam post *κατὰ σοφίαν* editiones non habent, videlicet aut deletam in papyro aut describentium errore praetermissam: nam carere ea oratio non posse videtur. *Οὐδετέραν* ad *κτῆσιν* et *χρῆσιν* pertinere apparet. De postremae partis sententia in Goettlingii explicatione acquiesco, Theophrastum praecipue eiusque *βίους* s. libros *περὶ βίων* respici credentis, quum praesertim ab hoc eiusmodi liberalitatem, quali Cimon aliique usi sunt, in libro de divitiis laudatum esse Cicero testetur, de Offic. II, 16.

Percensentur porro a Philodemo alia quaestus genera, quae non sint probanda: *γελοιότατον δὲ καὶ τὸ πορίζειν ἀφ' ἱππικῆς καλὸν οἴεσθαι.* Scilicet huiusmodi quaestum, a Xenophonte oecon. 3, 8 obiter commemoratum, alii fortasse post hunc magis etiam commendaverant. Proxima verba corrupta sunt: *τὸ διὰ πο — — ικῆς, δούλων ἐρ[γα]ζομένων, οὐκ [ε]ὔκληρον· τὸ δ' ἐξ ἀμφοτέρων, αὐτὸν ἐνεργοῦντα, μανικόν.* Iavaronii supplementum *ποριστικῆς* merito Goettlingius respuit; ipse *πωλητικῆς* proposuit, aliquanto certe probabilius. Sed offendit me tamen nonnihil asyndeton, quod mihi perincommodum et a Philodemi usu, quantum quidem ex his fragmentis cognosci potest, alienum esse videtur. Hanc ob causam non *τὸ διὰ πο* —, sed *τὸ δὲ* 33
ἀπὸ legendum esse arbitror; de nomine autem supplendo quominus tuto coniici possit, obstat corruptela in praedicato *οὐκ-υκληρον*. Priores editores, quum *εὔκληρον* scriberent, hoc quid significare vellent non docuerunt, nisi forte Goettlingii sententiam ex appositis ab eo Catonis verbis colligere licet, de R. R. cap. 1: *est interdum praestare*

16) De Nicia cf. Plutarch. in ei. vit. c. 3 et 11, et comp. Nic. c. Crass. c. 1. Scopae ut divitis et magnifici non raro mentio fit: sed incertum plerumque, utrum antiquior intelligendus sit, Simonidis aequalis, an minor, qui circ. 400 a Chr. vixit. Cf. Perizon. ad Ael. V. H. XII, 1 p. 111 ed. Kühn. Spald. ad Quintil. XI, 2, 15. Boeckh. ad Pind. Pyth. expl. p. 344.

mercaturis rem quaerere, ni tam periculosum siet; et paullo post: *mercatorem autem strenuum studiosumque rei quaerendae existimo; verum, ut supra dixi, periculosum et calamitosum.* Crediditne igitur talem quandam sententiam etiam in verbis *οὐκ εὔκληρον* inesse? Mihi quidem non alia huius adiectivi significatio comperta est, nisi ut sit i. q. *fortunatus, prospera fortuna florens:* mercaturam autem, eamque per servos factitatam, cur improbandam Philodemus hoc potissimum nomine iudicaverit, quod infortunata esset, plane non perspicio, quum ab inhonestate potius eius vituperatio repetenda fuisse videatur. Ab hac enim si recesseris, quid in hoc est infortunati, si quis aut tabernario et cauponario servorum suorum quaestu, aut mercaturis eorum et negotiationibus alatur? Beatorum potius hominum et locupletium hoc esse dixeris, ex quibus non paucos olim talem quaestum per servos exercuisse constat. Vid. Demosth. pro Phorm. p. 957 et librum nost. de ord. iudic. Att. p. 559. Itaque si teneamus *πωλητικήν*, equidem pro *οὐκ εὔκληρον* scribendum suaserim *οὐκ εὔσχημον*: nam mercatura, etiam per servos factitata, quin Epicureis sicut ceteris philosophis omnibus parum honesta visa sit, nemo dubitabit. Et fieri facile potuit, ut litterae *σχ* et *μ* in semiusto papyro delitescentes cum *κλ* et *ρ* permutarentur. Ceterum quum ipsum illud *πωλητικῆς* prorsus incertum sit, etiam hanc emendationem incertissimam esse non opus est monere. Fuit enim fortasse a Philodemo longe aliud quaestus genus commemoratum, cui aliud etiam praedicatum conveniret; sed illud quale fuerit, in tam infinita coniectandi materia, aliis quaerendum relinquere malo. — Sequuntur deinceps haece: *ταλαίπωρον δὲ καὶ τὸ γεωργοῦντ᾽ αὐτὸν οὕτως ὥστε αὐτουργεῖν· τὸ δ᾽ ἄλλων ἔχοντα γῆν, κατὰ σπουδαῖον.* quorum haec postrema absurda sunt. Sed hanc absurditatem iam Goettlingius animadvertit, scribendumque intellexit: *τὸ δὲ δι᾽ ἄλλων* (scil. *γεωργοῦντα πορίζειν*), *ἔχοντα γῆν, κατὰ σπουδαῖον: ex agricultura per alios quaestum facere, si quis fundum possideat, sapientem decet.* Afferuntur deinde rationes huius sententiae: quod paucissimas habeat talis vita cum extraneis implicationes (*ἐπιπλοκάς*), unde multae saepe molestiae enascantur, iucundissimae autem oblectationis et secessus atque conversationis cum amicis facultatem praebeat, lucrum denique proborum virorum iudicio honestissimum: *παρὰ τοῖς* [*ἐπιεικέσι*]*ν εὐσχημονεστάτην πρόσοδον.* Hoc enim *ἐπιεικέσιν* malo reponere, quam quod Goettlingius scripsit [*εὐσχήμοσι*]*ν*, quum hoc vo-
34 cabulum eo, quem hic locus postulat, significatu de hominibus usur-

pari non credam. Antea conieceram *παρὰ τοῖς* [σοφοῖς πασῶ]ν *εὐσχημονεστάτην πρόσοδον*, totidem supplementi litteris; verum *omnium honestissimum* hoc lucrum Philodemo non videri ea quae mox sequuntur demonstrant. Proximum locum, quamvis lacunosum, certa propemodum ratione mihi videor supplere posse. In editionibns haec leguntur: *ο*[ἱ γὰρ εὐ]*σχ*[ή]*μον*[ες ο]*ὐδὲ ἀπὸ συνοικίας καὶ δοι . . . . . ν* [*δούλων* ponit Iav.] *ἐμπειρίας ἢ καὶ τέχνας ἐχόντων μηδαμῶ*[ς] *ἀπρεπεῖς*: sententia, si Iavaronium audias, haec: *decentia enim neque a magno comitatu neque a servorum peritia et doctrina pendet.* Prudentius Goettlingius se quid dixerit Philodemus non tuto assequi fatetur, divinasse autem aliquando locum ita restitui posse: *οἱ γὰρ εὐσχήμονες οὐδὲ ἀπὸ συνοικίας, καὶ δρόντων ἐμπειρίας ἢ καὶ τέχνας ἐχόντων, μηδαμῶς ἀπρεπεῖς*, ut significaret: *nam si vel practicam utilitatem spectas, magnopere placet contubernium honestorum virorum propter mutuum commercium experientiae et artium, quibus pollent.* Haec, quoniam ab ipso auctore spreta sunt, a me nunc refutari nihil opus est. Necesse est autem a Philodemo post agri culturam, de qua modo dixit, aliud quaestus genus commemoratum esse, quod et ipsum non inhonestum iudicaret. Ait enim paucis post versibus, *ἀλλὰ ταῦτα μὲν δεύτερα καὶ τρίτα*, ponitque dein eum quaestum, quem praestantissimum habet, et prae quo illos duos, de quibus antea dixerit, agri culturam illudque alterum, quod lacuna subtraxit, secundo tantum et tertio loco censeri vult. Hanc ob causam ita locum suppleo: *ο*[ὐ μὴν ἀ]*σχ*[ή]*μον*[ες ο]*ὐδ' αἱ ἀπὸ συνοικίας καὶ δι' οἰ*[κετῶ]*ν*, *ἐμπειρίας ἢ καὶ τέχνας ἐχόντων μηδαμῶς ἀπρεπεῖς*: *non autem inhonesti sunt ne ii quidem reditus, qui ex elocatis aedibus percipiuntur et a servis peritiam aut artem aliquam habentibus nequaquam turpem.* Servavi accurate lacunarum spatia, et litteras quoque omnes, nisi quod *οὐδ' αἱ* posui pro *οὐδὲ* et *δι' οἱ* pro *δοι* —, lenissima utrumque mutatione. Repetitam post *οὐ μήν* negationem *οὐδὲ* ut comprobem nemo requiret. *Συνοικίας* notum est *insulas* dici seu aedes ampliores, quae pluribus habitandae elocabantur. Harum e locariis proventum in urbibus celebrioribus, velut Athenis, quo magna peregrinorum multitudo confluebat aut inquilini erant frequentes, quibus proprias aedes habere non licebat, satis plerumque magnum fuisse in aperto est. Vid. comm. in Isae. or. de Menecl. her. §. 27 p. 213. Praeponebant autem his aedibus domini ut plurimum servum aliquem aut etiam libertum, qui eas custodiret ac tueretur, locariaque ab inhabitantibus colligeret: isque apud Athenienses

dicebatur *ναυκληρεῖν τὴν συνοικίαν*. Vid. Isae. de Nicostr. her. §. 19 cum comm. p. 333. Et hanc ob causam huic quaestui Philodemus statim adiunxit eum, qui servorum pensionibus constat. Nam qui servos habebant artem aliquam aut opificium callentes, hi eos aut in fabricis (*ἐργαστηρίοις*) sub magistro (*ἡγεμόνι, ἐπιτρόπῳ*) coniunctos, aut etiam singulos separatim opus facere iubebant et de mercede quam meruissent certas ipsis pensiones (*φορὰς* s. *ἀποφοράς*) persolvere. Cf. Antiquitt. i. p. Gr. p. 186 sq. Hunc igitur quaestum e servorum operibus, modo non turpibus, Philodemus sapientem decere pronuntiat. — Iam vero quale genus quaestus primarium ei et honestissimum videatur, non sine voluptate cognoscent quicunque docendis bonis artibus aluntur, ii praesertim, quibus lauta discentium honoraria publici stipendii tenuitatem compensant. *Πρῶτον δέ*, inquit, *καὶ κάλλιστον ἀπὸ λόγων φιλοσόφων ἀνδράσιν δεκτικοῖς μεταδιδόμενον ἀντιμεταλαμβάνειν εὐχαριστό*[τατα, οἷ]*α μετὰ σεβασμοῦ παντελῶς ἐγένετ' Ἐπικούρῳ· λόγων δὲ ἀληθινῶν καὶ ἀφιλονείκων καὶ συλλήβδην εἰπεῖν ἀταράχων·* [ἐπεὶ] *τό γε διὰ σοφιστικῶν καὶ ἀγωνιστικῶν οὐδέν ἐστι βέλτιον τοῦ διὰ δημοκοπικῶν καὶ συκοφαντικῶν*. Lectio totius loci certa, quamobrem lacunas non significavi praeter duas, aliter a me quam a prioribus expletas. Nam Iavoronius *εὐχάριστο*[ν, καθ']*ἅ* scripsit, Goettlingius *εὐχάριστο*[ν]....*ἅ*, sed verius sibi videri ait *ὅσα*. Ego quod reposui lacunae spatio et sententiae pariter accommodatum est. Deinde verius esse *ἐπεί*, quam vel *ὡς*, quod Iavaronio, vel *ὅτι*, quod Goettlingio placuit, nemo facile negabit. Est enim in huiusmodi contextu harum particularum *ἐπεί — γε* usus paene legitimus. Cf. exempla a Schneidero ad Xenoph. Hier. 7, 3 p. 250 et a nobis ad Plut. Ag. 10, 3 p. 128 citata. Ceterum *ἀληθινοὺς λόγους καὶ ἀφιλονείκους* non alios Philodemo videri manifestum est, quam Epicureorum, quos quum *ἀταράχους* dicit, idem haud dubie significat, quod Lucretius quum eos V, 11

fluctibus e tantis vitam tantisque tenebris
in tam tranquillo et tam clara luce locasse

praedicat. Etiam *σεβασμὸς* ille et veneratio magistri prope divina propria fere Epicureorum fuit, quibus exprobrat Plutarchus adv. Colot. c. 17 *τοὺς βρόμους καὶ κροτοθορύβους καὶ σεβάσεις καὶ ἐπιθειάσεις* Epicuri, plane ut hodie Hegelianis nimiam divini sui praeceptoris adorationem ab adversariis exprobrari videmus. *Σοφιστικοὺς* autem *λόγους* et *ἀγωνιστικοὺς* Academicorum potissimum recentiorum et Stoicorum

intelligi debere arbitror, *δημοκοπικοὺς* vero et *συκοφαντικοὺς* rhetorum, ad publicas et forenses actiones discipulos instituentium, a quibus quanto opere Epicurus abhorruerit notum est.

Sequuntur deinceps praecepta conservandae rei familiaris, cuius loci nunc initium saltem, pessime corruptum, quantum fieri potest perpurgare conabor. Est hoc a Neapolitanis ita refictum: *ὧν δ' ἐπιτηδευτέον εἰς πρόσοδον καὶ τήρησιν ταύτης καὶ τῶν προϋπαρχόντων, τὸ μὲν συν*[ετ]*ὸν ἡγητέον ἐν τῇ τῶν ἐπιθυμιῶν εὐσταλείᾳ καὶ τῶν* [φ]*ό*[β]*ων. οὐδὲν γὰρ ἐκχεῖν* [κ]α[ὶ ἀ]*νατρέ*[π]*ειν ἐ*[νδείκνυσ]ι *λαμπρό-* 36
τατ[ον, οὐδὲ] *οὐσ*[ία, οὐδὲ πολλά]*κις πολυτέλ*[εια τῆς] *δι*[αί]*της κα*[ὶ] *λαγν*[εία, οὐδὲ πε]*ριβλέψε*[ια] *κα*[τὰ δι]*ακόσμους καὶ τὰ τούτοις ὁμοιότροπα*: sententiamque secundae periodi Iavarenius hanc esse credidit: *qui pecuniam non profundat neque in pravum usum invertat, eum adprime splendidum esse: non enim luxuriosam vitam et intemperantem, nec magnificos vasorum apparatus reddere hominem illustrem.* His refellendis supersederi posse arbitror. In popularis autem nostri editione locus ita scriptus est: *ὧν δ' ἐπιτηδευτέον εἰς πρόσοδον καὶ τήρησιν ταύτης καὶ τῶν προϋπαρχόντων, τὸ μὲν συνε*[τ]*ὸν ἡγητέον ἐν τῇ τῶν ἐπιθυμιῶν εὐσταλείᾳ καὶ τῶν ὀ*[ργ]*ῶν· οὐδὲν γὰρ ἐκχεῖν* [κ]α[ὶ ἀ]*νατρέ*[π]*ειν εἰ...... ι λαμπροτατ......... ουσ....... κις* [π]*ολυτέλ*[εια τῆς] *δι*[αί]*της κα*[ὶ] *λαγν*[εία ..... ἡ πε]*ριβλέψε*[ια] *κα....... α.. σμοῖς καὶ τὰ τούτοις ὁμοιότροπα*: intentatis plerisque vulneribus relictis, quod sane melius erat, quam Neapolitanorum temeritatem imitari. Interim tamen, quum quid fere dixerit Philodemus ex iis quae servata sunt satis certo perspici possit, hanc nos loci restitutionem neque ineptam neque temerariam visum iri speramus: *ὧν δ' ἐπιτηδευτέον εἰς πρόσοδον καὶ τήρησιν ταύτης καὶ τῶν προϋπαρχόντων, τὸ μὲν σύν*[ολ]*ον ἡγητέον ἐν τῇ τῶν ἐπιθυμιῶν εὐσταλείᾳ καὶ τῶν* [δ]ο[ξ]*ῶν· οὐδὲν γὰρ ἐκχεῖν* [κ]α[ὶ ἀ]*νατρέ*[π]*ειν εἰ*[κός, ὡς α]*ἱ λαμπρότατ*[αι κακίαι ποι]*οῦσ*[ι πολλά]*κις,* [π]*ολυτέλ*[εια τῆς] *δι*[αί]*της κα*[ὶ] *λαγν*[εία, ἔτι δὲ πε]*ριβλέψε*[ια] *κα*[ὶ τῦφος] *ἄ*[κο]*σμος καὶ τὰ τούτοις ὁμοιότροπα*: *quibus autem studendum est et ad acquirenda bona et ad ea quae adsunt conservanda, horum summam existimare oportet inesse in cupiditatum atque opinionum recto habitu: nihil enim effundere nec perdere convenit, ut vitia maxime insignia saepenumero faciunt, magnificentia victus et lascivia, praetereaque fastus et elatio immodesta, et quae sunt horum similia.* *Τὸ μὲν σύνολον* plane certum esse arbitror, etiamsi in papyro, quantum e Goettlingii editione

cognosci potest, συνε.ον non συν..ον aut συνο.ον esse visum sit: nam quam facile fuerit legentibus in hoc loco, h. e. prope ipsam lacunam, falli, quilibet intelligit. Nec minus certum videtur δοξῶν pro ὀργῶν, quod Goettlingius, aut φόβων, quod Neapolitani posuerunt: qui quidem hoc ipso, quod scripserunt [φ]ό[β]ων, vestigium unius ante ο.ων in papyro litterae deletae indicare videntur, quod indicium Goettlingius neglexit. Quam apte autem coniungantur ἐπιθυμίαι καὶ δόξαι, non opus est monere: neque quidquam hac coniunctione frequentius est. Porro ante singula, quae deinceps nominantur, vitia necesse est cum adiectivo [α]ἱ λαμπρότατ[αι] nomen generale positum fuisse, quale nullum aptius inveniri poterit quam κακίαι. Λαμπρὸς etiam in malam partem dici vel lexica docent, verbumque ποιεῖν, superiorum verborum ἐκχεῖν καὶ ἀνατρέπειν notioni revocandae inserviens, frequentissimi usus est. Cf. ad Isae. p. 372. Krueger ad
37 Dionyn. p. 36. Περιβλέψειαν alibi me legere non memini: videtur tamen hoc vocabulum certum esse, et apte dici de iis, qui se conspici ab hominibus et admirabiles videri volunt; quamobrem ad explendam proximam lacunam cognatum vitium τύφον advocavi, cui deinceps accommodandum fuit adiectivum ἄ[κο]σμος, deleta litterula ι, quam Goettlingius habet in α..μοις, aut υ, quae in Neapolitanorum supplemento [δι]α[κό]σμους comparet. Neutram liquido in papyro lectam esse coniicio, sed aliquem fortuitum ductum legentes fefellisse. Ceterum quo melius universa Philodemi sententia perspiciatur, adscribam etiam quae porro ab eo vitia enumerantur, quorum omnium lectio plane certa est: *καὶ πάλιν ἐκστατικὴ φρίκη θεῶν καὶ θανάτου καὶ ἀλγηδόνων καὶ τῶν ταύτας παρασκευάζειν δοξαζομένων, ὥστε, ἂν ζῆλον ἀζήλων καὶ φόβον ἀφόβων ἐφ' ὃν* (scr. *ὅσον*) *ἐνδέχεται περιαιρῇ τις αὐτοῦ, καὶ ποριστικὸς ἔσται καὶ φυλακτικὸς ὡς προσήκει.*

Finem faciam, si unum adhuc de parsimonia praeceptum proposuero, quod etiam ipsius Philodemi postremum est. *Φίλων μὲν τοίνυν ὑπαρχόντων, φειστέον μᾶλλον, ἵν'* [εὐπορῶσι]ν *καὶ τελευτήσαντος* [φίλ]ο[υ], *κα*[ὶ] *οἷα τ*[έ]*κνα θετέον· οὐχ* [ὑ]*παρχόντων δέ, καὶ τῆ*[ς ἀ]*κ*[ρ]*ιβεστέρας οἰκονομίας* [ἀμ]ε[λητέ]*ον, οὐχ ὅτι τ*[ῆ]*ς φειδοῦς*: *qui amicos habet, hunc magis parcum esse convenit, ut supersit illis aliquid etiam mortuo amico, suntque hi quasi pro liberis adoptandi; qui autem nullos habet, hunc etiam diligentiore rei familiaris cura supersedere decet, non modo (s. nedum) parsimonia.* Utrum ἔχωσιν, quod in editionibus legitur, an εὐπορῶσιν, quod ego reposui, verius sit, non potest

discerni nisi accuratius cognito lacunae spatio, de quo mihi non satis compertum est. Ceterum ferri etiam ἔχωσι posse non diffiteor. Pro κα[ὶ] Goettlingius κἂ[ν] dedit, non aptius hoc loco, quam quod Neapolitani posuerunt κα[ὶ δὲ]: prorsus autem absonum τῆς ἀκρ. οἰκον. χρηστέον, quod ab his, aut τῆς ἀκρ. οἰκον. μελητέον, quod ab illo scriptum est. Apparet enim Philodemum, postquam dixit qua conditione parsimonia concessa sit, nunc in opposito membro non potuisse nisi de iis dicere, quibus abstinere parsimonia conveniat. Pro οὐχ ὑπαρχόντων rectius μὴ ὑπαρχόντων scripsisset; sed discrimen utriusque negationis ab huius aetatis scriptoribus saepe negligi dudum ab aliis observatum est.

Scrib. Gryphiswaldiae Id. Mart. MDCCCXXXIX.

DE DIONYSII THRACIS GRAMMATICA. I.

3 Quod proverbii loco dici solet, Commilitones, habere sua fata etiam libellos, id quum alii aliis modis quotidie verum esse experiantur, tum nos potissimum, qui in antiquarum litterarum tractatione versamur, fatorum quandam vim coecam et iniquam non possumus quin vel admiremur vel doleamus, quoties ex tam ingenti veterum scriptorum numero quid perire siverint fata sua, quid servaverint, nobiscum reputamus. Nam nimio saepius accidisse videmus, ut ea nobis inviderit fatorum iniuria, quorum iacturam nullo modo compensari posse intelligimus, pepercerit contra non paucis, quae si interiissent non facile quisquam desideraret. Id autem vix in ullo scriptorum genere magis evenit, quam in grammaticis: siquidem ex innumerabilibus Alexandrinae ac Pergamenae doctrinae fructibus, plurimorum olim et ingeniosissimorum hominum labore et industria partis, non fere quidquam praeter famam et tenuia specimina ad nostram aetatem duravit, contra Byzantiorum obscurae et ineptae plerumque sedulitatis monumenta non pauca, et plura profecto quam opus erat, servata sunt. Ita horum Technis et Canonibus frui ad satietatem et taedium licet; Aristophanis, Aristarchi, Cratetis nomine et auditione, incerta plerumque et obscura, contentos esse oportet. Neque enim ex hac florentis grammaticae veteris aetate quidquam ad nos pervenit praeter paucos Apollonii Alexandrini et eius filii Herodiani libros, ac ne hos quidem aut integros omnes aut germanos. Nam Epimerismos certe istos, qui Herodiani perhibentur, non huius sed longe recentioris et vilissimi cuiuspiam magistelli praecepta continere neminem esse arbitramur qui dubitet.[1])

---

1) Monuit de his Epimerismis etiam Boeckhius in praeclara dissertatione de

Artem vero ex tam multis, quas ab illis compositas esse accepimus, nullam habemus nisi unius Dionysii, eamque ipsam quum non volumine magis quam rebus exilem, tum ne certae quidem et indubitatae auctoritatis. Sunt enim et fuerunt iam pridem, qui non Dionysium illum veterem, Teris filium, Aristarchi discipulum, a patris stirpe Thracem, ab urbe natali Alexandrinum, a civitate in quam receptus erat Rhodium appellatum[2]), sed alium quempiam hominem obscurum, Byzantiae scholae magistrum, libelli huius auctorem esse censerent. Hanc igitur quaestionem hoc tempore tractandam et si fieri pos-
sit diiudicandam sumpsimus: rem sane leviusculam propter ipsius li- 4
belli indolem, sed quae pertinet tamen aliquo modo ad artis nostrae historiam.

Ac primum quidem ab Dionysio illo Thrace Aristarchi discipulo praeter alia multa grammatici generis scripta etiam παραγγελμάτων librum compositum esse Sexti Empirici testimonio constat: eumque librum non mediocri auctoritate floruisse vel hoc unum demonstrat, quod Sextus ille, duobus amplius saeculis Dionysio recentior, in eo libro, quem contra Grammaticos scripsit, huius potissimum placita sibi excutienda et redarguenda sumpsit, cuius rei non aliam causam probabilem habere potuit, nisi quod haec prae ceteris celebrata et vulgo recepta esse videret. Iam vero non extant solum illa, quae ab Sexto tanquam Dionysii afferuntur, in hoc nostro libello totidem fere verbis omnia, sed universa libri compositio et conformatio ea est, ex qua diuturnae illius et pervulgatae auctoritatis causa certissime cognosci possit. Scilicet quum brevissimo licet compendio omnem tamen elementariae grammaticae ambitum complecteretur, easque vel definitiones vel partitiones proponeret, quibus commode uberior singularum partium explicatio adiungi et tamquam fundamentis quibusdam superstrui posset, essetque praeterea propter ipsam voluminis exiguitatem parvo parabilis, ut facile in omnium manibus esse posset, factum est ut qui elementa grammaticae tradebant, hunc potissimum in scholis usurpare et discentibus explicare solerent. Itaque non adeo mirum videri potest, tot aliis Grammaticorum operibus longe uberioribus hunc tenuissimum

---

critica Pindari tractandi ratione, Comm. Acad. Boruss. Class. hist. et phil. ann. 1822. 23. p. 309.

2) Conf. Suid. tom. I. p. 598. Kust. Strab. XIV, 2. p. 199. Tauchn. Meurs. Rhod. p. 95. 96.

libellum superstitem fuisse, et non modo ad Sexti aetatem perdurasse, sed una cum ipsa disciplina grammatica etiam Byzantium commigrasse, ubi in Theodosiorum et Choeroboscorum non minus quam olim in veterum magistrorum scholis tractaretur. — Quodsi quis hanc ipsam libelli exilitatem et tenuitatem argumenti inferiorem iudicet Alexandrini grammatici eiusque non sane ignobilis persona, is rem haud ex vero aestimare dicendus sit. Nimirum sicut ceterarum artium ita huius nostrae grammaticae elementa, quae nunc quidem plerisque levissima et vix ludimagistrorum studiis et stilo digna videri solent, neque facilia initio erant ad inveniendum, et postquam tandem aliquando magnorum virorum ingeniis inventa erant, non tam cito pervulgari et vilescere poterant, ut non iis vel perficiendis vel ad popularem usum accommodandis et propagandis etiam doctissimorum illa aetate hominum studia collocari cum aliquo laudis et honoris fructu potuerint. Et quanti laboris fuerit fundamenta artis nostrae firma et solida ponere, quamque sero ac paullatim positis fundamentis reliquarum partium exaedificatio successerit, non ignorant historiae litterariae periti et nuper admodum subtiliter et accurate Ioannes Classenus exposuit doctissimo libello de primordiis grammaticae graecae Bonnae ann. 1829 edito. — Quamobrem quum aliena ab Dionysii dignitate huiusmodi libelli confectio videri nequeat, hoc tantum quaerendum est, utrum hoc quod nunc in manibus est opusculum propter res quas contineat et praeceptorum rationem ab hoc an ab alio potius diversae sectae et aetatis scriptore compositum videri debeat. Dubitatum hac de re etiam apud Byzantios fuisse iampridem is, qui primus hanc grammaticam ex apographo Hamburgensi edidit, I. A. Fabricius Bibl. Graec. tom. VI p. 310 Harl. docuit, exceptis locis scholiastarum, quos nuper integros una cum ipsa grammatica Bekkerus publicavit Anecd. Gr. tom. II; nuperrime autem Carolus Goettlingius, vir imprimis doctus et acutus, quum Theodosii Artem ederet (quae tamen non tam ipsa Ars vocari debebat, quam huius nostrae Artis commentarius) in praefatione p. V. VI. pro certo statuit, Byzantium fuisse huius libelli auctorem, si quis fuerit Byzantius veteris illius Dionysii cognominis [3]); magis tamen credibile censuit non unius

3) Scilicet quod Scholiastae isti p. 672 de Dionysio quodam loquuntur *Πηροῦ* vel *Πησοῦ* filio, qui Thrax dictus sit aut a patria, aut propter linguae asperitatem, aut etiam *κατὰ πλάνην*, apparet eos nihil nisi hariolatos, et patris nomen ex *Tere*, qui veteris illius pater fuit, aut ab ipsis aut a scribis corruptum esse.

esse opus, sed compositum a pluribus collegii oecumenici a Constantino Magno in palatio Octogono instituti doctoribus; plures cur statuere maluerit quam unum paucissimarum paginarum compositorem non explicavit. Huic iudicio subscripsit Augustus Matthiae in altera gr. Gr. editione tom. 1 p. 15. Contrariam autem sententiam ante Goettlingium Classenus dixerat, qui l. l. p. 81 „hoc" inquit „certissime pronuntiare audeo, esse libellum illum, quem Dionysii nomine inscriptum habemus, re vera a celebri illo Aristarchi discipulo profectum, quamquam ipsa eius libri scholia gravissimam de ea re dubitationem movent et alium potius Dionysium eius auctorem volunt." Nobis neutra sententia ex omni parte vera videtur, sed mediam quandam viam tenendam arbitramur, ut neque omnia in hoc libello, qualia nunc sunt, a Dionysio scripta, neque contra totum a Byzantio aliquo magistro confectum dicamus. Universa eius forma ac compositio, rerum tractandarum ordo, definitiones pleraeque et distributiones partium orationis cur Dionysio abiudicentur, causam nullam videmus; sed ut in libello eiusmodi scholastico et ad institutionem elementariam per multa saecula adhibito fieri paene necesse fuit, ut mutatae subinde doctrinae adaptaretur, refictas quasdam partes et aliter atque a Dionysio factum erat conceptas a serioribus magistris esse censemus.

Primum Dionysii est definitio grammaticae, licet paullulum haec quoque immutata. Ipsum enim ita finiisse Sextus testatur adv. Mathem. 1, 3, p. 228 ed. Fabr.: *γραμματική ἐστιν ἐμπειρία ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον τῶν παρὰ ποιηταῖς καὶ συγγραφεῦσι λεγομένων.* libellus noster hanc habet definitionem: *γραμματική ἐστιν ἐμπειρία τῶν παρὰ ποιηταῖς τε καὶ συγγραφεῦσιν ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ λεγομένων.* Illam alteram formam veriorem esse non dubitamus, quum identidem a Sexto repetatur, imprimis p. 231, ubi de Ptolemaei Peripatetici reprehensione huius finitionis loquitur: *ἐγκαλεῖ δὲ αὐτῷ καὶ τὸ κατὰ τὸ πλεῖστον ἐμπειρίαν αὐτὴν ἀποφαίνειν.* nam quod h. l. ut et p. 230 *κατὰ τὸ πλεῖστον* scriptum est pro *ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον*, nihil facit ad rem. Reprehendenda autem adversariis Dionysii finitio propterea videbatur, quod istam *ἐμπειρίαν* non simpliciter et absolute dixisset, sed additis verbis *ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον* excepisset quaedam, ad quae grammatici peritia non pertineret. Quae quam iusta sit reprehensio nunc nihil attinet quaerere: permovisse autem posteriores videtur, ut verba illa delerent; quamquam quum postea rursus illa *ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ* participio *λεγομένων* anteponerent,

nihilo tutiorem ab istiusmodi reprensoribus definitionem evasisse apparet.

Item Dionysii est enumeratio partium grammaticae: *μέρη δὲ αὐ-
τῆς εἰσὶν ἕξ· πρῶτον ἀνάγνωσις ἐντριβὴς κατὰ προσῳδίαν,*
6 *δεύτερον ἐξήγησις κατὰ τοὺς ἐνυπάρχοντας ποιητικοὺς τρόπους,
τρίτον γλωσσῶν τε καὶ ἱστοριῶν πρόχειρος ἀπόδοσις, τέταρτον
ἐτυμολογίας εὕρεσις, πέμπτον ἀναλογίας ἐκλογισμός, ἕκτον
κρίσις ποιημάτων,* quae totidem verbis a Sexto 1, 12 p. 268 repeti-
tur, nisi quod is in tertia parte *πρόχειρος* adjectivum omittit et pro
γλωσσῶν habet synonymum vocabulum *λέξεων*.

Quae sequuntur *περὶ ἀναγνώσεως, περὶ τόνου, περὶ στιγμῆς, περὶ ῥαψῳδίας,* licet neque Sexti neque aliorum testimoniis muniri possint, ita tamen cum prioribus illis cohaerent et in universum ita comparata sunt, ut nullam auctoris diversitatem prodant; quae autem §. 7 *στοιχείων* nominis ratio affertur, *στοιχεῖα καλεῖται διὰ τὸ ἔχειν στοῖχόν τινα καὶ τάξιν,* hanc Dionysio vindicat Ammonii Hermiae testimonium, iam a Classeno citatum: *τὸ τοῦ στοιχείου ὄνομα τὴν ἐκφώνησιν σημαίνει διὰ τὸ ἔχειν στοῖχόν τινα καὶ τάξιν, φησὶν ὁ Διονύσιος.* Comm. in Arist. de interp. fol. 10.

In partibus orationis percensendis dubitari non posse videtur, quin Dionysii rationem noster libellus in universum repraesentet. Octo enim orationis partes, easdem quas Dionysius enumerat, ab Aristarcho eius magistro constitutas esse novimus, quum alii illius aetatis grammatici Stoicorum rationem sequuti quinque tantum agnoscerent, participium verbo, articulo pronomen, appellationi adverbium tanquam *ἐπίθετον ῥηματικόν*, praepositionem coniunctioni tanquam *σύνδεσμον προθετικόν* subiicientes, nomen vero proprium et appellationem tanquam diversa seiungentes. Ordinem quoque harum partium, ut primum locum *nomen* obtineat, alterum *verbum*, tertium *participium*, quartum *articulus*, quintum *pronomen*, sextum *praepositio*, septimum *adverbium*, octavum denique *coniunctio*, eundem esse videmus, quem in illa grammaticorum Alexandrinorum schola vulgo receptum fuisse Apollonius docet, rationibus cur ita ordinatae sint subtiliter explicatis, de Constr. 1, 3 p. 10 sqq. Bekk. — Sed hic magnam nobis dubitationem scholiastae obiiciunt, quum p. 672 technicorum nescio quorum testimonium citent, Dionysium Thracem illum veterem *appellationem* a *nomine* seiunxisse, *articulum* cum *pronomine* coniunxisse: *θέλουσιν οὖν τινὲς μὴ εἶναι γνήσιον τοῦ Θρᾳκὸς τὸ παρὸν σύγγραμμα,*

ἐπιχειροῦντες οὕτως, ὅτι οἱ τεχνικοὶ μέμνηνται Διονυσίου τοῦ Θρᾳκὸς καὶ λέγουσιν ὅτι διεχώριζε τὴν προσηγορίαν ἀπὸ τοῦ ὀνόματος καὶ συνῆπτε τὸ ἄρθρον καὶ τὴν ἀντωνυμίαν. — Illud de nomine et appellatione unde acceptum referant, nequeo coniicere: vereor tamen ut aut locupletem auctorem habeant, aut si quem habeant, hunc satis recte intellexerint. Aristarchum certe nomen et appellationem, quae a Stoicis, ut modo diximus, seiungebantur, in unam partem coniunxisse constat [4]), et licet nequaquam Dionysium ita in magistri verba iurasse credamus, ut ab eo dissentire religiosum haberet, — et dissensisse eum ab Aristarcho non semel quum in criticis rebus tum in his technicis etiam scholia Veneta in Iliadem satis demonstrant, [5]) — hac tamen in parte nulla probabilis causa excogitari posse videtur, quae discipulum permoverit, ut verissima illius ratione repudiata Stoicos potius sequeretur. — De pronomine autem et articulo coniunctis
testem habemus exceptione maiorem Apollonium, quem non dubito 7
quin iste quoque scholiastes ante oculos habuerit, quum praesertim etiam aliud quoddam scholium in simili dubitatione, de qua mox dicendum erit, Apollonium citet ἐν τῷ ῥηματικῷ συντάγματι. Hic igitur in libro de pronomine p. 4 B.: καὶ Ἀπολλόδωρος, inquit, ὁ Ἀθηναῖος καὶ ὁ Θρᾲξ Διονύσιος καὶ ἄρθρα δεικτικὰ τὰς ἀντωνυμίας ἐκάλεσαν. Non tamen omne pronominum genus hoc ἄρθρων δεικτικῶν nomine comprehensum esse arbitror, sed ea tantummodo, quorum propria vis in demonstrando est, quae δεικτικαὶ ἀντωνυμίαι Graecis posterioribus, *demonstrativa* Latinis sunt. Est autem omnino haec de pronominibus veterum doctrina parum adhuc explorata. Stoicos omnia, ne personalibus quidem exceptis, ἄρθρα vocasse perhibent [6]); Aristarchum ἀντωνυμίας ab ἄρθροις seiunxisse manifestum videtur ex eius definitione ἀντωνυμιῶν, quas λέξεις dixit κατὰ πρόσωπα συζύγους, teste Apollonio de pron. p. 1. de constr.

---

4) Quintil. Inst. or. 1, 4, 20. *Alii tamen ex idoneis duntaxat auctoribus octo partes sequuti sunt, ut Aristarchus et aetate nostra Palaemon, qui vocabulum sive appellationem nomini subiecerunt tanquam speciem eius.* Plane ita Dionysius p. 634: ἡ γὰρ προσηγορία ὡς εἶδος τῷ ὀνόματι ὑποβέβληται. quamquam haec verba in Fabricii editione desunt.

5) Vid. e. c. Schol. A. ad Iliad. II, 262. XI, 424, XII, 158. XV, 741. XXIV, 110.

6) Vid. locos a Classeno citatos p. 74—76. Definitio tamen ἄρθρου, quae Stoicis a Diogene Laertio tributur, pronomina non comprehendit. Vid. infr.

II. 5 p. 100 Bekk. Hac enim definitione personalia tantum cum reciprocis et possessivis eum comprehendere voluisse arbitror, ut demonstrativa ὅδε, οὗτος, αὐτός, ἐκεῖνος excluderet.[7]) Et noster quoque Dionysius, licet aliam habeat ἀντωνυμίας definitonem, a posterioribus haud dubie magistris insertam, — est autem eadem fere, quam Apollonius habet de pronom. p. 10 A.[8]) — tamen tota illa sectione, qua de ἀντωνυμίαις exponit, ita loquitur, ut de personalibus tantummodo ἐγώ, σύ, ἵ, eorumque derivativis reciprocis et possessivis eum cogitasse appareat; demonstrativorum nullam prorsus neque hoc loco neque alibi mentionem habet, quamobrem etiam enarrator eius Theodosius, cuius aetate haec dudum ab omnibus ἀντωνυμίαις accensebantur, postquam de personalibus et possessivis copiose exposuit, demonstrativorum obiter tantum in fine capitis et tanquam appendicis loco mentionem iniicit his verbis p. 86: *εἰσὶ δὲ καὶ ἀντωνυμίαι τινὲς δεικτικαί, οἷον τὸ ἐκεῖνος καὶ τὸ τοῦτο καὶ τὸ αὕτη, ὁ* [Goettl. *τὸ*] *γὰρ ταῦτα λέγων ἔοικεν ὥσπερ καὶ διὰ τοῦ δακτύλου τὸν περὶ οὗ λέγει δεικνύειν.* Haec igitur sunt illa, quae Dionysius ἄρθροις adnumeravit, neque id sane absurde; addito autem *δεικτικῶν* vocabulo distinxit ab iis, quae nos nunc quoque ἄρθρα vocamus, quae quidem Stoici, ut a demonstrativis aliisque pronominibus secernerent, ἀοριστώδη vocarunt non aliam ob causam, quam quod haec etiam de indefinitis ac incertis personis usurpari viderent, velut quum dicimus *ὁ περιπατῶν κινεῖται*, pro *ὅστις περιπατεῖ, κινεῖται.* Minus autem recte Classenus p. 85 demonstrativa apud Dionysium nominibus adnumerari narrat. Adnumerantur enim non ὅδε, οὗτος, αὐτός, ἐκεῖνος, quae substantivorum loco sunt, sed τοσοῦτος, τηλικοῦτος, τοιοῦτος, quae adiectiva sunt pronominalia quantitatis et qualitatis, vel si malis pronomina adiectiva, qualitatem et quantitatem demonstratione significantia. — Itaque quantum equidem ex his vestigiis intelligere possum, haec quae nos nunc verba uno pronominum genere comprehendere rursusque in suas species distribuere solemus, apud Dionysium fuerunt tribus generibus divisa, ex quibus

---

7) Cf. Priscian. XVII, 1106.

8) Apollonii definitio haec est: *ὁριστέον οὖν τὴν ἀντωνυμίαν ὧδε· λέξιν ἀντ' ὀνόματος προσώπων ὡρισμένων παραστατικήν, διάφορον κατὰ τὴν πτῶσιν καὶ ἀριθμόν, ὅτε καὶ γένους ἐστὶ κατὰ τὴν φωνὴν ἀπαρέμφατος.* In Dionysii libro haec exstat: *ἀντωνυμία ἐστὶ λέξις ἀντὶ ὀνόματος παραλαμβανομένη προσώπων ὡρισμένων δηλωτική.*

ἀντωνυμίας dicebat personalia cum reciprocis et possessivis, demonstrativa autem ὅδε, οὗτος, αὐτός, ἐκεῖνος articulis accensebat, sed 8
δεικτικῶν nomine a ceteris distincta, indefinita [9]) denique et interrogativa non minus quam adiectiva illa pronominalia nominibus subiungebat. Hanc eius rationem etiam hoc, quod nunc in manibus est, compendium repraesentat, nisi quod ἄρθρων definitio eos tantummodo, qui a nobis quoque articuli dicuntur, cum ὑποτακτικοῖς comprehendit [10]), exclusis pronominibus demonstrativis, quae nunc quidem nusquam comparent. Atque hoc ipsum ego pro documento esse arbitror hunc libellum neque a Byzantio aliquo magistro compositum esse: is enim demonstrativa haec pronomina non neglexisset; neque talem, qualis nunc est, a Dionysio illo vetere profectum esse: is enim aliam articuli definitionem proposuisset, qua etiam demonstrativa pronomina comprehenderentur. — Ad haec διασκευάσεως vestigia aliud accedit in verbi definitione. Nam quum Dionysius, teste Apollonio [11]), Stoicos sequutus verbum ita finiret, ut λέξιν diceret κατηγόρημα σημαίνουσαν, in nostro libello haec exstat definitio, paullo ad vulgarem captum accommodatior: ῥῆμά ἐστι λέξις ἄπτωτος, ἐπιδεκτικὴ χρόνων τε καὶ προσώπων καὶ ἀριθμῶν, ἐνέργειαν καὶ πάθος παριστῶσα.

---

9) Indefinitivum et interrogativum τίς etiam Bernhardius pronominum numero eximendum et adiectivis potius accensendum statuit, Syntax. p. 439: miro, ut mihi quidem videtur, iudicio.

10) Definitio haec est, p. 640: ἄρθρον ἐστὶ μέρος λόγου πτωτικόν, προτασσόμενον καὶ ὑποτασσόμενον τῇ κλίσει τῶν ὀνομάτων. melior sane, quam Theodosii, qui p. 82 etiam μονοσύλλαβον addit, quod nihil ad rem facit, neque ex omni parte verum est. Addit praeterea turpem errorem, et vix noviciis recentium linguarum praeceptoribus condonandum, quum articuli hunc usum esse statuit, ut significet τὸ γένος τοῦ ὑποκειμένου ὀνόματος, quem errorem pridem Apollonius refutaverat de constr. 1, 3. p. 23 Bekk. Quos autem Apollonius impugnat, Stoici fuerunt, si fides Diogeni Laertio vit. Zen. c. 39 tom. II p. 125 Huebn. Hi enim ἄρθρον dixerunt στοιχεῖον λόγου πτωτικόν, διορίζον τὰ γένη τῶν ὀνομάτων καὶ τοὺς ἀριθμούς, οἷον ὁ, ἡ, τό, οἱ, αἱ, τά. Apparet autem hanc definitionem non generis esse, sed speciei tantum, hoc est eorum, quae ἄρθρα ἀοριστώδη illi dixerunt. Generis definitionem Diogenes neglexit.

11) Schol. ad Dionys. p. 672: ὅτι δὲ ἄλλος ἐστὶν ἐκεῖνος (scil. Dionysius Aristarchius) καὶ ἄλλος οὗτος (libelli nostri auctor) δηλοῖ καὶ ὁ παρ' ἀμφοτέρων ὁρισμὸς τοῦ ῥήματος· οὗτος μὲν γὰρ τὸ ῥῆμα ὁρίζεται „ῥῆμά ἐστι“ κ. τ. λ. ὁ δὲ Διονύσιος, ὥς φησιν Ἀπολλώνιος ἐν τῷ ῥηματικῷ, οὕτως διωρίζετο· ῥῆμά ἐστι λέξις κατηγόρημα σημαίνουσα.

Haec sunt, in quibus nostrum libellum a germana Dionysii grammatica diversum esse demonstrari potest: in reliquis nihil invenitur quod non liceat ad hunc auctorem referre; neque illa ipsa eiusmodi esse videntur, ut totum opusculum recentioris fabricae esse arguant. Quamobrem tenebimus, opinor, quod supra positum est: esse quidem Dionysii hanc grammaticam, sed nonnullis partibus a posterioribus magistris mutatam et recentiori arti ac disciplinae accommodatam. — Haec igitur hactenus. Restat nunc, quum iam appropinquante feriarum tempore hibernis scholis finem imposituri simus, ut Vos Commilitones, ex hac quotidiana docendi ac discendi consuetudine aliquantisper cum bonis votis dimittamus, simulque Vos exhortemur, ut ad aestivas scholas suo tempore frequentes reversi, eandem, quam adhuc nobis probastis, alacritatem ac discendi cupiditatem afferatis. Valete.

Dab. Gryphiswaldiae Cal. Mart. MDCCCXXXIII.

DE DIONYSII THRACIS GRAMMATICA. II.

Disputavimus aliquot abhinc annis [1]) de Dionysii Thracis arte 3
grammatica, quem libellum, quum viri quidam doctissimi ab illo, cuius nomen praefert, auctore abiudicatum recentiori cuipiam magistro Byzantio tribuissent, vindicavimus quidem veteri illi grammatico Aristarcheo, ita tamen ut simul non omnia, quae nunc in eo libello legimus, ab ipso Dionysio scripta, sed nonnulla a posterioribus magistris profecta esse doceremus; qui quidem, quum uti eo in scholastica institutione solerent, facere profecto non potuerunt, quin, si quid mutatae subinde doctrinae grammaticae non amplius convenire viderent, id ad eam, quam ipsi probabant, rationem mutarent ac refingerent. Nisi quis forte aut tam religiosos hos fuisse credat, ut vererentur integritatem libelli contaminare, ne scilicet alia Dionysium docuisse pueruli existimarent, quam quae vere docuisset, aut tam stulte ambitiosos, ut relictis quae ipsi improbarent, gloriolae apud auditores materiam ex eorum refutatione quaererent, aut denique eadem omnia, quae Dionysius probavit, etiam Byzantiae scholae magistris probata esse contendat: quod longe aliter se habere non ignorant harum litterarum periti, iis autem, qui minus sunt in hoc studiorum genere versati, aliis etiam ac pluribus, quam quae a nobis olim prolata sunt, argumentis demonstrari potest. Sunt tamen horum pleraque ex interiore grammaticae historia repetenda, ut, qui uti iis velit, longa narratione mutataeque per saeculorum decursum doctrinae expositione supersedere non possit, quandoquidem plurimi et gravissimi huius historiae grammaticae loci parum adhuc illustrati sunt, peritumque aliquem et in omnibus veterum grammatico-

1) In prooemio ind. schol. aest. ann. MDCCCXXXIII.

rum libris strenue versatum scriptorem expectant, qualis ut mox hanc provinciam suscipiat, tanto magis optandum est, quanto minus ab eo, qui nuper unam gravissimam operis partem, historiam doctrinae de partibus orationis, sibi persequendam sumpsit, ad pleniorem et accuratiorem harum rerum cognitionem profectum esse videtur. Nos quidem impraesentiarum quominus ad longiores et intricatiores quaestiones descendamus et tempore nobis concesso et huius scriptiunculae angustiis impedimur: quamobrem hoc unum nunc agere decrevimus, quod facillimo negotio et brevissima disputatione confici potest, ut
4 quae olim ex doctrina de pronominibus a nobis allata sunt, de quibus alia Dionysium docuisse diximus, quam quae hodie in illo libello traduntur, contra errores vanasque opiniones a Lerschio nuper oppositas defendamus ac tueamur.

Summa autem disputationis nostrae haec fere fuit. A Dionysio Thrace pronomina cum articulis coniuncta, itaque unam apud eum partem orationis fuisse, quae duae sunt in hoc quod in manibus est libello, non scholiastam solum Byzantium p. 672., sed testem aliquanto locupletiorem et omni exceptione maiorem, Apollonium Alexandrinum docere, cuius haec sunt verba, de pron. p. 4.: *καὶ Ἀπολλόδωρος ὁ Ἀθηναῖος καὶ ὁ Θρᾷξ Διονύσιος καὶ ἄρθρα δεικτικὰ τὰς ἀντωνυμίας ἐκάλεσαν*[2]). Iam quum in nostro libello *ἄρθρα* nulla sint, nisi qui vulgo dicuntur articuli, pronomina autem *ἀντωνυμίαι*, non *ἄρθρα* dicantur, manifestum hinc esse, *ἄρθρων* nomen apud veterem Dionysium latius quam in isto libello patuisse. Neque tamen credibile esse omnia pronomina, etiam personalia ac possessiva, *ἄρθρα* ab eo dicta fuisse, quippe quae iam ab Aristarcho *ἄρθρων* consortio exempta et aptiore *ἀντωνυμιῶν* nomine appellata esse satis constet, cuius rationem cur a discipulo repudiatam credamus, nulla profecto causa est. Videri igitur *ἄρθρα δεικτικά* Dionysio non alia nisi demonstrativa pronomina fuisse, in quae sane etiam ipsum hoc nomen multo aptius quam in personalia et possessiva convenit: *ἀντωνυμίας* autem non omnia, quae posteriores ita dicunt, sed haec sola tantummodo personalia cum possessivis et, si quis haec quoque non omittenda censet, *ἐθνικὰ* illa *ἡμεδαπός ὑμεδαπός*. Id autem eo esse verisimilius,

2) Scholiastae etiam disertius, *οἱ τεχνικοὶ μέμνηνται Διονυσίου τοῦ Θρᾳκὸς καὶ λέγουσιν, ὅτι — συνῆπτε τὸ ἄρθρον καὶ τὴν ἀντωνυμίαν. Ὁ δὲ παρὼν τεχνικὸς τὸ ἄρθρον καὶ τὴν ἀντωνυμίαν δύο μέρη γιγνώσκει.*

quod, etiamsi definitio ἀντωνυμίας in libello nostro eadem fere est, quam quae ab Apollonio proponitur, una cum personalibus eorumque subole etiam demonstrativa pronomina, ea quidem quae substantiva sunt, complectens, tamen in tota illa sectione, §. 22., quae de ἀντωνυμίαις accuratius exponit, personalia tantummodo cum reciprocis et possessivis commemorantur, demonstrativorum autem neque hoc loco neque alibi in toto libello mentio fit et plane nec vola nec vestigium apparet. Hinc igitur haec duo consequi: primum ἀντωνυμίας definitionem eam, quam hodie legimus, non esse ab ipso Dionysio profectam, sed ab aliquo recentiore grammatico insertam, fortasse ex Apollonio, cuius libros quam sedulo illi triverint neminem latet, Dionysium autem aliam posuisse, in personalia tantummodo eaque quae hinc descendunt conceptam: deinde ἄρθρων definitionem apud Dionysium diversam ab hac, quae articulos tantum complectitur, eamque talem fuisse, quae etiam demonstrativa pronomina substantiva comprehenderet.

Videndum nunc est, quae his argumentis a Lerschio obiiciantur. „*Apollonius*," inquit, „*non demonstrativa tantum, sed in universum pronomina a Dionysio ἄρθρα δεικτικὰ appellata esse testatur, ideoque in huius definitione articulorum ut demonstrativa pronomina includerentur non debuit postulari*[3]). Hic ego primum illud *ideoque* qua ratione Lerschius dixerit, quo diutius considero, eo minus intelligere possum. Nam eorum quae antecedunt verborum quum haec haud dubie sit sententia, ut ex Apollonii verbis omnia in universum pronomina, quae quidem huic ἀντωνυμίαι erant, Dionysio ἄρθρα δεικτικά fuisse conficiatur, necesse est, in his etiam demonstrativa fuisse: quod si ita est, propter id ipsum etiam definitio ἄρθρων ea proponi debuit, quae si non omnes species huic generi subiectas diserte commemoraret, quadraret tamen in omnes nullamque excluderet; qualis utrum sit illa, quae hodie extat, an contra nihil nisi articulos, qui vulgo dicuntur, praepositivum et postpositivum comprehendat, Lerschius ipse viderit. An definitiones nimis angustas, a dialecticis reprehensas, grammaticos decere censet? Non opinor: sed dormitasse eum, quum illud suum

3) Ne quis Lerschii verba aut perperam a me accepta aut in alienam sententiam conversa suspicetur, ipsa, ut ab eo scripta sunt, apponam: „*Nun sagt uns aber Apollonius nicht, dass Dionysius die Demonstrativa ἄρθρα δεικτικὰ genannt habe, sondern im Allgemeinen die Pronomina*; *folglich haben wir in seiner Definition der Artikel keinen Einschluss der Demonstrativa zu erwarten.*" Die Sprachphilosophie der Alten II.. p. 97 sq.

ideoque scriberet, non possum quin existimem. Neque vero superiore isto enuntiato quid faciam satis scio. Nam si vere Apollonius omnia in universum pronomina a Dionysio ἄρθρα δεικτικά vocata esse testatur, idque Lerschius ex eius verbis confici censet, nonne intellexit, hoc testimonium quantopere suae ipsius de doctrina Dionysii opinioni adversaretur? Nam ipse quidem personalia pronomina, quemadmodum in nostro libello, ita etiam a Dionysio ab articulis seiuncta, et proprio ἀντωνυμίας nomine appellata, demonstrativa autem, οὗτος, ἐκεῖνος et similia, pariter cum interrogativis, indefinitis, iisque quae adiectiva pronomina qualitatis et quantitatis dicimus, nominibus adiuncta esse credit, ut nullum plane genus pronominum reliquum sit, quod potuerit ἄρθροις accenseri. Et tamen haec omnia in universum Dionysio ἄρθρα fuisse ex Apollonio nobis opposuit! Profecto aut non debebat hunc testem producere[4]), aut quae ipse de personalibus ἀντωνυμίαις ac demonstrativis ὀνόμασι scripserat, una litura tollere. Sed hoc eum non perspexisse quum prorsus incredibile videri debeat, necesse est aliud quippiam ei obversatum esse, quo suam opinionem cum Apollonii testimonio conciliari posse crederet: cuiusmodi nihil equidem invenio, nisi hoc unum, ut statuerit Dionysium ἄρθρων appellationem plane non tanquam propriam unius alicuius et a reliquis discretae partis orationis usurpasse, sed tanquam communem tribus verborum speciebus genere diversis tribuisse, quarum unam in nominibus poneret, alteram proprie ἀντωνυμίαν diceret, tertiae denique, deficiente, ut opinor, commodiore nomine, communem illam ἄρθρων appellationem tanquam propriam daret. Et sane non abhorrere se ab hac sententia, etsi non hoc loco, ubi maxime ad rem pertinebat, ut
6 perspicue quid sentiret eloqueretur, alibi tamen ostendit[5]), quamquam in eo non satis sibi constans, quod ibi incertum esse ait, quodnam genus pronominum Dionysius ἄρθρα dixerit, nunc autem omnia in

4) Mirum est non etiam hic eodem eum confugisse, quo paullo ante, p. 66, contra Goettlingium effugio usus est: *Endlich ist es ia sogar möglich, dass Apollonius in dem Beinamen Θρᾴξ irrte, was bei der Anzahl so vieler Schriftsteller dieses Namens gar kein Wunder wäre.* Videtur nimirum ipse persensisse, eiusmodi errorem in hoc scriptore prorsus incredibilem esse.

5) P. 66: *Sie (Apollodorus und Dionysius) nannten die Pronomina nicht allein ἀντωνυμίαι, sondern auch ἄρθρα δεικτικά, wobei es noch unentschieden bleiben muss, welche Pronomina es waren, die gelegentlich von Beiden einmal ἄρθρα genannt worden. Also ist hier von keiner eigentlichen Definition* (ὁρίζομαι) *die Rede, sondern von einer blossen Bezeichnung* (καλέω).

universum non modo ἄρϑρα sed ἄρϑρα δεικτικὰ ab eo dicta fuisse propter Apollonii testimonium credit. Videbimus igitur primum de demonstrativis. Quibus tandem rationibus permoti haec a Dionysio minus quidem accurate ἄρϑρα δεικτικά nonnunquam vocata, in divisione partium autem, ubi propriam vim et naturam eorum spectaret, nominibus attributa esse credemus? Operae pretium est Lerschium ipsum audire. „*Classenius*“, inquit, „*ita statuit, et recte quidem. Nam profecto* ὅδε, οὗτος, αὐτός, ἐκεῖνος *neque quod ad significationem neque quod ad formam attinet ita sunt ab* ὅστις, τοσοῦτος, τοιοῦτος *diversa, ut excogitari ratio possit, cur Dionysius, quum haecce nominibus attribuerit, non pariter illa quoque eodem traxisse videri debeat.*“ Ad haec pro nobis Apollonius respondebit: primum formarum similitudinem non obstare debere, quominus verba vel simillimae formae diversis tamen partibus orationis annumerentur: *οὐ γὰρ φωναῖς*, inquit, *μεμέρισται τὰ τοῦ λόγου μέρη, ἀλλὰ σημαινομένοις* [6]): deinde significationem illorum verborum haudquaquam ita similem esse, ut coniungi in eadem orationis parte debeant, sed adeo potius diversam, ut diversis etiam partibus attribuenda sint. Nam quis nescit Apollonium aliosque haec quidem, *οὗτος*, *ὅδε*, *αὐτός*, *ἐκεῖνος* pariter nobiscum et cum omnibus, qui quidem noti sint, Graecis grammaticis pronomina dixisse, illa autem, quae nobis et Latinis grammaticis fere omnibus pariter pronomina dicuntur, *ὅστις*, *τοσοῦτος*, *τοιοῦτος*, nominibus annumerasse, quibus haec ipsa, non autem illa superiora, etiam in hac, quam habemus, Dionysii arte attributa videmus. Et rationem quoque, cur ita haec verba dirimenda sint, non uno loco Apollonius disertissime explicat. Scilicet proprium pronominis hoc esse statuit, ut substantiam tantummodo remque certam ac definitam significet [7]), quamobrem quae aut rem incertam et indefinitam, ut *τίς*, *ὅστις*, aut qualitatem vel quantitatem, ut *οἷος*, *τοιοῦτος*, *ὅσος*, *τοσοῦτος*, significent, non pronomina esse sed nomina potius dicenda vel infinita, vel qualitatis et quantitatis [8]). — Fefellit in hoc Apollonium ratio, neque ego me participem huius erroris haberi volo. Nam neque illud verum est, ea, quae Apollonius pronomina dicit, substantias tantummodo significare: (consignificant enim certas quasdam substan-

6) De pron. p. 85 A. Similia, et ad hanc ipsam causam pronominum pertinentia, vid. ap. Priscian. II, 4, 19 et XIII, 6, 29.
7) Vid. de pron. p. 10 A. p. 33 B. p. 39 B.
8) Ib. p. 33 B. p. 37 C.

tiarum relationes vel ad orationem, ut personalia, vel ad intuitionem aut cogitationem loquentium, ut demonstrativa); neque ea, qua illi nomina esse videntur, etiamsi quantitatem aut qualitatem significant, non tamen propterea longe a nominibus diversa sunt, quippe quum
7 haec qualitates aut quantitates ipsas appellando notas faciant, illa autem nihil nisi relationes qualitatum vel quantitatum aut ad intuitionem aut ad cogitationem, pariter ut illa superiora substantiarum, indicent. Itaque et *τίς* et *ὅστις* recte pronomina habentur, quum et substantias significent et earum quandam ad intuitionem aut cogitationem loquentis relationem, hanc scilicet, ut ignotam ei nec satis definita ac certa notione comprehensam substantiam designent; et *τοιοῦτος*, *τοσοῦτος*, *ποιός*, *ποσός*, pronomina sunt, non nomina, quum non nominent qualitatem aut quantitatem, quemadmodum *καλός*, *μέγας*, *τρίπηχυς*, sed tantummodo similem quandam earum relationem indicent. Verum haec ratio quum a veteribus grammaticis non satis plane perspiceretur, factum est, ut diversis utraque pronomina partibus attribuerent, id quod quum vel Apollonium, unum omnium acutissimum, fecisse videamus, ecquis Dionysium fecisse mirabitur, tot aetatibus priorem et aliquanto minus adhuc exculta arte grammatica? — At, obiiciat mihi Lerschius, hoc ipsum ego infitior, Dionysium in eodem atque Apollonium errore versatum esse: errasse eum multo gravius contendo. Nam Apollonius, etiamsi non omnino verum vidit, hoc tamen certe perspexit, *ὅδε*, *οὗτος*, *αὐτός*, *ἐκεῖνος* e nominum consortio eximenda et pronominibus adiungenda esse: Dionysius autem ne hoc quidem intellexit, sed pariter omnia nominibus adiunxit. — Talem sententiam tam parum per se probabilem qui persuadere aliis cupit, argumenta certe aut aliquid argumentorum simile proferre debebit: cuiusmodi nihil prorsus a Lerschio prolatum est. Illud enim de formarum et significationum convenientia nullius ponderis esse modo demonstravimus [9]). Neque vero testis illius opinionis quisquam est, sed qui unus praeter Apollonium aliquid de Dionysii doctrina de pronominibus

---

9) Eodem pertinent quae verbis supra commemoratis a Lerschio adduntur: „*Endlich wird schon aus der Definition hinreichend offenbar, dass auch die Demonstrativa in denselben Bereich gehören; denn Dionysius sagt ja: Ἀναφορικὸν δὲ (ὄνομά) ἐστι ὃ καὶ ὁμοιωματικὸν καὶ δεικτικὸν καὶ ἀνταποδοτικὸν καλεῖται, τὸ ὁμοίωσιν σημαῖνον, οἷον τοσοῦτος, τηλικοῦτος, τοιοῦτος. Dieselbe Antapodosis aber, die in den Letztern liegt, findet sich ja auch in* ὅδε-ὅς, οὗτος-ὅς, αὐτός-ὅς, ἐκεῖνος-ὅς." Et tamen haec *ἀνταπόδοσις* non obstare

memoriae prodidit, Priscianus, interrogativa quidem et infinita et qualitatis et quantitatis pronomina a Dionysio pariter atque ab Apollonio et Herodiano in nominibus numerata esse dicit[10]), de substantivis autem pronominibus demonstrativis prorsus tacet, quod non fecisset, opinor, neque ita Dionysium cum duobus alteris coniunxisset, si tanta inter utrosque dissensio fuisset. Itaque quum neque commemorentur in Dionysii libro haec pronomina in nominibus, neque quisquam ea his attributa ab eo fuisse testetur, denique nulla probabilis ratio afferri possit, cur hoc eum fecisse credamus, plane tanquam commenticiam 8
ac temere confictam Classenii et Lerschii opinionem respuendam esse apparet[11]).

Iam de altero ἄρθρων δεικτικῶν genere videndum est. Nam qui de omnibus in universum pronominibus hanc appellationem a Dionysio usurpatam esse ex Apollonii verbis colligit, is non potest non etiam personalia pronomina ita ab eo appellata credere. Hoc autem qui potuerit ei in mentem venire, qui tamen his ἀντωνυμίας nomen etiam a Dionysio inditum esse non dubitet, difficile est ad intelligendum. Cur enim ἀντωνυμίας Dionysius dixerit, nisi quia ἄρθρων appellationem in personalia pronomina non convenire intellexit? et cur δεικτικὰ haec quoque vocaverit, quum δείξεως, quae vere dici

---

visa est Apollonio, quominus alterum genus nominibus, alterum pronominibus attribueret: et apparet, prorsus eadem illorum nominum definitione, qua Dionysius utitur, etiam Apollonium uti potuisse.

10) Priscian. de XII vers. Aen. c. 8. § 139. tom. II. p. 329 Kr. „Supradictas dictiones (loquitur autem de *quis*, *qui*, *qualis*, *talis*, *quantus*, *tantus*, *quot*, *tot*) Apollonius, Herodianus et Dionysius inter nomina rationabiliter posuerunt.“ Rectiore ordine hos nominat paullo infra c. 10. § 173. p. 340: „infinita vel interrogativa vel relativa vel redditiva Dionysius et Apollonius et Herodianus rationabiliter inter nomina posuerunt. Sunt autem substantiae vel qualitatis vel quantitatis vel numeri infinitae.“

11) A philosophis permultis omnia in universum, quae grammaticis pronomina sunt, in nominibus numerata esse nemo ignorat. Scilicet fecerunt hoc necessario ii omnes, qui duas tantummodo, quae vere dici possent, partes orationis agnoscerent, de quibus Boeth. Introd. ad Syllogism. p. 561 Bas.: „Philosophi — duas tantum orationis partes esse docuerunt, quidquid plenam significationem tenet, si quidem sine tempore significat, nomen vocantes, verbum vero, si cum tempore. Atque ideo adverbia quidem atque pronomina nominibus iungunt: sine tempore enim quiddam constitutum definitumque significant.“ Cf. et Ammon. ad Aristot. de Interp. p. 99 a 27. Sed ad Dionysium ceterosque grammaticos, qui octo partes ponebant, hoc nihil pertinere manifestum est.

possit, nihil haec in se habeant? Non est profecto dubitandum, quin Apollonius illo, quem supra adscripsimus, loco minus accurate loquutus sit, quumque scribere debuisset, *Ἀπολλόδωρος δὲ ὁ Ἀθηναῖος καὶ ὁ Θρᾷξ Διονύσιος καὶ ἄρθρα δεικτικὰ τὰς δεικτικὰς ἀντωνυμίας ἐκάλεσαν*, adiectivum ante *ἀντωνυμίας* repetere neglexisse, idque eo excusatius, quod quae statim subiunguntur exempla Homerica [12]) nullam plane dubitationem relinquere poterant, de quonam genere pronominum loqueretur. Ipse quidem Apollonius aliique grammatici etiam personalia pronomina in *δεικτικαῖς ἀντωνυμίαις* numerare solent: verum a Dionysio quoque haec duo genera non discreta fuisse, hinc non probabile fieri arbitror.

Consequitur ergo sola pronomina demonstrativa *ἄρθρα δεικτικὰ* Dionysium dixisse, nomine non passim tantummodo, ubi res ita ferret, minusque proprie usurpato, sed vero illo ac plane proprio, utpote ad vim eorum et naturam maxime accommodato, et quo eiusdem haec cum iis, quae hodieque *ἄρθρα* vocantur, generis habenda et in una parte orationis ponenda esse indicaret. Et sane origine ac primitiva significatione non diversos articulos a demonstrativis esse nemo diffitetur; nomen autem illud pariter utrisque convenire facile demonstrari potest. Quippe pertinet hoc ad mutuam illam relativorum et demonstrativorum *ἀνταπόδοσιν*, qua *ὅς* eiusque redditiva *ὁ*, *ὅδε*,
9 *οὗτος*, *αὐτός*, *ἐκεῖνος*, quae quidem ubique, si non posita sunt, at suppleri tamen possunt et tacite cogitantur, orationis membra inter se vinciunt ad instar eorum qui in corpore articuli sunt membrorumque iuncturam efficiunt [13]). Ceterum Stoici quum acute animadvertissent,

---

12) Sunt haec Il. I, 12 *ὁ γὰρ ἦλθε*. Od. XIV. 161 *τοῦ δ' αὐτοῦ λυκάβαντος*. Od. XIII, 79 *καὶ τῷ νηδύμος ὕπνος*. Il. XIX, 97 *ἀλλ' ἄρα καὶ τὸν Ἥρη*. XXI, 198 *ἀλλὰ καὶ ὃς δείδοικε*. XXIII, 9 *ὃ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων*. Od. XIII, 88 *ὣς ἡ ῥίμφα θέουσα*. II, 206 *εἵνεκα τῆς ἀρετῆς*. XIV, 36 *ὁ δὲ προσέειπεν ἄνακτα*. Il. V, 736 *ἣ δὲ χιτῶν' ἐνδῦσα*. in quibus omnibus articulus praepositivus aut postpositivus vim suam primitivam servat, ut pro demonstrativo *οὗτος* aut etiam pro anaphorico *αὐτός* accipiendus sit: quod ubi fit, grammatici aut *ἀντωνυμικὸν ἄρθρον* esse dicunt, ut Schol. ad Iliad. III, 132, aut *εἰς ἀντωνυμίαν μετάγεσθαι*, *ἀντωνυμίαν γίγνεσθαι*, *ἀντωνυμίᾳ ἀνθυπάγεσθαι*. Apollon. l. l. Eustath. ad Il. I, 9 p. 22 extr.

13) *Τὴν συμβολὴν τῶν κώλων* veram causam fuisse, cur hae dictiones *ἄρθρα* dicerentur, vel ex iis quae Apollon. p. 4 B refert, manifestum est. Cf. Simplic. ad Arist. Categ. p. 47 b 36 Brand.: *καὶ γὰρ ταῦτα (τὰ ἄρθρα) οἷον σύνδεσμοί εἰσι*. Et fuisse propter hanc causam, qui etiam nomen *συνδέσμων* iis inde-

etiam personalia pronomina, licet hanc membrorum copulandi facultatem non haberent, propria tamen natura ac significandi ratione eiusdem cum illis generis esse, non dubitarunt ἄρθρων nomine etiam haec comprehendere in unamque cum illis partem orationis coniungere. Sed grammatici, communi illa utrorumque natura minus animadversa, seiunxerunt rursus quae illi coniunxerant, quumque in personalibus pronominibus magis illam vim agnoscerent, qua fit ut in nominum vicem usurpari videantur, in relativis autem et demonstravis hanc coniungendorum membrorum facultatem potissimum respicerent, illas ἀντωνυμίας appellarunt, his ἄρθρων nomen reliquerunt, donec paullatim, id quod dudum Stoici senserant, in his quoque similem quam in personalibus proprietatem significationis inesse perspexerunt, ideoque et ipsa eodem ἀντωνυμιῶν nomine appellata in unam cum illis partem coniunxerunt, ita ut ἄρθρων nomen solis articulis, praepositivo et postpositivo, non satis recte ex pronominum consortio exclusis, relinqueretur. Id quis primus e grammaticis fecerit, nescimus: Dionysium

---

rent, in unaque articulos et convinctiones parte ponerent, e Dionysio Hal. colligi potest de comp. verb. c. 2. p. 10 Goettl., ubi Stoici dicuntur *χωρίσαι ἀπὸ τῶν συνδέσμων τὰ ἄρθρα*, quod testimonium a R. Schmidio de Stoic. gram. (Hal. 1839. 8.) p. 37 paullo calidius spretum esse arbitror. Quidni enim unam *συνδέσμων* partem facere potuerint, in duas rursum species divisam, alteram *πτωτικήν*, in qua essent articuli, alteram *ἄπτωτον*, in qua essent convinctiones cum praepositionibus? Quamquam quinam sint, qui id fecerint, e Dionysio cognosci non potest. — Posteriores grammatici, postquam reliqua *ἄρθρα* pronominibus accenseri coeperant, nomen illud solis his, quos hodieque articulos vocamus, relictum ad horum *συνάρτησιν πρὸς τὰ ὀνόματα* retulerunt (cf. Apollon. de constr. 1, 3 p. 17, 8 Bekk. et Ammon. ad Arist. de interpr. p. 99 a 41), nec defuerunt qui generibus potissimum distinguendis articulos inservire opinati (vid. Theodos. p. 82. Goettl.), quum *ἄρθρα* nonnunquam etiam genitalia dicantur, hinc has dictiones nomen accepisse statuerent, et e nostratibus plerique eodem errore decepti vernaculam articuli appellationem *das Geschlechtswort* procuderunt, exstititque adeo nuperrime unus ab Hegelio philosophus, (ut est haec secta praeter ceteras *dare pondus idonea fumo*,) qui admodum subtiliter et philosophice has nugas exornaret, Michelet, *Anthropologie u. Psychologie* (Berlin 1840), p. 373. Ceterum refutavit futilissimam opinionem iam dudum Apollonius de constr. 1, 5 p. 23. Sed neque ab illa *πρὸς τὰ ὀνόματα συναρτήσει* articulos initio dictos esse manifestum est, quum haec non cadat nisi in praepositivos, subiunctivorum autem et pronominum diversa sit ratio. Indicat autem hanc etiam Priscianus XVII, 8, 52 tom. II, p. 36, quum *relationis* causa haec a Stoicis inter articulos posita esse dicit. Nam propter mutuam inter se relationem vel, ut nunc loqui solent, correlationem fit ut membra orationis coniungant.

non fecisse demonstravimus: Apollonius contra et hanc distributionem amplectitur, et illud nos docet, fuisse, qui etiam interrogativa et infinita et quae qualitatis et quantitatis significationem habent, non, ut ipse statuit, in nominibus, sed una cum personalibus et demonstrativis in pronominibus numerarent, quemadmodum etiam a Stoicis haec omnia uno ἄρθρων genere comprehensa fuisse constat[14]). Sed ea ratio apud Graecos grammaticos postea fere delituit, imprimis, ut arbitror, propter contrariam Apollonii et Herodiani auctoritatem; Latinis contra, si non omnibus, at plerisque saltem probata est[15]), quamquam Prisciano Apollonii ratio verior videtur[16]).

Sufficiunt haec, ut opinor, ad demonstrandum, Dionysii de pronominibus doctrinam diversam fuisse ab ea, quam hodie sub eius nomine legimus, quae plane est ad Apollonii rationem concinnata: et esse hoc unum satis manifestum interpolati a posterioribus libelli vestigium. Sunt sane etiam alia complura: sed haec nunc propter eas, quas diximus, causas persequi non licet. Restat igitur, ut Vos, Commilitones, moneamus et exhortemur, ut iam exacto hoc hiberno studiorum curriculo feriarum otium non modo ad requiem relaxationemque animorum, sed etiam ad recolenda et commentanda magistrorum dictata prudenter et salubriter conferatis, moxque ad aestivas scholas, quorum indici haec praefati sumus, tempestive revertamini.

Scrib. Gryphiswaldiae Idibus Martiis MDCCCXLI.

---

14) Cf. Priscian. l. l.

15) Charis. p. 132 sq. Putsch. Diomed. p. 318 sqq. Rhemm. Palaem. p. 1376. Valer. Prob. p. 1403 sq. Asper. p. 1730. Donat. p. 1752. Serv. in Donat. p. 1785. Cledon. p. 1866 et 1905 sq. Augustin. p. 1991 et 1994. Isidor. orig. 1, c. 7.

16) De XII vers. Aen. c. 2, 34 tom. II, p. 290. Ib. 8, 137 p. 327. Institt. gramm. II, 4, 18 tom. I, p. 68, et c. 6, 30 p. 76.

DE ACCUSATIVO PRONOMINUM SIGNIFICATIONE CAUSALI USURPATO.

In tractanda grammatica graeca non diu est quum priorum via 3
relicta, quibus omnis linguae cognitio usu magis et observatione quam ratione et intelligentia contineri videbatur, subtiliorem disputandi rationem instituere, neque solum quid diceretur a Graecis, sed etiam quam ob causam quidque aut deberet dici aut liceret, accuratius quaerere coepimus: qua in disciplina quum multa iam a multis subtiliter inventa et explicata sint, restant tamen non pauca, de quibus vulgo aut ambigi solet aut minus recte statuitur. Ex hoc genere unum nunc breviter tractare placuit, usum pronominum quae accusativo casu posita causae et rationi alicuius rei indicandae inserviunt: velut quum *τοῦτο, τό, ταῦτα propterea*, *τί* autem *cur* significare dicitur. Hunc enim usum quum veteres grammatici haud aliter explicari posse crederent, nisi per ellipsin praepositionis *διά* (vid. Schol. ad Aristoph. Nub. v. 334. Acharn. v. 90. Apollon. de Syntax. p. 285 Sylb.[1]) Gregor. Corinth. de dial. Att. §. VI.) eaque explicatio etiam a recentioribus probaretur, velut a Lamb. Bosio de ellips. p. 676, primus eam sprevit Godofredus Hermannus in diss. de ellipsi et pleonasmo p. 169. Opusc. tom. I. p. 198, aliamque rationem, si non deteriorem, at non sane multo meliorem commentus est. Nam postquam concessit, ista pronomina plerumque adverbiorum

1) Corrupta est loci scriptura ap. Sylb.; numquid Bekkerus, et qua ratione, mutaverit nescio, quum huius ed. non praesto sit. Apparet autem pro *τῷ καὶ οὗτοι πολὺν χρόνον* — legendum esse *τὸ καὶ οὔτι πολὺν χρόνον ἔμπεδον ἦεν*, citarique pro exemplo praep. *διὰ* omissae locum Hom. Iliad. XII, 9, quo etiam alter Apollonius usus est Lex. Hom. p. 656.

loco posita esse, „quaerenti," inquit, „quomodo hoc factum sit, non ellipsis, verum multo planior ratio sese offert. Initio enim haec quoque pronomina, uti debebant, cum verbo construebantur: ut Iliad. III, 176:

ἀλλὰ τάγ᾽ οὐκ ἐγένοντο, τὸ καὶ κλαίουσα τέτηκα.

i. e. *quam ego rem deflens contabesco.* Huiusmodi igitur constructionum frequenti usu fieri non potuit, quin pronomen simpliciter *quare* vel *propterea* significare inciperet. Hinc etiam ibi usurpari coepit, ubi verbum cum eo non posset construi: ut apud Theocritum XIV, 3:

ταῦτ᾽ ἄρα λεπτός,
χὠ μύσταξ πολὺς οὗτος, ἀϋσταλέοι τε κίνιννοι."

4 Statuit igitur vir ingeniosissimus Graecos falsa quadam similitudinis specie deceptos, quum conformationem verborum, non vim atque significationem intuerentur, vitiose loquutos esse: nam vitiose dici quis neget, quae contra veram rationem dicantur? *τὸ γὰρ μὴ ταῖς κατὰ φύσιν λέξεσι κεχρῆσθαι κακία,* ut ait Apollonius de pronom. p. 7 B. — Igitur hanc rationem non multi videntur probasse; qui autem postremi istam structuram attigerunt, Bernhardius in Syntax. Gr. p. 130, et nuperrime I. A. Hartungius in libello propter eruditionis copiam ac soliditatem non minus quam propter iudicii sobrietatem ac subtilitatem in paucis commendabili, de casuum formis et significationibus, Erlangae 1831 p. 48, quum veriorem utique viam ingressi sint, non tamen videntur nobis vel penitus rem perspexisse, vel plane satis ac perspicue declarasse: quamobrem quid nobis videatur paullo accuratius explicabimus. — Ac primum quidem illos pronominum accusativos, *τί, τό, τοῦτο, ταῦτα,* qui ita ponuntur, ut possint cum *διὰ τί, διὰ τοῦτο* etc. commutari, non minus quam quosvis alios aliorum vocabulorum accusativos inservire objectis verborum significandis, pro certo nunc ponimus et confesso. At vero quum horum quae obiecta dicimus non unum genus sit, neque actionis notio (quae quidem in quolibet verbo, iis quoque quae neutra vulgo et intransitiva dicuntur, inesse statuenda est, ne substantivo quidem verbo *εἶναι, esse* excepto [2]), eodem ad omnia modo pertineat, de his ante omnia videndum est. Sunt igitur horum duo omnino genera, quorum utrumque rursus in suas partes ac species dividi potest: alterum, quum opponitur verbo res quaedam externa, ad quam eius actio pertineat et transeat quodammodo, quod

2) Vid. egregium C. F. Beckeri librum: Organism. der Sprache p. 64 sqq. Add. Hartung. p. 55. 56. Mehlhorn. in Seebod. et Jahn. Nov. Annall. philol. 1831. fasc. I. p. 25.

ubi fit, transitivum esse verbum dicemus, alterum quum actionis obiectum illud ipsum est, quod agitur, quod quoniam non extra positum, sed cum ipsa actione arctissime coniunctum est, ut altero sublato alterum simul tolli necesse sit, non temere internum verbi obiectum mihi dixisse videor ad Isaeum p. 389. Veluti quum dicimus nos *γελᾶν τὴν τῶν πέλας μωρίαν*, externum est risus nostri obiectum, quod et tolli possit et cum alio commutari, ut tamen risus maneat, e. g. *τὴν κακίαν, τὴν ἀβελτερίαν, τοὺς λόγους, τὰ πράγματα*: contra quum dicimus *γελᾶν ἥδιστον γέλωτα*, alterius cum altero eam coniunctionem esse apparet, ut quem ridere dicamus, ei necessario etiam risum tribuamus, cui risum tribuamus, eum necessario etiam ridentem cogitemus. Nimirum unius cuiusque verbi notio in duas partes dividi potest, quarum altera est actionis nudae ac purae, quae communis est omnium omnino verborum, quidquid est illud, in quo ista actio versatur; altera autem eius est, quod agitur, h. e. in quo quaeque actio versatur. Ita qui ridet, qui plorat, qui canit, qui saltat, hi omnes hoc habent commune, quod agunt aliquid, proprium autem sibi quisque id, in quo haec actio versatur, risum, ploratum, cantum, saltum. Quamobrem harum partium etiam suo utraque vocabulo designari potest, et designatur saepissime quum in nostro vernaculo tum in Anglorum sermone *to do weep, to do laugh* etc., in quibus loquutionibus infinitivus est instar substantivi verbalis; et simile quid, licet rarius et multo arctioribus finibus inclusum, apud Graecos fieri solet, quum verborum notionem 5
substantivis verbalibus eloquuntur adiuncto verbo *ποιεῖσθαι*. Aliquot huius usus exempla congesserunt Valckenarius ad Herodot. III, 25, 3. Hoogeveen ad Viger. p. 285. Bergman. ad Isocr. Areop. p. 68. Matth. gr. Gr. p. 775, quibus add. *φυγὴν ποιεῖσθαι, δίωξιν ποιεῖσθαι* pro *φεύγειν, διώκειν* apud Thucyd. III, 33 *παράδοσιν ποιεῖσθαι* V, 100 *ἁρπαγὴν ποιεῖσθαι* VIII, 62. *τέκνωσιν ποιεῖσθαι* II, 44. *οἰκείωσιν ποιεῖσθαι* IV, 128. *διδαχὴν ποιεῖσθαι* IV, 126. *ζωὴν ποιεῖσθαι* Herodot. II, 36. *ἐπίδειξιν ποιεῖσθαι* Plat. Phaed. c. 47. *ὀργὴν ποιεῖσθαι* ap. Eurip. Med. 879. Orest. 1629 et quae paullo frequentius inveniuntur *ἀπόβασιν ποιεῖσθαι, ἔκβασιν ποιεῖσθαι, δρόμον ποιεῖσθαι, πρόνοιαν ποιεῖσθαι* pro *ἀποβαίνειν, ἐκβαίνειν, τρέχειν, προνοεῖσθαι*. — Iam vero apparet, ita verbi notione in duas partes dirempta, alteram alterius obiectum esse: ex quo consequitur, si ambas uno verbo comprehensas eloquaris, in hoc et actionis et obiecti s. eius quod agitur notiones coniunctas esse. Fit autem saepissime ut obiecti

notio, licet iam ipso verbo comprehensa, tamen etiam extrinsecus apponatur, substantivo vocabulo significata, neque tamen aliter, quam si haec ipsa vel a qualitate, vel a quantitate vel alia quapiam ratione accuratius definienda videatur, veluti *δίωξιν διώκειν ταχεῖαν*, *καθῆσθαι ἕδραν καλήν* Eurip. Heracl. v. 55. *πτῶμα πίπτειν θανάσιμον* Id. Electr. 690. *στάσιν ἑστάναι τὴν Ἰνοῦς* Id. Bacch. 925. *χρείαν χρῆσθαι ἣν ἂν ἐθέλωσιν* Plat. Legg. IX. p. 868. B. *ἐχάρησαν χαρὰν μεγάλην σφόδρα* Euang. Matth. II, 10. Quod quum etiam adiectiva verborum quodammodo instar sint, quippe quae participiorum naturam habeant, nisi quod temporis notatione carent, consentaneum est his quoque substantiva eadem ratione apponi: ex quo genere sunt *κακὸς πᾶσαν κακίαν*, *τὰς πέντε κινήσεις ἀκίνητον* ap. Plat. Tim. p. 40. B. *ἄδικος ἑκάστην ἀδικίαν* ap. Aristotel. Eth. V, 6. quae citavit Bernhard. p. 117. *ἄτιμος τὴν τοιαύτην ἀτιμίαν* ap. Thucyd. V, 34. *δοῦλος δουλείαν χαλεπωτέραν* ap. eund. ib. c. 9. *σοφὸς τὴν ἐκείνων σοφίαν*, *ἀμαθὴς τὴν ἀμαθίαν* ap. Plat. Apolog. c. 8. aliaque apud alios. — Iam vero quum ista substantiva non alio consilio addi soleant, nisi ut accedat aliquid, quo notio eorum accuratius definiatur, apparet sane ipsorum secundarias tantummodo esse partes, primarias autem eorum vocabulorum, quae istam definitionem contineant, sive haec adiectiva sint, sive pronomina: quamobrem nihil impedit, quo minus substantivis istis addendis supersedeatur (quippe quorum notio iam in ipso verbo insit), et sola adiectiva vel pronomina ponantur: quod ubi fit, haec non alio quam neutro genere poni posse apparet. Itaque ex *ἡδὺν γελῶτα γελᾶν* omisso substantivo fieri oportet *ἡδύ* vel *ἡδέα γελᾶν*, ex *θανασίμους εὐωχίας εὐωχεῖσθαι* — *θανάσιμα εὐωχεῖσθαι* Lucian. Gall. c. 26. ex *ἴσας τιμὰς τίειν* — *ἶσα τίειν* Hom. Od. I, 432. ex *μακρὰς οἰμωγὰς οἰμώζειν* — *μακρὰ οἰμώζειν* Aristoph. Plut. 111, in quibus loquutionibus, quarum sat multa exempla Fischerus congessit ad Weller. III, 1. p. 216, vulgo adiectiva pro adverbiis posita esse dicunt: neque id reprehendendum, modo ne, qua illud ratione fiat, quaerere obliviscantur. Eadem autem ratione etiam pronomina pro adverbiis poni posse apparet, velut *τάδε μαίνεται* apud Hom. Iliad. V. 185, quod planum est idem esse, ac *τήνδε τὴν μανίαν μαίνεται*, ut recte aecepit Hartung. p. 52, significatione non diversum est ab *οὕτω μαίνεται*, quemadmodum *τόδ' ἱκάνεις* h. e. *ταύτην τὴν ἷξιν ἱκάνεις* ap. eund. ib. XIV, 298, i. q. *ἐνθάδε ἱκάνεις*, et *ταῦτα ἠπεροπεύειν* III, 399, h. e. *ταῦτα τὰ ἠπεροπεύματα ἠπεροπεύειν* i. q. *οὕτως ἠπε-*

ροπεύειν. Conf. Bernhard. p. 106. Quodsi demonstrativorum loco 6
interrogativa substituas, τί μαίνεται h. e. τίνα μανίαν μαίνεται idem significabit quod πῶς μαίνεται, τί ἱκάνεις h. e. τίνα ἶξιν ἱκάνεις i. q. πῶς vel πῇ vel πόθεν ἱκάνεις, τί ἠπεροπεύεις h. e. τίνα ἠπεροπεύματα ἠπεροπεύεις i. q. πῶς ἠπεροπεύεις; — Atque hinc iam proclivis est via ad illorum locorum explicationem, in quibus τί (τίπτε), τοῦτο (τό), ταῦτα pro adverbiis causalibus *cur* et *propterea* posita sunt, ut cum διὰ τί, διὰ τοῦτο permutari possint. Nimirum qui quaerit e. g. τί με διώκεις, nihil aliud quaerit, nisi quaenam v. qualis sit illa persequutio. Iam vero ad qualitatem rei penitus cognoscendam saepenumero hoc ipsum requiritur, ut quaenam sit rei causa atque origo cognoscatur: quodsi is qui interrogatur hanc esse mentem interrogantis intelligit, ut causam rei requirat, recte respondebit ad hunc modum: τοῦτό σε διώκω, ὅτι ἐχθρόν μοι ὄντα ὁρῶ. Nihil autem frequentius est isto genere interrogandi, ut quaenam sit aliqua res interrogantes nihil nisi hoc scire cupiamus, quam ob causam illa fiat v. facta sit. Veluti apud Sophoclem Oedipus, quum multitudinem Thebanorum ante fores regiae congregatos videat, ὦ τέκνα, inquit, Κάδμου τοῦ πάλαι νέα τροφή, τίνας ποθ᾽ ἕδρας τάσδε μοι θοάζετε; *quinam hic est consessus vester? quid est, quod hic consedistis?* h. e. *quam ob causam consedistis?* Apud eundem in Oed. Col. v. 351 Oedipus Ismenam interrogans: Νῦν δ᾽ αὖ τίν᾽ ἥκεις μῦθον, Ἰσμήνη, πατρὶ φέρουσα; τίς σ᾽ ἐξῆρεν οἴκοθεν στόλος; nihil aliud interrogat, nisi quae illi causa fuerit domo proficiscendi, ad quam interrogationem Ismena respondet v. 358: ἃ δ᾽ ἀμφὶ τοῖν σοῖν δυσμόροιν παίδοιν κακὰ νῦν ἐστι, ταῦτα σημανοῦσ᾽ ἐλήλυθα. Similiter Philoct. v. 598: τίς ὁ πόθος αὐτοὺς ἵκετο; *quaenam cupido eos cepit mei revocandi?* h. e. *qui factum est, ut haec eos cupido caperet?* Ibid. v. 1198: οὐκ ἂν φράσειας, ἥντιν᾽ αὖ παλίντροπος κέλευθον ἕρπεις ὧδε σὺν σπουδῇ ταχύς; *nonne dices, quamnam viam tanto studio tamque celeriter retrorsum legas?* h. e. *quam ob causam istam viam retrorsum legas?* — cui respondet alter: λύσων ὅσ᾽ ἐξήμαρτον ἐν τῷ πρὶν χρόνῳ. Eurip. Suppl. v. 148 Theseus ex Adrasto quaerens, cur filiam suam Tydeo in matrimonium dederit, τίν᾽ εἰς ἔρωτα, inquit, τῆσδε κηδείας μολών; *in quamnam huius affinitatis cupiditatem adductus es?* h. e. *quam ob causam* —, cui ille respondet: Φοίβου μ᾽ ὑπῆλθε δυστόπαστ᾽ αἰνίγματα. Denique apud Homerum: τέκνον, τί κλαίεις; τί δέ σε φρένας ἵκετο πένθος; *quisnam luctus animum tuum*

incessit? h. e. *quam ob causam?* Et apparet, opinor, etiam illud *τί κλαίεις;* non aliter accipiendum esse, quam pro eo quod est *τίνα κλαυθμὸν κλαίεις; quid fles?* h. e. *quam ob causam fles?* sicut ap. Soph. Oed. Col. v. 325: *τέκνον τί δ' ἦλθες; quid venisti?* h. e. *cur venisti?* quasi dicas: *τίν' ἔλευσιν ἦλθες*, quemadmodum, quod supra vidimus: *τίς σ' ἐξῆρε στόλος;* et apud Aristoph. Plut. v. 19: *ἢν μὴ φράσῃς ὅ τι τῷδ' ἀκολουθοῦμέν ποτε; nisi dicas, quid sit quod hunc sequamur*, quasi *ἥντινα ἀκολουθίαν ἀκολουθοῦμεν.* — Iam vero sicuti interrogativum pronomen substantivis aptatur, quum quis causam rei cognoscere vult, eodem modo demonstrativum adiungitur, quum quis rationem indicat, quamobrem aliquid fiat. Soph. Philoct. v. 684: *τόδε δὴ θαῦμά μ' ἔχει, πῶς ποτε — — πανδάκρυτον οὕτω βιοτὰν κατέσχεν.* Eurip. Hecub. v. 181: *τί νέον καρύξασ' οἴκων μ', ὥστ' ὄρνιν, θάμβει τῷδ' ἐξέπταξας; hoc terrore*, inquit, h. e. *ter-*
7 *rore propter istum tuum clamorem excitato.* Similiter Latini, velut Livius II, 22: *Volsci comparaverant auxilia, quae mitterent Latinis, ni maturatum ab dictatore Romano esset. — Hac ira consules in Volscum agrum legiones duxere.* Apparet pronominis non aliam vim esse, nisi ut iram consulum indicet ea re, quae ante commemorata est, excitatam. Sallust. Iugurth. c. 82: *Metellus Roma per literas certior fit, provinciam Numidiam Mario datam. Eo dolore impeditus legatos ad Bocchum mittit*, h. e. huius rei dolore. Similia quaedam tractavit Heldius ad Caesar. B. C. II, 20. III, 60. et Ramshorn. Gramm. §. 159, 2, b. p. 354. Et notissima sunt illa apud Terentium Andr. I, 1, 99: *Haec* (ita enim recte Bentl. pro *hinc*) *illae lacrumae, haec illast misericordia* h. e. ex hoc fonte. Phorm. V, 8, 23: *Haec illae erant itiones crebrae et mansiones diutinae Lemni? haecine erat ea quae nostros fructus minuit vilitas?* h. e. *propter hanc causam itiones susceptae, hinc profecta vilitas.* Ad hunc igitur modum etiam talia accipienda esse apparet, quale hoc est apud Homerum Iliad. XI, 693: *ταῦθ' ὑπερηφανέοντες Ἐπειοὶ — ἀτάσθαλα μηχανόωντο. haec superbientes* h. e. *ita, hanc ob causam superbientes* (scil. propter cladem ab Hercule nobis illatam), *hac superbia elati — iniqua moliebantur.* Aristophanes Acharn. v. 90: *ταῦτ' ἄρ' ἐφενάκιζές σε.* i. q. *τούτους τοὺς φενακισμοὺς ἐφενάκιζες. Haec erant tua mendacia*, i. e. *hoc erat, quod mendaciis nos fallebas.* (scil. alter dixerat *ὄρνιν παρέθηκεν ἡμῖν· ὄνομα δ' ἦν αὐτῷ Φέναξ.*) Pac. v. 416: *ταῦτ' ἄρα πάλαι τῶν ἡμερῶν παρεκλεπτέτην* (*ταῦτα τὰ κλέμματα παρεκλεπτέτην*) *hae erant istae detra-*

ctiones: *hoc erat quod iamdudum de diebus aliquid detrahebant*. Nub. v. 334: ταῦτ᾽ ἄρ᾽ ἐποίουν ὑγρᾶν Νεφελᾶν στρεπταίγλαν δάϊον ὁρμὰν (ταῦτα τὰ ποιήματα ἐποίουν). *haec erant ista carmina*: *hoc erat quod carminibus celebrabant nubium vim*. Thesmophor. v. 168: ταῦτ᾽ ἄρ᾽ ὁ Φιλοκλέης αἰσχρὸς ὢν αἰσχρῶς ποιεῖ: *hoc est*, *quod Philocles*, *quum deformis sit*, *deformia carmina facit*. Plurima huius generis exempla suppeditat Koenius ad Gregor. p. 30 Schaef., quorum, si quis semel rationem loquutionis perspexerit, non difficilis est explicatio. Neque maior est difficultas in iis, quae adiectivis adiuncta pronomina habent: nam qui ταύτην τὴν σοφίαν σοφὸς ἐγένετο qua ratione dicatur intelligit, is etiam quid sit τοῦτο σοφὸς ἐγένετο non ignorabit, ac proin hoc quoque ita dici posse videbit, ut significet: *haec fuit eius sapientia*: *hac ratione* v. *hanc ob causam sapiens factus est*, non minus quam ταῦτ᾽ ἄρ᾽ ἐφενακίζές σν: *hanc ob causam mentitus es*. Igitur in Theocriti loco, quem supra adscripsimus, ταῦτ᾽ ἀρὰ λεπτός, quasi dicas ταύτην τὴν λεπτότητα λεπτός, nihil aliud est quam *haec est tua macies* i. e. *hanc ob causam macer es*; et apud Aristoph. Pac. v. 618: ταῦτ᾽ ἄρ᾽ εὐπρόσωπος ἦν: *haec erat eius pulcritudo*, *hoc est*, *quod pulcra fuit*. Et huius quidem circumloquutionis, qua et in hoc et in aliis exemplis usi sumus, hanc vim esse apparet, ut disiunctim proponantur, quae a Graecis coniunctim poni solent. Divellitur enim pronomen ab ea parte orationis, cuius ea quam supra exposuimus ratione obiectum est, et praemittitur cum verbo substantivo, unde existit novum quoddam membrum orationis, quod dein relativi ope cum altero coniungitur. Iam igitur hoc ipsum relativum pro obiecto accipiendum esse apparet; praemisso autem demonstrativo illud praemonstramus quodammodo, simulque ad ea, quae ante dicta sunt, respi- 8
cientes, eiusmodi quid illud esse significamus, quod ex his existat et consequatur. Imperite igitur faciunt, qui in talibus loquutionibus *quod* coniunctionem, non pronomen esse opinantur. Iam vero relativi pronominis haec est propria vis et natura, ut simul etiam demonstrationi inservire possit, neque opus habeat demonstrativo, quo referatur: quamobrem saepenumero nihil interest, utro pronomine utaris. Velut quod est apud Euripidem Hecub. v. 13: Νεώτατος δ᾽ ἦν Πριαμιδῶν· ὃ καί με γῆς ὑπεξέπεμψε, poterat etiam sic dici: τὸ καί με γῆς ὑπεξέπεμψε, vel plenius: τοῦτ᾽ ἦν, ὅ μ᾽ ἐξέπεμψε: *hoc erat*, *quod me amandabat* i. e. *haec (hanc ob causam instituta) erat amandatio quam faciebat*. et apud Homer. Iliad. XVII, 403: πολλὸν γὰρ ἀπά-

νευθε νεῶν μάρναντο θοάων, τείχει ὑπὸ Τρώων· τό μιν οὔποτε ἔλπετο θυμῷ τεθνάμεν poterat etiam scribi ὅ μιν οὔποτε ἔλπετο: *hoc erat quod sperabat eum non periisse* i. e. *hanc spem habebat*, *hinc sperabat*. Alios huius generis locos Homericos congesserunt Tollius ad Apollon. Lex. Hom. p. 656. et Dammius p. 1647, quos nunc percensere et ad veram rationem revocare nolumus. Satis est enim, viam qua id fieri debeat, demonstrasse: demonstratam persequi vestrum erit, Commilitones, eorum certe, qui vere in his literis proficere cupiunt. Neque enim ulla in re quisquam doceri aliquid potest, nisi et ipse discere studeat. Discit autem non is, qui nihil ipse agens auribus tantummodo aliena verba excipit et memoriae infigit, sed qui sequitur docentem quaerendi et cognoscendi industria, indicataque veri inveniendi via suis ipse viribus usus quantum possit progredi conatur. Hoc igitur Vos omnes, et qui hisce studiis operam datis, et qui aliis doctrinis Vos addixistis, strenue ac naviter agite. Valete.

Scrib. Gryphiswaldiae d. XIV. Mart. MDCCCXXXI.

AD IUVENAL. III, 116.

Visum est, Commilitones, hac prooemii scribendi opportunitate 3 uti ad illustrandum locum Iuvenalis, non illum quidem e difficillimorum atque intricatissimorum numero, quales non pauci sunt apud hunc poetam, sed in quo explicando tamen omnibus adhuc interpretibus illud accidisse videmus, quod saepenumero etiam doctissimis atque acutissimis accidit, ut notissimarum rerum, quae semel animadversae omnem errorem tollerent, plane immemores, aut alienissima amplecterentur, aut de certa explicatione desperarent. Est autem ille locus apud Iuvenalem Sat. III. v. 116—118.

Stoicus occidit Baream, delator amicum
Discipulumque senex, ripa nutritus in illa
Ad quam Gorgonei delapsa est pinna caballi.

Stoicum illum P. Egnatium Celerem esse, ICtum suae aetatis non ignobilem, Bareae Sorani amicum atque clientem, nunc quidem omnes consentiunt; neque potest hac de re ulla esse dubitatio, quum e Tacito 4 Annal. XVI, 32 et Cassio Dione LXII, 26 Soranum sub Nerone maiestatis reum huius Egnatii testimonio oppressum esse sciamus. Iam vero quod hic a poëta *nutritus* dicitur *in illa ripa*, *ad quam Gorgonei caballi pinna delapsa sit*, nesciverunt interpretes quomodo explicarent. Vetus quidem scholiastes Tarsum Ciliciae urbem his verbis significari opinatur: ait enim: *Apud Tarson, civitatem Ciliciae, quam praeterfluit (perfluit* scribendum esse non temere Cramerus censet*) amnis Cydnus: cuius urbis conditor Perseus, cui* (l. *qui*) *nomen civitati ex facto dedit, quia ibi una ex talaribus pinnis ei decidit.* Atque hanc Tarsi nominis originem ἀπὸ τοῦ ταρσοῦ etiam alii complures tradiderunt (vid. Vales. ad Ammian. Marcell. XIV, 8, Cramer ad h. l. et Creuzer Symbolic. IV. p. 53 ed. sec.); sed Iuvenalem non de illa fabula cogitasse vel inde pa-

tet, quod de Pegasi, non de Persei pinna loquitur. Itaque alii Corinthum significari putaverunt, alii Thebas Boeotias et montem Heliconem, alii Cretam insulam, suae quisque sententiae e variis de Pegaso fabulis praesidia petentes; quorum quidem commenta singulatim redarguere et longum est et supervacaneum, quum neque Corintho, neque Thebis, neque Creta, sed Beryto, nobilissimo Phoeniciae oppido multorumque olim et clarissimorum ICtorum seminario P. Egnatium oriundum fuisse Dio testetur LXII, 26. Itaque aut errasse oportet Dionem, id quod nemini verisimile videri poterit, aut ripa illa, ad quam delapsam Pegasi pinnam poëta dicit, eadem erit, in qua sita est Berytus, Egnatii patria. Neque vero opus est ad hanc sententiam tuendam eo confugere, ut cum Ruperto mythum aliquem hodie ignotum poëtae animo obversatum esse statuamus. Notissima enim est fabula de Perseo et Andromeda; eamque ipsam esse, ad quam Iuvenalis respexerit, nullo negotio demonstrari potest, dummodo haec tria teneamus: primum, *pinnam caballi* dictam esse pro ipso caballo, Pegaso, quippe pinnato, per notissimam synecdoches figuram, veluti etiam pro avibus locis innumeris pinnae dicuntur (cf. Burm. ad Propert. III, 8, 11) et Nonnus aliquoties *πτέρον ὕπνου* dixit pro somno, quem alatum poëtae atque artifices finxerunt
5 (conf. Ruhnken ep. crit. II, p. 159); deinde *delabi* non eum solum dici, qui decidat, sed etiam qui devolet aut qui aequabili motu descendat; denique *ripam* non solum fluminum esse, sed etiam maris, h. e. ripas etiam pro litoribus dici, non minus quam litora pro ripis; quae quidem aut nota sunt cuilibet, aut, si cui ignota sint, facile vel e lexicis disci possunt. Haec itaque si teneamus, superest ut demonstretur illam ipsam ad ripam, in qua sita est Berytus, Perseum cum pinnato caballo delapsum Andromedam servasse. Atque factum hoc esse apud Ioppen oppidum plerique tradiderunt, velut Strabo XVI, 2, p. 369 Tauchn., Pausanias IV, 35, 6, Pomponius Mela I, 11 extr. Plinius H. N. IX, 5, Solinus c. 34, atque, ut reliquos mittamus, etiam Iosephus de bello Iud. III, 9, p. 251 Haverc. Quid quod etiam vestigia quaedam eius rei perdurasse putabantur. Nam, ut ait Iosephus, *τῶν Ἀνδρομέδας δεσμῶν ἔτι δεικνύμενοι τύποι πιστοῦνται τὴν ἀρχαιότητα τοῦ μύθου*, et quum fons apud urbem esset aquae rubicundae, in hoc, ut Pausanias ait, Perseum interempta bellua, cui Andromeda exposita fuerat, cruorem abluisse incolae narrabant; denique ossa quoque huius belluae ex oppido Ioppe Romam asportata et a M. Scauro in aedilitate populo Romano ostensa Plinius tradit, longitudine pedum quadraginta,

altitudine costarum Indicos elephantos excedente, spinae crassitudine sesquipedali. — Sita est autem Ioppe in eadem ripa qua Berytus, eratque Iuvenalis quidem aetate non Iudaeorum, sed Phoenicum, id quod e Plinio H. N. V, 13 colligi potest. Nam situ quidem ad Palaestinam pertinet, fueratque olim in Iudaeorum ditione, quibus quum a Syris erepta esset, Romanorum iussu a Demetrio rege restituta est. (Ioseph. Antiq. Iud. XIII, 9, p. 659.) Inde a Pompeio rursus Iudaeis adempta et Syriae provinciae attributa (id. ib. XIV, 4, p. 690), a Iulio Caesare autem illis reddita est (id. ib. c. 10, p. 704). Postea bello Iudaico sub Nerone a Romanis diruta (id. de bello Iud. III, 9, p. 250, 251), post restitutionem Phoenicibus tradita esse videtur. Ceterum totum hunc tractum litoralem ab Aegypto ad Ciliciae oram montemque Amanum etiam communi vel Syriae vel Phoeniciae nomine a Graecis Romanis- 6
que geographis comprehendi solere constat. Vid. Strab. XVI, 2 in. p. 353. Pomp. Mela I, 11. Plin. V, 12. Cf. Hadr. Relandi Palaestina lib. 1, cap. 24 et C. D. Beckii histor. univers. tom. I, p. 253, ed. sec. — Ex his autem omnibus satis apparere videtur, nihil sane difficultatis esse in Iuvenalis loco, et potuisse Egnatii patriam commodissime ita, ut a poëta factum est, significari.

Igitur haec hactenus. Quod reliquum est, monemus Vos, Commilitiones, ut, quemadmodum adhuc facere soliti estis, et scholis, quas vobis in omni literarum genere plurimas oblatas videtis, et reliquis discendi subsidiis, ad quae facillimus Vobis aditus patet, strenue ac diligenter utamini, literarum autem studia cum morum sanctitate et honestatis pietatisque amore coniungenda esse recordemini, quae ubi absint, neminem, quantumvis in literis profecerit, neque veram laudem adipisci, neque salubres doctrinae fructus percipere posse mementote.

Scr. Gryphisvaldiae mense Octobri a. MDCCCXXVII.

DE EMENDANDO LOCO CICERONIS DE NAT. DEOR. II, 3.

3 Persuasum nobis est, Commilitones, nullis ad Vos verbis opus esse, quibus ad certamina, quae hodie in proximum annum indicuntur, impigre et alacriter ineunda Vos cohortemur. Nam quum ipsum hoc genus eruditae concertationis tale sit, quod omnes generosioris animi adolescentes facile sua sponte alliciat, tum etiam Vestrum non paucos esse, qui industriam nobis suam et sollertiam huiusmodi speciminibus probare cupiant, superiorum certaminum eventus docuit. Poteramus igitur omni praefatione supersedere, statimque hoc agere, quod agendum est, ut novas quaestiones, quibus pertractandis proximo anno vires vestras exerceri volumus, Vobis proponeremus: sed servandum tamen putavimus traditum a maioribus morem, qui nullam huiusmodi scriptionem non aliquid litterariae disputationis habere voluerunt, quo scilicet etiam sic Vos commoneremini, nullum plane tempus, nullum locum studiosis hominibus a litteris vacare debere. Versabitur autem nostra nunc disputatio in difficiliore quodam loco Ciceroniano, non quo
4 omnia, quae in eo obscura sunt, illustremus: id enim rerum ibi tractatarum ratio minus hodie cognita non patitur: sed ut mendum demonstremus, satis illud quidem, ut nobis certe videtur, manifestum, neque difficile ad corrigendum, sed quod omnes tamen adhuc fefellit, mirasque nonnullorum et plane incredibiles peperit interpretationes. Est ille locus *De natura deorum* lib. II cap. 3, ubi Cicero de neglectis illa aetate auspiciis e Balbi Stoici persona conquerens inter alia haec dicit: *Itaque maximae rei publicae partes, in his bella, quibus rei publicae salus continetur, nullis auspiciis administrantur; nulla peremnia servantur, nulla ex acuminibus; nulli viri vocantur, ex quo in procinctu testamenta perierunt.* Apparet tria hoc loco commemorari militarium auspiciorum genera: primum *peremnia,* quae observanda erant ab im-

peratoribus exercitum amnem traducturis, porro *ex acuminibus*, quae
qualia fuerint ignoramus neque varias virorum doctorum coniecturas
percensere libet: fuisse tamen hoc totum auspicium militare, satis
constat [1]). Tertium genus, ut nunc quidem Ciceronis verba scripta
sunt, in eo constitisse videri debet, ut *viri vocarentur*, et eiusmodi
fuisse, ut vetus illa nuncupatio testamentorum, quae in procinctu fiebat,
aliqua ratione cum eo coniuncta esset. Ac Turnebus quidem [2]), quem 5
alii multi sequuti sunt, hoc ipsum *viros vocare*, in quo auspicia inessent,
de militibus accipit testamenta nuncupantibus, quos arbitratur, quum
testes adhibendi essent, eos potissimum advocare solitos, qui essent
bonis nominibus, veluti Valerios, Salvios, Statorios, Victores, scilicet
ut his pronuntiatis instante proelio salutem sibi et victoriam auspica-
rentur. — Atqui hac interpretatione admissa non publicum habebimus
auspicium, ab imperatore pro exercitu et re publica captum, sed pri-
vatum quoddam, quod quilibet ipse sibi faceret; qualis auspicii vis ad
rem publicam, ex Romanorum disciplina augurali, nullo modo pertinere
poterat. Ciceronem autem de publicis tantum auspiciis loqui, h. e. de iis,
quae pro re publica ab eo, cui populus magistratum et ius auspiciorum
tradidisset, observari deberent, neminem fugere potest. Quin si verum
dicere volumus, ne *auspicium* quidem in ista bonorum nominum pro-
nuntiatione, sed *omen* inerat: et quamvis saepe utriusque rei discrimen
a scriptoribus minus accuratis negligatur, ut vel omen dicatur pro
auspicio, vel auspicium pro omine [3]), in tali tamen loco, qualis est hic
Ciceronis, proprietatem sermonis a bono scriptore neglectam resque
diversas ineleganter confusas esse vix quisquam sibi persuaderi patietur. 6
Porro nihil plane inest in verbis Ciceronis, quo ista pronuntiatio bono-
rum nominum significata videri possit. *Viros vocari* negat, nihil
amplius. Nisi quis forte viros vocari non aliter aut potuisse aut soli-
tos esse credat, quam nominatim, nec nominatim, nisi ita, ut simul
omen, vel, si quis improprie loqui malit, auspicium ex bonis nomini-
bus caperetur, ideoque hoc in ista formula, etiamsi verbis non expres-
sum, intellectum tamen semper et subauditum esse censeat. Denique
viros vocari quis unquam aliter dixit, quam aut de populo a magistra-

1) Cic. de divin. II, 36, 77, ad quem locum cf. Giesium p. 293 priorum sententias accurate referentem.

2) Adversar. XXII, c. 12. p. 756. ed. Argentor. ann. MDCIV.

3) Vid. Nonius p. 357 Merc. et Schol. Bob. ad Cic. or. pro Scauro tom. V, 2. pag. 474 Orell. cf. Bremi ad Sueton. August. c. 92.

tibus illicium vocando, aut de militibus ab imperatore ad proelium educendis? Hic enim proprius fuit et solemnis huius formulae usus [4]):
7 eandem ad privata negotia testesque ternos aut quaternos [5]) traducere nullo modo licuit.

Apparet, opinor, Turnebi interpretationem probari non posse, senseruntque hoc etiam alii, neque tamen meliora protulerunt. Heindorfius quidem, quum hoc membrum „*ex quo in procinctu testamenta perierunt*“ deletum vellet, ostendit sane Turnebi rationem sibi displicere: sed alterum illud „*nulli viri vocantur*“ quo sensu accipiendum quamve in eo significationem auspicii inesse crederet, dicere supersedit. Beiero [6]) contra illud de testamentis utique servandum esse omniaque aptissime cohaerere videntur; quamquam non eodem quo Turnebus modo, sed paullo aliter locum interpretatur. „Etenim“, inquit, „in committendis proeliis funestum omen, quod nuncupandis heredibus militum in procinctu stantium datum videri poterat, mox obruebatur bonis ominibus nominum virorum, qui vocabantur, ut obviam irent hosti.“ Interest igitur inter hanc interpretationem et illam alteram hoc, quod, quum Turnebus viros vocari a militibus cre-
8 deret testamenta facientibus, Beierus id rectius ad imperatorem retulit

---

4) De populo illicium vocato vid. Varr. de L. L. VI, 86 p. 108 Muell., ubi adscripta est tota formula, qua censores utebantur, quum ad censendum *viros vocari* iuberent. In altero genere usurpatam formulam e Sabidio retulit vetus interpr. Veron. ad Verg. Aen. X, 241 (ap. Alb. Lion in edit. Serv. tom. II, p. 322), quo in loco, quamvis misere lacero, haec tamen verba certa sunt: — — — *salutareque siet. viros voca proelium ineant.* Hinc etiam Gellius, de his ipsis in procinctu testamentis exponens, XV, 27, 3, loquutionem rite usurpat: „*quum viri ad proelium faciendum in aciem vocabantur.*“ Ad utrumque genus pertinet Macrobii locus, Saturn. 1, 16 p. 288 Zeun. „*Vitabant veteres ad viros vocandos etiam dies, qui essent notati rebus adversis: vitabant etiam ferias, sicut Varro in augurum libris scribit in* [corr. *inesse*, cum R. Merkelio prolegg. ad Ovid. Fast. p. CXV.] *haec verba: Viros vocare feriis non oportet; si vocarit, piaculum esto.* Quod autem Servius ait ad Verg. Aen. X, 241: *viros enim vocari significat eos, qui necessitate in bellum, non voluntate conveniunt*, ineptum est et plane commenticium.

5) Haud amplius enim in illo genere testamentorum opus fuisse Plutarchus memorat vit. Coriolani cap. 9.: *ἦν δὲ τότε τοῖς Ῥωμαίοις ἔθος εἰς τάξιν καθισταμένοις καὶ μέλλουσι τοὺς θυρεοὺς ἀναλαμβάνειν καὶ περιζώννυσθαι τὴν τήβεννον, ἅμα καὶ διαθήκας ἀγράφους τίθεσθαι, τριῶν ἢ τεττάρων ἐπακουόντων ὀνομάζοντας τὸν κληρονόμον.*

6) Ad Ciceron. fr. orat. pro Scauro p. 183.

copias adversus hostes educturum: a quo quum viri vocarentur, faustum omen ex bonis nominibus capi solitum esse satuit, quo funestum testamentorum omen quasi obrueretur: ex quo (i. e. postquam) autem testamenta illa in procinctu nuncupari desierint, etiam alterum illud, ut viri bonis nominibus ad proelium ineundum vocarentur, non amplius esse observatum.

Cohaerere sane sic satis omnia videntur; probandam tamen hanc interpretationem nihilo magis iudico. Quippe videmus etiam hic omen perperam in auspiciis numeratum, fictamque formulae significationem, ut *viros vocare* idem sit ac *viros bonis nominibus vocare,* plane ut apud Turnebum. Sumptum est praeterea moris fuisse, ut nominatim viri vocarentur ominaque caperentur ex nominibus, cuius rei, in educendis quidem contra hostem copiis, nullum extat apud veteres scriptores indicium: causamque moris hanc unam fuisse, quod funestum omen nuncupatorum a militibus heredum faustis nominum ominibus obruere studuerint, unde factum, ut postquam semel testamenta in procinctu fieri heredesque nuncupari desierint, etiam viri non amplius vocarentur, nominumque omina vel, si placet, auspicia negligerentur. Quasi vero bona omina non ubique per se sola satis optabilia Romanis visa sint. Equidem eos, si vere id genus ominum in viris vocandis captaverint, nequaquam tamen propter testamenta hoc fecisse crediderim, non magis quam quum in vectigalibus elocandis aut in delectu militum ex nominibus omina cape- 9
rent, aut in lustrando populo aut exercitu ad hostias deducendas bonis nominibus homines eligerent [7]).

Restat tertia sententia, eaque una omnium minime inepta, quam C. O. Muellerus, vir nunquam satis lugendus, in libro de Etruscis II p. 115 proposuit. Videtur huic, quum nefas antiquitus fuerit viros inauspicato vocari, semper in hac formula etiam illud *auspicato* subauditum esse, adeo ut *viros vocare* plane idem significaret atque *populum aut exercitum auspicato vocare.* Apparet hanc sententiam propter hunc unum Ciceronis locum excogitatam, in quo quum neque Turnebi neque Beieri interpretationem ferri posse vir doctissimus intelligeret, quaesivit aliquid quod saltem non absurdum esset. At parum tamen

7) De ominibus in vectigalium locatione et in delectu captis vid. Fest Pauli s. v. *Lacus Lucrinus* p. 121 Muell. Reliqua memorat Cicero de divin. 1, 45, 102, et plura etiam de omni hoc genere ominum ex nominibus congesta sunt a scriptoribus apud Giesium p. 161 citatis.

mihi quidem eiusmodi subauditio convenire videtur summae Romanorum in formulis diligentiae, quam satis constat tantam tamque anxiam fuisse, ut vel repetere eandem rem identidem et pluribus verbis quam disertissime eloqui mallent, quam committere, ut aliqua omissione errori aut
10 calumniae locus fieret. Nunquam igitur eos in hac formula illud ipsum omissuros fuisse credam, in quo uno ritus ac religionis significatio inesset.

Itaque, quum nulla de tribus interpretationibus satisfecerit, quumque manifestum sit, auspiciorum commemorationem in hoc tenore sententiae abesse non posse, in ipsis autem verbis *nulli viri vocantur* neque inesse neque subaudiri posse alicuius auspicii significationem, apparet profecto locum aliqua corruptela depravatum esse. Scripserat, opinor, Cicero: *nulla peremnia servantur, nulla ex acuminibus, nulla quum viri vocantur:* post autem, oblitterata aliquo casu coniunctione *quum,* antecedens pronomen *nulla* proximi vocabuli causa a correctoribus mutatum, eoque modo haec quam omnes libri habent lectio enata est. Iam emendati loci sententiam et planissimam habemus, et verissimam: nam auspicia, quum viri vocarentur, illa aetate non amplius observari solita esse etiam aliunde satis constat. In proximis Ciceronis verbis *ex quo* non temporalem significationem habet, ut significet *ex quo tempore* v. *postquam,* quemadmodum Beiero visum est, sed causalem, ut permutari possit cum *quare* v. *quamobrem.* Nimirum olim ad testamenta nuncupanda milites in procinctu collocati ea mora utebantur, quam auspiciorum observatio afferebat[8]):
11 postea vero, quum praetermissis auspiciis nullaque mora interposita statim ad proelium faciendum educerentur, testamentorum in procinctu faciendorum tempus idoneum non relinquebatur, ex quo haec perire necesse fuit[9]).

Sed hactenus haec: nunc id agamus, cuius causa Vos, Commilitones, alloquuti sumus. En igitur, vocantur etiam a nobis viri, non

---

8) Sabidius apud schol. Veron. ad Verg. Aen. X, 241: [*is apud quem*] *in exercitu auspicium imperiumque erat, in tabernaculo in sella sedens auspicabatur coram exercitu pullis e cavea liberatis.* — — — *Interim ea mora utebantur qui testamenta in procinctu facere volebant.*

9) Mirifico errore Caesaris locum de b. G. 1, 39, 5 Davisius in commentario ad h. l. Freinshem. ad Flor. III, 10, 12. Ev. Otto ad Institt. p. 203 aliique ad testamenta in procinctu retulerunt. „*Vulgo*“, inquit C., „*totis castris testamenta obsignabantur*“: in quo vel hoc ipsum verbum *obsignabantur* de tabulis et iure

quidem ad manus cum hostibus conserendas cruentumve pugnae discrimen, sed ad mite cum sodalibus certamen contentionemque eruditionis et industriae: et auspiciis utimur, non tripudiis solistimis aut soniviis, sed ipsa huius diei luce faustissima, laetisque gratulationibus, quibus modo Regis Augustissimi FRIDERICI GVILELMI IV sacra natalicia a nobis concelebrata sunt. Rata erunt auspicia, si Vos, Commilitones, studium et industriam adhibebitis. Accipite ergo quaestiones a praeceptoribus Vestris in proximum annum propositas. — —

Gryphiswaldiae prid. Id. Octob. MDCCCXLI.

---

ordinario cogitari iubet. Neque enim instabat illo ipso tempore proelium milites que iam ad arma vocati erant, sed exspectabant tantummodo post paucos dies pugnandum fore. Testamentorum in procinctu non magis unquam Caesar mentionem facit, quam auspiciorum ante committendum proelium observatorum.

COMMENTATIO I AD CICERONIS LIB. DE NAT. DEOR.

3 Non ignorant qui modo mediocriter in hoc genere litterarum versati sunt, quam multis adhuc quamque gravibus mendis Ciceronis scripta, quum cetera, tum praecipue philosophica deformentur, quibus eluendis parum plerumque subsidii codices, quotquot hactenus collati sunt, suppeditent. In mendosissimis autem merito illud opus numeratur, quod haud scio an propter gravitatem quaestionis ceteris omnibus praeferendum sit, libros dico de natura deorum, ex quibus quum omnis Epicureorum atque Stoicorum theologia, tum quae contra utrosque ab Academicis disputari solerent, facilius certe ac plenius quam ex alio ullo antiquitatis monumento cognosci possunt. Horum librorum quum novam paremus editionem, eamque talem, quae lectionem quidem rerumque intellectum expeditiorem studiosis adolescentibus faciat, criticam autem annotationem accuratiorem non capiat, quumque tamen fieri non possit, quin aliquot locis vulgatam a superioribus scripturam vel codicum auctoritate vel certis rationibus permoti deseramus: de huiusmodi locis per libellorum academicorum, qui subinde nobis scribendi sunt, opportunitates paullo accuratius disputare placuit. Et hoc quidem tempore, quoniam propter spatii brevitatem in paucis consistendum est, decem locos ex libro primo pertractabimus.

Itaque I, 8, 19 Velleius Epicureus Platonem oppugnans, quaeque in Timaeo de rerum principiis dicta sunt reprehendens, etiam quinque formarum mentionem facit, quas ille nulla ratione introduxerit. Unde vero, inquit, ortae illae quinque formae, ex quibus reliqua
4 formantur, apte cadentes ad animum efficiendum pariendosque sensus? Quae autem sint hae quinque formae, quibus effici animum Plato sensusque pari dixerit, nemo adhuc interpretum docuit

Nam quod Davisius ad Ficinum nos ablegat, qui in comm. ad Plat. Timae. c. 27 (immo c. 28 p. 1451 Bas.) quinarium numerum compositioni partitionique animae convenire, eumque effici vult essentia, eodem, altero, statu, motu (*οὐσίᾳ, ταὐτῷ, θατέρῳ, στάσει, κινήσει*), non quid Ficinus, sed quid Plato dixerit, quaeritur: Plato autem neque proposuit sic istum numerum quinarium neque ad efficiendum animum adhibuit, quae autem adhibuit, idem, alterum, mixtumque ex his genus tertium, septemque horum temperationes, haec a Velleio non designari apertum est. Nihilo melius aut etiam deterius F. A. Wolfius [1]), qui, quum eundem istum numerum quinarium nobis offerat, auctorem huius non Ficinum, ut Davisius, sed ipsum, si diis placet, Platonem citat, Timae. p. 43 sqq. (voluit p. 34 sqq.) et philosophiae Platonicae enarratorem Tennemannum, tom. III p. 48 sqq., quorum utrumque qui inspexerit, nihil profecto nisi ludificatum se a viro doctissimo esse intelliget. Permirum est autem, nullum adhuc Ciceronis interpretem eius loci memorem fuisse, qui est in Timaeo p. 53 sqq., ubi exponitur a Platone, quomodo demiurgus rudem atque informem materiam ordinare instituerit, adhibitis quinque formis, cubo, tetraedro, octaedro, icosaedro et dodecaedro, quarum quattuor priores terram, ignem, aerem et aquam efficerent, quae elementa vulgo dicuntur, quinta autem illud genus materiae, quod omnem mundum complecteretur atque contineret, quam *πέμπτην οὐσίαν* sive quintam essentiam posteriores dixerunt [2]). — Animum vero effici his quin- 5
que formis nec Plato dixit, neque, ut arbitror, Velleius dicere potuit. Quid autem hic dixerit, statim apparebit. Docet enim Plato perquam accurate, a p. 64 A. usque ad p. 68 E., quomodo quinque illae formae varie temperatae apteque cadentes animum afficiant et ad partem eius intelligentem (*τὸ φρόνιμον*) perveniant sensusque varios, quas nostri sensationes dicunt, pariant. Hinc iam manifestum est Velleium dixisse:

1) Vid. Wolfii Analecta litter. I, 2 p. 310.

2) De omni hac Platonis doctrina e Pythagoreorum fontibus derivata vid. Wyttenbachii annotationem ad Plat. Phaed. p. 304—306, Boeckh. Philolaus etc. p. 160 sqq. J. S. Könitzer, üb. Verhältniss, Wesen und Form der Elementarkörper nach Platons Timaeus. Progr. gymn. Neo-Ruppin. a. 1846: de quinta essentia cf. Macrob. in somn. Scip. I, 14, 20 p. 85 ed. Ian. — Plato autem, quasi praevidisset fore, ut Velleius aliquis originem illarum quinque formarum sibi explicari postularet, occurrit respondendo, p. 53 D.: *τὰς δὲ τούτων ἀρχὰς ἄνωθεν θεὸς οἶδε καὶ ἀνδρῶν ὃς ἂν ἐκείνῳ φίλος ᾖ.*

tari quidem possit; in qua non video ubinam mens constans et vita beata possit insistere: quodque in nostro corpore, si minima ex parte significetur, molestum sit, cur hoc idem non habeatur molestum in deo? Terra enim profecto, quoniam mundi pars est, pars est etiam dei. Atqui terrae maximas regiones inhabitabiles atque incultas videmus, quod pars earum appulsu solis exarserit, pars obriguerit nive pruinaque, longinquo solis abscessu; quae, si mundus est deus, quoniam mundi partes sunt, dei membra partim ardentia partim refrigerata dicenda sunt. Adscribendus fuit totus locus, quamvis paullo longior, quoniam certa emendatio demonstrari non potest, nisi connexione sententiarum recte perspecta. Obscurat autem hanc interpunctio vulgata, quae talis est, ut relativa sententia, quod in nostro corpore, si minima ex parte significetur, molestum sit, de celeri conversione, qualis mundi sit, in qua mens constans et vita beata insistere non possit, intelligi debere videatur. Atqui sic in proximo membro, terra enim profecto, quoniam mundi pars est, pars est etiam dei, quid sibi velit causalis coniunctio enim, perspici non potest. Nam rationem superioris iudicii his verbis non reddi apparet, siquidem terra veteribus non videbatur, sicut mundus, contorqueri, sed in media parte mundi immota quiescere [3]). Recte autem omnia procedunt, si sententia illa relativa ad sequentia trahitur. Existit enim argumentatio huiusmodi: Terra, quoniam pars mundi est, pars est etiam dei: terrae autem partes aut ardent aut rigent: ergo etiam dei partes sive membra ardere aut rigere consequitur. Hoc autem, ardere aut rigere, quum in humano corpore molestum sit, non dubium videtur Epicureo, quin pariter etiam in deo molestum sit. Dirimendum igitur illud, Quodque in nostro corpore — —, a superioribus erat interpunctione maxima, quemadmodum iamdudum a Matthiaeo et Madvigio intellectum est [4]): neque obstat huic interpunctioni que coniunctio, qua saepenumero Cicero etiam tunc utitur, ubi ad rem novam et a superioribus diversam oratio

---

3) Plerique saltem, in quibus et Epicurei et Stoici, sic statuerunt; paucis quibusdam terra moveri videbatur. Vid. quae ad Cleomedis libellum perutilem lectuque haud iniucundum a Bakio afferuntur p. 362.

4) Vid. Matthiae. in prolusione schol. ann. 1816, quae repetita est in eius Scriptis miscell. p. 54, et Madvig. ad C. de Finn. III, 22, 73.

progreditur, ut potuerit etiam Porro vel Iam vero dici. Notarunt hunc usum Madvigius ad C. de Finn. p. 476 et Goerenzius ad C. de 6 Legg. p. 47. — Quid autem verbo illo significetur faciendum est? Interpretandumne cum Wytenbachio in hanc sententiam, ut non ipsa ac tota res molesta, sed quasi quaedam umbra rei et imago intelligatur? Optare hoc quidem est, non interpretari: nam sic illud verbum in Latinorum sermone usurpari nec demonstratum est a Wyttenbachio nec poterit demonstrari. Rectius ergo Davisius et Heindorfius verbum corruptum esse iudicarunt, quamquam emendare non conati sunt: alter tantummodo sentiatur aut sensu percipiatur aut tale quid requiri ait. Nobis scripsisse Cicero videtur sic afficiatur (scil. corpus nostrum), quod et ad sententiam prorsus accommodatum est, et depravari in illud alterum propter quandam similitudinem litterarum facile potuit.

I, 10, 25. Velleius, postquam Thaletis sententiam commemoravit, qui aquam, mente adiuncta, initium rerum fecerat, huic contradicit his verbis: Si dii possunt esse sine sensu et mente, cur aquae adiunxit, si ipsa mens constare potest vacans corpore. Corrupta haec esse, si nihil aliud, ipsa certe membrorum comparatio docet. Duae enim conditiones uni sententiae altera praeponi altera postponi ita demum possunt, si, quae postponitur, nihil nisi alterius accuratiorem quandam definitionem continet: nostro autem loco alteram ab altera prorsus diversam esse videmus[5]). Apparet igitur excidisse alterius conditionis apodosin: haec autem, quae adest, cur aquae adiunxit, non potest non manca videri propter omissam obiecti designationem, quod quamvis apertum sit mentem esse, tamen in hoc quidem ver- 10 borum contextu reticeri non decuit. Alteram porro apodosin, eam quae posteriori conditioni nectatur, illi superiori contrariam esse debere apparet, ut, quemadmodum illa mentem aquae, sic haec aquam menti adiungendam fuisse neget. Singula verba praestare nemo volet: universam sententiam probabiliter sic restitui posse credo: Si dii possunt esse sine sensu et mente, cur aquae mentem, menti

5) Heindorfius locum sic restitui posse credit: Si dii possunt esse sine sensu, cur aquae mentem adiunxit, si ipsa mens constare potest vacans corpore. „Nam“ inquit, „protasis haec, si dii possunt esse sine sensu, per epexegesin quandam deinceps iteratur.“ Hoc refutari nihil opus est. Non magis contra eos disputandum, qui, sententia loci non perspecta, motu pro mente scribi voluerunt.

autem cur aquam adiunxit, si ipsa mens constare potest vacans corpore[6]). Scilicet Velleius non opus fuisse vult illa aquae et mentis commixtione, quae Thaleti placuit, sed satis fuisse aut aquam solam poni sine mente, si quidem fieri possit, ut mente ac sensu carentes dii sint, aut mentem sine aqua, si possint dii absque corpore sola mente constare. Quodsi quis tamen vacillare hanc Velleii disputationem dicat, haud equidem refragabor: ita enim loquitur, quasi Thales aquam mente adiuncta deum esse dixerit, quod non est credibile, et duo ista contraria sic ponit, quasi alterutrum sumi necesse sit, quod sane non concedendum est; sed scribarum nobis, non scriptoris peccata corrigenda sumpsimus[7]): a scribis autem quam facile peccari potuerit, oculis ab aquae ad aquam aberrantibus, ipse aspectus manifestum facit.

I, 23, 65. Abuteris ad omnia atomorum regno et licentia: hinc, quodcunque in solum venit, ut dicitur, effingis
11 atque efficis. Quae primum nullae sunt: nihil est enim, quod vacet corpore; corporibus autem omnis obsidetur locus; ita nullum inane, nihil esse individuum potest. Deesse aliquid ad argumentationis integritatem recte Lambinus et Davisius perspexerunt, mirorque Heindorfium his obloquentem nihilque requirentem. „Nempe," ait, „atomi nullae sunt, si non est inane spatium seu κενὸν illud Epicuri, in quo possunt agitari. Recte igitur Cotta nullas esse atomos ex eo docet, quod nihil sit quod vacet corpore." Atqui, ut concedam alterum ex altero sic, ut Heindorfio visum est, consequi, — quamquam hoc ipsum vereor ut concedi possit, — Cottam certe tali argumentatione non usum esse ipsius verba demonstrant. Quae primum nullae sunt —, ita qui loquitur, ostendit sese, posteaquam

6) Eodem fere modo iamdudum Lambinus scribi voluit: Si dii possunt esse sine sensu, cur mentem aquae, cur aquam menti adiunxit, si etc. omissis verbis et mente post sensu, quorum omittendorum nulla ratio est. Reliquae emendationi cur meam praeferendam arbitrer, perlecta hac disputatione lectores etiam me tacente intelligent.

7) Debebam, si hoc agerem, etiam de illis verbis dicere, quibus Thaletis sententia refertur: aquam dixit esse initium rerum, deum autem eam mentem, quae ex aqua cuncta fingeret. Neque enim fuit haec vere Thaletis sententia, neque, si esset, Velleii obiectiones in eam convenirent. Nunc autem satis est Krischium laudare, de Thalete diligenter disputantem: Die Theolog. der Gr. Denker p. 38 sqq. quamquam de Velleii obiectionibus ne is quidem verum vidit, p. 41.

nullas esse atomos docuerit, aliud quid de iisdem dicturum esse, et quidem, ut arbitror, hoc: si maxime sint, nihilo magis tamen id quod adversarii velint, statui de iis posse. Deinde postrema verba, ita nullum inane, nihil individuum esse potest, ostendunt utriusque rei probationes propositas fuisse, non, ut Heindorfius voluit, alteram, tanquam ipsam per se manifestam, tantummodo alterius probandae causa assumptam. Itaque quum dubitari non possit locum mutilatum esse, partem argumentationis supplere poterimus ipsius Ciceronis verbis, Acad. I, 7, 27: quae primum nullae sunt: nihil est enim *in rerum natura minimum, quod dividi nequeat;* reliquae partis qualis sententia fuerit, probabiliter coniici potest: verba ipsa nemo se restituere posse sperabit. Sed scriptum fuisse huiusmodi quid videtur: *deinde, ut sint, moveri per inane non possunt, siquidem id dicis inane,* quod vacet corpore: corporibus autem omnis obsidetur locus; ita etc.[8])

I, 27, 77. Arripere enim mihi videmini quasi vestro iure rem nullo modo probabilem omnium. Quis tam coecus in contemplandis rebus unquam fuit, ut non videret etc. Recte Heindorfius aliique illud omnium neque ferri in ista, quam posuimus, 12
interpunctione, neque vero ad sequens membrum trahi posse iudicarunt. Quod autem in codice D. Moseri mutato ordine scriptum est, Quis omnium, correctorem sapit, non minus quam quod Heindorfius et Orellius e codice Glogaviensi receperunt, Etenim. Verae lectionis vestigium servare videtur cod. Oxf. e: nam quod in eo scriptum est mirum, quid est aliud quam nimirum? cuius prima syllaba quam facile inter duas m delitescere potuerit, in aperto est. Neque abhorret hoc adverbium ab huiusmodi interrogatione figurata, quae certae et indubitatae negationis instar est, quasi dicas: nimirum nemo tam coecus fuit: quamobrem, licet similia exempla nunc quidem non in promptu sint, tamen, ratione fretus, reponendum esse nimirum arbitror.

I, 29, 82. Quid igitur censes? Apin illum, sanctum Aegyptiorum bovem, nonne deum videri Aegyptiis? Tam hercle quam tibi illam nostram Sospitam, quam tu nun-

8) Conf. etiam Lambin. ad Lucret. 1, 260 p. 47, qui locum sic scribit: quae primum nullae sunt: nihil est enim minimum. deinde nullum est inane: nihil enim est quod vacet corpore. etc.

quam ne in somnis quidem vides, nisi cum pelle caprina, cum hasta, cum scutulo, cum calceolis repandis. At non est talis Argiva nec Romana Iuno. Ergo alia species Iunonis Argivis, alia Lanuvinis, alia nobis. Duo postrema vocabula in codicibus ad unum omnibus desunt: nam quod Ursinus se ea in suo quodam libro vetustissimo repperisse ait, hoc testimonium nulla fide dignum esse satis constat. Sunt tamen haud dubie necessaria, si quidem superiora omnia sana esse censentur. Nam quum tres Iunones memoratae sint, Sospita, quae eadem Lanuvina est, Argiva, Romana, nunc in hac specierum comparatione hanc tertiam praetermitti non potuisse apparet. Hanc ob causam editores plerique inde a Davisio Ursinianum illud additamentum recipere non dubitarunt. Fateor tamen equidem, aliquid scrupuli mihi residere de ipsa illa Romana Iunone: nam nemo, quod sciam, Iunonem aut propria quadam specie Romae insignem aut illo cognomento appellatam fuisse tradidit.
13 Quodsi quis tamen incredibile dicat, Romanam hanc Iunonem ab aliquo correctore invectam esse, fortasse minus id incredibile videbitur, si in superiore membro non, quod nunc vulgatum est, illam *nostram* Sospitam, sed id, quod aliquot codices habent, illam *vestram* Sospitam, ab illo correctore lectum esse statuamus. Et videtur utique haec vera lectio. Nam quod statim additur: quam *Tu* nunquam ne in somnis quidem vides, nisi cum pelle caprina etc., propius quodammodo ad Velleium, (hunc enim Cotta alloquitur,) quam ad ceteros Sospitam illam pertinuisse demonstrat. Nempe Sospita Iuno ab initio propria Lanuvinis fuit, ac postea demum etiam Romae recepta est; Velleium autem Lanuvinum fuisse colligimus e c. 28, 79, ubi Roscius municeps eius dicitur: siquidem eum, quem ibi significari vix dubium esse potest, Q. Roscium comoedum, e Lanuvio fuisse Cic. de divin. 1, 36, 79 ostendit[9]). Itaque si vestram ab illo, quem diximus, correctore legebatur, offendere eum poterat, quod Lanuvinae huic Iunoni Argiva tantum, h. e. peregrina opponeretur, quasi nullam Romani quoque Iunonem haberent, quum praesertim mox Iovem Capitolinum memorari videret, et in eodem quo illum templo etiam Iunonem consecratam esse sciret. Hanc igitur ob causam ista duo verba, nec Romana, adscripsit, quibus deletis etiam illo Ursini additamento,

---

9) Video etiam Krischium l. l. p. 20 hoc argumento usum esse ad patriam Velleii demonstrandam.

quod ab omnibus codicibus abesse diximus, non amplius opus esse apparet.

I, 32, 89. Et tu quidem, Vellei, non vestro more, sed dialecticorum, quae funditus gens vestra non novit, argumenti sententiam conclusisti. Spreverunt Heindorfius et Orellius Manutii coniecturam quem, et recte quidem. Nam Cicero, licet, dialecticorum dicens, homines significaverit, tamen quum morem horum dicit, artem ac praecepta intelligit, eique notioni pronomen 14
accommodat. Ex eodem genere est, quod legitur in or. ctr. Pison. c. 29: etiam litteris, quod fere ceteros Epicureos negligere dicunt, perpolitus: cogitat enim perpoliri litteris. De legg. 1, 16, 45. Est enim virtus perfecta ratio, quod certe in natura est, hoc scilicet, ut perficiatur ratio. Ibid. II, 27, 69: dicam de magistratibus: id enim est profecto, quod rem publicam contineat maxime, nempe id, ut magistratus sint. Tuscul. 1, 2, 4. ergo in Graecia musici floruerunt, discebantque id omnes, id scilicet, quod musicorum est. — Sed postrema verba vitiata sunt. Nam neque argumenti sententia dici potuit pro sententia argumentando probata, neque unum Velleius argumentum, sed plura attulerat. Itaque vel propterea Lambino assentiri non possumus, qui argumento scribendum suasit, persuasitque Heindorfio; probaremus argumentis, quod Manutio placuit, nisi ipsa loquutio, argumentis sententiam concludere, abhorrere videretur ab ea, quam hic locus postulat, significatione, qua de re dictum est a Madvigio ad C. de Finn. p. 66. Sed quum in aliquot codicibus argumenta scriptum sit, hoc aliquis recipiendum, pro sententiam autem sententiae scribendum censeat. Praestat tamen, opinor, argumenti summam. Nam summam et sententiam a librariis alibi quoque permutata esse constat (vid. Madvig. l. l. p. 314.), quemadmodum etiam II, 4, 12 in plurimis codicibus pro summa constat scriptum est sententia constat. summa argumenti autem i. q. summa rationis, de Or. II, 38, 158. summa connexio h. e. conclusio ap. Quintil. I. O. V, 14, 17.

I, 40, 110. Non arbitror te, Vellei, similem esse Epicureorum reliquorum, quos pudeat earum Epicuri vocum, quibus ille testatur, se ne intelligere quidem ullum bonum, quod sit seiunctum a delicatis et obscoenis voluptatibus. Laudandi sunt Lambinus et Heindorfius, quod negationem ante pudeat, quamvis in nullo codice repertam, inserere tamen non dubitarunt: est

enim plane necessaria, idque tam perspicue iam ab Heindorfio demonstratum est, ut mirer non persuasum esse Orellio, qui nescio quam urbanitatem in vulgata lectione sibi invenire visus est, eamque tueri his verbis conatur. „Erant Epicurei“, inquit, „qui pudore quodam commoti negarent Epicuro placuisse obscoenas voluptates. Salsissima autem *εἰρωνείᾳ* (nimirum haec est urbanitas) significat Tullius Velleium, qui fidenter agere solebat (supra §. 18), nequaquam fuisse e genere illo Epicureorum nimis religiosorum. Quocirca etiam §. 13: annuere te video.“ Atqui hoc quidem annuere nihil aliud significat, quam fateri Velleium, dicta esse ab Epicuro quae adversarii culpent: pudeatne ipsum illorum an non pudeat, ex hoc nutu intelligi non potest. Nostro autem loco, si omittitur particula negativa, Cicero non hoc dicet, quod Orellius vult, esse inter Epicureos, quos magistri vocum pudeat, nempe nonnullos, sed pudere earum, praeter Velleium, omnes. Reliqui enim dicuntur, qui aliqua vel magna vel exigua parte excepta relinquuntur: exceptus autem nunc unus Velleius est: reliqui ergo omnes sunt. Omnes vero Epicureos, praeter Velleium, pudere istarum vocum, hunc unum non pudere, id profecto Cicero ne cum ironia quidem dicere potuit. Itaque Orellius, si addere negationem invitis codicibus dubitabat, aut aliquorum pro reliquorum, cum Boherio scribere, aut etiam cum Davisio eam negationem, quae nunc est ante arbitror, transponere ante pudeat debebat, ut Velleius aut cum plerisque Epicureis aut cum omnibus facere diceretur. Sed horum utrumvis Lambini emendationi postponendum esse persuadebit fortasse alius loci comparatio, ubi item unus Velleius reliquis Epicureis dissimilis esse dicitur, II, 29, 74: nec vero hoc in te convenit, unum moribus domesticis ac nostrorum hominum urbanitate limatum, sed quum in reliquos vestros, tum in eum maxime, qui ista peperit. Ita enim hic locus scribendus est: vulgo in te unum convenit, quod alii aliter emendare, nonnulli etiam defendere frustra conati sunt.

Haec hactenus: iam ea proponenda sunt, quae ad crastini festi celebrationem pertinent. — —

Scrib. Gryphiswaldiae prid. Id. Octob. MDCCCXLIX.

COMMENTATIO II. AD CICERONIS LIB. DE NAT. DEOR.

Quod anno superiore facere coepimus, ut hac academicarum 3
scriptionum opportunitate uteremur ad emendandos aut illustrandos aliquot locos Ciceronis librorum de natura deorum, in hoc instituto pergendum tanto magis esse videtur, quod nec scriptorem facile quemquam eorum, qui haec lecturi sunt, omnium studiis magis quam Ciceronem communem, neque libris eius ullos diligenti criticorum cura aut digniores aut magis indigentes esse censemus. Quamobrem quum in programmate prid. Id. Oct. anni sup. edito decem libri primi locos tractaverimus, qui nobis aut corrupti aut a corruptelae suspicione vindicandi esse viderentur, nunc reliquos huius generis locos ex eodem libro persequemur, deque iis sic disputabimus, ut cur quisque locus aut emendandus aut vindicandus sit, patefiat, et vera aut emendandi aut interpretandi ratio certis argumentis demonstretur; quod si effecerimus, nonnihil sane utilitatis ex hac disputatione redundaturum speramus in optimorum adolescentium studia, qui ad criticam artem nobis non modo praeceptis, sed magis etiam exemplis instituendi sunt.

Vindicandus autem statim in principio, I, 1, 1, is locus est, ubi haec quaestio de natura deorum et *ad agnitionem animi pulcherrima*, et *ad moderandam religionem necessaria* dicitur. Codices omnes *agnitionem* habent, praeter duos Wowerianos unumque Oxf. e, in quibus *cognitionem* legitur: quumque superiores plerique illud alterum probassent, F. A. Wolfius[1]), quemadmodum olim Lambinus, pauciorum codicum lectionem unice veram esse contendit. Nam *agnitionis* vocabulum proprio sensu acceptum alienius esse ait a talis disputationis initio, ubi quaestio simpliciter dici debue-

1) Analect. littr. Vol. 1 p. 280.

rit, ut hodie loquimur, et theoretice et practice pulcherrima s. gravissima; neque vero pro cognitione agnitionem hoc loco poni potuisse propter sensus ambiguitatem, licet non desint exempla, ubi „paene" pro cognoscendi verbo legatur agnoscere, ut infra c. 18, 49 et de Finn. V, 18, 49. Horum argumentorum mihi neutrum verum esse
4 videtur. Ac primum quidem hoc de ambiguitate nollem a viro doctissimo usurpatum: neque enim unquam boni scriptores agnitionem pro cognitione, agnoscere pro cognoscere dixerunt, et Wolfius ipse, quum „paene" ita dici ait, pugnat paene secum. Nam aliquid certe discriminis, quamvis exiguum, esse fatetur: quod si ita est, non sane verendum erat, ne peritis lectoribus et discriminis illius gnaris ambiguitas errorem obiiceret. Atque in ipsis illis duobus locis, quos indicavit, discrimen illud declarari potest. Nam cap. 18, 49 quum Velleius Epicuri placita et inventa acutius et dicta subtilius esse dicat, quam ut quivis ea possit agnoscere, hoc dicit, non facile quemvis ea percipere veritatemque eorum intelligere posse, id quod non significaret, si cognoscere dixisset. Nam cognosci possunt etiam quae non intelliguntur: agnitio sine perceptione et intellectu nulla est. Item in altero loco, de Finn. V, 18, 49, ubi versus ex Homero conversi hi sunt:

O decus Argolicum, quin puppim flectis, Ulixes?
Auribus ut nostros possis agnoscere cantus.

Exaudire quidem Sirenum cantum et cognoscere Ulixes etiam in praetervehendo poterat, non minus quam verba alloquentium exaudit atque cognoscit: agnoscere autem cantum h. e. quae et qualia illae canerent intelligere non poterat, nisi flecteret navem cursumque inhiberet. Nempe, ut rem brevi complectar, cognoscere in universum dicitur, ubi res aliqua a nobis animadvertitur et ad notitiam nostram pervenit, agnoscere autem tum demum, ubi notis quibusdam, quae et qualis ea res sit, iudicare et statuere possumus. Itaque quum latius pateat cognoscere quam agnoscere, illud quidem licebit, ut cognoscere dicamus, ubi potuerit etiam accuratius agnoscere dici[2]): agnoscere autem pro cognoscere dici non licebit. Neque enim opus est, etiamsi quando notitia nostra cum certo de rei qualitate iudicio coniuncta est, hoc etiam verbis diserte indicari; ubi autem notas nullas

2) Cf. Nonius p. 276 Merc. — Madvig. ad C. de Finn. p. 281. Zumpt ad Verrin. p. 887.

habuimus, unde, qualis esset res a nobis cognita, iudicare et statuere possemus, ibi illud verbum, quod talis iudicii ex notis facti significationem habet, usurpari absonum est. Ad demonstrandum utriusque verbi discrimen facere potest etiam Pacuvii versus a Prisciano citatus, X. p. 887 Putsch.:

In turba Oresti cognita, agnota est soror.

Cognita est enim Iphigenia simul atque conspecta in turba et discreta a ceteris est: agnita autem, postquam, quaenam esset, notis quibusdam intellectum est, nempe soror Orestis. Potuit etiam:

In turba Oresti visa, cognita est soror,

non diserte expressa iudicii significatione, quoniam haec satis manifesta fit, ex addito sororis vocabulo, quo significatur, quamnam ille eam esse intellexerit. Contra apud Ciceronem de N. D. II, 38, 96: tenebras tantas — ut per biduum nemo hominem homo agnosceret, non recte diceretur cognosceret, quoniam res ipsa hoc indicari postulat, nullas fuisse notas, quibus quis perciperet atque intelligeret, quis esset cui occurreret. Neque Acad. II, 27, 86: simul inflavit tibicen, a perito carmen agnoscitur: quod quid sit, de- 5
clarat alter locus II, 7, 20: primo inflatu tibicinis Antiopam esse aiunt aut Andromacham, quum id nos ne suspicemur quidem. Scilicet periti certas quasdam notas habent, unde illud intelligant: minus periti, quibus notae illae desunt, cognoscere quidem cantum possunt, agnoscere autem non possunt. — Ita animum agnoscere recte dicetur, qui, qualis sit animus, notis quibusdam intelligit, vel, ut Forcellinius interpretatur, qui naturam eius cognoscit. Ad talem autem animi agnitionem haec de natura deorum quaestio propterea pertinet, quod, natura divina cognita, certis quibusdam notis animi nostri cum divis cognatio perspici potest: eamque esse Ciceronis sententiam intellexerunt Turnebus Advers. XIV, 14, Davisius ad h. l. aliique plures, e quibus nunc O. Müllerum, Script. min. I. p. 231 et Krischium, in libro de vett. philos. placitis theologicis p. 7, nominare satis est. Neque perspicio, qua ratione Wolfius hanc interpretationem ab huiusmodi disputationis initio alienam esse dicat. Nempe quaestionem simpliciter theoretice et practice pulcherrimam s. gravissimam dici debuisse vult: apparet autem agnitionem animi ad θεωρίαν, religionis moderationem ad πρᾶξιν pertinere. Quodsi illud „simpliciter" urgendum est, ut quasi nuda quaedam et generalis θεωρίας significatio necessaria fuisse dicatur, non indicato simul, quo illa per-

tineret quave in re versaretur, prorsus eodem modo etiam alterum illud ad moderandam religionem reprehendi debebat: nam etiam in hoc non nude et generaliter illud practicum significatur, sed quale sit et quo pertineat indicatur. Itaque legem istam Wolfii Ciceronem certe non sequutum esse videmus: neque nos, opinor, veram eam esse agnoscemus. Quod autem ille commendat, cognitionem, tantum abest ut praeferendum sit, ut mihi quidem etiam deterius et ambiguitatis crimini magis obnoxium esse videatur. Nam quum agnitionem animi nemo non eam esse intelligat, qua animus agnoscatur, cognitio animi dubitari potest, utrum ea dicatur, qua cognoscatur animus, an qua cognoscat ipse aliud, quam quidem Wolfius significari vult, citans etiam Gellii locum N. A. IX, 2, de genitivi significatione modo obiectiva, ut nunc loquimur, modo subiectiva. Atqui hic ipse genitivus animi subiectiva significatione ad cognitionem additus Heindorfium offendit; neque immerito: certe alterum huiusmodi exemplum me legere non memini, et quae similia videri possint, iudicium animi, de or. II, 89, 363, ap. Sallust. Iug. c. 4, 4, munificentia animi. ib. c. 7, 7, virtus animi Catil. 2, 3., timor animi, animi cura de or. III, 1. aliaque plura apud Kritzium ad Sall. 1 p. 304, tamen accuratius consideranti diversa esse videbuntur. Sed nolo hoc nunc persequi: concedam nihil offensionis illam loquutionem habere: ambiguitatem quidem certe, ista lectione admissa, maiorem esse quam in illa altera, satis apparere puto. Quod autem Heindorfius ne agnitionem quidem animi sibi satis placere profitetur propter brevitatem atque obscuritatem a Ciceronis more alienam, requiritque ad humanae mentis v. ad nostrorum animorum agnitionem —: quid obscurum, quid non obscurum sit, alii aliter iudicare solent: velut mihi loci sententia satis aperta videtur, aliisque visa est; Heindorfio ut aliter videretur, nescio an ipsius potius quam loquutionis culpa accidisse dicendum sit.

Sequuntur apud Ciceronem haec: de qua tam variae sunt
6 tamque discrepantes sententiae, ut magno argumento esse debeat, causam id est principium philosophiae esse inscientiam. In his postremum vocabulum, inscientiam, pro eo, quod olim legebatur, scientiam, editores inde a Davisio omnes receperunt, universaque loci sententia quum ab aliis, tum maxime ab Ernestio [3]), tam luculenter explanata est, ut nihil a me addi opus

3) In clav. Cicer. s. v. inscientia.

sit. Restat tamen una offensio in verbis **id est principium**, quibus qua ratione Cicero illud alterum, **causam**, interpretari voluerit aut potuerit, non facile perspicias. Neque enim obscura videri poterat huius verbi significatio, ut quis eam sibi accuratius explicari postularet, neque verum est, idem esse **principium** atque **causam**. Nam **principium** licet nonnunquam etiam **causa** dici possit, propria tamen eius significatio alia est, suntque persaepe rerum principia a causis magno opere diversa. Absonum erat autem interpretando ei vocabulo, de cuius significatione dubitari non posset, alterum adhibere significationis latius potentis atque variae. Id, opinor, sentientes Wyttenbachius et Heindorfius ista tria verba pro spuriis habuerunt, neque Wolfius, quum patrocinium eorum susciperet, ea protulit, quae satis ad persuadendum valeant. Expressum enim a Cicerone illud esse vult, quod graece dicatur *αἰτία καὶ ἀρχὴ* sive *ἀρχὴ αἰτιώδης*. Atqui *αἰτία καὶ ἀρχὴ* quum dicitur, copulantur duae notiones sic, ut in unam utraque rem cadere, non autem ut alterum vocabulum eandem cum altero notionem habere dicatur, quemadmodum fieret, si diceretur *αἰτία ἤγουν ἀρχή*: quum autem *ἀρχὴ αἰτιώδης* dicitur, prius vocabulum, quod latioris significationis est, addito adiectivo *αἰτιώδης* definitur et ad certum significatum revocatur, quod in vulgata apud Ciceronem lectione contra esse videmus. Tamen quod Wyttenbachius suspicatus est, verba ista glossam esse hominis, qui **causam** non intelligeret, parum credibile est. Credibilius videtur, a librariis erratum esse: cuius erroris originem satis probabiliter demonstrari posse puto. Scripserat Cicero: **ut magno argumento id esse debeat, causam et principium philosophiae esse inscientiam**; sed pronomen **id** a describentibus omissum, post in margine adscriptum, ab aliis mox alieno loco ante **et** insertum est, quo facto quam proclive fuerit pro **id et** corrigere **id est**, neminem fugit[4]). Necessarium autem esse pronomen **id**, si legatur **debeat**, quod codices praeter unum, in quo est **debent**, omnes tuentur, recte iam Ernestius intellexit. — **Causam et principium** Cicero coniunxit, quo utrumque significaret, et

4) Transponendo pronomine sanandus est etiam locus de Legg. 1, 4, 12: **quamobrem quum placebit experiendum tibi censeo. M. Id, si quidem, Quinte, nullum esset in experiendo periculum.** Scrib.: **experiendum id tibi censeo. M. Si quidem etc.** — Omissi a librariis pronominis exemplum est d. N. D. II, 66, 167, ubi scribendum: **Nec vero *id* ita refellendum est.**

propter inscientiam factum esse, ut homines philosopharentur, scilicet scientiae cupiditate, et ex hac ipsa inscientia, quum se nihil scire persentiscerent, natum esse principium philosophiae, et primum quasi gradum factum esse ad scientiam enitendi.

Paullo post e Lambini emendatione legitur: *quid est enim temeritate turpius?* eamque emendationem, quattuor codicum postea collatorum duarumque veterum editionum, Basileensis et Ascensianae, auctoritate confirmatam, merito recentiores editores ad unum omnes receperunt, neque quisquam, quod quidem ego meminerim, im-
7 probavit praeter F. A. Wolfium, qui explosam a ceteris et reiectam lectionem *fortius* vindicare argutulae cuiusdam interpretationis artificio conatus est. Negat se moveri exemplis, quae Lambinus aliique attulerunt, ut turpitudinem temeritati quasi propriam attribui solere ostenderent: nam posse, quod turpe sit, tamen etiam aliis nominibus censeri. Potest sane: modo apta ea nomina et rei convenientia sint. Temeritas autem qua ratione *fortis* censeri potuerit, Wolfius me non docuit; cuius omnis disputatio huc redit, ut Ciceronem, qui antea de cohibenda assensione dixerit, quoniam ea cohiberi sine aliqua vi non possit, huic nunc opposuisse statuat vim temeritatis, quae incautos et imprudentes abripiat atque in errorem inducat. Itaque *quid est temeritate fortius?* idem significare vult, atque: quid habet maiorem vim, quam temeritas? Sed quamvis magna vis temeritatis esse censeatur, *fortis* quominus dicatur ipsa eius natura obstare videtur. Nisi forte etiam levitatem, inconstantiam, ignaviam, pigritiam, quorum vitiorum vim magnam esse nemo negabit, propterea *fortes* dici posse credimus. Quid est enim illa, quam Cicero dicit, temeritas, nisi levitas quaedam animi, quae obfirmare se contra errorum illecebras falsamque speciem non possit, sed facile atque inconsiderate assentiatur? quae profecto *fortis* h. e. firma atque constans dici nullo modo potuit[5]). Atque etiamsi quis ipsa temeritatis natura illud nomen respui minus intelligat, hoc tamen certe loco non vim eius, sed turpitudinem potius a Cicerone commemorandam fuisse universa sententiarum connexio manifestum faciet. Nam postquam propter ingentem placitorum varietatem et discrepantiam, quae magnum inscientiae documentum haberi deberet, prudenter Academicos assensionem a rebus incertis et

5) *Imbecilla* potius huiusmodi assensio dicebatur a Stoicis. Tuscul. IV, 7, 15.

quae sciri non possent cohibuisse dixit, iam, quo magis eos prudenter fecisse appareat, ex adverso ponit, quod contrarium est, assentiri sine ulla dubitatione rebus incertis et incompertis, idque indignum sapiente esse dicit. Atque hoc facit bimembri oratione: primum brevius: turpem esse temeritatem; deinde explicatius: temeritatem maximam esse in assensione inconsiderata, eamque indignissimam esse sapientis gravitate. Qua ratione autem haec duo membra cum superiore enuntiatione cohaereant, manifestum facit causalis coniunctio enim, priori membro inserta. Nimirum sic omnia inter se connexa sunt: prudenter fecerunt Academici, quod in tanta sententiarum discrepantia assensionem cohibuerunt, neque temere uni alicui sententiae assenserunt: nam hac temeritate nihil est turpius. Iam cogita cum Wolfio: prudenter fecerunt, quod non temere assenserunt, nam temeritate nihil est fortius: intelliges profecto perversam et ineptam esse sententiarum compositionem.

Cap. V, 12. Non enim sumus ii, quibus nihil verum esse videatur, sed ii, qui omnibus veris falsa quaedam adiuncta dicamus, tanta similitudine, ut in iis nulla insit certa iudicandi et assentiendi nota: ex quo existit et illud, multa esse probabilia, quae quamquam non perciperentur, tamen, quia visum haberent quendam insignem et illustrem, his sapientis vita regeretur. — Offendere debent haec imperfecta, perciperentur, haberent, regeretur, praesenti tempori verbi 8
existit contra regulam subiuncta: turbatumque aliquid a librariis esse etiam variantes codicum scripturae suspicionem faciunt, quorum unus exstitit, unus exitit, pro perciperentur autem unus percipiantur, denique pro haberent item unus habent offert. Non dubito equidem, quin extitit a Cicerone scriptum sit, nec moveor Wolfii rationibus, quibus ille vulgatam scripturam defendit.[6]) „Hic deflexus

---

6) Dissentit a Wolfio etiam Beierus ad Cic. de Offic. tom. II. p. 3. Sed locum emendari vult in hunc modum: quae quamquam non percipiantur (e cod. Rehd.), tamen, quia visum habent (e cod. Ox. e.) quendam illustrem, his sapientis vita regetur. Removetur sane sic ἀνακολουθία vulgatae lectionis, de qua dictum est a nobis in annotatione edit. nostrae; sed hanc ἀνακολουθίαν perquam excusabilem esse apparet: emendatio autem illa ut supervacanea est, ita nihil praesidii habet ex istis duobus codicibus, quorum scripturas nemo non correctori cuipiam deberi intelligit.

temporum" inquit „post praesentia nihil habet omnino, quod offendere debeat, quum multa eiusdem modi exempla vel non quaerenti occurrant. Unum et insigne infra c. 15, 39. 40. inde a verbo fluerent: plurima apud alios scriptores." Atqui illud quidem exemplum, quod est c. 15, 39. 40., accuratius inspicienti haudquaquam eiusdem modi esse videbitur. Refert enim ibi Cicero Chrysippi placita, verbo usus ait enim: quemadmodum saepenumero in referendis placitis alienis, quamvis ante longum tempus propositis, tamen, quia in scriptis hodieque extant, praesenti tempore inquit, ait, dicit et similibus uti omnes consuevimus. Sed apparet talia praesentia de priorum placitis minus proprie usurpari, quum proprie et ad veritatem convenienter praeteritis utendum fuerit: atque hinc fit, ut in eiusmodi relationibus ille, quem Wolfius dixit, deflexus temporum facilis et frequens sit, velut in hoc ipso libro c. 22, 61: quid dicit, quod non modo philosophia dignum esset, sed mediocri prudentia? Sic enim ibi omnes codices habent: nam quod Ursinus se in antiquo libro sit invenisse testatur, nullam fidem habet. Sat multa huius generis exempla collegerunt Wopkensius, Lectt. Tull. II, 2 p. 126 [7]), Kruegerus de consequut. temp. p. 52. 53, Madvigius ad Cic. de Finn. p. 464, qui etiam rationem huius dicendi generis, quamque late id apud Ciceronem pateat, prudenter aperuit, quum eandem iam ante eum Handius in annotatione ad Wopkensium p. 47 breviter significasset. Nihil igitur eiusmodi exempla ad tuendam nostri loci scripturam valere possunt. — Maior de et coniunctione dubitatio est. Eam enim sunt sane plurimi, qui pro etiam a Cicerone usurpatam esse nolint. Ego vero hac in re Wolfium potius audiendum puto, neque damnandum, quod, quamvis raro factum sit, tamen, cur nunquam factum sit, nemo perspicere possit [8]). Nam quum de ceterorum scriptorum usu satis constet, qui Ciceronem ab eo plane

---

7) Admiscuit tamen Wopkensius nonnulla generis diversi, quemadmodum recte Handius notavit. Horum in uno, d. N. D. II, 56, 141: in aedificiis architecti avertunt ab oculis ea, quae profluentia necessario taetri aliquid essent habitura. — imperfectum conditionale est, et apodosin habet ad eam protasin, quae latet in participio profluentia, quod nihil est aliud quam si profluerent. Quamobrem ne potuisse quidem h. l. praesens usurpari manifestum est. — De imperfectis praesenti historico subiunctis non opus est dici.

8) Tractarunt hanc quaestionem quum alii, tum omnium accuratissime Handius in Tursellino tom. II. p. 490 sqq. Maxime huc pertinent, quae p. 513 et 518 collecta sunt. Cf. et Diedrich. in Diurn. antiquar. ann. 1837 p. 375.

abhorrruisse contendunt, non rationibus pugnant, sed nihil nisi exem- 9
pla quum pauca tum incerta et suspicioni obnoxia esse aiunt: qua de re, ante quam Ciceronianorum librorum codices omnes ea, qua par est, diligentia examinati et singulorum locorum auctoritates perpensae fuerint, certo iudicari non potest. Interim ego Ciceronem in epistolis certe et in scriptis philosophicis, quae sermonem familiarem et quotidianum imitantur, *et pro etiam* dixisse credo, ubi vim illam, quam habet *etiam*, paullo lenius significari satis esset. Nostro autem loco si retinemus *et*, omissam alteram sententiam, quo tacite respiciatur, facile subaudire poterimus. Nempe ex Academicorum ratione, omnibus veris falsa quaedam adiuncta esse dicentium, haec duo extiterunt, ut et in quaestionibus ad solam cognitionem pertinentibus s. theoreticis veri similitudinem (τὸ πιϑανόν), et in iis, quae ad mores vitamque regendam pertinerent, probabilitatem (τὸ εὔλογον) sequerentur. Cf. Acad. II, 10, 32: *volunt enim probabile aliquid esse et quasi veri simile, eaque se uti regula et in agenda vita et in quaerendo ac disserendo.*

Cap. IX, 21: *Sed fuit quaedam ab infinito tempore aeternitas, quam nulla temporum circumscriptio metiebatur; spatio tamen qualis ea fuerit intelligi non potest, quod ne in cogitationem quidem cadit, ut fuerit tempus, nullum quum tempus esset.* Haec est codicum Regii, Mediani Moserianorumque complurium lectio, quam etiam veteres editores ante Davisium, quantum quidem ego sciam, omnes tenuerunt: in aliis autem codicibus *intelligi potest* sine negatione legitur, horumque auctoritatem Davisius, Ernestius, Orellius, Moserus sequuti sunt, quum Heindorfius et Nobbius vulgatam ante Davisium lectionem restituerint. Apparet autem in tali re non tam codicum auctoritatem quam rationis momenta spectanda esse, quam quum Heindorfius recte perspexisset satisque demonstrasset, adversarium tamen Wolfium nactus est, cuius disputatio quum imposuisse ceteris videatur, paullo accuratius nobis refutanda veraque loci sententia explicanda est. Sic igitur ille: „Si levem“ inquit „membrorum traiectionem notemus, hanc minime obscuram habebimus sententiam: Fuit quaedam ab initio temporis aeternitas, quae spatio quidem qualis aut quanta fuerit, potest intelligi, h. e. animo, ratione, cogitatione fingi, sed quam nulla temporum circumscriptio metiebatur: quod (s. quoniam) cogitari omnino nequit tempus aliquod tum fuisse, quum nondum ullum tempus esset.“ Addit deinde: „Etiam simplicius sic dixeris:

Tempus sensu quodam verbi iam fuit, antequam mundus noster conditus esset, etsi tum — χρόνῳ illo ἀχρόνῳ — aevi mensuram non, ut nunc, menses et anni faciebant.“ et paucis interiectis: „Huc accedit, quod nuper verissime monitum est, verbo tamen vel ipso satis excludi additam negationem, atque etiam eo, quia Cicero in proximis, Isto tam immenso spatio, post ampliorem παρενθήκην nullo modo potuisset in vocabulum spatii incidere, nisi antea idem spatium posuisset ad explicanda innumerabilia saecula.“ Horum omnium equidem nihil verum esse iudico. Nam, ut initium ab eo faciam, quod postremo loco positum est, isto tam immenso spatio Ciceronem non potuisse dicere, nisi etiam antea eodem spatii vocabulo ad innumerabilia saecula designanda usus esset, id prorsus vanum nullaque ratione dictum
10 est. Nam quum spatii vocabulum, itidem ut temporis, duobus modis usurpari soleat, ut aut infinitum nullisque terminis inclusum, nulla mensura descriptum dicatur, aut definitum atque mensurabile, nihil obstabat profecto, quominus Cicero nunc immensum spatium diceret, etiamsi antea aut plane non usurpasset hoc vocabulum, aut mensum spatium significasset. Deinde ut verbo tamen excludi negationem crederet, haec haud dubie ratio virum doctissimum induxit, quod per adversativam coniunctionem superiori enuntiationi, quam nulla temporum circumscriptio metiebatur, necessario contrariam enuntiationem affirmativam opponi debuisse putaret. Atqui fefellit eum vera membrorum inter se relatio atque connexio, quae talis est, ut huic membro, fuit quaedam ab inf. temp. aeternitas — opponatur illud adversativum, spatio tamen qualis ea fuerit, intelligi non potest, quae autem interposita est enuntiatio relativa, quam nulla temporum circumscriptio metiebatur, tantummodo ad aeternitatis notionem disertius explicandam pertineat. Non igitur huic, sed superiori membro illud tamen opponitur, et rectissime se hanc oppositionem habere manifestum est. Nam fuisse quandam aeternitatem pro certo et confesso ponitur; sed quamvis fuisse aeternitatem statuendum sit, tamen qualis ea spatio fuerit, intelligi non posse confitendum est. Atque sic demum etiam proxima enuntiatio causalis recte adiungitur. Quippe propterea illud intelligi non posse dicitur, quod ne in cogitationem quidem cadat, ut fuerit tempus, quum nullum tempus esset. Nimirum tempus, quod proprie atque usitate dicitur, et cuius notio atque intelligentia omnium animis informata est, necessario

etiam mensurae notionem sibi adiunctam habet[9]): quamobrem ante mundi ortum, quum nihil esset, quod metiri quidquam posset, ne tempus quidem, proprie dictum, fuisse apparet: quodsi quis tamen de antemundano quodam tempore loquitur, is improprie loqui et, ut logici aiunt, contradictionem in adiecto admittere dicendus est. Atque hoc est, quod Velleius in cogitationem cadere negat, sive aliis verbis, quod intelligentiae nostrae vim et notionem fugit neque informari animo potest[10]); recteque hoc enuntiato comprobat atque confirmat id, quod ante dixerat, aeternitatem, qualis *spatio* fuerit, intelligi non posse. Nam intelligere, quale aliquid spatio sit, quid est aliud, nisi quam magnum aut parvum, quam longum aut breve sit, h. e. quam mensuram habeat, intelligere? Aeternitas autem, quum omnem mensurae notionem excludat, qualis spatio vel quanta fuerit, intelligi non potest. Eum igitur, qui, licet nullam temporis circumscriptionem, h. e. nullam mensuram aeternitatis esse concessisset, tamen spatio qualis aut quanta ea fuisset, intelligi a se posse dixisset, quae Wolfii opinio est, omnes profecto dialectici, ipsique etiam Epicurei, quamvis minus in dialecticis versati, omnes denique, qui quid esset *intelligere* didicissent, iure ac merito aut admirati essent aut risissent.

Cap. X, 23: *Qui vero mundum ipsum animantem sapientemque esse dixerunt, nullo modo viderunt animi naturam, intelligentes in quam figuram cadere posset.* Nemini dubium esse potest, quin locus corruptus sit. Nam, ut nunc est, qui vidisse animi naturam negantur, iidem tamen intelligentes dicuntur, in quam figuram animus cadere posset, et ita dicuntur, quasi propterea illam 11
vidisse negentur, quod hoc intellexerint, id quod prorsus contra mentem loquentis ipsumque per se absurdum esse apparet. Itaque Lambinus tres emendationes proposuit: unam, ut scriberetur: *nullo modo animi naturam intelligentes non viderunt, in quam figuram cadere posset*; alteram: *nullo modo viderunt animi naturam, non intelligentes in quam fig. cad. poss.*; tertiam denique: *non viderunt animi naturam nullo modo in eam figuram cadere posse.* Harum primam, et magis etiam postremam, iusto violentiores esse et nihil probabilitatis habere apertum est; media autem, quamvis

9) Cf. de invent. 1, 26, 39. 27, 40.

10) Infinita enim intelligentiam fugiunt: τὰ ἄπειρα οὐκ ἔστι διεξελθεῖν νοοῦντα. Arist. Analyt. post. 1, 14.

ad sententiam non inepta, nemini tamen praeter Davisium placuisse videtur. Neque id mirum est. Quippe diligentiorem sermonis Ciceroniani observatorem participium illud, non intelligentes, offendit, cuius loco, in huiusmodi quidem contextu, verbum potius neque intellexerunt aut quum non intelligerent expectares. — Grruterianae lectioni: non viderunt animi naturam intelligentis in quam f. c. p., in duobus codicibus repertae et a Boherio probatae, non sine causa Davisius opposuit, nunquam sic a Cicerone animum intelligentem dici pro ea parte animi, quae sit rationis et intelligentiae particeps: quocum consentiens Wolfius „nihili est“ inquit, „animus intelligens, quoniam Latine intelligentiam non animus habet, sed pars animi, mens.“ Id igitur etiam contra Ernestium dicendum erit, qui in Gruteri lectione hoc unum mutavit, ut, vitandi scilicet graecismi causa, natura pro naturam poneret, quemadmodum postea Moserus in uno codice scriptum invenit; probavitque eam scripturam etiam Wyttenbachius prae ea, quam ipse antea excogitaverat: nullo modo videntur animi naturam intellexisse in quam f. c. p., quae sane, quamvis ad sensum apta, nullo modo tamen probabilis videri potest. Denique Eichstadius scribendum coniecit: nullo modo viderunt animi natura et intelligentia in quam f. c. p., eique assenserunt Wolfius, Matthiaeus, Moserus, ego autem in ea, quae mox prodibit, horum librorum editione etiam sic excudi iussi, non quod mihi constaret de emendationis veritate, sed quod lenissima saltem esset, eaque recepta locus sine ulla offensione legi posset, quod quidem in illius editionis consilio imprimis spectandum fuit. Verius autem hoc puto, ut participium sive intelligentes sive intelligentis plane deleatur. Atque genitivum quidem ab aliquo correctore positum esse nemo dubitabit; sed nominativum non minus correctori deberi arbitror, qui quum vim verbi viderunt non ultra accusativum animi naturam pertinere posse opinaretur, ideoque deesse aliquid putaret, unde proxima verba, in quam figuram cadere posset, penderent, participium illud adscripserit, sive addita negatione sive non addita: quis enim, quantum ille sapuerit, scire potest? Structurae autem illius, quam attractionem hodie dicunt, exempla apud Ciceronem complura in epistolis et libris philosophicis reperiuntur, velut in hoc ipso libro d. N. D. I, 26, 73: istud quasi corpus et quasi sanguinem quid sit
12 intelligis? Tuscul. 1, 24, 56: sanguinem, bilem, pituitam, ossa, nervos, venas, omnem denique membrorum et totius

corporis figuram videor posse dicere, unde concreta et quo modo facta sint. De republ. I, 46: quam (rempublicam) simul et qualis sit et optimam esse ostendam. De Invent. II, 57, 150: Vim rei qualis et quanta sit cognoscamus. De Div. II, 50, 103. Videsne Epicurum — quemadmodum, quod in natura rerum omne esse dicimus, id infinitum esse ostenderit? Ad Famil. IV, 1: Rem vides quomodo se habeat[11]). — Ceterum testatur Wolfius, se in vetere quadam editione natura non naturam scriptum, molestum autem illud participium omissum vidisse: consultone, ait, et ex codice, an incuria, quis dixerit?

Cap. X, 24. Quodque in nostro corpore, si minima ex parte significetur, molestum est, cur hoc idem non habeatur molestum in deo? Dictum est de hoc loco in programmate anni superioris, ubi pro significetur, cuius verbi probabilem interpretationem nullam esse cum Davisio et Heindorfio iudicarem, scribendum sic afficiatur conieci. Fugerat me tunc, nescio quomodo, Beieri annotatio ad C. de Offic. I, 15, 46, qui Wyttenbachii interpretationem eam, quam equidem opinabilem, non autem probabilem nedum demonstrabilem esse dixi, unice veram esse credit, ut significetur sit i. q. se ostendat, vel, quemadmodum ille mox accuratius definit, ut significari dolor aut molestia ea dicatur, cuius quasi quaedam umbra atque imago sentiatur. Hoc igitur Beierus amplexus, „nos“ inquit „similiter de levi quadam et fugiente affectione, qua obiter tantum tangimur, et de doloris aut morbi quasi quibusdam praenuntiis vix ac ne vix quidem sentiendis dicimus: es meldet sich an, es lässt sich eine leise Anwandlung spüren.“ Me tamen nondum poenitet iudicii mei, quum optare hoc, non interpretari esse dixi: nam istum illius verbi in Latinorum sermone usum aut demonstratum esse a Wyttenbachio, aut demonstrari posse nego. Quod enim ille graecum ἐπισημαίνειν comparavit, Beierus nostrum sich anmelden, quodque aliquis fortasse etiam id, quod dici solet eine Andeutung, aut alia eius generis advocabit, haec omnia nihil ostendunt, nisi licuisse etiam Latinis, si voluissent, verbum significare simili quodam modo usurpare: vere id sic usurpatum

---

11) Cf. qu. laud. Gies. ad C. de Div. II, 38, 80. 50, 103. Beier. ad fragm. orat. pr. Tull. etc. p. 21, et, qui de omni hoc genere diligenter exposuit, G. T. A. Krüger, de Attractione § 58. sqq.

esse, hoc profecto ista ratione non demonstratur. Nam quousque quaeque lingua in dilatanda verborum significatione et huc atque illuc transferenda processerit, non ad aliarum linguarum similitudinem, sed ex eius ipsius usu et observatione statui debet, neque quidquam magis cavendum grammatico, quam ne, quod potuerit fortasse dici, continuo etiam dictum esse credat. Sunt quidem a Beiero etiam exempla quaedam prolata, si minus ipsius verbi significo, at substantivi tamen significatio, quibus istam interpretationem stabiliri putaret; sed horum exemplorum vis ad probandum nulla est. Attulit autem haec duo: Cic. de Offic. 1, 15, 46: neminem omnino esse negligendum,
13 in quo aliqua significatio virtutis sit. et III, 11, 47: nostra respublica — Cannensi calamitate accepta maiores animos habuit, quam unquam rebus secundis: nulla timoris significatio, nulla mentio pacis. Sed hoc quidem loco manifestum est, nihil aliud dici, nisi nullum timoris signum editum esse, nihil dictum aut factum, quod timorem significaret. Item in altero loco aliqua significatio virtutis idem est haud dubie, atque aliquid quod virtutem in homine esse significet, h. e. unde coniicias, aliquid in eo virtutis esse. Addam ipse tertium locum, de Off. I, 36, 131: anhelitus moventur, vultus mutantur, ora torquentur, ex quibus magna significatio fit, non adesse constantiam. h. e. quibus tanquam signis certissimis hoc ostenditur, non adesse constantiam. Nihil igitur his et similibus exemplis demonstrari potest, nisi, quod nemo dubitat, significationem alicuius rei dici, quum signis quibusdam ostendatur, rem eam adesse; de umbra autem rei et imagine, ut Wyttenbachius, aut de levi affectione et quibusdam quasi praenuntiis morbi advenientis significationem dici solitam, id neque ista exempla, neque alia, ut opinor, docent. Ad nostrum autem locum ut revertamur, loquitur ibi Velleius de ea molestia, qua rigentes aut ardentes afficiuntur; rigentibus autem aut ardentibus non hoc, quod signa quaedam advenientis ardoris aut rigoris existunt, sed illud ipsum ardere aut rigere molestum est [11b]).

In eodem capite X post verba supra adscripta continuatur oratio hoc modo: Terra enim profecto, quoniam pars mundi est, pars est etiam dei. Atqui terrae maximas regiones inhabita-

---

11b) Significetur ferri non posse intellexit etiam Lachmannus ad Lucret. p. 351: ipse autem sic incitetur scribendum putat.

biles atque incultas videmus, quod pars earum appulsu solis exarserit, pars obriguerit nive pruinaque longinquo solis abscessu: quae, si mundus est deus, quoniam partes mundi sunt, dei membra partim ardentia partim refrigerata dicenda sunt. — Beierus ad C. de Off. 1, 5, 15 haec verba si mundus est deus loco suo mota esse censet, qui fuerit in prima statim enuntiatione, ante haec: quoniam pars mundi est. Et potuerunt sane ibi illa verba recte poni, rectius etiam, quam hoc loco, ubi nunc leguntur: potuerunt autem etiam sic poni: quae quoniam partes mundi sunt, si mundus est deus, dei membra etc.; quumque illa, quae Beiero placuit, transpositio aliquam probabilitatis speciem habeat propter simile utriusque membri initium, quoniam pars mundi est, et, quoniam partes mundi sunt, tamen illa altera lenior fortasse videri potest propter maiorem loci propinquitatem. Neque raro peccatum esse huiusmodi verborum transpositionibus quum alibi tum in horum librorum codicibus videmus, velut infra c. 32, 89, ubi verba quid (v. quî)[9]) autem est istuc gradatim? quae in omnibus codicibus leguntur post haec: quid opus erat te gradatim istuc pervenire? a recentioribus editoribus, Facciolati monitu, recte collocata sunt post verba: sumpsisses tuo iure. Item II, 54, 134 pro eo, quod scriptum est: dentibus autem in ore constructis manditur atque ab his extenuatur et molitur cibus, mihi non dubium videtur, quin scribendum sit: manditur ab his atque extenuatur etc. —; ne de aliis locis dicam, ubi codices ipsi eadem verba alii aliter collocata habent. Sed in nostro tamen loco supersederi transpositione posse arbitror, quum reputo, in familiari sermone, qualis est in his libris, et
in ea scribendi festinatione, quam alia quoque exempla sat multa pro- 14
dunt, non incredibile esse, ut Cicero ipse illa verba minus accurate inseruerit, quae tolerari certe etiam hoc, ubi nunc extant, loco posse nemo facile negabit.

Cap. X, 25. Atque haec quidem vestra, Lucili: qualia vero sint, ab ultimo repetam superiorum. Non qualia Stoicorum, sed qualia ceterorum philosophorum placita sint, Velleius expositurus est: quamobrem, ne contrarium diceret eius, quod volebat et debebat,

---

12) Qui h. l. rectius quam quid scribi, non dubium videtur. Permutata haec sunt etiam II, 2, 5 ubi quî reponendum esse intellexerunt Lambinus et Davisius, et II, 13, 38, ubi quî est in cod. Rehd. Cf. et Madvig. Opusc. II. p. 265. Zumpt. ad Verrin. p. 225.

fuerunt, qui genitivum superiorum ab eorum, quibus appositus est, verborum continuitate interpungendo separarent, ut constructio haec esset: qualia vero sint superiorum. Imperitioribus hoc placere potuisse non miror: miror autem Beierum ad C. de Off. 1, 15, 46 eandem rationem amplexum; qui quae tanquam similia attulit exempla genitivi a verbis, unde penderet, longius distracti, haec perquam diversi generis esse facile apparebit. Sunt autem haud amplius duo, alterum de Finn. III, 1, 3: Stoicorum autem non ignoras quam sit subtile vel spinosum potius disserendi genus, in quo et ratio manifesta est, cur genitivus primo loco positus sit, neque quidquam est in reliqua verborum complexione, quicum ille construi possit, nisi hoc ipsum unde pendet, disserendi genus, ut nulla existat ex hac collocatione ambiguitas. Neque magis in altero loco, de Off. II, 9, 34: quamobrem intelligentiae iustitia coniuncta quantum volet habebit ad faciendam fidem virium. Nam de verbis inter quantum et virium interpositis primum volet non potuisse aliter collocari manifestum est; eique verbo alterum habebit apte sociatur: reliqua pertinent ad virium notionem definiendam, et quasi adiectivi instar sunt. Nostro autem loco nemo non genitivum cum eo potius, quod proximum est, ultimo, quam cum remotiore qualia construendum esse credet. Quodsi tamen aliter construi Cicero voluit, peccasse in hac verbornm collocatione dicendus erit, et ita peccasse, ut ab homine loquendi perito, nedum a summo dicendi artifice peccatum esse prorsus incredibile sit. Itaque alii, excidisse aliquid suspicati, varia supplementa proposuerunt, Davisius: qualia vero alia sint, quod etiam in duobus codicibus repertum est; Ernestius: alia vero qualia sint; Heindorfius: reliquorum non sunt meliora; qualia vero sint etc.; Doederlinus autem transpositionis medicinam etiam huic loco adhibendam suasit: qualia vero sint superiorum —. Apparet in tali re nihil pro certo statui posse; tamen si horum unum optandum sit, transpositionem equidem praetulerim. De supplementis autem minime placere potest alia vel aliorum. Nam quum Velleius omnium sectarum placita percursurus esset, non sic indefinite aliorum vel alia, sed definite reliquorum vel reliqua aut ceterorum vel cetera dicere debebat. Atque hoc cetera ego in mea editione posui, non quo hoc unum probabile censerem, sed quia certe non improbabile, et ponendum utique aliquid erat, quod structurae et sententiae accommodatum esset.

Cap. XI, 26. Anaxagoras — omnium rerum descriptionem et modum mentis infinitae vi ac ratione designari et confici voluit Sic hunc locum codices, ut videtur, omnes exhibent; Davisius tamen reposuit et motum; quem ego sequendum iudicavi duabus de causis. Primum propter multos Graecorum scriptorum locos, qui, quum de hac Anaxagorae doctrina referunt, non solum *διακόσμησιν*, h. e. descriptionem, commemorare solent, sed etiam *κίνησιν*, h. e. motum, sine quo illam descriptionem confici non potuisse apertum est. Praeter eos, quos iam Davisius citavit, vid. alios plurimos apud Schaubachium, Anaxagorae Claz. fragmm., p. 68. 100. 104. 108 sq. 129 sq. Neque erat cur Cicero, omisso eo, quod ad integritatem relationis pertineret, alterum illud, modum, ponere mallet, quod addi ad descriptionem nihil opus fuit. Deinde quae statim opponi a Velleio facit: in quo non vidit, neque motum sensui iunctum et continentem in infinito ullum esse posse —, cogunt propemodum, ut etiam supra de motu aliquid dictum esse statuamus. Nam quod Heindorfius obiicit, non tamen eundem utrobique motum intelligi posse; alterum enim rerum, alterum mentis motum esse: hoc facile dissolvi potest. Nimirum Epicureo necesse videbatur, quod moveret alterum, id ipsum quoque moveri; res itaque a mente moveri sine ipsius mentis motu non potuisse. Fueritne haec vere Anaxagorae sententia, an non fuerit [13]), nihil ad rem: nam Epicureos ceterorum sententias nunquam non suo modulo interpretatos esse et diiudicasse satis constat. Videtur hoc etiam Krischius significare velle p. 66 not., qui qua ratione tamen Davisii emendationem spernat, fateor me non perspicere. — Denique codicum in tali re auctoritatem nullius momenti esse quilibet concedet.

Cap. XI, 28. Parmenides commenticium quiddam coronae similitudine efficit: Stephanen appellat: continente ardore lucis orbem, qui cingit coelum. Mirum est hunc indicativum cingit a plerisque patienter toleratum esse: nam primus Ernestius „melius“ inquit „foret cingat“, quod deinde ab Heindorfio, Mosero, Orellio repositum est. Sed ecce, patronum vetus lectio nacta est insperatum, Krischium, p. 109. Is enim his verbis, contin. ard. lucis orbem, qui cingit coelum, non amplius quid Parmenidi placuerit referri, sed ipsius referentis iudicium interponi

---

13) Conf. Aristot. Phys. VIII, 5.

vult. Hunc pro certo statuisse, extimum esse lucis orbem eoque coelum cingi, quum Parmenides στεφάνην suam in medio positam esse voluerit. Ita est profecto: nihilo minus tamen isti interpretationi omnis huius loci conformatio planissime repugnat. Primum enim haec verba, *cont. ard. lucis orbem*, ad explicandum apposita esse, qualem stephanen illam divinam Parmenides esse dixerit, ipsa haec appositio manifestum facit, quamobrem etiam connexam his verbis enuntiationem relativam ad eandem explicationem pertinere consentaneum est. Qui autem Ciceronem sic obiter Parmenideae sententiae contradicere voluisse credit, non reputavit, primum, hoc ipsum, aliter Parmenidi visum esse, verbulo saltem significari debuisse: deinde, huius-
16 modi contradictionem prorsus supervacaneam hoc loco, et paene puerilem esse. Nam sive media fuit illa stephane, sive extima, Velleio, ex cuius persona haec omnia dicuntur, ceterisque Epicureis aeque tamen commenticia esse videbatur. Quidni igitur fatemur, quod res est? errasse Ciceronem, aut eum, quem is in hac parte auctorem sequitur, de Parmenidis sententia, qui error quam facilis quamque excusabilis fuerit, non opus est exponere. Mutationem vero illam unius litterae, ut ex indicativo coniunctivus fiat, non reformidabit, qui in nullo genere frequentius a librariis peccatum esse recordetur. Et quoniam huc me oratio deduxit, alia quaedam permutatorum modorum exempla ex hoc ipso libro primo considerare placet.

Primum igitur statim in hac ipsa paragrapho codices omnes habent: *quippe qui bellum, qui discordiam, qui cupiditatem ceteraque generis eiusdem ad deum revocat.* Satis autem constat hodie inter viros peritissimos, Ciceronem *quippe qui* nunquam non cum coniunctivo modo construxisse. — Sed eius, de quo supra diximus, loci simillimus est alter, cap. 43, 120, ubi de Democriti placitis haec a Cotta dicuntur: *Tum enim censet imagines divinitate praeditas inesse in universitate rerum: tum principia mentis, quae sunt in eodem universo, deos esse dicit; tum animantes imagines, quae prodesse nobis solent vel nocere.* Credemusne hic quoque non e Democriti, sed ex ipsius loquentis mente haec *quae sunt* — *quae solent* dicta esse, ut Academicus esse re vera ea mentis principia in universo, et esse istas imagines, easque nobis prodesse aut nocere affirmet? Id quidem absurdum esse nemo non videt. Tolerarunt tamen illos duos indicativos omnes ante Heindorfium, qui admonuit saltem de vitio: tolerarunt etiam postea

Orellius, Moserus, Nobbius, quorum patientiam equidem mirari quam imitari malui. — Contra coniunctivus corrigendus erat in his, quae leguntur c. 27, 77: *accessit etiam ista opinio fortasse, quod homini homine nihil pulchrius videatur.* Posterius membrum nihil nisi descriptionem sive circumloquutionem habet eius, quae ante significata est, opinionis; haec autem opinio *est* reapse, non cogitatur tantum esse, eisque, quorum est ea opinio, videtur reapse nihil pulchrius homine, non sumitur tantum a dicente aut coniicitur, ita eis videri. Quodsi quem illud *fortasse* conturbet, atque eo coniunctivum, ut in re incerta positum, tueri conetur, — quandoquidem nihil tam ineptum est, quod non uni aut alteri grammatico placere videas, — illud *fortasse* tantum ad verbum *accessit* pertinet, non ad opinionis descriptionem. Reponendum est igitur aut *videtur*, aut, quod equidem verius puto, *videbatur.* Nam loquitur Cicero de antiquis temporibus, quum primum homines deorum figuras fingere coeperunt: solent autem plerumque et Latini et Graeci et nostrates quoque in earum rerum commemoratione, quae non solum fuerunt aliquo priore tempore, sed etiamnum sunt ac perdurant, tamen, ubi haec commemoratio tantummodo rerum olim factarum relationi inseritur ad eamque complendam pertinet, illas quoque ipsas tanquam quae tum, quum hae res gererentur, fuerint, non tanquam quae etiamnum sint, hoc est praeterito non praesenti verbi tempore commemorare. — Item vitiosus coniunctivus est c. 31, 85: *In hac ita exposita sententia sunt*
qui existiment, quod ille inscitia plane loquendi fecerit, fe- 17
cisse consulto. Nam *fecerit* tum demum dici poterat, si ex eorum, de quibus sermo est, mente illud diceretur: quod contra esse apparet. Illi enim consulto Epicurum, non propter inscitiam ita fecisse putabant, quorum opinioni a Cotta id, quod res est, opponitur, fecisse illum ideo, quia plane loqui nesciret. Scribendum est igitur *fecerat.* — Idem genus vitii ab Ernestio notatum est c. 15, 41, ubi codices praeter unum omnes sic habent: *in secundo autem (libro) vult Orphei, Musaei, Hesiodi Homerique fabellas accomodare ad ea, quae ipse primo libro de diis immortalibus dixerit.* Immo *dixerat*, quod ab Ernestio commendatum receperunt Heindorfius et Moserus in ed. minore. Nam quod Orellius e Chrysippi mente haec dicta vult, ad ea, quae primo libro a se proposita essent, lectorem remittentis, id in hac quidem conformatione orationis nullo modo probabile est. Nobbius *dix(er)it* scripsit, scilicet indicativum probans, de plus-

quamperfecto dubitans, quam dubitationem vanam esse periti intelligent. — Etiam in his, quae statim sequuntur: ut etiam veterrimi poetae, qui haec ne suspicati quidem sint, Stoici fuisse videantur, coniunctivus sint Ernestium non immerito offendit, quem qua ratione Heindorfius recentioresque editores omnes ferri posse iudicarint, ignoro, nisi forte de nescio qua coniectura dicentis atque incertitudine aut modestia cogitarunt, quod genus defensionis in huiusmodi librariorum erroribus nimio saepius a viris etiam doctissimis adhiberi videmus. Talem igitur aut aliquam non meliorem defensionem paratam esse auguror etiam his locis: c. 24, 68: quod enim ex atomis sit, id natum aliquando sit, aut c. 33, 93: istisne fidentes somniis non modo Epicurus et Metrodorus et Hermarchus contra Pythagoram, Platonem Empedoclemque dixerunt, sed meretricula etiam Leontium contra Theophrastum scribere ausa sit? et magis etiam c. 18, 48: ea figura profecto est, quae pulcherrima sit omnium: de quibus locis quoniam satis a Madvigio dictum est ad C. de Finn. p. 448, a me nunc disputari nihil attinet. Idem vir doctissimus p. 591 aliisque locis compluribus contrarium quendam errorem exagitavit de indicativo modo in interrogatione pendente sive indirecta, quem hodieque multi etiam a Cicerone usurpatum esse volunt. Velut nuper admodum in Iahnii annalibus philol. et paedag. vol. LV, p. 291 extitit qui cum Beiero apud Ciceronem de Offic. II, 7, 23 recte scribi contenderet: huius tyranni obitus declarat, quantum hominum odium valet ad pestem, ad quod exemplum etiam I, 7, 23 Beierus scripsit: audeamus imitari Stoicos, qui studiose exquirunt, unde verba sunt ducta, et in or. pro Flacc. c. 6, 13 probatur hoc: ut memineritis, quarum rerum invidia certus est inquisitioni locus constitutus, et or. in tog. cand. II, 1 p. 553 Orell.: me qua amentia inductus est ut contemnat, constituere non possum. Harum igitur sordium amatores ne illud quidem sibi eripi patientur, quod est de N. D. I, 41, 116: qui quamobrem colendi sunt, non intelligo. — Sed de modorum confusione satis dictum: iam reliqua persequar, locorum ordine servato.

Cap. XIII, 32. Aristoteles quoque in tertio de philosophia libro multa turbat, a magistro Platone uno dissen-
18 tiens. Haec verba, si ita accipiantur, ut lex loquendi postulat, absurda esse apparet; sin, cum Mosero, uno idem significare dicamus, quod

in una re, non modo inauditum genus loquendi Ciceroni obtrudemus, sed falsam etiam sententiam. Falsum est enim, quod Moserus ait, deos populares maiorumque institutis acceptos Aristotelem non, ut Platonem, esse statuisse: qua de re, quoniam accuratiorem disputationem hic locus non capit, satis est C. Zellii laudare dissertionem, De Aristotele patriarum religionum aestimatore, Heidelbergae a. 1847 editam. Scribendum autem esse apud Ciceronem non dissentiens plerique dudum intellexerunt, neque ego nunc Moseri dissensum commemorassem, nisi eum falsa ista interpretatione uti viderem ad impugnandam aliorum de proximo loco sententiam. Quod enim quaerit mox Velleius: ubi deinde illi tot dei, si numeramus etiam Caelum deum? iure mireris, tot illos deos dici, quasi permulti sint, quum antea praeter Caelum tres tantum ab Aristotele propositi esse dicantur, mens, mundus et alius quidam mundo praefectus. Hinc suspicio nascitur, aliquid in ista Aristoteliorum deorum commemoratione excidisse, idque Heindorfius etiam eo probabile esse iudicavit, quod antea Velleius Aristotelem a Platone, qui multo plures deos statuebat, non dissentire dixisset. Huic igitur Moserus falsam istam corruptae lectionis interpretationem opponere non debebat. Ceterum equidem hactenus tamen ab Heindorfio dissentio, ut non tam popularium deorum, quam astrorum divinitatis mentionem desiderem. Nam divinitatem Aristoteles non minus quam Plato, etiamsi non eodem plane modo, astris tribuebat [14]). Populares autem deos, Iovem, Iunonem, Minervam, Neptunum ceterosque horum similes cum Caeli divinitate conciliari haud aegre potuisse apparet: astris vero qui divinitatem tribuebat, quum astra in caelo essent, deum deorum sedem facere videbatur, id quod ab adversariis, quales quidem Epicurei erant, qui, quemadmodum quidque diceretur, non magnopere attendebant [15]), facile arripi poterat ad illam sententiam irridendam: eoque mihi haec Velleii interrogatio pertinere videtur.

Cap. XIV, 36: Atque hic idem alio loco aethera deum dicit: si intelligi potest nihil sentiens deus etc. Sine causa Heindorfius, dubitans cum Davisio de lectionis veritate, ex codice Rehdigerano, quocum conspirat fere Glogaviensis, reposuit: sed intelligi qui potest —. Correctoris est haec scriptio, conditionalis enuntiatio-

14) Cf. Trendelenb. ad. Ar. de anima p. 373.
15) Hoc exprobratur iis a Balbo II, 29, 73.

nis rationem in tali contextu non perspicientis. Defendit vulgatam Wopkensius, Lectt. Tull. II, 1, p. 121 sqq., compluribus allatis exemplis, ubi coniunctio si „dubitationem significet, ut ostendatur, in modo dictis inesse aliquid falsi aut certe dubii"; aliaque iam Hor. Tursellinus attulerat, de partic. p. 955, si particulam correctioni inservire autumans. Hi ut non persuaderent Heindorfio, propterea fortasse factum, quod non plane gemina huius nostri loci illa exempla sunt; qualia si quis postulet, ne mihi quidem in promptu esse fateor. Sed tamen qui rationem huius dicendi generis perceperit, leviore formarum varietate non conturbabitur. Ratio autem haec est. Quae dicuntur de aliqua re,
19 agnosci ab altero et probari non fere poterunt, nisi si res illa vero ac suo nomine designata sit. Hinc igitur, quum significare volumus, quod dictum est non videri nobis eiusmodi, ut agnosci probarique possit, conditionis illius brevem quasi admonitionem addere solemus, quasi plene dicamus: agnosci illud poterit, si nomen verum est; si minus, non. Ita Cicero ad Famil. IX, 17, 1, postquam dixit: de lucro prope iam quadriennium vivimus, statim, ut significet, se tamen hoc ut plane verum agnosci nolle, addit: si aut hoc lucrum est, aut haec vita. Eiusdem generis reliqua sunt: et ad hoc exemplum poterat etiam hoc loco dici: aethera deum dicit: si hic deus est, qui nihil sentit etc., pro quo quod dixit si intelligi potest, non rei haec sed verborum tantum discrepantia est, poteratque etiam in epistola illa dici: si intelligi potest aut huiusmodi lucrum aut vita huiusmodi.

Cap. XIV, 36: Aliis autem libris rationem quandam per omnem naturam rerum pertinentem ut divinam esse affectam putat. Pro eo, quod olim legebatur, omnium naturam rerum, editores inde a Lambino omnem n. r. reposuerunt, comprobataque est haec emendatio etiam aliquot codicum auctoritate. Quid intersit inter has duas loquutiones, aliqua ex parte, quamquam non nimis accurate, Bakius exponit ad C. de Legg. p. 451, quod nunc persequi nihil attinet. Sed etiam in postremis verbis aliquid vitii esse omnes consentiunt: de emendatione minus constat. Codex Palat. habet: ut divina sit affectam; similiter cod. Eliensis, sed *e*ffectam pro *a*ffectam: quae quum Davisio „librariorum facinora" visa sint, aliis fortasse confirmare videbuntur Beieri emendationem ad C. de Offic. I, 4, 12 itemque ad fragm. orat. pr. Tull. p. 21 propositam: ut divina esset effectum putat, hac sententia: putasse Zenonem, (de hoc enim Velleius loquitur,) argumentis a sese demonstratum esse, vim

illam esse divinam. At quamvis potuisse hanc sententiam sic enuntiari concedas, tamen negari non potest, habere istam dictionem aliquid quum insolentiae tum ambiguitatis, ut ea usum esse Ciceronem minus credibile sit. Addi potest, quod in omni hoc alienorum placitorum recensu Velleius ubique satis habet, quid aliis placuerit simpliciter indicare, nulla eiusmodi demonstrationis ac fiduciae commemoratione addita. Malo igitur eis assentiri, qui *ut* librariorum errore ex *vi* natum putant, unde consequitur, etiam *divina* pro *divinam* rescribendum esse. Sed offendit me participium *affectam*, quod aptum esse huic loco talia exempla, qualia Davisius apposuit, probare nullo modo possunt. Nam quod paullo infra legitur, c. 15, 38: *res sordidas atque deformes deorum honore afficere*, aut apud Lactantium I. D. 1, 20: *Romuli nutrix honoribus est affecta divinis*, quaeque passim dicuntur, *aliquem gloria, praemiis, lucro, gaudio, voluptate afficere*, in his omnibus vim verbi hanc esse videmus, ut significet i. q. *facere, ut alter*, vel (ut attractionis forma utar, ad hanc rem maxime apposita), *facere alterum ut aliquid patiatur, ut aliquid eum tangat, in eum redundet ac permanet*. Itaque *affectus aliqua re* is demum dici potest, cui ea res extrinsecus sive ab altero sive aliqua ipsius opera contigit. Illi autem, quam Zeno in mente habuit, rationi per omnem rerum naturam pertinenti vim divinam extrinsecus contigisse, hoc sane dici nullo modo potuit, sed erat in ea ipsa per se et suapte natura vis divina. Non dubito igitur, quin participium illud corruptum sit aliquo, ut cum Davisio loquar, facinore librarii, qui quum vocabulum in codice, quem describebat, aut deletum aut evanidis litteris obscuratum videret, supplere defectum pro suo captu conaretur. Melius haud dubie fecisset, si posuisset *praeditam*, ut c. 43, 120 imagines Democriteas *divinitate praeditas* legimus. Nam hoc verbum non solum de eis, quae quis extrinsecus et ab altero accepit, sed etiam quae propria naturaque sibi insita habet, usurpari solet. Quod autem vitiosum illud supplementum in omnibus libris legitur, nullius ad fidem momenti est, siquidem omnes ex uno fonte valde iam temerato derivatos esse constat.

Sequuntur in eadem paragrapho haec: *Quum vero Hesiodi theogoniam interpretatur, tollit omnino usitatas perceptasque cognitiones deorum: neque enim Iovem, neque Iunonem, neque Vestam, neque quemquam, qui ita appellatur, in deorum habet numero, sed rebus inanimis atque mutis*

per quandam significationem haec docet tributa nomina. Admodum placere primo adspectu potest Lambini emendatio insitas praeceptasque cognitiones, quum praesertim insitas in Maffeano codice scriptum esse Manutius testetur, in Eliensi autem etiam praeceptas, quamquam praepositum alteri, legatur. Et hunc quidem codicem Davisius, Lambini emendationem Heindorfius sequutus est, nihil motus Ernestii dubitatione, qui, quum praeceptas probaret, insitas tamen probare noluit, quoniam, quae in theogonia Hesiodi sunt de Iove, Iunone et ceteris, non essent ex insita cognitione. Mirum sane iudicium: quasi non, quae praecepta cognitio, eadem etiam insita sit, ex Epicuri doctrina de προλήψει sive anticipatione, de qua recte disputatum est ab E. Reinholdo in libello academico, Ienae ann. 1840 edito. Itaque utrumque aut probari aut respui oportebat. Quae autem Heindorfius Ernestii dubitationi opposuit, satis facere non possunt. „Quasi vero" inquit „non hos ipsos deos, qui vulgo colerentur, per anticipationem cognitos hominibus existimarit Epicurus." Atqui hos, qui vulgo colebantur, deos ab Epicuri deis adumbratis et monogrammis, qui cum suo quasi corpore et quasi sanguine otiosi in intermundiis degebant, toto caelo, ut aiunt, diversos fuisse apparet, quamobrem illos ipsos deos populares per anticipationem cognitos esse nemo Epicureus Heindorfio concesserit, sed potius insitam praeceptamque cognitionem deorum vulgi erroribus et poetarum commentis obscuratam et corruptam esse. Rectius itaque Heindorfius sic dixisset: „Quasi vero non in vulgi opinionibus, quamvis falsis, hoc tamen ex insita praeceptaque cognitione maneat, ut beati dei et immortales habeantur." Neque tamen hoc sufficeret ad removendam Ernestii dubitationem. Nam eandem illam de deis anticipationem, ut beati et immortales essent, Zeno non minus quam aut Epicurus aut populus probabat, neque eam tollebat Hesiodi interpretatione, sed tantummodo illos, qui ab Hesiodo Iovis, Iunonis, Vestae nominibus appellarentur, beatos et immortales omninoque deos esse negabat. Itaque mihi illud insitas praeceptasque a correctore, non indocto quidem illo, profectum esse videtur: vulgatam autem reliquorum codicum omnium lectionem servandam duco, usitatasque et perceptas cognitiones non diverso sensu
21 dictas interpretor, quam quo infra II, 36, 91 et de Finn. III, 2, 5 usu percepta verba dicuntur. Nempe ut verba usu percepta ea sunt, quorum vim usu et consuetudine loquendi perdidicimus, ita usu perceptae seu, quod eodem redit, usitatae et perceptae cognitiones h. e.

notiones deorum eae sunt, quas aut religionum usu aut poetarum auditione acceptas imbibimus.

Cap. XV, 39. communemque rerum naturam universam atque omnia continentem. — Hoc in loco prorsus assentior Heindorfio scribendum esse universitatemque omnia cont., cuius emendationis ratio quum ab ipso planissime exposita sit, nolo quidquam addere; nisi hoc tamen dicendum est, quod unum illi emendationi Moserus opposuit, verborum fere eorundem post breve intervallum repetionem, huic ipsum iam Heindorfium occurrisse respondendo, quantum satis esse sapienti poterat.

Non minus certa emendatione cap. XVII, 45 pro vulgata lectione: sed ad hanc confirmandam opinionem anquirit animus et formam et vitam et actionem mentis atque agitationem in deo — rescribendum est vitae actionem mentisque agitationem: quam emendationem occupatam video a Beiero ad C. de Off. 1, 5, 17; rationes autem eius tam apertae sunt, ut eis explicandis supersederi posse putem.

Cap. XVIII, 49. Epicurus autem, qui res occultas et penitus abditas non modo viderit animo, sed etiam sic tractet, ut manu nos ducat, docet eam esse vim et naturam deorum, ut primum non sensu sed mente cernatur, nec soliditate quadam nec ad numerum, ut ea, quae ille propter firmitatem στερέμνια appellat, sed imaginibus similitudine et transitione perceptis: quum infinita simillimarum imaginum species ex innumerabilibus individuis existat et ad deos affluat, cum maximis voluptatibus in eas imagines mentem intentam infixamque nostram intelligentiam capere, quae sit beata natura et aeterna. — Locum hunc omnium difficillimum et cuius certam omnibusque numeris absolutam interpretationem vix quisquam, ego certe hoc tempore proponere non possum, aliqua tamen ex parte emendandum esse censeo. Ac primum quidem delendum est sine dubio inutile additamentum nos ducat, non aliunde illud quam ex librariorum errore natum, quorum aliquis, quum pro docet scripsisset ducat, ac deinde a correctore illud alterum in margine notatum esset, accidit mox, ut in contextu utrumque poneretur: in aliquot autem codicibus doceat solum, non ducat, scriptum est, cuius erroris quae causa fuerit, facile intelligitur. Pronomen denique nos ex paucis quibusdam codicibus primum a Turnebo et Lambino, deinde ab

Heindorfio ascitum est, quos Moserus in ed. min., Orellius, Nobbius sequuti sunt. Quanto satius fuerat Davisium audire prudenter monentem. Nempe sic tractare ut manu loquutio est de eis, qui aliquid tanquam manifestum minimeque abditum tractant, cuius loquutionis, quamvis vel sine teste satis per se probandae, tamen unum certe testimonium disertissimum Davisius apposuit ex Arnobio, II, c. 71 p. 101 Or. Quibus illud rationibus colligi, aut quibus supputationibus potest? Non difficilibus, non obscuris, sed quas possit videre qui volet, et contrectare, quemadmodum dicitur, manibus. Alterum addo ipsius Ciceronis, de re publ. 1, 10: sic affirmat, ut oculis ea cernere videatur aut tractare plane
22 manu. Quam apte autem haec a Cicerone opponantur: animo videre et tractare sicut manu, in aperto est. — Deinde quum Epicurus hoc primum docuisse dicatur, quonam modo divina natura cerneretur, alterum hoc esse debere apparet, ut docuerit, qualem esse naturam deorum intelligeremus, id quod exponitur proxima periodo, inde a verbis: quum infinita simill. imag. species —. Hoc Lambinus intelligens particulam deinde huic periodo praeponi voluit. Sed leniore medicina reponas quumque, id quod etiam Walkero in mentem venisse video. Nam saepenumero in eiusmodi enumeratione post primum non deinde, sed aliam quampiam coniunctionem poni solere nemo ignorat. — Quod porro scribitur ad deos affluat omnes absurdum esse intellexerunt. Nolim tamen ad Heindorfii exemplum rescribere a deis ad nos affluat: nam ad nos addi nihil opus erat in hoc contextu, qui quonam illam speciem affluere cogitandum sit, dubitare non sinit: pro a deis autem paullo leniore vulgatae lectionis mutatione a deo scripseris, cum Manutio. Neque enim singularis numerus offendere quemquam potest in tali generis universi designatione, utiturque singulari Cicero etiam infra c. 33, 92: qui sine manibus et pedibus constare deum posse crediderunt, ubi item Heindorfius pluralem posuit, ab uno Glogaviensi, deliciis suis, suppeditatum. Cf. et c. 34, 95 et 96, et c. 38, 106. 41, 114. — Postremo quid hoc est: intelligentiam capere, quae sit et beata natura et aeterna? Hocine dici potuit, ex divinarum imaginum contemplatione intelligi, quae natura beata, quae aeterna habenda sit? Equidem arbitror, beatitudinis et aeternitatis aliquam notionem sive intelligentiam animo nostro iam ante conceptam esse oportere, quam intelligere possimus, sitne aliqua natura pro beata et aeterna habenda: deos igi-

tur, sintne beati et aeterni, iudicari a nobis non posse, nisi hoc, quae sit beata et aeterna natura, iam ante cognitum habeamus. Scribendum igitur censeo: intelligentiam capere, quae sit et beatae naturae et aeternae, h. e. eam deorum intelligentiam, quae beatae et aeternae naturae notione constet: ἔννοιαν, ἥτις ἐστὶ μακαρίας τινὸς καὶ ἀφθάρτου φύσεως. Ita hoc dicit Epicurus: imaginum istarum assidua contemplatione deorum naturae intelligentiam sive notionem ut beatae et aeternae animis nostris informari. Idem enim intelligentiam atque notionem esse constat. Vid. de Legg. 1, 9, 26 ibiq. Turneb., add. c. 10, 39. 22, 59. Topic. c. 5, 27.

Cap. XXV, 70. Nihil horum nisi callide: graviorem enim plagam accipiebat, ut leviorem repelleret. Merito Heindorfius primum membrum vitiatum esse iudicavit, quo qui laudatum per ironiam Epicurum credunt, ut qui illa omnia, quae ei obiecta erant, callide dixerit, non satis reputarunt, ab huiusmodi sententia conditionalem coniunctionem nisi prorsus alienam esse. Id intelligetur, si expleas, uti debet, loquutionem in hunc modum: nihil horum dixit, nisi callide dixit; quod quid est aliud quam: si quid horum dixit, hoc callide dixit, aut inverso ordine: nisi quid horum callide dixit, nihil dixit, aut etiam: nihil horum dixit praeterquam si callide dixit? Atqui dixit Epicurus horum quidvis: hoc certum est, nec mutatur, sive callide sive secus dixit. Ista autem, quam illi volunt, ironica sententia pro conditionali coniunctione simplicem particulam negativam postulabat: nihil horum non callide. Hactenus igitur Heindorfio assentior: emendationem eius probare non possum. 23
Scribi enim voluit: nihil horum viri valde callidi. Et hoc quidem viri ascivit e Glogaviensi suo, in quo post verba nihil horum hoc solum legitur, sine adverbio aut adiectivo: valde autem ex plurimis codicibus, in quibus legitur: nihil horum nisi valde; Palatinus sec. duoque alii pro valde habent callide. Atque hoc quidem quin verum sit, vix quisquam dubitet: nisi autem ego ortum credo ex nimis, cui interpretando quum ab aliquo valde adscriptum esset, mox hoc in contextum illato alterum adverbium callide loco suo motum est. Scripsisse igitur Ciceronem aio: nihil horum nimis callide. Nam nimis sic pro valde s. admodum usurpari vel lexica docent. Confusa a librariis nisi et nimis sunt etiam Plaut. Mil. gl. II, 4, 24.

Cap. XXVII, 77. Quid igitur mirum, si hoc eodem modo homini natura praescripsit, ut nihil pulchrius quam homi-

nem putaret, eam esse causam, cur deos hominum similes putaremus? Nemo negabit hanc postremam periodi partem, inde a verbis eam esse causam, totam supervacaneam esse, qua omissa neque ad structurae neque ad sententiae integritatem quidquam desit. Nam ea causa deos hominum similes putari, quod nihil homini homine pulchrius videretur, iam ante dictum erat: quamobrem nunc nihil amplius addi opus fuit, nisi, non esse mirandum, si, quemadmodum bestiae naturae instinctu sui generis figuram ceteris omnibus praeferant, sic etiam hominibus hoc idem natura praescripserit. Neque quisquam, primam periodi partem legens, coniunctionem si non cum eis quibus contigua est verbis quid mirum construendam esse putabit, quum praesertim hoc genus loquutionis, mirum si, longe omnium frequentissimum sit. Non sine offensione igitur mox se delusum videbit, quum, repudiata hac constructione, aliam viam ingredi cogitur. Ut taceam de altera offensione, quae est in abnormi consequutione temporum: quid mirum (sc. est) eam esse causam, cur putaremus? Debebat enim aut fuisse aut putemus dici. Nam Moseri excusationem, Ciceronem, liberius nonnunquam scribere, quam grammaticorum leges permittant, pauci accipient. Quid multa? Una est huius loci, eaque certissima emendatio, si verba ista supervacanea et molesta plane eiiciantur, ut ab aliquo male sedulo ad explendam, quemadmodum rebatur, aut illustrandam sententiam adiecta.

Aliud eiusdem generis futile additamentum deprehendimus cap. XXXI, 86: Dubium est enim, utrum dicat aliquid esse beatum et immortale, an, si quod sit, id esse immortale. Insignem huius apodoseos absurditatem Davisius tollebat corrigendo: an, si quod sit beatum, id esse immortale. Sed admitti haec correctio nequit. Epicuri enim sententia, de cuius interpretatione dubitatum est, haec fuit: „Quod beatum et immortale est, id nec habet nec exhibet cuiquam negotium“: in qua ita proposita sententia hoc quidem plane non poterat fieri, ut cuiquam Epicurus videretur immortalitem a beatitudine tanquam a conditione suspensam eiusque consectariam fecisse, sed manifestum cuilibet esse debebat, poni simpliciter aliquid beatum et immortale, eique hoc tribui, ut nec haberet neque exhiberet cuiquam negotium: illud autem ambigi non immerito poterat, utrumne pro
24 certo et indubitato, esse aliquid beatum et immortale, an hypothetice tantum poneretur. Nam utrovis modo tam graeca verba accipi possunt, a Diogene Laertio X, 139 aliisque servata: τὸ μακάριον καὶ ἄφθαρ-

τον οὔτε αὐτὸ πράγματα ἔχει, οὔτε ἄλλῳ παρέχει, quam latina eorum conversio ea, quam e Cicerone supra adscripsimus. Prudentius igitur Heindorfius absurdam apodosin ita refingi voluit: an si quod sit, id esse tale: nempe tale, quale supra dictum est, quod nec habeat nec exhibeat cuiquam negotium. Veram tamen hanc emendationem non credo, sed potiorem iudico eorum codicum scripturam, qui apodosin prorsus omittunt. Poterat enim Cicero eam sine ulla dubitatione omittere, neminem tam tardum fore confisus, quin, quod opus esset ad explendam sententiam, ex iis, quae paullo ante dicta erant, facile sua sponte subaudiret. Quod quum tamen postea aliquis de grege grammaticorum orationem ἀνανταπόδοτον non concoqueret, beavit eam isto supplemento, sive id tale fuit, quale Heindorfius voluit, sive quale in plerisque codicibus, quamvis absurdum, legitur.

Cap. XXXIV, 96. Ergo hoc te ratio non docebit, quum praestantissima natura quaeratur, eaque beata et aeterna, quae sola divina natura sunt, ut immortalitate vincamur ab ea natura, sic animi praestantia vinci, atque ut animi, item corporis. Sic hunc locum editiones pleraeque exhibent, neque est in eo, quod offendere atque impedire peritum lectorem possit, praeterquam in verbis quae sola divina natura sunt, quorum nec sententia apta, et lectio in codicibus admodum varia est. Nam, ut leviora quaedam et manifesto vitiosa praetermittam, in aliis est: quae sola divinae naturae sunt, in aliis: quae sola in divina natura sunt, in aliis denique: quae sola divina natura est. Vulgata lectio a Victorio esse videtur [16]), qui utrum codicum auctoritatem an suam coniecturam sequutus sit, nescio. Utut est, veram hanc scripturam esse non adducor ut credam. Quamquam non offendor tantopere hac structurae ambiguitate, quod non liquet, divina utrum nominativo casu dictum sit, an ablativo coniunctumque cum natura, quemadmodum Orellio visum est. Nam utrum horum praeoptaveris, ad sententiam non multum interest: dicentur enim utrovis modo sola divina esse beatitudo et aeternitas. Haec ipsa autem sententia, etiamsi vera sit, — nolo enim hoc nunc quaerere, — ab hoc certe loco et ab hac Cottae argu-

16) Id coniicio ex Boherii verbis, ante Victorium omnes ed. in divina natura habere dicentis. Vid. Remarques sur Ciceron, par Mr. le Président Bouhier. Nouv. ed. A Paris 1746. p. 44. Ipse enim neque Victorianam neque alias vetustiores editiones inspicere potui.

mentatione aliena esse videtur. Refutare enim is Epicureos vult, qui, quum deorum naturam beatam et aeternam esse pariter cum ceteris statuerent, formam tamen deorum non aliam quam humanam esse posse contendebant. Atqui, inquit ille, quum beata et aeterna natura quaeratur, (scil. qua forma sit,) qualem naturam deorum esse constat, consentaneum est, ab hac natura homines, sicut immortalitate vincuntur, ita etiam animi praestantia vinci, atque ut animi, sic etiam corporis. Vis igitur argumenti in eo constat, quod, sicut propria deorum naturae neque cum hominibus communis est immortalitas, sic consentaneum est, etiam praestantiam quum animi tum corporis et formae suam deorum ac propriam, neque cum hominibus communem aut eorum similem esse. Ad huiusmodi autem argumentationem non sane refert, utrum sola beatitudo et aeternitas divina h. e. divinae naturae propria sint, an etiam praeter haec alia: refert tantummodo propria ea esse solius deorum naturae, neque cum hominibus aut quoquam alio genere communia. Hanc igitur sententiam inesse aliquis dixerit in vulgata ante Victorium lectione: quae sola in divina natura sunt; obstat tamen collocatio verborum, quae sola a pronomine relativo diiungere et cum divina natura coniungere vix sinit. Vera est haud dubie lectio cod. Palat. secundi et Woweriani: quae sola divina natura est. Placuit haec etiam Heindorfio, sed ratio eius non ita ut debebat ab eo explicata est, id quod fortasse in causa fuit, ut nemini posteriorum editorum persuaderet. Ait enim quae esse i. q. qualis: quo modo in tali quidem contextu pronomen illud usurpari non potuisse recte illi senserunt, etiamsi sententiam sic peraptam evadere non poterant non intelligere. Sed haec ipsa, qua opus est, sententia efficitur, si pronomen quae non alia quam propria sua vi accipitur, modo ne erretur de constructione. Nempe quae non est feminini generis numerique singularis, sed generis neutri et pluralis numeri, referturque ad qualitatum earum, quae adiectivis beata et aeterna significantur, notiones. Quodsi unum adiectivum esset, exempli causa: quum aeterna natura quaeratur; pronomen etiam singulari numero ponendum fuisset: quod sola divina natura est: quemadmodum est de Finib. IV, 24: ut iam omnes insipientes sint miseri, quod profecto sunt. Gell. N. A. XVIII, 13, 5: quod nix est, hoc grando non est. nix autem alba est, grando igitur alba non est. aliisque locis apud Wopkensium Lectt. Tull. 1, 21 p. 115: neque aliter infra hui. libri cap. 37, 103: quibus rebus id, quod vultis, beatus est.

Apparet autem, quum plura adiectiva praecesserunt, relativum pronomen non posse nisi plurali numero poni. — Reliquam periodi partem planam et incorruptam esse censeo, quamquam ibi quoque Heindorfius, Glogaviensis codicis amore, complura praeter necessitatem turbavit. In eis autem, quae mox sequuntur: *ad similitudinem enim deo propius accedebat humana virtus quam figura* —, licet dativum hunc *deo* codices omnes offerant, eumque defendi aliquo modo nec sine subtilitatis cuiusdam specie posse videam, (cf. Hand. Tursellin. 1 p. 87, Wopkens. lect. Tull. p. 188 sq.) tamen equidem elegans Lambini, Boherii, Davisii iudicium quam librariorum errores aut superstitiosos horum propugnatores sequi malo. Rescribo igitur *ad similitudinem dei.*

Cap. XXXVI, 100. Posteaquam de eis dictum est, qui e coelestium rerum contemplatione coniecturam fecerint, aliquam excellentem esse praestantemque naturam, quae haec fecisset, moveret, regeret atque gubernaret, haec subiunguntur: *qui etiamsi aberrant a coniectura, video tamen quid sequantur.* Sic enim, *aberrant a coniectura*, et codices, ut videtur, omnes, et editiones pleraeque habent, fuitque adeo, qui hanc lectionem contra Walkeri suspicionem tueri conaretur, Wopkensius Lectt. Tull. II, 3 p. 136, cui Heindorfius aliique assenserunt. „Phrasin istam" inquit Wopkensius „hic facillime stare posse credo, dummodo per *coniecturam* pleno sensu intelligas coniectu- 26
ram cum effectu, a bonis principiis bene procedentem, et qua quis proinde veritatem aut probabilitatem adsequatur." Sed istum plenum sensum coniecturae ego prorsus commenticium nullaque ratione sumptum esse arbitror. Sunt sane multae coniecturae tales, quales Wopkensius descripsit; sed sunt etiam leves, vanae, futiles, a falsis principiis non bene procedentes, ac proinde a veritate aut probabilitate longissime aberrantes, neque tamen eo minus coniecturae dicuntur, quod fieri profecto nunquam posset, ut idem nomen rebus contrariis imponeretur, nisi esset hoc nomen mediae significationis, quod neque unum illud rectum ac probabile coniectandi genus, neque hoc alterum pravum atque perversum, sed utrumvis pariter, pro re nata, designaret, propriam autem nullam neque rectae rationis ac probabilitatis, neque vanitatis atque erroris, denique nihil nisi nudam illam coniectandi significationem haberet. Quod autem Handius, vir doctissimus, Wopkensii interpretationem ita correxit, ut *aberrare a coniectura* eum dice-

ret, qui coniecturam veritatis conficere non potuisset, contra aberrare coniectura eum, qui falsa coniectura rem prosequeretur, (voluit, opinor, persequeretur); hoc ego ita probandum censeo, si coniecturam veritatis non eam esse voluit, quam Wopkensius dixit a bonis principiis bene procedentem, et qua quis proinde veritatem adsequeretur, sed eam simpliciter, qua quis sese ad veritatem pervenire posse speraret, id quod in quamlibet coniecturam cadere apparet, etiamsi, qui eam facit, a principiis non bonis, sed quae ipsi tamen bona videantur, procedat. Is igitur aberrare a coniectura dici poterit, si coeptam coniectandi viam, ante quam ad exitum pervenerit, deserat atque omittat. Quamquam vera huius loquutionis exempla apud veteres scriptores inveniri vix credo: quae enim esse creduntur, manifesto falsa sunt. Primum nostro loco dici profecto non potuit, illos, de quibus Cotta loquitur, descivisse ab inita coniectura veritatis eamque deseruisse ante quam conficere potuissent: perrexerunt enim ea, qua coeperant, via coniectando procedere, donec pervenerunt ad conclusionem, quae ipsis vera videbatur. Quamobrem si aberrarunt, non tamen certe a coniectura, sed a vero aberrarunt, isque error non in eo constat, quod non confecerunt coniecturam, sed fuit haec ipsa coniectura aberratio dicenda, eaque tanto gravior, quanto magis in ea perseverarunt. Aberrarunt igitur coniectura sive coniectando a veritate. Quod autem in codicibus *a* coniectura scriptum est, conturbare prudentem criticum non poterit, si reputaverit, quam proclivis error librariis fuerit, qui cum *ab*errandi verbo propter ipsam hanc praepositionem necessario etiam rem indicari debere crederent, abs qua quis aberraret. Eadem igitur falsa opinione inducti etiam in or. Philipp. XII, 9, 23 scripserunt: nunc, quaeso, attendite, num aberret a coniectura suspicio periculi mei. Cicero dixit: num aberret coniecturâ. Nam qui suspicatur, coniectat sive coniecturam facit, qua coniectura aut aberrare a vero aut non aberrare potest. Quod autem de suspicante, idem de suspicione dici potest, quemadmodum saepenumero in actionem alicuius aut attributum transferuntur dicendo, quae magis proprie de ipso homine dicenda erant. Ita pro eo quod est: Cicero, suspicans pericu-
27 lum, aberrat coniectando sive coniecturâ, dici potest etiam sic: Ciceronis suspicio periculi aberrat coniectando sive coniecturâ. — Vera lectio servata est in ep. ad Attic. XIV, 22, 1: vereor, ne nihil coniectura aberrem: quamquam ibi quoque falsa lectio est in Cratandrina edi-

tione, nescio qua codicum auctoritate, quae qualiscunque est, plus tamen valere ratio debebit. Ratio autem cogit, loquutionem istam aberrare a coniectura neque in hac epistola tolerandam, et de ceteris duobus locis in perpetuum expellendam esse.

Scrib. Gryphiswaldiae a. d. VI. Cal. Mart. ann. MDCCCL.

COMMENTATIO III. AD CICERONIS LIB. DE NAT. DEOR.

3 Quae in primo libro Ciceronis de natura deorum aut emendanda nobis aut vindicanda viderentur, duabus superioribus scriptionibus academicis persequuti sumus. Iam, ut praestemus quod polliciti sumus, ad librum secundum progredimur, in quo quidem aliquanto minus operae insumendum erit, quum et pauciores et leviores huius quam primi libri corruptelae sint. — Ac statim quidem initio cap. I, 2, ubi haec est librorum omnium lectio: *Eundem equidem mallem audire Cottam, dum qua eloquentia falsos deos sustulit, eadem veros inducat:* Heindorfio pro *mallem* utique *malim* rescribendum esse videtur, utpote in re, quae fieri queat et quam velit Balbus fieri. Atqui poterat tamen Balbus, quamvis et posset res fieri, et vellet ipse eam fieri, nihilo minus hanc suam voluntatem ita significare, ut simul etiam ostenderet, non perstare se in ea, sed concedere auditoribus, quos aliter velle intelligeret: id quod facit, quum praeteriti coniunctivo utitur: *mallem*, scilicet *si per vos liceret.* Cf. Hand. ad Wopkens. p. 269. — Magis autem offendere aliquem possit, quod statim subiungitur, *dum inducat*, praesentis temporis coniunctivus. Videtur enim idem in utroque membro tempus usurpandum fuisse: *mallem, dum induceret,* aut etiam: *malim, dum inducat.* Sed talem in temporum consequutione concinnitatem non semper religiose observari vel illa exempla ostendere possunt, quae in annotatione ad hunc locum a nobis adscripta sunt, de Finn. I, 7, 25 et Tuscul. 1, 15, 60 in quibus quidem quae causa inconcinnitatis fuerit, attentum lectorem fugere non potest. Nostro autem loco Balbus, posteaquam non perstare se in voluntate sua significavit, illud tamen, quod simul optaverat, ut Cotta veros deos induceret, quamvis conditionalis quaedam inter utramque rem connexio particula *dum*, h. e. *dummodo*, indicetur, non opus habebat per prae-

teriti temporis coniunctivum eloqui, tanquam quod iam velle desiisset. Maluit praesenti uti, quo significaret, non dubitare se, quin Cotta, ut vir eloquens et Academicus, h. e. ad disputandum in utramque partem paratus, facile illud, si vellet, etiam posset efficere. Addam nunc aliud eiusdem inconcinnitatis exemplum, de Div. II, 59, 122: *Ne si navigare quidem velim, ita gubernarem, ut somniaverim.* Poterat hic quoque *gubernem* dici, ut idem esset, in apodosi atque in protasi tempus.
Nunc autem in apodosi imperfectum ponitur, quo qui utitur, se ita 4
gubernaturum plane negat; in protasi autem praesens, utpote in re, quae accidere facile possit.

Cap. II, 5. *Quid enim est hoc illo evidentius?* Fuerunt, qui haec ita interpretarentur, ut *quid* pro *qua ratione* dictum esse statuerent, decepti scilicet eiusmodi exemplis, ubi *quid* usurpatur in interrogando, qua re permotus aliquis hoc vel illud faciat, velut *quid statis? quid tacetis?* quemadmodum etiam Graeci *τί*, nos autem *was* dicimus in eiusmodi interrogationibus. Sed huius constructionis vim et naturam qui perspexerit, prorsus eam ab hoc loco alienam esse intelliget. Non magis autem Lambini et Heindorfii ratio probanda est, qui verba sic interpungi volunt: *Quid enim? est hoc etc.* Nam deberet saltem *estne,* aut *num est,* quod ipsum Heindorfius scriptum a Cicerone fuisse suspicatur. Sed longe probabilius est scripsisse Ciceronem: *Qui enim est hoc illo evidentius.* Confusarum a librariis formarum *qui* et *quid* in hoc ipso libro exemplum est cap. 13, 38, ubi veram scripturam, *qui igitur potest ei deesse quod est optimum?* unus saltem codex Glog. servavit. Neque I, 32, 89 dubitari posse videtur, quin pro eo, quod nos quoque, nimia quadam verecundia, intactum reliquimus, *quid autem est istuc gradatim?* rescribendum sit: *qui autem est* —. Item de Senect. c. 2, 4, quum in aliquot libris scriptum sit: *quid enim citius adolescentiae senectus, quam pueritiae adolescentia obrepit?* in melioribus est: *qui enim* —, quod ab Orellio spretum miror, quum praesertim a superioribus editoribus plerisque receptum sit. — Si quem autem nostro loco offendet collocatio verborum, quod coniunctionem *enim,* verbo substantivo *est* postponendam fuisse opinetur, — in qua opinione Heindorfius se esse ostendit, — huic nunc quidem satis habemus ea exempla opponere, quae attulerunt Handius Tursell. I p. p. 578. 580. II p. 402. Goerenz. ad C. de legg. p. 52 et Bakius ad eund. librum p. 374. 5. Ad sententiam quid intersit inter utramque collocationem non satis constat: neque nobis argutari libet: tantum dicimus, si quid

sit discriminis, adeo tamen id exiguum esse, vix ut ullo loco non utravis collocatio apta sit.

Eodem capite § 6: *sed quod et praesentiam saepe divi suam declarant.* Ad defendendam coniunctionem *et* satis in annotatione editionis meae dictum est: sed quum Nobbianae editionis exemplum typographo describendum dedissem, accidit vel mea vel typographi incuria, ut coniunctio illa in contextu verborum Ciceronis omitteretur, sicut a Nobbio, ad superiorum aliquot editorum exemplum, omissa est.

Cap. III, 7: *Praedictiones vero et praesensiones rerum futurarum quid aliud declarant, nisi ea, quae sint, ostendi, monstrari, portendi, praedici?* Inutile additamentum, *quae sint,* aut etiam *quae sunt,* in codicibus omnibus legitur, praeterquam in Monacensi, cuius lectiones F. Jacobsius cum Mosero communicavit, et in Regio Davisii, qui tamen in margine habet: *quae futura sunt:* id quod editores post Heindorfium omnes receperunt. Et recte quidem, si alterutrum recipiendum erat: rectius tamen utrumque repudiabimus, ut profectum ab aliquo correctore, qui quum pronomen neutri generis *ea* ad praecedentia feminina *rerum futurarum,* referri non posse putaret, structurae subvenire conaretur. Periti hunc usum generis neutri non rarum esse sciunt. Exemplum plane geminum est de Div. II, 57, 117: *afflatus ex terra mentem ita movens, ut eam providam rerum futurarum efficiat, ut ea non modo cernat ante, sed etiam numero versuque pronuntiet.* Duo alia in hoc ipso libro sunt cap. 5, 15 et 7, 18, pluraque indicarunt Zumptius ad Verrin. p. 333 Kritzius ad Sallust. Iug. c. 41, 1.

Cap. IV, 11: *vitio sibi tabernaculum captum fuisse hortos Scipionis.* Haec est codicum longe plurimorum et optimorum lectio, quam vitiatam esse nemo non intelligit. Alii *in hortos* habent, unus autem *aruspectionis,* merito illud repudiatum ab editoribus, pariter cum Boherii commentis, *avispectionis* v. *avispicionis.* Sunt etiam haec omnia vocabula inaudita, et *aruspectionis* ne propter significationem quidem admitti posset. Neque probabilior est Mülleri coniectura, qui Etrusc. II p. 158 *spicionis* pro *Scipionis* scribendum esse suasit, quid autem altero vocabulo *hortos* faciendum esset, dicere supersedit. Quod a me scriptum est, de Lambini coniectura, *in hortis Scipionis*, sententiam saltem non absurdam habet, probatumque quum ab aliis est, tum a Brissonio de Formm. 1, 205 p. 109 Conr.; tamen verum esse non spoponderim, licet *hortis* etiam in uno codice legatur. Sed quum plerique *hortos* habeant, hoc ego tenendum puto, addendam autem prae-

positionem *ad*, quae quam facile excidere potuerit in aperto est[1]). Horti Scipionis fortasse iidem sunt, quorum de republ. 1, 9, 14 et de amic. 7, 25 mentio fit. Videtur autem non idem semper locus ad auspicandum a magistratibus captus esse, ac fortasse nonnumquam ne extra pomoerium quidem: quod si recte statuimus, non mirabimur nunc locum capti a se tabernaculi accuratius a Graccho indicatum, scilicet ut planum fieret, cur pomoerium transeundem fuisset. Nam quod Marquardus, Antiquitt. Rom. II, 3, p. 78, sibi non dubium videri dicit, quin magistratuum auspiciis unus certus locus destinatus fuerit, id non magis testatum est, quam, quod plerique crediderunt, centuriatorum saltem comitiorum, quae in urbe haberi nefas esset, etiam auspicia semper extra urbem observanda fuisse. Hoc enim neque ex Gellii loco XV, 27, 4, neque ex Plutarchi Marcell. c. 5, neque, ut arbitror, ex ullo alio colligi potest. De usu praepositionis *ad* pro *apud* non opus est dicere: Ciceroniana eius exempla plurima habet Stürenburgius ad or. pr. Arch. p. 126 sqq.

Cap. IV, 12: *Signa ostenduntur a diis rerum futurarum: in his si qui erraverunt, non deorum natura, sed hominum coniectura peccavit.* Si peccare deos in ostendendis signis posse concedatur, non tamen, opinor, naturâ, sed errore potius aliquo aut ignoratione futuri peccare dicantur, quemadmodum si medicus peccavit in medicina adhibenda, non naturam medici, sed imperitiam accusabimus. Itaque vulgata huius loci lectio probari non posse videtur. Scripsit fortasse Cicero, *non deorum numen* —. Recte enim sic numen deorum hominum coniecturae opponitur, siquidem, ut in interpretandis signis hominum coniectura, sic in ostendendis numen deorum proditur, unde etiam qui ea observat, *divini numinis augur* dicitur de Div. I, 47, 106, dei autem, quum signis editis auctores fiunt rei alicuius gerendae, *numine* suo rem suadere dicuntur, Virg. Aen. III, 363; quumque praestant 6
quod polliciti sunt, *numina sua firmant*, ib. VIII, 78, ad quem locum Servius non inepte *numina* i. q. promissa, oracula esse dicit[2]).

1) Granius Licinianus in fragm. nuper reperto, ubi de Graccho res eadem refertur p. 10 ed. Bonn., eum *in villa* [Scipio]*nis tabernaculum posuisse* ait.

2) Oblitteratum *numen* vocabulum videtur etiam de Legg. II, 13, 32: *quum summos deos esse concedamus, eorumque mente mundum regi et eorundem hominum consulere generi.* Quod ab editoribus post *eorundem* insertum est, *benignitatem*, in nullo codice legitur: et probabilius est, *eorundem* ortum esse ex *eorum numen*. Apud Macrob. Sat. 1, 17 p. 294 Zeun. pro vulg.: *perge, quaeso, rationem mihi tantae sub uno n o m i n e in omnibus diversitatis aperire.* scribendum

Proximorum verborum lectionem: *itaque inter omnes omnium gentium summa constat.* annotatione mea satis munitam esse arbitror: et poteram ad significationem vocabuli *summa* demonstrandam praeter ea, quae citavi, exempla etiam hoc uti maxime appositio, de Finn. V, 12: *nec in summa tamen ipsa aut varietas ulla est aut dissensio.* — Sed quum nostro loco in plurimis codicibus pro *summa* scriptum sit *sententia,* admonet me haec res alius cuiusdam loci, eorundem fortasse vocabulorum permutatione corrupti. Nam. lib. I, 32, 89, quod a me scriptum est: *argumenta sententiae conclusisti*: melius quidem est haud dubie codicum lectione fere omnium: *argumenti sententiam conclusisti:* sed facilior tamen correctio haec esse videtur: *argumenti summam conclusisti.* Nam sicut *summam rationis* Cicero d. Or. II, 38, 158 de eo dicit, quod quis ratione s. argumentatione conclusit, eodem modo etiam *summam argumenti* dici posse manifestum est, siquidem in his dialecticorum loquutionibus *argumentum* et *rationem* synonyma esse et promiscue usurpari constat.

Cap. V, 15: *Quartam causam esse, eamque vel maximam, aequabilitatem motus conversionem caeli.* Davisianae emendationi, *in conversione caeli,* Ernestianam *conversionumque* praeferendam duxi, maxime propter similem locum de Legg. 1, 8, 24: *perpetuis cursibus conversionibusque caelestibus.* Tuscul. V, 24, 69: *totius mundi motus conversionesque.* Et solet sic Cicero generaliori vocabulo per copulam adiungere alterum, quo significationem magis definiat, acciditque saepissime in huiusmodi locis, ut copula a librariis omitteretur, velut in illo ipso de Legibus factum est in plerisque codicibus. Vid. Bakii comm. p. 343.

Cap. VI, 16: *Atqui res caelestes omnesque eae, quarum est ordo sempiternus, ab homine confici non possunt: est igitur id quo illa conficiuntur, homine melius.* Scribendum utique erat: *a quo illa conficiuntur,* quemadmodum paullo ante est: *ab homine confici.* Nam nudum ablativum, ubi non de instrumento reque inanima, sed de aliquo effectore operis sermo est, ab usu probatorum scriptorum in pedestri oratione prorsus alienum esse satis constat. Cf. Hand. Turs. I. p. 24 sqq.

Cap. IX, 25: *Nam — videmus — etiam ex puteis iugibus aquam*

---

est *sub uno numine in nominibus diversitatis.* et ib. p. 296 pro: *duo eademque cognomina circa singulos effectus propriis enuntiationibus signare,* scrib.: *duo eademque eius numina* —.

calidam trahi, et id maxime hibernis fieri temporibus, quod magna vis caloris terrae cavernis contineatur, eaque hieme sit densior, ob eamque causam calorem insitum in terris contineat arcticus. Videmus, opinor, hoc tantum, aquam ex puteis calidam trahi; quae autem causa huius rei sit, non iam videmus, h. e. sensu percipimus, sed aliunde fortasse compertum habemus physica ratione. Peccarunt itaque librarii, coniunctivos *contineatur, sit, contineat* scribentes, quasi haec quoque
membra penderent a verbo *videmus*, recteque fecit Heindorfius quum 7
indicativos restituit, licet horum unum tantummodo, *continetur*, codicum Glog. et duorum Moserianorum auctoritas firmet, alterum, *fit*, duae tantum veteres editiones, Marsi et Thanneri, tertium autem, *continet*, nullus liber offerat. Verum in huiusmodi re non librorum auctoritates sed rationis momenta spectanda sunt, neque ego nunc quidquam amplius de hoc loco dicerem, nisi me moveret Bakii quaedam adnotatio ad C. de Legg. 1, 4, 12 p. 301. Nam quod Moserus in ed. min., quum duos coniunctivos corrigeret, tertium tamen, *contineat,* intactum reliquit, nullo iudicio, sed mero errore, et permiro quidem, factum est. Bakius autem, servatis omnibus coniunctivis, pro certo affirmat, pronomen *eaque* non ad terram, ne per grammaticam quidem, posse referri, sed ad vim caloris, quae hieme densior h. e. intentior esse dicatur. Atqui, ut vera sit haec interpretatio, nihilo magis coniunctivi isti ferendi erunt, propter eandem, quam paullo ante memoravi, rationem. Est autem interpretatio ipsa, meo quidem iudicio, perversissima. Quippe densiorem illam s. condensatam vim caloris vereor ut Stoicorum physica agnoscat, quae quum caloris causam aethera esse statueret, ex huius autem condensatione aerem fieri[3]), qui frigidus est (vid. quae citavi ad II, 10, 27. 33, 84), calorem quoque, quo densiorem, eo haud dubie minorem, non autem intentiorem fieri debere diceret. Quod autem negat Bakius, *eaque* ad terram referri per grammaticam posse: quam ille dicat grammaticam nescio, nisi hoc video, non nimis magni eam aestimandam esse, quae, quum illud vetet, patiatur tamen Ciceronem sic loqui, ut magnam vim caloris, quae terrae cavernis contineatur, densiorem fieri caloremque insitum in terris arctius continere dicat. Nempe *magna vis caloris* nihil aliud est quam *plurimus calor.* Itaque calor ille plurimus et continebitur ipse terrae cavernis et in his, si diis placet, densior fiet, quumque densior factus

---

3) cf. Ovid. Met. XV, 250: *Ignis enim densum spissatus in aera transit.*

fuerit, tum calorem insitum in terris, hoc est, opinor, non alium quam semet ipsum, continebit arctius.

Cap. XIII, 36. *Is autem est gradus, in quo rerum omnium natura ponitur.* Bakius ad C. de Legg. p. 451 rescribi vult *rerum omnis natura:* qua correctione non opus esse arbitror. Quod enim ille utriusque loquutionis discrimen esse ait, ut *omnis rerum natura* ipsum mundum significet, *omnium rerum natura* in enumeratione partium dicatur; ego potius sic discriminandum esse iudico, ut *omnis rerum natura* non dicatur nisi de rerum universitate, contra *omnium rerum natura* ambiguam significationem habeat, prout *omnes* res aut *universae* dicantur, aut *una quaeque,* id quod ex cuiusque loci contextu facile cognoscitur. Veluti apud Ciceronem de Or. II, 78, 317: *nihil est in natura omnium rerum, quod se universum profundat,* significatur sine dubio, nihil eiusmodi esse in rerum universitate h. e. in mundo: nam de singulis rebus dicendum fuisset: *nihil est in natura ullius rei.* Nostro autem loco Cicero *omnium* rerum naturam maluit quam *omnem* dicere, quo apertius esset, eam significari naturam, quae omnes res complexa esset, qua circumloquutione ipse paullo infra utitur.

8 Cap. XVIII, 48. *Sed si haec non videtis, quia nunquam eruditum illum pulverem attigistis, ne hoc quidem physici intelligere potuistis etc.?* Ita recte hic locus scribebatur ante Heindorfium, qui *an ne hoc quidem* — ex aliquot codicibus recepit, eumque ceteri sequuti sunt, in quibus Nobbius, ex cuius editionis exemplo interrogativa particula me invito etiam in meam editionem translata est. Meliores codices particulam non agnoscunt, neque ea opus esse apparet. Cf. Madvig. Opusc. II p. 163. — Similiter factum est cap. XVI, 44, ut *in sublime* in mea editione scriberetur, quum ego deleri praepositionem maluissem. Quamquam non aegre fero servatam, quandoquidem codices eam h. l. omnes offerunt, praeter unum, in quo tamen ipso supra scripta est, aliis autem locis in dissensione codicum etiam meliorum difficilis est optio.

Cap. XIX, 50. *Neque solum eius* (lunae) *species ac forma mutatur, — — sed etiam regio, quae tum est aequilonaris tum australis. In lunae quoque cursu est et brumae quaedam et solstitii similitudo.* Haec, quam dicit brumae et solstitii similitudinem, inde existit, quod lunae regio modo aquilonaris modo australis est. Incredibile est igitur sic ἀσυνδέτως haec a Cicerone composita, neque rerum connexionem etiam orationis conformatione indicatam esse: quamobrem excidisse particulam *Ita* aut *Sic* pro certo habeo.

Cap. XXVI, 66. *Is rapuit Proserpinam, quod Graecorum nomen est: ea enim est, quae Περσεφόνη Graece nominatur.* Sic hunc locum Manutius scripsit ex codice Maffeano, cuius exemplum omnes deinceps editores sequuti sunt, neque ego deserere volui, quamvis correctoris manum agnoscere viderer, corruptam scripturam aliquo modo sarcire conantis. Nam in codicibus et plurimis et optimis longe diversa leguntur: *Cui Proserpinam, quod Graecorum nomen est: ea enim est, quae Περσ. Gr. nominatur.* Sic est in plerisque, nisi quod *que* pro *cui* habet cod. Monacensis, *Proserpina* pro *Proserpinam* Glog. et Rehd., *quidem* pro *quod* iidem cum tribus aliis, *est enim* pro *enim est* unus Uffenbachianus, denique *nominata est* pro *nominatur* quattuor Moseri codices. Hinc vix dubitari potest, quin *Cui Proserpinam* verum sit, exciderit autem post haec verba aliquid, unde ea penderent, veluti *copularunt, nuptam volunt, nupsisse tradunt,* aut eiusmodi quid: nam verba ipsa praestare nemo potest, quamvis de sententia dubitari nequeat. Aliter quam a Maffeano correctore locus refictus est in codice Regio, cuius hanc scripturam Davisius memorat: *Cui Proserpinam — quae Περσεφόνη Graece nominatur, nuptam dicunt.* Heindorfius autem, quum illud non posset non agnoscere, *Cui Proserpinam* utique asciscendum esse, neque inepte ad explendam structuram asumeret *nuptam dicunt*, immerito tamen spreta plurimorum codicum lectione *quod Graecorum nomen est,* dilatari orationem in hunc modum voluit: *Ac Proserpina quidem Graecorum nomen est:* inductus scilicet codd. Glog. et Rehd. scriptura *Proserpina* pro *Proserpinam* et *quidem* pro *quod*, quae non sane aliunde quam ex compendiis male intellectis orta est.

Cap. XXVIII, 71. *Sed tamen, his fabulis spretis ac repudiatis, deus pertinens per naturam cuiusque rei, per terras Ceres, per maria Neptunus, alii per alia, poterunt intelligi qui qualesque sint, quoque eos nomine consuetudo nuncupaverit, hos deos et venerari et colere debemus.* 9
Heindorfius hoc membrum, *qui qualesque sint*, a superiore *poterunt intelligi* aptum esse noluit, sed novam exorsus enuntiationem *qualesque* pro *qualescunque*, et *quoque* pro *quocunque* accipiendum esse statuit, Drakenborchi quandam annotationem antestatus ad Liv. I, 24, 3. Atqui *qualisque* pro *qualiscunque* dictum esse neque Drakenborchius neque alius, quod sciam, quisquam docuit, estque is usus eius pronominis prorsus inauditus: *quisque* pro *quicunque* dixerunt quidem veteres; sed qui Ciceronem quoque et huius aequales sic dixisse crediderunt,

falsa aliquot locorum aut lectione aut interpretatione in errorem inducti sunt, qua de re, post Madvigii excurs. VI ad Cic. de Finn. p. 846 sqq. a me disputari non opus est. Itaque nostro loco membrorum constructio ea est, quam interpunctione significavi. Mallem autem pro *hos deos* scribi *hoc eos.*

Cap. XXXI, 80. *quum satis docuerimus hos esse deos, quorum insignem vim et illustrem faciem videremus, solem dico et lunam et vagas stellas et inerrantes et caelum et mundum ipsum etc.* Verba *et caelum* Heindorfius insiticia esse suspicatur, quoniam caelum deum esse Balbus in superioribus non docuerit. Atqui docuit *aethera* deum esse. Haec est enim ea natura, „quae continet mundum omnem eumque tuetur, et ea quidem non sine sensu atque ratione" (cap. 11, 29), neque mundum aliam ob causam deum esse docuit, quam propter hunc „fervorem," in quo inest mundi principatus (§ 30), h. e. propter ardorem hunc, qui aether vel caelum dicitur (c. 15, 41), sive sublime illud candens, quem Iovem summumque divûm Euripidis verbis appellavit c. 25, 65. Itaque vana est Heindorfii suspicio.

Cap. XXXV, 89. In Attii senariis quod legitur v. 4:

ruit prolapsa, pelagus respergit, profluit,

hoc postremum verbum corruptum esse nemo non intellexit: qui autem *proflat* rescripsit, Heindorfius, nec metro consuluit (nam *pro* in *proflat* producitur,) nec sententiam poetae assequutus esse videtur, quum *pelagus* subiectum esse vult. Verum est, quod Priscianus servavit, de metr. com. p. 1325 Putsch., *reflat,* merito receptum ab Orellio, qui etiam sententiam bene interpretatus est: „navis procurrens undas maris retro spargit aestu ac flatu, quem procurrens excitat." — In proximis versibus

ita dum interruptum credas nimbum volvier,
dum quod sublime ventis expulsum rapi
saxum aut procellis etc.

quid statuendum sit de iterata particula *dum,* difficile dictu est. Nam pro *modo — modo* ut accipiatur, ex eis formulis, quas Orellius commemoravit, *agedum, iteradum* ac similibus effici profecto non potest. Probabilius videri possit, *dum* etiam pro eo quod est *tum* ab antiquioribus dictum esse, quemadmodum in Catulli versu, LXII, 45: *Sic virgo dum intacta manet, dum cara suis est,* hoc alterum *dum* pro demonstrativo est, i. e. *tum,* referendum ad praecedens *dum,* quod significat i. q. *quum* vel *quoad.* Itaque aut hoc amplectendum erit, aut scriben-

bendum *tum — tum.* Nam *dum* et *tum* a librariis nonnunquam permutari constat. Vid. Drakenb. ad Liv. XL, 42, 7. Arntzen. ad Aurel. Vict. p. 89. Quod autem Glog. et Rehd. habent *num-num,* quamvis probatum sit Heindorfio, Schützio, Nobbio, nec displicuerit Mosero, ego tamen, quum interrogationis figura in hoc contextu prorsus absona sit, cum Orellio spernendum duco. — Denique v. 10:

aut forte Triton fuscina evertens specus,

servari debebat hoc *evertens,* pro quo in mea editione *everrens* scriptum est. Sunt quidem haec verba, ut facilia ad permutandum, sic non semel permutata (vid. Heind. ad Hor. Sat. II, 4, 37); sed hoc loco *evertens* aptissimum est. Cogitatur enim Triton ingenti vi fluctuum specus profundas concutiens ac disiiciens et saxorum fragmenta eruens.

Cap. XXXVI, 92. In Pacuvii versu, a multis tentato,

Graiugena de isto aperit ipsa oratio,

nihil mutandum duxi, nisi *istoc* pro *isto* scribendum. Sententia est: de istoc homine ipsa graeca oratio manifestum facit, scil. cuiatis sit. Nam *aperire de aliquo,* non diserte indicato, quid aperiatur, ut quod ex cuiusque loci contextu subaudiendum sit, satis confirmatur eiusmodi exemplis, qualia Handius congessit, Tursell. II, p. 208. 9., quibuscum conferre licebit similia graeca, ad Isaeum p. 245 commemorata. *Graiugenam* autem orationem pro *graeca* apud poetam nemo mirabitur.

Cap. XL, 100: *Ipsum autem mare sic terram appetens littoribus eludit, ut una ex duabus naturis conflata esse videatur.* Magna et codicum et editorum dissensio est, aliis *eludit*, aliis *cludit,* aliis *alludit* scribentibus: quorum mihi quidem hoc postremum unice verum esse videtur. Eadem dissensio est in Topic. c. 7, 32: *Solebat igitur Aquillius, collega et familiaris meus, quum de littoribus quaereretur, — quaerentibus, quid esset littus, ita definire: qua fluctus alluderet.* Sic enim ibi non sine codicum auctoritate Turnebus, Lambinus aliique: alii contra *eluderet,* quemadmodum etiam apud Quintilianum I. O. V, 14, 34, ubi eadem definitio repetitur, a recentioribus editoribus scriptum est: *littus esse, qua fluctus eludit;* quum vetustiores editiones *alludit* habeant. Et Spaldingius quidem, quem Schützius sequitur ad C. Topic. p. 277 ed. mai., *eludit* intransitiva significatione accipi posse putat, ut translate dictum sit pro eo, quod est *exundat:* quod ut possit fieri, tamen nostro quidem loco istam *exundandi* significationem vix aptam esse puto. Additur enim *ut una ex duabus naturis conflata esse videatur:* in quo manifestum est, non exundationes respici, quae non-

nunquam accidant, sed eum habitum, qui constans et perpetuus sit. *Alludendi* verbum de mari usurpat etiam Plinius H. N. XXVI, 7, 22: *Tripolium in maritimis nascitur saxis, ubi alludit unda*: quo in loco *eludit* certe in nullo codice scriptum esse videtur, quamquam in nonnullis aut *allidit* aut *alliditur* aut *abluit* s. *adluit* est. Porro *alludere* est apud Senecam, Oedip. v. 266: *Per te pater Neptune, qui fluctu brevi Utrimque nostro geminus alludis solo*: nulla quod sciam varietate. Nec minus certa lectio videtur apud Ovidium, Met. IV, 342: *in alludentibus undis Summa pedum taloque tenus vestigia tingit*: ubi nemo facile codicis Palatini lectionem *applaudentibus* praeferendam ducet. Item apud Statium, Theb. IX, 336: *extremis alludunt aequora plantis*, et apud Catullum LXIV, 67: *ipsius ante pedes fluctus salis alludebat*,
11 rectius haud dubie, quam quod Scaligero placuit, *allidebat*. Cf. Minuc. Fel. Oct. c. 3, 3: *quum in ipso aequoris limine plantas tingeremus, quod vicissim nunc appulsum nostris pedibus alluderet*. Denique apud Avienum, Descr. orb. terr. v. 121: *Insula qua Cyrnus fluctu madet alludente*: ad quem locum conf. Schraderi annotatio, in Wernsdorf. poet. min. V, 2. p. 916. Haec omnia satis, opinor, demonstrant usum verbi *alludere* hac in re proprium, receptamque a me lectionem tuentur.

Cap. XL, 104: *quarum* (stellarum) *ita descripta distinctio est, ut ex nota figurarum similitudine nomina invenerint*. Sic Davisius scripsit ex aliquot codicibus, eumque Ernestius et Nobbius sequuti sunt: ceteri *notarum*, e codicibus plerisque. Mihi neutrum satis placet, quoniam non intelligo, quo iure vel ipsae figurae notae dici potuerint, quarum plerasque nemo praeter astrologos aut mythologos nosset, vel earum similitudo, quae profecto in plerisque agnosci vix potest. *Τί γὰρ ὅμοιον ἔχουσιν ἄρκτῳ οἱ ἑπτὰ ἀστέρες διεστῶτες ἀπ' ἀλλήλων, ἢ δράκοντος κεφαλῇ οἱ πέντε;* ut ait Sextus Emp. adv. Math. V, 98 p. 355 Fabr. Itaque scribendum iudicavi *notata* h. e. animadversa et consignata. Cf. de Div. II, 71, 146: *Astrologi motus errantium stellarum notaverunt*. Ad Herenn. III, 22, 37: *si quam maxime notatas similitudines constituerimus*. De Orat. I, 23, 109: *Ab hominibus callidis ac peritis animadversa et notata*. Fragm. Arat. 162: *Haec ille astrorum custos ratione notavit, Signaque signavit coelestia nomine vero*.

Cap. XLII, 107: *cuius quum totius est praeclara species, tum in primis aspicienda est figura capitis*. Me invito in editionem meam ir-

repsit *suspicienda*, ex Nobbiano exemplo. Nam *aspicienda* scribendum esse quum res ipsa, tum meliorum codicum consensus evincit. In altero membro *tum* etiam absque codicum auctoritate addendum esse recte Heindorfius iudicavit. Vellem autem etiam *sit* in priore membro pro *est* scriptum esse: siquidem vere Wolfius monuit, Analectt. litt. II, p. 279, coniunctivum praeferri in tali membrorum compositione, ubi prius membrum ampliorem sive generalem afferat sententiam, sequente mox speciali supra illam quasi eminente. Neque discordat haec ratio cum eorum iudicio, qui coniunctivum ibi poni volunt, ubi pro *quum* etiam *licet* vel *quamvis*, pro *tum* autem *tamen* dici potuisset. Vid. quae cit. Haas. ad Reisig. p. 535. Nam quum prius aliquid universe s. de toto genere praedicamus, ac postea maius aliquid atque eminentius de una aliqua parte adiungimus, quid aliud quam de universo quidem genere prius illud recte dici, de parte tamen etiam maius aliquid dicendum esse significamus? *Est* autem et *sit* quam saepe et quam ob causam a librariis permutata sint, nemo nescit.

Cap. XLII, 108, de capite draconis hi versus leguntur:

Hoc caput hic paullum sese subitoque recondit,
ortus ubi atque obitus parte admiscentur eadem.

quorum in priore dubitari non potest, quin postrema verba corrupta sint, quandoquidem certe non magis subito draconis caput quam quodvis aliud astrum occidit. De quinque emendationibus, Grotiana *subito aequore condit,* Davisiana *summo aequore condit,* Boheriana *se subiecto aequore condit,* Schaubachiana *seroque recondit,* Heindorfiana *subit aequore condens,* maxime probabilem iudico Grotianam, cui quod unum opponi possit, non aliud extare exemplum huius participii a verbo *subeo* declinati, mihi quidem non magnam vim habere videtur. Neque 12
enim abhorret aut forma haec participii aut constructio ab analogia sermonis latini (velut *loca adiri* et *loca adita* dicuntur,[4]) neque, quidquid non compluribus exemplis confirmari potest, propterea incredibile videri debet. Universi loci sententiam Wyttenbachius (in ed. Cr. et Mos. p. 762) hanc esse credit: „hoc draconis caput se subito et paullulum ita recondit, ut mox rursus oriatur, itaque eius ortus et occasus coniuncti videantur"; eandemque sententiam etiam Moserus ex-

---

4) Cf. Cic. fr. pr. Cornel. p. 451 Orell.: *circumitis rostris*. Verg. Aen. X, 641 et Gell. XV, 4, 4: *obita morte*. Ovid. Met. I, 37: *ambitae terrae*. aliaque apud Priscian. VIII, 31 et 82.

pressit convertendo: So daß nah einander berühren Verschwinden und Aufgang. Quasi vero *hic* — *ubi admiscentur* idem significare possit atque *sic* — *ut admisceantur.* Veram sententiam vel Aratus ostendere poterat, v. 62: *ἧχι περ ἄκραι Μίσγονται δύσιές τε καὶ ἀντολαὶ ἀλλήλῃσιν*, h. e. *ubi extremi occasus et ortus* (s. extremitates, extremae partes occidentis et orientis) *sese miscent*, vel eius vetus interpres, cuius haec est explicatio: *αἱ δύσεις καὶ ἀνατολαὶ πλησιάζουσιν ἀλλήλαις, λήγουσα μὲν ἡ ἀνατολή, ἀρχομένη δὲ ἡ δύσις, κατὰ τὸν μεσημβρινὸν πόλον ἤτοι κύκλον, ὅς ἐστι μεσαίτατος πάσης τῆς σφαίρας. — — ὁ δὲ νοῦς· ἐκείνη ἡ κεφαλὴ ἡ τοῦ δράκοντος κατὰ τοῦτο τὸ μέρος νήχεται καὶ κολυμβᾷ ἄκρῳ τοῦ ὠκεανοῦ, τουτέστι τοῦ ὁρίζοντος, ἐπιψαύουσα, ὅπου ἦτε δύσις καὶ ἡ ἀνατολὴ ψαύουσιν ἀλλήλων, δηλονότι περὶ τὸν μεσημβρινὸν πόλον ἤγουν κύκλον.* Eandem sententiam Avienus expressit his verbis, v. 164 sqq.: *At declive caput vertexque obliquior astri Hac in parte sacri procumbere cernitur axis, qua pater Oceanus, rutili reparator Eoi, Occasus ortusque salo moderante coercet, Et gemina alternae miscet divortia metae.*

Cap. XLIV, 112.

Cuius propter laevum genus omni ex parte locatas
Parvas Vergilias tenui cum luce videbis.

In plurimis codicibus haec tantum leguntur: *Cuius propter laevum genu* (aut *genus*) *Vergilias tenui cum luce videbis*, omissis verbis intermediis *omni* — *parvas.* Multo autem verisimilius videtur, verba haec librariorum errore omissa, quam ab aliquo correctore ex integri carminis exemplo addita esse: quamobrem pauciorum codicum et aliquot veterum editionum auctoritatem sequi malui. Quod autem nonnulli editores etiam *At* pro *Cuius* asciverunt, ex Arateis, v. 27, sed contra omnes horum librorum codices, perperam factum est. Neque enim opus erat Ciceroni omnia iisdem plane atque in integro carmine verbis repetere, et mutavit etiam statim proximo versu *Inde Fides*, quum in Arateis v. 42 scripsisset *Namque Fides*, et paullo post *Tum gelidum* pro *Quam gelidum*, et § 113 *Quem propter* pro *Quam propter:* quas mutationes ut flagitabat mutatus verborum contextus, ita hanc, quam nostro loco factam videmus, non certe vetabat. — Qui sequitur versus de Fide s. Lyra vulgo sic scribitur:

Inde Fides leviter posita et convexa videtur,

quam scripturam vitiosam esse, praeter meliorum codicum dissensum,

res ipsa arguit. Quid est enim *leviter posita*, aut etiam *leniter*, quod
habet codex Glogaviensis? Meliores codices neque copulativam coniun-
ctionem agnoscunt, et collocationem verborum habent hanc: *Inde Fi-
des posita leviter convexa videtur,* unde Heindorfius, inserta copula,
scripsit *posita et leviter convexa.* Sed longe verisimilius videtur, *po-
sita* ex *positu* factum esse, quo recepto etiam *convexa* mutari debebit, 13
non quidem in *connexa,* quod complures codices offerunt, sed in *con-
versa,* quemadmodum iam Boherius voluit, quamquam is in reliquis
non recessit a vulgata lectione. *Leviter conversa* autem est i. q. *paul-
lulum inclinata et obliquata.*

Cap. XLIV, 114, de Centauro:

Hic dextram porgens, quadrupes qua vasta tenetur,
Tendit et illustrem truculentus cedit ad aram.

Quod in plurimis libris h. l. et in Arateis v. 454 legitur *caedit,* equidem falsum esse iudico. Nam quum feram porrecta dextra Centaurus portet, immolare eam sic portans nullo modo potest; neque *truculentus* adiectivum satis aptum videtur de sacrificante, quoniam sacrificare pietatis potius quam truculentiae est. Atque hanc ob causam ne Heindorfii quidem emendationem, *ut illustrem truculentus caedat ad aram*, quamvis ceteroquin speciosam, recipere ausus, paucorum sed bonorum codicum lectionem *cedit* praetuli, cui quod ab Orellio opponitur, putidam esse repetitionem eiusdem verbi, — praecedit enim: *Cedit equi partes properans subiungere chelis;* — malo ego Ciceronem minus eleganter loqui, quam pugnantia dicere. Nam pugnant, ut dixi, ferre bestiam porrecta dextra et caedere.

Cap. XLVII, 121: *ut in suo quaeque genere permaneant.* Immerito codicum optimorum lectio *permaneat* ab omnibus editoribus spreta est. Nam non raro sic Cicero in hoc genere structurae verbi numerum ad singularem pronominis in eodem membro positi, quam ad pluralem nominis in superiore membro accomodare maluit, qua de re satis dictum est a Madvigio ad C. de Finn. p. 693.

Cap. XLIX, 124: dicitur de platalea cibum quaerente ex iis avibus, quae se in mari mergant: advolare enim ad eas, quum piscem cepissent, et *„usque eo premere eorum capita mordicus, dum illae captum amitterent, id quod ipsa invaderet“.* Non modo probabilis, ut Heindorfius ait, sed prorsus necessaria est Walkeri emendatio *in quod ipsa invaderet,* quam a nullo editore receptam esse iure mireris. Nam *id quod* neque Cicero neque quisquam bonus scriptor dicit, nisi his duo-

bus modis, aut ut relativa enuntiatio non ad unum aliquod vocabulum, sed ad totam enuntiationem pertineat, veluti de Fato c. 2: *nec enim, id quod recte existimas, oratoria illa studia deserui*; aut ut id, quo pertinet relativum, disertius indicetur, hoc scilicet, non aliud intelligendum esse, quod quidem tum demum fieri posse apparet, si relativa enuntiatio quid aut quale illud sit definiat: quo modo etiam *is qui*, *ea quae* usurpari non est quod moneam Cf. de N. D. II, 9, 24: *cuius etiam in reliquiis inest calor, iis quas natura respuit.* Vid. Ruddiman. II p. 23. Goerenz. ad C. de Legg. 1, 16, 44 et Walkeri exempla p. 476 editionis Davisio-Schützianae.

Cap. XLIX, 125 sermo est de gruibus in volatu, quum loca calidiora petant, trianguli formam efficientibus, duce una, cui ad requiescendum revolanti aliae per vices succedant: „*in eius* (ducis) *locum*
14 *succedit ex iis, quae acquierunt*". Haec est meliorum codicum lectio, quae quin vitiata sit nemo dubitabit; deest enim subiectum, quo carere verbum *succedit* nullo modo potuit. Sed corruptiora etiam, quae in aliquot codicibus extant: *in eius locum succedit ex iis, quae assequitur, quae acquierunt,* in quibus haud difficile est correctoris manum agnoscere, sarcire corruptelam conantis addito membro relativo, *quae eam sequitur,* quod pro subiecto esset verbi *succedit,* mox autem ab aliis et ipsum corruptum et alieno loco insertum est. Sed multo leniore medicina locus sanari potuit, numerali pronomine *una* post *locum* inserto. Excidit enim illud propter similitudinem litterarum *una* et *um,* quemadmodum c. 66, 167 de verbis „*nec vero id ita refellendum*" propter eandem causam *id* pronomen excidit, omninoque nihil hoc genere peccatorum frequentius est.

Cap. L, 126: *Atque illa mirabilia. Quid ea, quae nuper, id est paucis ante saeculis, medicorum ingeniis reperta sunt? vomitione canes, purgatu autem alvos ibes Aegyptiae curant etc.* — *Illa mirabilia* de iis, quae modo commemorata erant, Ciceronem scribere non potuisse certissimum est: debuit *haec mirabilia.* Est tamen *illa* in omnibus bonis codicibus, in proximo autem membro quattuor de melioribus pro *quid* habent *quod.* Id ego recipiendum arbitror. Nimirum hoc membrum „*quod ea, quae nuper medicorum ingeniis reperta sunt, vomitione canes — curant*" breviter dictum est per quandam non ingratam negligentiam pro eo, quod plenius dicendum fuit: *quod ea, quae — reperta sunt, haec etiam bestiae faciunt: nam vomitione canes etc.* Quodsi quis in huiusmodi contextu non *illa mirabilia*, sed potius sin-

gulari numero *illud mirabile* dicendum fuisse putat: pluralem Cicero propterea posuit, quia etiam alia plura mirabilia in mente habuit, de pantheris, de capris feris, de cervis, quae si et ipsa per coniunctionem *quod* adiunxisset, nemo pluralem *illa mirabilia* reprehenderet. Nunc autem paullo liberius orationem ab instituta structurae forma deflexit. Comparari potest III, 7, 17: *eodemque illa etiam differemus, quod Chrysippum dicere aiebas etc.*, ubi item plurali utitur, non unum proximum membrum de Chrysippo, sed alia quoque post adiungenda, in mente habens. Ceterum ad absolvendam nostri loci emendationem etiam *At quam* pro *atque* reponendum esse suadeo ex cod. Vaticano s. Ottoboniano. Aptissime enim per *at* coniunctionem haec mirabilia eis, quae antea commemoratae erant, rebus notioribus opponuntur: *quam* autem et *que* innumerabilibus locis permutantur.

Cap. LII, 130: *Accedit autem ad nonnullorum animantium et earum rerum, quas terra gignit, conservationem hominum etiam sollertia et diligentia.* Haec est lectio codicis Oxon. e.; reliqui omnes habent „*accedit etiam*“, quemadmodum alibi quoque non raro *etiam* et *autem* permutari a librariis videmus. Cf. Heusing. et Beier. ad C. de Offic. 1, 30, 107. 39, 8 (140). Itaque sequi codicis Oxon. auctoritatem, quam eorum exemplum imitari malui, qui alterutro loco particulam plane deleverunt, quamquam ferri illud quoque posse fateor, ut *etiam* utrobique legatur. Cf. Wopkens. p. 54 et Hand. Tursell. II p. 548. Pro *nonnullorum* autem rectius scribetur *nonnullarum*, siquidem vere a viris doctissimis observatum est, *animantes*, ubi opponantur hominibus, ab optimis scriptoribus feminino genere dici solere. Et *nonnullarum* h. l. in Erlangensi codice scriptum esse testatur Goerenzius ad C. de Legg. 1, 9, 29, quamquam Moserus de eo tacet. Sed supra c. 47, 121 femininum genus in omnibus codicibus est.

Cap. LII, 132: *Enumerari enim non possunt fluminum opportunitates, aestus maritimi mutuo accedentes et recedentes, montes vestiti atque silvestres, salinae ab ora maritima remotissimae, medicamentorum salutarium plenissimae terrae, artes denique innumerabiles ad victum et ad vitam necessariae.* Artium commemoratio in hac enumeratione rerum, quas naturae benignitas largita sit, non immerito Moserum offendit, neque licet eam cum Bakio ad C. de Legg. p. 349 eiusmodi locis defendere, in quibus artium quoque inventio ad naturae beneficium refertur, quam quasi magistram ratio imitata sit, quemadmodum est de Legg. 1, 8, 26: *Artes vero innumerabiles repertae sunt docente natura,*

quam imitata ratio res ad vitam necessarias sollerter consequuta est. Talia quamvis multa congeras, nihil ad huius loci lectionem tuendam effeceris. Non enim satis est, sententiam ipsam per se veram esse, nisi etiam ei, in quo posita est, loco apta et conveniens sit. Atqui nostro loco quidquid enumeratur et ante illam artium commemorationem et post eam, proventus agrorum, venti Etesiae, aestus maritimi, montes vestiti et silvestres, salinae, medicamenta, denique dierum noctiumque vicissitudines, haec omnia tam diversi generis esse apparet, ut interponi sic obiter artium commemoratio a bono scriptore non sane potuerit. Huc accedit quod de universo illo genere beneficii, ad quod artium inventio pertinet, h. e. de animi facultatibus mentisque sollertia homini a natura tributa, alio loco separatim dicitur, c. 59 sq., ubi artes quoque, ut par erat, memorantur, partim ad usum vitae partim ad oblectationem necessariae, §. 152. His igitur rationibus permotus Moseri iudicium laudo: quam autem ille sibi emendationem non displicere ait, ut *res* pro *artes* scribatur, laudare non possum. Malui *dotes* reponere, quod vocabulum et aptissimum hoc loco est, et a librariis etiam alibi cum illo altero permutatum. Vid. Burmann. ad Ovid. A. A. 1, 596.

Scrib. Gryphiswaldiae a. d. III. Cal. Aug. MDCCCL.

COMMENTATIO IV. AD CICERONIS LIB. DE NAT. DEOR.

Absolvemus hoc programmate quas instuimus commentationes cri- 3
ticas de Ciceronis libris de natura deorum, quumque superioribus tribus scriptionibus primi ac secundi libri locos tractaverimus, iam de tertio libro dicendum erit. In huius igitur capite 1 § 2 ad Velleii orationem: Praebebo ego me tibi attentum contra Stoicos auditorem: spero enim te, ut soles, bene paratum venire: Cottae responsio haec legitur: Si mehercule. Neque enim mihi par ratio cum Lucilio est, ac tecum fuit. Non iniuria autem illud si mehercule plerisque displicuit. Nam quod nonnulli optantis haec verba esse volunt, ut si accipiatur pro utinam, subaudiaturque ex Velleii oratione verbum venirem, eamque interpretationem comprobari posse credunt huiusmodi locis, quales sunt de Offic. III, 10, 44: itaque praeclarum a maioribus accepimus morem rogandi iudicis, si eum teneremus. pr. Flacc. c. 7, 15: o morem praeclarum disciplinamque, si quidem teneremus. Sed nescio, quo pacto, iam de manibus elabitur. Virg. Aen. VI, 187: si nunc se nobis ille aureus arbore ramus ostendat nemore in tanto: haec quantopere non modo a nostro loco, sed etiam inter se diversa sint, facile intelligitur. Nam optantis quidem oratio non potest nisi in Aeneidis loco agnosci; reliqui duo enuntiationem habent mere conditionalem, cuius haec vis est, ut, quae ante dicta erant, reprehendantur quodammodo ac limitentur. Nempe qui mos non tenetur, propemodum perinde est, ac si ne acceptus quidem sit. Significatur igitur
praeclarum illum morem maiorum, h. e. utilem ac salutarem civitati, 4
acceptum sic demum vere dicendum fuisse, si teneretur atque observaretur a civibus. — Sed conditionalis particulae in optando usurpatae quum omnino rariora sint apud Latinos scriptores exempla, — apud

Ciceronem quidem nullum inveniri arbitror, — tum horum nullum est, in quo non etiam verbum additum sit, quod qui hoc loco subaudiri e praecedentibus volunt, Laconicam quandam breviloquentiam Ciceroni obtrudunt ab eius more et ab hoc sermonis genere prorsus, si quid video, alienam. Non magis autem probanda est Boherii coniectura ab Ernestio adoptata, Sim mehercule, cui praeter ea, quae Heindorfius monuit, non convenienter sic asseverandi vocem mehercule adiunctam esse, neque nudum coniunctivum sim pro utinam sim in pedestri quidem oratione probari posse, etiam illud obstat, quod in hoc genere responsionis verbum ex alterius oratione veniam, aut paratus veniam, repetendum, non autem aliud ponendum fuisset, quod in illa neque dictum neque intellectum est. Atque haec ipsa ratio etiam Heindorfio nos assentiri vetat, indicativum Sum e cod. Glog. adsciscenti. In Regio Davisii Non mehercule scriptum est, ex emendatione scilicet alicuius correctoris nullo modo probabili. Minus etiam probabiliter Wyttenbachius volebat Minime hercule. Propius ad verum accedit Lambini coniectura, Sic est mehercule; sed sufficiebat solum Sic (vid. Madvig. ad C. de Finn. p. 358.), quamobrem hoc a me repositum est. Idem iam ante me Handius voluit, ad Wopkens. Lectt. Tull. p. 171; quamquam de sententia loci errare videtur. Nam cum ironia quadam hoc a Cotta dici vult: Scilicet sic te sperare necesse est, sive Sic iuvat dicere. Mihi vero ironia nulla esse videtur, sed vera professio, venire se bene paratum, utpote contra adversarium fortem nulloque modo contemnendum, quemadmodum ipse statim significat: A Balbo autem animadvertisti, credo, quam multa dicta sint, quamque, etiamsi minus vera, tamen apta
3 inter se et cohaerentia: et statim initio meditatum se esse profitetur Balbo disputante, quid contra diceret.

In eodem capite §. 4. codices omnes habent: quamobrem sic agamus, ut nos ipsa ducit oratio: neque erat profecto, quod nonnulli mallent ratio. Nam orationem recte dici de disputatione eiusque via ac processu miror a quoquam, atque ab ipso etiam Heindorfio dubitatum esse, quem meliora docere poterat vel hoc exemplum, quod paullo infra legitur c. 17, 43: quando enim me in hunc locum deduxit oratio. Sed nostro loco pro praesenti tempore ducit res ipsa poscebat, ut poneretur futurum ducet, quod habet unus saltem codex Oxf. e. Neque enim iam nunc huc vel illuc ducit oratio, quae modo inchoanda est, sed ductura fortasse est, ubi longius processerit.

Cap. III, 7: Tum Cotta, Primum quidque videamus, inquit; etsi id est primum, quod inter omnes nisi admodum impios convenit, mihi quidem ex animo exuri non potest, esse deos. Id tamen ipsum, quod mihi persuasum est more maiorum, cur ita sit, nihil tu me doces. Sic hunc locum recentiores editores post Heindorfium omnes distinxerunt: in quo miror, quid significare voluerint concessivam particulam etsi. Nam concessiva enuntiatio necesse est habeat aliquid, quod alteri oppositum sit, ut, quamvis illud sit, alterum nihilo minus locum habere dicatur. Atqui haec duo, primum quidque videamus, et primum est, esse deos, nullo modo sic inter se opposita esse apparet, ut quamvis primum sit esse deos, tamen primum quidque videndum sit. Exturbanda est igitur concessiva particula dirimendis voculis et si. Significat autem si id primum est idem fere quod quum id primum sit vel quoniam id primum est, quae significatio particulae si quam frequens sit, nemo nescit. Vid. Horat. Tursell. p. 958. Universa autem loci sententia haec est: Quum hoc primum sit, ideoque primo loco considerandum, esse deos, est hoc quidem eiusmodi, 6
ut conveniat inter omnes mihique ipsi maxime placeat; tamen, cur ita sit, nihil tu me doces. Comparari cum nostro loco potest de Finn. III, 2, 5: Et si, quod saepe diximus, et quidem cum aliqua quaerela non Graecorum modo, sed etiam eorum, qui se Graecos magis quam nostros haberi volunt, nos non modo non vinci a Graecis verborum copia, sed esse in ea etiam superiores: elaborandum est, ut hoc non in nostris solum artibus, sed etiam in illorum ipsorum consequamur. Ita Manutius, Victorius, Lambinus aliique, quum a nonnullis etsi coniunctim scriptum, in aliquot autem libris, ad explicandam scilicet vim particulae si, adscriptum esset quoniam; quod deinde a nonnullis ipsi verborum contextui insertum est, etsi (v. etsi) quoniam saepe diximus. Madvigius autem deleta altera particula solum quoniam recepit, quod mihi parum considerate factum esse videtur. Nam quod ait, si non habere quo referatur: debuerat sane Cicero scribere, si nos non modo non vincimur, sed sumus etiam superiores; sed infinitivum posuit per quandam negligentiam propter praecedens verbum diximus, quod genus anacoluthiae haud ita rarum esse, omnium minime Madvigium ignorare certo scio. Cf. de Legg. 1, 21, 55: quia si, ut Chius Aristo dixit

solum bonum esse quod honestum esset, valde a Xenocrate et Aristotele et ab illa Platonis familia discreparet, de quo loco recte statuit Bakius p. 437. Item de re publ. 1, 37, 58: Si, ut Graeci dicunt, omnes aut Graios esse aut barbaros, vereor ne barbarorum rex fuerit. Plura vid. ap. Matthiaeum de anacol. ap. Cic., Scriptt. miscell. p. 61, et Beierum ad C. de off. 1, 7, 22 et ad fr. or. in P. Clod. p. 96. — Quod porro legitur nostro loco, ex animo exuri, non immerito plerisque displicuit: est enim profecto verbum illud parum rei conveniens. Quid autem restituendum sit, in magna
7 copia coniecturarum pariter fere probabilium, difficile dictu est. Mihi quidem eximi placuit, ut quod propter simillimos litterarum ductus facillime cum illo altero permutari potuerit: neque desunt exempla verbi in tali re usurpati, velut eximere aliquid memoriae, curas, religionem alicui eximere, aliaque ex lexicis petenda. Itaque hoc in annotatione mea posui: quamquam in ipso contextu verborum Ciceronis vel mea vel typographi incuria exui relictum est, quod quidem Nobbius cum aliis quibusdam dederat, etiam in codicibus Parisino altero et Oxf. e repertum.

Cap. III, 8. cur te duobus contuear oculis, et non altero tantum. Hoc tantum non agnoscit Davisii Regius, qui est e melioribus: et videtur utique verisimilius, additum a librariis vocabulum quam omissum esse. Abstinuit eo Cicero etiam alibi, velut Acad. II, 43, 132: non potest igitur uterque esse sapiens, sed alter. Additi autem a librariis vocabuli exempla quaedam Davisius attulit ad II, 64. Quod vero in aliquot codicibus verbum contuear iterum post altero positum est: miror repetitionem tam inelegantem tamque putidam Heindorfio et Orellio placere potuisse. Vitium haud dubie inde ortum, quod contuear alii libri priori membro insertum, alii in fine alterius collocatum habuerunt.

Cap. IV, 10. Primum fuit, quum caelum suspexissemus, statim nos intelligere, esse aliquod numen, quo haec regantur. Licet assentiar Heindorfio, grammaticam rationem imperfectum potius, regerentur, postulare, tamen hoc reponere contra omnium codicum auctoritatem non ausus sum. Est enim sententia loci eiusmodi, quae istum deflexum a norma grammatica facile excusare possit, siquidem, quod in hac parte enuntiationis dictum est, regi caelum aliquo numine, non modo praeteriti, sed etiam praesentis et omnis omnino temporis est, fuitque sic ab ipso Balbo, cuius sententia nunc

a Cotta refertur, propositum. Vid. de universo hoc genere Krüger. de conseq. tempp. p. 60 sqq. et Zumptium, gramm. § 77, 12, 1. — 8
Contra paullo ante quod in codicibus est, quia non confidebas, tam id esse perspicuum quam tu velis, qua probabili ratione praesens tempus excusari possit, non video. Sequutus igitur Ernesti exemplum velles reposui, quum praesertim has duas formas plurimis locis permutatas esse constet.

Cap. VII, 18. eodemque illa etiam differemus, quod Chrysippum dicere aiebas etc. Ad tuendum pluralem illa satis dictum est in annotatione ad h. l. et in nupera commentatione ad II, 50, 126: Addam nunc locum similiter explicandum, Verr. IV, 23, 51: Illa vero optima, quod, quum Haluntium venisset, — ipse in oppidum noluit accedere. Hic quoque pluralem illa orator propterea posuit, quod non hoc unum, quod statim sequitur, sed plura etiam post memoranda animo eius obversabantur: Archagathum vocari iussit: ei negotium dedit. — Ascendit in oppidum Archagathus: — iubet omnes proferre etc. Zumptius quidem scripsit illla vero optima est, ex omnibus, ut ait, codicibus, praeter unum H. Stephani, in quo sunt legitur. Editores autem inde a Victorio verbum plane omiserunt, quod si addendum sit, equidem non est, sed sunt scribendum censeo. A librariis has duas formas non semel permutatas esse constat: neque causa in obscuro est. Vid. Drakenb. ad Liv. XLV, 17, 5[1]). Quod vero Zumptius ad explicandum numerum singularem genusque femininum subaudiri iubet res, mihi prorsus improbabile videtur, neque moveor exemplis ad comprobandam hanc ellipsin a viro doctissimo allatis. Sunt autem haec tria. Primum 9
Verr. II, 23, 56: Verres refert illam suam Syracusanam: quo loco, si vere rem subaudiendam statuas, hoc ex iis, quae proxime praecedunt: Res percrebruit; in ore atque sermone omnium coepit versari, facile repetitur, ut de ellipsi non cogitandum sit. Porro Quintil. I. O. VI, 1, 4: Illa vero iucundissima, si contin-

1) Sunt pro est habent aliquot codices supra lib. 1, 34, 96: quae sola divina natura sunt, de quo loco vid. commentationem aestivar. schol. indici praemissam, p. 24. Etiam de Legg. 1, 8, 24 pro eo, quod vulgo legitur: et nimirum ista sunt ut disputantur. scribendum suadeo, ita est ut disputatur. Et ita habent codices optimi, probavitque hoc Madvigius, cui sunt et disputantur placere potuisse miror.

gat aliquod ex adversario ducere argumentum. Loquitur Quintilianus de figuris, recteque Spaldingius hoc ipsum nomen, paullo ante positum, hic intelligendum esse monuit. Tertius locus est Cic. de N. D. 1, 8, 20: sed illa palmaris, quod idem, qui non modo natum mundum introduxerit, sed etiam manu paene factum, is eum dixerit fore sempiternum: de quo quid sentirem et in annotatione ad h. l. et in programmate, Id. Oct. anni superioris edito p. 5 exposui.

Cap. IX, 22. Istum enim locum totum illa vetus Zenonis brevis et, ut tibi videbatur, acuta conclusio dilatavit. Zenonis conclusio relata est II, 8, 21. Verum dilatatus ea conclusione locus ille de mundi praestantia ad eum, quem mox Cotta instituit, modum profecto non est: poterit autem dilatari, et dilatabitur nunc statim adversarii artificio et calumnia. Quamobrem pro praeterito dilatavit reponendum fuit futurum dilatabit. Neque quidquam frequentius est litterarum v et b permutatione, cuius aliquot exempla nuper Heraeus protulit in Stud. crit. in Mediceos Taciti codices p. 92 sq.

Cap. XII, 30. Ut enim, si omnis cera commutabilis esset, nihil esset cereum, quod commutari non posset: item nihil argenteum, nihil aeneum, si commutabilis esset natura argenti et aeris. Similiter igitur, si omnia, quae sunt e quibus cuncta constant, mutabilia sunt, nullum corpus esse potest non commutabile. Sic interpunxerunt hunc locum Nobbius et ad huius exemplum meae editionis typographus, quasi duae separatim proponerentur argumentationes, altera, quod in cereis, idem pariter in argenteis et aeneis fieri oportere concludens, altera autem ad hanc similitudinem ex elementorum mutabilitate etiam corporum omnium mutabilitatem efficiens. Et sane si quis verba tantum intueatur, facile in eam opinionem induci possit, ut in priore periodo item pro ita dictum, eamque particulam superiori ut respondere credat. Cf. I, 2, 3. 11, 28, 34, 96. III, 18, 45. Hand. Tursell. III p. 512. Madvig. ad C. de Finn. p. 428. Atqui rem ipsam reputanti superior ista conclusio non poterit non mira et inutilis videri, siquidem id, quod de argenteis aeneisque rebus dicitur, ipsum per se non minus manifestum est, quam quod de cereis, neque opus fuit alterum alterius comparatione confirmari. Recte autem haec duo adhiberi poterant ad comprobandam mutabilitatem earum rerum omnium, quae constant ex elementis mutabilibus. Itaque membrorum connexionem hanc esse ap-

paret, ut haec omnia a verbis ut enim usque ad similiter protasin habeant bipertitam, in cuius altera parte item ἀσυνδέτως pro itemque dictum est, apodosis autem incipiat a verbis similiter igitur, quae proinde a superioribus non τελείᾳ στιγμῇ, sed minore interpunctione distinguenda sunt. Ceterum usus hic coniunctionis igitur in apodosi paullo rarior est, neque exempla eius alia, quam e Plauto et Lactantio a Forcellinio et Handio afferuntur. Addam igitur e Cicerone haec duo: alterum, quod paullo, infra in hoc ipso libro exstat, cap. 13, 33: sin autem, quod animal est[2]), id illa necesse est sentiat, (voluptatem dicit et dolorem), et quod ea sentiat non potest esse aeternum, et omne animal sentit, nullum igitur animal est aeternum. h. e. consequitur, nullum animal esse aeternum. Alterum de Invent. I, 34, 59: quodsi melius geruntur ea, quae consilio, quam quae sine consilio administrantur, nihil autem omnium rerum melius administratur quam omnis mundus, consilio igitur mundus administratur. Similiter a Graecis οὖν in apodosi ponitur, saltem post ἐπεί, qua de re vid. quae citavimus ad Plutarch. Cleom. p. 189 sq., et post εἰ, si non nudum οὖν, at certe οὔκουν s. οὐκ οὖν, velut Eurip. Tro. v. 423: εἰ μή σ' Ἀπόλλων ἐξεβάκχευσεν φρένας οὐκ οὖν ἀμισθὶ τοὺς ἐμοὺς στρατηλάτας τοιαῖσδε φήμαις ἐξέπεμπες ἂν χθονός. De verbis quae sunt e quibus cuncta constant nolo repetere, quae in annotatione ad h. l. dicta sunt.

Cap. XIV, 35. Vos autem ita dicitis, omnem vim esse ignem. Iam Heindorfius vix se dubitare professus est, quin Cicero scripsisset igneam. Id ego haud cunctanter reponendum duxi. Cf. quae paullo ante leguntur: omnia vestri solent ad vim igneam referre. et III, 7, 18: omnia quae a te dicta sunt de vi ignea.

Cap. XVI, 40. rerum inanimatarum. Satius erat fortasse vocabulum dubiae auctoritatis commutare cum eo, quod quattuor aut quinque boni codices offerunt, inanimarum, commendatum illud etiam a Madvigio ad C. de Finn. p. 541.

Cap. XIX, 48. Circe autem et Pasiphae et Aee e Perseide

---

2) Heindorfius et Moserus in ed. min., quum apodoticum particulae usum non agnoscerent, scripserunt: sin autem quid animal est —. qua mutatione non opus est. Et deberet sic etiam postea et quod ea sentit, non sentiat, scribi.

Oceani filia natae patre Sole in deorum numero non habebuntur? Sic hunc locum nonnulli codices exhibent, quum in aliis sit et ee Perside aut et eae Perside aut eae e Perside aut eee Perside, aut et eae Persidae aut et ea Perside aut et e Perside, aut et eace Perside aut et eee Perside aut et eoe Perside aut et hee hesperide aut et hesperides, quae satis demonstrant, praeter Circen et Pasiphaen etiam aliud nomen per copulam adiunctum fuisse, sed varie depravatum. Nam copulam in duobus tantum codicibus omissam videmus, qui habent eae e P. aut eee P.; eandem una cum nomine aut nominis vestigio nullus omittit praeter unum Leidensem
12 primum s. Heinsianum, quem Moserus littera A signavit. Atque hunc quidem recentiores editores omnes sequuti sunt. Sed reliquorum consensus suadet, ut restituendo potius vero nomine quam resecanda corruptela locum emendemus. Quod si ita est, dubitari non potest, quin Aeetes nominatus fuerit, quem Solis filium cum Circe sorore et matre Perseide etiam Hesiodus Th. v. 957 aliique memorant. Quod autem in omnibus codicibus natae, non, ut debebat, nati scriptum est, nemo mirabitur. Nam posteaquam semel Aeetae nomen in muliebris nominis similitudinem corruptum erat, participium quoque describentibus utique mutandum videbatur.

Cap. XIX, 50. Itemque Leonaticum est delubrum Athenis, quod Leocorion nominatur. Non vereor, ne cui aliorum coniecturae pro Leonaticum aut Leonticum aut Leontium, Leoidum, Leo aut Lei natarum reponentium potiores videantur ea, quam ego sequutus Leontidum scripsi, quod nomen a librorum scriptura non plus duabus litteris discrepat, formamque habet perquam probabilem, siquidem a vetere illo heroe, qui vulgo *Λέως* dicitur, cuius filiabus Leocorion consecratum erat, etiam tribus nomen *Λεοντίς* deducitur, quasi idem etiam *Λέων* dictus esset, quam formam nominis etiam codices aliquot habent apud Pausaniam I, 5, 2. Cf. Ps. Demosth. Epitaph. §. 29. Phot. Lex. s. v. *Λεοντίς*.

Cap. XX, 51. Cur autem Arci species non in deorum numero reponatur? Est enim pulcher, et ob eam causam, quia speciem habet admirabilem, Thaumante dicitur esse natus. Non concedo quidem Orellio ridiculum hoc esse, quod Arcus Thaumante natus dicatur: nam licebat profecto Ciceroni nomen tanquam proprium ponere et pro filia Iride Arcum filium substituere. Tamen quum in codicibus plurimis et optimis nata feminino genere

scriptum sit, hoc non temere spernendum videtur, quamquam in hoc, qui nunc est, verborum contextu femininum ferri non posse apparet. 13
Quam enim Orellius recepto feminino brachylogiam existere autumat praestantissimam, vereor ut quisquam agnoscat. Scribendum credo: Thaumante dicitur Iris esse nata. Quattuor enim litterae iris inter dicitur et esse excidere facile potuerunt.

Cap. XXI, 53. Primi tres, qui appellantur Anaces, Athenis ex rege Iove antiquissimo et Proserpina nati. Hanc verborum collocationem, ex rege Iove, praetuli vulgatae, ex Iove rege, non aliam ob causam, quam quia plures ac meliores codices eam offerunt. Quod enim Orellius sententiae discrimen esse vult, ut appellativo ante proprium nomen posito significetur: ex Iove antiquissimo, cuius proprium ἐπίθετον rex est; postposito autem appellativo: ex Iove, qui antiquissimus aliquis fuit rex; id autem esse falsissimum: equidem neque agnosco hoc utriusque collocationis discrimen, et illud ipsum, quod Orellius falsissimum esse autumat, Ciceronem dicere contendo. Nempe disputantur haec omnia ex mente eorum, quos ille theologos dicit, „qui omnes deos ex hominum genere in caelum translatos non re sed opinione esse" statuerunt, ut ipse paullo ante indicavit. Itaque etiam Iovem illum, cuius Anaces filii essent, hominem aliquando et regem fuisse voluerunt, idque Athenis, nisi fallor. Nam licet recentiores editores plerique verba sic interpunxerint, ut Athenis cum appellantur coniungendum significarent, mihi tamen ipsa collocatio verborum alteram potius interpunctionem suadere videtur, ut Anaces Athenis ex rege quodam Iove nati esse dicantur. Atque sic etiam Ernestius et priores editores interpunxerunt.

Cap. XXII, 55. Vulcani item complures: primus Caelo natus, ex quo et Minerva Apollinem eum, cuius in tutela Athenas antiqui historici esse voluerunt. Anacoluthia structurae plerisque adeo incredibilis visa est, ut de emendanda lectione cogitarint, quemadmodum iam a veteribus correctoribus factum esse 14
codicum Cantabrigiensis et Regii scripturae ostendunt, quorum alter habet, ex quo et Minerva dicunt Apollinem eum, alter etiam natum post Apollinem addit. Mihi hanc anacoluthiam vel unum illud exemplum credibilem facit, quod e Bruto c. 27, 104 in editione mea citavi: neque duriorem eam arbitror illa, de qua paullo ante ad c. 3, 7 dictum est. Addam nunc Tuscul. I, 30, 73: itaque commemorant, ut cygni, qui non sine causa Apollini dicati sint,

sed quod ab eo divinationem habere videantur, qua providentes quid in morte boni sit, cum cantu et voluptate moriantur, sic omnibus bonis et doctis esse faciendum. Haec enim sic constructa sunt, ut, quod praedicatum verbis ut cygni adiungi deberet, cum cantu et voluptate moriantur, relativo membro, qua providentes — connexum sit, ideoque superiora illa praedicato suo careant. Poterat autem hoc loco legitima structura facile restitui aut deleto pronomine relativo ante providentes, aut hoc participio in verbum finitum mutato, quemadmodum nostro loco praeter eas emendationes, quas codices supra memorati habent, aut quam Davisius protulit, Apollinum is, etiam haec fortassis alicui in mentem veniat, ex qua et Minerva Apollinem eum, cuius in tutela Athenae essent, antiqui historici esse voluerunt. Sed ut in illo Tusculanarum loco, sic etiam in hoc nostro omni mutatione abstinendum censeo. Nam quod Handius ad Wopkens. Lectt. Tull. p. 303 Rehdigerani codicis scripturam, ex quo Minerva Apollinem eum — vulgatae propterea praefert, quod in hac non satis sit illud praedicatum cogitari, quod membro relativo insertum est, sed subaudiri etiam natum debeat, quum contra in illa codicis scriptura genuit (quidni peperit?) per ellipsin seu per euphemismum omissum videatur: miror equidem viro doctissimo durius visum esse, ad haec ex quo et Minerva participium natum, quam ad illa ex quo Minerva verbum genuit subaudire.

Cap. XXII, 56. Mercurius unus Caelo patre, Die matre natus. Pro Die Moserus in ed. min. et Orellius Dia scripserunt, quod est in paucis quibusdam codicibus, placuitque etiam Creuzero, de Dea Dia, quam Cererem interpretatur, cogitanti. Atqui ista Dea Dia propria Latinorum est, Romaeque maxime in fratrum arvalium sacris colebatur; (vid. Klaus. de carm. fratr. arv. p. 56 sqq. Corssen orig. poes. Rom. p. 86.) haec autem Cottae omnis disputatio e Graecorum theologorum libris fluxit, quos parum credibile est aut notitiam Deae Diae habuisse, aut, si habuerint, in contexendis deorum genealogiis ea usuros fuisse, quum praesertim apud ipsos Latinos huiusmodi genealogiae nullae fuisse videantur, id quod de Romanis quidem diserte testatur Dionysius A. R. II, 18, 19. Huc accedit, quod vulgatam lectionem nostri loci etiam Servius ad Aen. I, 297. IV, 577 et Ampelius c. 9 p. 56 Beck. tuentur.

Cap. XXIII, 59. Venus prima Caelo et Die nata, cuius

Elide delubrum videmus. Aliquot codices vidimus, quod Heindorfius eumque sequuti Schützius, Moserus in ed. min., Orellius. Nobbius receperunt, ut Cotta a sese illud delubrum visum esse memoret. Sed nihil opus erat meliorum codicum scipturam deserere. Nam praesentis temporis haec est vis, ut videri illud delubrum etiamnum dicat, ab eis scilicet, qui illam regionem adierint, in quibus quoniam etiam ipsi, qui colloquuntur, esse possunt, propterea prima persona ponitur. Noster sermo vernaculus plane eodem modo loquitur; quamquam usurpatur a nobis in tali re etiam infinitum pronomen man, quo Latinorum lingua caret. Sic cap. 5, 11: at enim praesentes videmus deos, h. e. fit aliquando, ut dei praesentes videantur, ab eis scilicet, quibus sese ostenderint. Etiam hoc loco vidimus repositum est ab Heindorfio eiusque sequacibus, unius codicis Glogaviensis auctoritate.

Cap. XXIII, 60. Atque haec quidem eiusmodi ex vetere
Graeciae fama collecta sunt. Aliquot codices habent haec igi- 16
tur et eiusmodi aut atque eiusmodi: sed nunquam hunc genitivum eiusmodi sic usurpatum videas, ut ipse solus pro subiecto aut obiecto enuntiationis sit, sed adest semper aliquod vocabulum, cui se applicet, velut res eiusmodi, omnia, multa, alia eiusmodi etc. Non magis autem haec eiusmodi aut illa eiusmodi dicere licet, quoniam in nudo illo genitivo nulla inest significatio rei, quae demonstrari per pronomen possit. Verae lectionis vestigium servarunt ii codices in quibus est atque eiusmodi: neque enim dubitari potest, quin atque ex aliaque corruptum sit.

Cap. XXIV, 63. Eos enim, qui dii appellantur, rerum naturas esse, non figuras deorum. Erravit Ernestius, coniunctivum appellentur reponens, qui ex Nobbii exemplo etiam in meam editionem me invito translatus est. Codices quidem omnes indicativum habent, eumque satis tuebuntur quae ab Heusingero ad C. Offic. I, 7, 6 ab eodem et a Beiero ad I, 26, 5 (90), a Gernhardo ad I, 9, 28 et 25, 87, a Goerenzio ad de legg. III, 5, 12, ab Elberlingio obss. ad Caes. p. 86, a Kritzio ad Sallust. Cat. 14, 7. dicta sunt.

Falso item coniunctivus scribitur Cap. XXVII, 69: haud scio an melius fuerit humano generi motum istum celerem cogitationis, acumen, sollertiam, quam rationem vocamus, quoniam pestifera sit multis, admodum paucis salutaris, non dari omnino, quam tam munifice et tam large dari. Scribendum utique quoniam pestifera est. Coniunctivum qui ita defen-

dunt, ut eum suspensum esse dicant ab oratione obliqua, nescire se ostendunt, quasnam haec structura leges habeat, qua de re nunc quidem longum est dicere. Quod autem nonnulli scribendum censuerunt, quoniam pestifera sunt multis, admodum paucis salutaria,
17 licet non careat omni codicum auctoritate, tamen haud dubie spernendum est, quoniam quae posita sunt nomina, quamvis numero plura, unius tantum rei, h. e. rationis vim et notionem circumscribunt; quod ubi fit, verbi numerum singularem poni consentaneum est. Vid. Goerenz. ad Cic. Acad. II, 1, 1 et Reisig Praelectt. p. 323.

Cap. XXXII, 79. non enim ignoro, quanti eius (providentiae) nomen putetis. Rectissime Davisius numen potius scribendum esse iudicavit, quam emendationem, Ernestio quoque et Wyttenbachio probatam, equidem haud cunctanter recipiendam duxi, nihil motus Heindorfii dissensu, qui tunc Ciceronem sic potius scripturum fuisse contendit: quantum eius numen putetis; in quo tamen sensum inesse ait ab hoc loco alienum. Haec mihi temere nullaque ratione iacta videntur. Potuit Cicero utrovis modo loqui. Nam quum numen proprie vim et potestatem significet, quidni, ut magnum numen, sic etiam quantum numen, tantum numen dici liceat? Neque quisquam sententiam ab hoc loco alienam iudicabit: „quam magnam vim ac potestatem providentiae putetis.“ Non minus autem numen providentiae dici potuit magni putari, quod quid est aliud, quam magnam de eo existimationem esse? Et quantumvis aliquis pretii significationem, quae inest in illa formula, urgendam censeat: providentiae omnia sapienter numine suo regenti magnum pretium a Stoicis tribui recte haud dubie Academicus dicere potuit. Atque etiamsi cum Heindorfio scribas quanti eius nomen putetis: nonne nomen providentiae per circumloquutionem pro ipsa providentia dictum erit? Manebit igitur sic quoque eadem sententia, ut providentiae magnum pretium statutum esse dicatur. Sed istam circumloquutionem huic sermoni aptam esse non sane probari potest uno, quod Heindorfius affert, ex Graeco poeta exemplo, Eur. Phoen. v. 1696: *ὦ φίλτατον δῆτ' ὄνομα Πολυνείκους ἐμοί.* Poterat similia latina, sed poetarum, apud Bentleium invenire ad Horat. Carm. III, 27, 34. Heyn. ad Tibull. III, 4, 61. — Defendendae tamen lectionis vulgatae hanc viam relictam video, ut ab Academico nomen providentiae propterea dictum statuamus, ut significaret providentiam istam Stoicorum sibi re vera nullam esse videri, sed nomen tantum inane, *ἄλλως ὄνομα καὶ οὐκ ἔργον.*

Cap. XXXIV, 84. Idem (Dionysius) mensas argenteas de 18
omnibus delubris iussit auferri, in quibus quod more veteris Graeciae inscriptum esset Bonorum Deorum, uti se eorum bonitate velle dicebat. Coniunctivus esset post quod coniunctionem recte positus dicetur, si haec ex mente Dionysii dicta esse statuantur: id autem vix probabile est propter additam veteris Graeciae moris commemorationem. Itaque quum ab ipso scriptore haec adiecta videri debeant ad dicti occasionem indicandam, necesse erit, — nisi quis indicativum erat reponere velit, id quod parum probabile esse apparet, — quod mutari in quum (quom). Atque hoc etiam Madvigio placere video ad C. de Finn. p. 461.

Cap. XXXV, 84. Hunc igitur (Dionysium) nec Olympius
Iupiter fulmine percussit, nec Aesculapius misero diuturnoque morbo tabescentem interemit, atque in suo lectulo mortuus in Tympanidis rogum illatus est. Longum est omnes enumerare coniecturas, quibus critici emendare corruptelam conati sunt. Nam Tympanidis quidem rogum nihili esse satis constat [3]). Alii igitur, locum, ubi mortuus esset Dionysius, designatum esse rati, coniecerunt intra parietes, in rogum —, alii locum, ubi crematus, in Temeno, alii conditionem, in qua fuisset, in tyrannide, alii genus morbi, tympanite aut vi tympanitidis; fuitque adeo qui apparatum funebrem commemoratum vellet, tyrannidis pompa aut etiam in tympanidiis, quae Lambini coniectura fuit, ut significaretur scilicet, in funere Dionysii praeter alia instrumenta musica etiam parva tympana usurpata esse. Haec refutare non opus est: nec multo meliora, quae ceteri excogitarunt. Codices nihil iuvant: monendum tamen, praepositionem in ante rogum a nullo agnosci, sed omnes aut nudum accusativum aut dativum habere. Unus Regius habet vi-
timpanitis rogo illatus est, in quo adiectivum impunitus latere
iam Cannegieterus et Trillerus suspicati sunt: ex primis autem litteris 19
vit alter horum verum etiam extricavit, cui locum non esse apparet, alter vita, quod quidem sic poni nullo modo potuit. Scribendum videtur et impunitus; neque concedo Mosero, hoc adiectivum post ea, quae praecesserunt, otiosum esse dicenti. Nam etiamsi nihil eo nisi repeteretur quod ante dictum est, neque Iovis fulmine percussum ne-

---

3) Nisi quis cum Welckero, in N. Mus. Rhen. VI p. 399, Tympanidem quendam architectum fuisse sumat, qui rogum illum extruxerit.

que misero diuturnoque morbo ab Aesculapio interemptum esse Dionysium, tamen non inepte hoc iterum inculcari diceremus, quoniam in eo cardo argumentationis vertitur. At vero additur etiam aliquid novum, quum non modo in lectulo suo mortuus, sed etiam in rogum impunitus illatus esse dicitur, h. e. ne post mortem quidem ulla poena affectus, qualem alias sceleratis et sacrilegis impositam legimus, ut corpora eorum inhumata proiicerentur aliaque contumelia afficerentur, cuius generis exempla Kirchmannus memorat de funn. append. c. 7. Ceterum ipsa etiam coniunctio atque hanc interpretationem confirmare videtur. Usurpatur enim ea non raro, ubi maius aliquid superioribus adiungitur, ut potuerit etiam atque adeo aut immo poni. Vid. exempla apud Handium Tursell. I. p. 466 sq. 585.; quamquam is p. 491 de hoc loco paullo aliter statuere videtur.

Cap. XXXV, 85. Ut enim nec domus nec res publica ratione quadam et disciplina designata videatur, si in ea nec recte factis praemia extent ulla, nec supplicia peccatis, sic mundi divina in homines moderatio profecto nulla est, si in ea discrimen nullum est bonorum et malorum. Suspicetur aliquis cum Walkero, scribendum esse in altero membro si in eo, ut intelligatur in mundo, quemadmodum ante si in ea haud dubie intelligendum est in domo aut in republica. Servari tamen potest vulgata lectio, modo superiora verba sic accipiantur: moderatio illa divina, quam Stoici dicunt, si est eiusmodi, ut in ea nullum bonorum et malorum discrimen sit, plane commenticia ac nulla est. Fuerunt etiam, quibus mundi moderatio in homines non recte dici, et aut mundi aut in homines delendum videretur; Walkerus autem reponi voluit: sic in mundo divina in homines moderatio nulla est. Vulgatum Ernestius sic tuetur, ut dicat, primum universam moderationem divinam intelligendam esse in mundum sc. universum, deinde separatim eius partem, quae ad homines pertineat; Heindorfius contra mundi genitivum non obiectivum sed subiectivum, ut hodie loquimur, esse contendit, siquidem mundus ipse ex Stoicorum sententia Deus sit. Atqui si conferas II, 1, 3: docent esse deos, — deinde mundum ab eis administrari, aut 30, 74: dico igitur providentia deorum mundum et omnes mundi partes — administrari. itemque similes locos II, 30, 77. 33, 85. 34, 86. 53, 132. 133. 61, 154. III, 25, 65: intelliges profecto genitivum in hoc contextu non subiectivum sed obiectivum esse, h. e. mundum non administratorem sed ad-

ministratum cogitari. Itaque mundi in homines moderationem interpretor mundi moderationem ad homines pertinentem; quod fortasse etiam Ernestius volebat. — Denique Davisius in initio huius periodi causalem coniunctionem enim cum adversativa autem commutandam censuit, quae quamvis minime audax sit mutatio, (siquidem autem et enim propter compendia scripturae non semel a librariis permutatas esse constat, qua de re vid. Spalding. ad Quintil. XI, 3, 40. Orell. et Gies. ad C. de Div. II, 10, 25. Hand. ad Wopkens. p. 89.) tamen hoc loco non necessaria esse videtur, modo sententiarum connexionem hanc esse intelligamus, ut hac periodo ratio reddatur non eius sententiae, quae proxime praecessit, de conscientia eiusque vi, sed superioris, quae primaria est, et cui altera illa tantum limitandi causa adiungitur. Quodsi Cicero membra aliter ordinasset, in hunc modum: „Invita in hoc loco versatur oratio: quippe quum, nisi grave ipsius conscientiae pondus esset, videretur profecto auctoritatem afferre peccandi." statim profecto illud enim rectissime positum esse intelligeretur.

Dabamus Gryphiswaldiae d. XIV m. Octobris MDCCCL.

COMMENTATIO V AD CICERONIS LIB. DE NAT. DEOR.

3 Quod aliquot abhinc annis a me factum est, quum Ciceronis libros de natura deorum ederem, ut de emendandis quibusdam locis, de quibus in annotatione exponere propter illius editionis consilium nequiveram, in his libellis academicis, qui complures quotannis mihi scribendi sunt, accuratius disputarem, idem etiam hoc tempore faciam, quum altera illorum librorum editio nuper mihi curanda fuerit. Nam quoniam universa editionis ratio et forma non diversa esse debuit ab illa priore, quam viris intelligentibus satis placuisse video, nunc quoque opera mea in eo maxime versata est, ut, quae ad rectam interpretationem pertinere viderentur, quam possem planissime et brevissime exponerem, emendationem autem vulgatae lectionis hactenus demum attingerem quatenus necesse esset, ne quid relinqueretur, quod aut intelligi recte non posset, aut legibus latini sermonis adversaretur. Quamobrem sicut aliquot locos etiam contra codicum auctoritatem corrigere non dubitavi, sic alii non pauci intacti relinqui potuerunt, quos, si critici editoris personam suscepissem, utique mutandos fuisse non me fugeret. Nam codices horum librorum, etsi ex uno omnes exemplo, eoque non integro, sed mutilato et multis modis corrupto, derivatos esse primo statim aspectu appareat, adeo tamen passim inter se discrepant, ut certas quasdam quasi classes aut familias bonitate dispares agnoscas, in quarum dissensu, ubi graviora momenta deficiant, eorum codicum lectionem praeoptes, quos de meliore familia esse cognoveris. Verum huiusmodi labore curiosae codicum inquisitionis, molesto illo taediique pleno, mihi quidem impune supersedere licuit propter editionis meae rationem: exhauriendus autem fuit viro doctissimo, Reinholdo Klotzio, quippe qui summo studio id potissimum

egerit, ut eam ubique lectionem poneret, quae maxime videretur codi-
cum auctoritate commendari. Hanc ob causam huius editionem horum
librorum, quae ante biennium in bibliotheca Teubneriana prodiit, per-
gratam mihi fuisse non est quod affirmem: et accedebat etiam aliud,
quod me propius quodammodo attingeret. Nam in prooemio editio-
nis suae Klotzius, ubi locos a se correctos percenset, plerumque etiam
meam editionem respicit, quumque ab ea discedit, id sedulo comme-
morare solet, auctoritati hoc meae a se datum esse professus: in quo
quamvis benevolentiam iudicii gratus agnoscam, honorem tamen edi-
tioni meae habitum non possum non deprecari. Nam nihil equidem 4
minus quam critici correctoris laudem quaesivi, id quod etiam in prae-
fatione testatus sum, omnisque mea opera in eo constitit, ut exemplum
editionis Nobbianae, minimo parabilis et tunc maxime divulgatae, ali-
quot locis a me emendatum, typographo describendum darem: emen-
daveram autem ea tantum, quae sic ut erant repeti propter editionis meae
consilium non possent, alia fere intacta reliqueram, utpote quae utcun-
que legerentur non magni, in tali quidem editione, interesse iudicarem.
Quamobrem Klotzius plerisque in locis, ubi me nominat, Nobbium
potius nominare debuit. Vellem tamen vir doctissimus non solum
editionem meam, sed etiam disputationes illas cognitas habuisset, quas
eodem tempore quattuor scriptionibus academicis publicavi: has enim
si legisset, non dubito quin de nonnullis locis aliter quam fecit iudica-
turus fuerit. Certe non miratus esset me II, 18, 48 ne admonitu qui-
dem Madvigii particulam an non expunxisse, quam ego me invito relictam
esse questus sum diss. III p. 8. Neque reprehendisset III, 24, 63 Er-
nestii coniecturam appellentur, pro appellantur, a me propaga-
tam: nam coniunctivum illum e Nobbiano exemplo non mea sed typo-
graphi culpa in meam editionem translatum esse vidisset ex dissert.
IV, p. 16, ubi etiam attuli, quae ad tuendum indicativum pertinere vi-
derentur. Nec profecto I, 8, 9 vulgatam lectionem ad animum *ef-
ficiendum* defendi posse credidisset argumentis eiusmodi, qualia Da-
visius adhibuit, quae prorsus nihil ad rem pertinere equidem satis
evidenter mihi demonstrasse videor dissert. I, p. 4, ut iam de veritate
emendationis afficiendum ab intelligentibus quidem dubitari non
amplius posse credam. Neque ibid. § 20 sprevisset certissimam Lam-
bini emendationem pronoea vero vestra si eadem est, vulgatam-
que lectionem ab huius loci contextu alienam esse animadvertisset ex
eadem diss. p. 6. Nec dubitasset, opinor, I, 40, 110 eiusdem Lambini

exemplo negationem ante pudeat inserere, quae si abest, sententia existit a mente loquentis sine dubio prorsus aliena, qua de re vid. diss. I p. 14. Item non retinuisset I, 27, 77 ineptum coniunctivum videatur, sed aut videtur, aut, quod ego verum puto, videbatur scribendum esse intellexisset. Denique I, 34, 96 maluisset mecum recipere, quod cod. Palat. sec. et Wow. offerunt, quae sola divina natura est, quam retinere quod ceteri codices habent quae — sunt, cuius lectionis perversitatem in illo quidem contextu quemquam fallere potuisse per mihi mirum videtur. De his igitur aliisque similibus, quoniam dudum a me disputatum est quantum sapienti satis esse credam, nunc iterum disputare non placet; sed dicam de aliis quibusdam locis, de quibus mihi cum Klotzio non convenit, quamquam nonnullos in his esse fateor, de quibus in contrarias partes disseri pari probabilitate posse videatur.

Statim lib. I, 1, 1 illud quidem non ambigitur inter nos, quin vitiosa sit codicum longe plurimorum lectio quid est enim temeritate fortius, de qua satis a me disputatum est diss. II p. 6 sqq., refutataeque
5 que Wolfii argutiae, quibus eam, non tam veri studio quam refellendi Heindorfii cupiditate, defendere conatus erat. Attamen quod Klotzius e coniectura posuit foedius, longe mihi deterius esse videtur, quam id quod quattuor codicum duarumque veterum editionum auctoritate plerique editores receperunt, quid est enim temeritate turpius. Nam profecto, ubi de moribus hominum aut actionibus agitur, ea demum foeda dici solent, quae cum insigni quadam pravitate et improbitate coniuncta sunt, tamque longe ab honestate remota, ut ea nemo vir bonus in se admittere sustineat, sed cum taedio potius aut indignatione aversetur. Sic e. c. luxuria a Cicerone, de offic. I, 34, 123, quum omni aetati turpis, tum senectuti foedissima esse dicitur, h. e. indecora quidem et reprehensione digna etiam in iunioribus, sed in senibus plane flagitiosa nulloque modo excusanda. Quidquid enim foedum, id etiam turpe, non autem quidquid turpe, id etiam foedum est: quamobrem si quando turpitudini foeditas tribuitur, ut apud Ciceronem de fin. III, 11, 38, non simplex quaedam et communis turpitudo, qua pauci prorsus immunes sunt, sed talis improbitas intelligitur, quae nullo dedecore ac flagitio abstineat: ut illo loco de hominibus dicitur, qui tenebras et solitudinem nacti pessima quaeque facinora perpetraturi sint. Sic igitur temeritatem turpem quidem saepenumero dictam videas, foedam vero nec dici ab ullo memini, nec dici potuisse arbitror.

hanc certe temeritatem, quae constat errore quodam iudicii, quum iusto citius incerta pro certis, dubia atque obscura pro compertis atque exploratis habentur, a qua temeritate ne optimos quidem viros summosque philosophos satis sibi cavisse Cicero, Academicorum more, non uno loco queritur. Unam igitur Klotzii coniectura commendationem habere alicui videri possit a maiore litterarum similitudine: quae tamen quanti aestimanda sit, ubi res ipsa reclamat, dici nihil opus est.

In eodem capite § 2 Klotzius quorundam editorum exemplo scripsit: qui vero deos esse dixerunt, tanta sunt in varietate ac dissensione, ut eorum molestum sit enumerare sententias. Codices, quantum constet, omnes annumerare habent, in veteribus autem editionibus plerisque dinumerare scriptum est, quod cur sperneretur nulla causa fuit. Nam enumerandi quidem molestiam sola multitudo affert, etiamsi nulla sit rerum varietas ac dissensio, quae ubi adest, ac proinde res non modo numerari, sed etiam digeri, similesque cum similibus componi et a dissimilibus ac diversis segregari convenit, velut quum in comitiis suffragia dirimenda sunt, ibi rectius, meo iudicio, dinumerandi quam enumerandi molestum negotium esse dicemus.

I, 10, 25. in verbis: atque haec quidem vestra, Lucili; qualia vero sint, ab ultimo repetam superiorum. quum dubitari non posse intelligerem, quin verbi sint subiectum excidisset, inserui post vero cetera; Klotzius alia praeoptavit, scilicet quod hoc vocabulum post qualia, propter easdem in utroque quattuor litteras, facilius excidere potuisse censeret. Nam ad sententiam quidem loquentis illud alterum magis accommodatum est, quippe quum non hoc ab eo agatur, ut post relatam Stoicorum rationem quid uni atque alteri ceterorum placuerit aliquot exemplis ostendat, sed ut omnium placita summatim percenseat. Quamobrem licet facilius fortasse alia excidere potuisse dicas, tamen, quum non solum propter similitudinem litterarum, sed propter alias quoque causas vocabula excidisse constet, equidem non quod propinquo vocabulo similius, sed quod sententiae convenientius 6
esset, inserere etiam in altera editione malui. — Magis autem miror proximam in eodem capite lacunam sic a viro doctissimo expletam, ut Velleium — is enim loquitur — nihil aliud nisi rem eandem bis dicentem faceret. Sic enim locus a Klotzio scriptus est: Si dii possunt esse sine sensu et mente, cur aquae [mentem, mentem autem aquae] adiunxit, si ipsa mens constare potest vacans corpore? Recte Velleii sententiam perpendenti non dubium esse po-

terit, quin sic potius scribendum fuerit, ut a me factum est: cur aquae [mentem, menti autem cur aquam] adiunxit? Nam vituperat ille Thalem, qui aquam dixerit rerum initium, deum autem eam mentem, qua ex aqua cuncta fingeret, eiusque vituperandi hanc rationem affert, quod satis fuerit alterum utrum solum dicere, et aquam quidem, si deus etiam sine sensu ac mente esse posset, qualis deus aqua esset futura, mentem autem, si deus sola mente, nullo corpore adiuncto, constare posset. Quam recte Thaletis sententiam Velleius acceperit, quamque iusta sit eius reprehensio, quaerere nunc nihil attinet: non enim quid debuerit dicere, sed quid dixerit videndum est. Dixit autem hoc: nihil opus fuisse, ut praeter aquam etiam mens, aut ut praeter mentem etiam aqua poneretur: eaque sententia flagitabat, ut in altero membro aquam tanquam primarium illud poneret, cui mentem adiungi non oportuerit, in altero autem membro mentem, cui non oportuerit etiam aquam adiungi: hoc est, in altero membro aqua, in altero autem mens primatum obtinere debebat. Klotzius autem primatum in utroque membro aquae, secundas partes menti assignavit, collocatione tantum verborum mutata, sed sententia utrobique eadem: nam aquae mentem, an mentem aquae adiunctam dicas, ad ipsam rem nihil interest.

Paullo post, I, 11, 28, quum in codicibus legatur: Parmenides conventicium quiddam coronae simile efficit, hanc lectionem, a prioribus merito damnatam, Klotzius tueri conatur. „Hoc dico" inquit „conventicium quiddam, etiamsi sine exemplo hoc est, proprie id quod conveniat dici mihi videri." Vellem etiam addidisset, quo sensu hoc conveniat accipiendum, et cuinam aut inter quosnam illud nescio quid Parmenideum convenire censeret, quod quum nec fecerit, nec posthac facturum esse sperem, equidem illud accipiendum esse arbitror, quod dudum alii proposuerunt, commenticium, ex quo quam facile istud alterum evadere potuerit apertum est. — Etiam pro eo, quod scriptum est, coronae simile, nescio an consultius fuerit illud asciscere, quod in nonnullis certe codicibus et in veteribus editionibus legitur, coronae similitudine. Facilius enim loquendi formam paullo rariorem cum usitatiore ac planiore a librariis commutatam esse crediderim quam contra. Itemque in proximo membro admodum veri simile est continentem ardorem lucis orbem librariis deberi, a Cicerone autem scriptum esse continente ardore lucis orbem, quemadmodum iam Davisius scribendum esse iudicavit.

I, 12, 31. in codicibus est: *quae sunt in iisdem erratis fere, quibus ea quae de Platone dicimus:* quumque hoc praesens *dicimus* falsum esse appareret, priores lenissima mutatione *diximus* reposuerunt, cui cur Klotzius suam coniecturam *vidimus* praetulerit, non satis intelligo. Nam etiamsi forte dicat, convenientius hoc sibi visum esse propterea, quod *dixerint* quidem de Platone non plures, sed unus Velleius, *viderint* autem, quod is a se demonstratum esse 7 credat, etiam ceteri, qui in hoc sermone adsunt, tamen ne illud alterum quidem, quamvis minus accurate dictum, a quotidiani sermonis consuetudine abhorrere fatendum erit. Et loquitur plane eodem modo Balbus II, 66, 164: *ob eas causas quas ante diximus,* licet ipse solus nec quisquam praeter ipsum eas dixerit. Eademque pluralis ratio est II, 63, 157, ubi Klotzius ipse scripsit, *sic ea quae diximus iis solis confitendum est esse parata:* meque reprehendit, qui singularem *dixi* praetulerim. Quamquam haec quidem reprehensio iniusta est: nam secutus sum codicum auctoritatem, quorum alii *dixi iis* habent, alii autem *diximus* absque pronomine *iis.* Certe sic est in Vindobonensi antiquissimo, cuius accuratissimam collationem in manibus habeo, et credo etiam in ceteris esse, qui *diximus* habent, licet de his ex Moseri annotatione non satis constet: *diximus* autem quam facile ex *dixiiis* fieri potuerit, in aperto est.

I, 14, 36. Ambigitur utrum verius sit, quod codices fere omnes habent, *rationem quandam per omnium naturam rerum pertinentem,* an quod a Lambino in uno codice inventum, a plerisque probatum est, *per omnem naturam rerum.* Klotzius quidem cum Orellio illud praetulit, quod maiorem a codicibus auctoritatem habere videretur; ego in huiusmodi re non tam auctoritates quam rationem sequendam ratus, *omnem* reposui. Nam quod Orellius nos ad Elvenichi adumbrationem legum artis criticae verbalis ablegat, frustra est. Nihil enim ille nisi errorem Davisii, qui alteram loquutionem a perpetua Ciceronis aliorumque consuetudine alienam esse dixerat, hoc uno exemplo redarguit, quod est de or. II, 78, 317: *nihil est in natura omnium rerum, quod se universum profundat,* eoque exemplo tuetur etiam quod scriptum est de legg. I, 23, 61: *qui coelum, terras, maria rerumque omnium naturam perspexerit.* Poterat etiam pluribus uti, velut de legg. II, 7, 16: *nefas dicere ullam rem praestare naturae omnium rerum.* Acad. II, 36, 114: *naturam rerum omnium evolvas.* Quintil. I. O. V, 10, 15: *debet enim*

nota esse recte argumenta tractaturo vis et natura omnium rerum; quod autem maxime quaerendum erat, interessetne aliquid inter has formulas, an utramvis promiscue usurpare liceret, id neque Elvenichus quaesivit, neque quisquam, quod sciam, praeter I. Bakium, qui in commentario ad Cic. de legg. p. 451 discrimen hoc esse statuit, ut omnis rerum natura sit ipse mundus, contra omnium rerum natura dicatur in enumeratione partium. Nempe hoc, opinor, voluit, alterum dici, ubi de singularum rerum vel de unius cuiusque rei natura cogitandum esset, alterum, de omni rerum universitate, quam etiam mundi nomine appellamus. Et sane iis quos supra posui locis pro omnium rerum natura potuisse etiam cuiusvis v. cuiusque rei naturam dici concedendum est, neque illud ambigitur, omnem rerum naturam dici pro omni mundo vel omni rerum universitate. Eodem sensu etiam simpliciter omnis natura, tota natura, universa natura dicitur, velut II, 10, 28. 11, 29. 13, 35. Fatendum est tamen omnium r. n. non eo solum sensu dici potuisse, quem supra indicavi, ut sit i. q. cuiusvis aut cuiusque rei natura, sed etiam sic, ut sit i. q. natura res omnes complexa, siquidem hoc ipsum omnes non solum distributivo sensu dicitur de singulis, sed etiam collectivo de cunctis. Atque hoc sensu a Cicerone II, 13, 36 scriptum esse arbitror: is autem est
8 gradus, in quo rerum omnium natura ponitur, neque assentior Bakio, qui totam illam disputationem manifesto postulare autumat, ut reponatur rerum omnis natura. Nam opponitur ibi a Cicerone rerum omnium natura ceteris naturis, quae sunt rerum singularum, eaque ipsa oppositio manifestum facit, omnium non esse i. q. singularum, sed i. q. cunctarum. Eadem ratio est de legg. II, 7, 16, quem locum supra adscripsimus. At ubi nulla est huiusmodi oppositio, ibi non omnium sed omnis rerum natura de universitate rerum dicitur, quemadmodum I, 11, 27: animum per naturam rerum omnem intentum et commeantem, aliisque locis compluribus, nulla codicum varietate. Nostro igitur loco dubitari non posse arbitror, quin scripserit Cicero omnem naturam rerum, idque non solum in uno Lambini codice, sed etiam in tribus aliis, Norimbergensi I., Rehdigerano et Glogaviensi, inventum est.

I, 15, 39 pro eo, quod in plerisque codicibus legitur, fatalem umbram et necessitatem rerum futurarum, Klotzius scripsit fatalem vim ipsam et nec. r. f., scilicet vim, quod vocabulum etiam Davisius ex uno codice Eliensi asciverat, in priore, ipsam autem in

posteriore umbrae parte delituisse ratus. Neque id ego fieri potuisse negaverim: modo appareret, quid sibi vellet hoc loco pronomen ad vim additum. Ut nunc est, non certe deteriorem puto Heindorfii coniecturam, qui veritatem ex umbra elici posse suspicabatur. Nam hoc vocabulo etiam alibi Cicero usus est de fatali rerum ordine ac lege sempiterna, ad Stoicorum exemplum, qui εἱμαρμένην esse dicebant ἀλήθειαν καὶ νόμον τῶν ὄντων ἀδιάδραστον καὶ ἄφυκτον, ut est apud Eusebium pr. eu. XV, 14. Sic non solum eo loco, quem Heindorfius citavit, hui. libr. c. 20, 55, quidquid accidit, id ex aeterna veritate causarumque continuatione fluxisse dicit, sed etiam hoc ipso capite §. 40 fatalem necessitatem appellat sempiternam rerum futurarum veritatem, et de divin. I, 55, 125 eandem definit ex omni aeternitate fluentem veritatem sempiternam. Meae tamen editionis ratio ferebat, ut pro hac coniecturali veritate illud potius asciscerem, quod unius saltem codicis auctoritatem haberet essetque sententiae loci aptum, nec magnopere curarem, quid ceterorum umbra tegeretur.

I, 17, 45 iure mireris codicum lectionem: sed ad hanc confirmandam opinionem anquirit animus et formam et vitam et actionem mentis atque agitationem in deo, cuiquam genuinam videri potuisse. Nam putidissima profecto tautologia actionem atque agitationem mentis componi fatendum est, quod cur Ciceroni placuerit, ut unam rem duobus vocabulis significaret, nulla probabilis ratio excogitari poterit. Quumque alibi, ubi non solum vita ipsa, quatenus morti opposita est, sed vitae genus designatur, vitae actionem, h. e. vitae agendae modum, dici videamus, velut I, 1, 2: nam et de figuris deorum et de locis atque sedibus et actione vitae multa dicuntur. c. 37, 103: quae sedes, qui locus, quae deinde actio vitae? de divin. II, 42, 89: ingenia, mores, animum, corpus, actionem vitae, casus cuiusque eventusque: eandem igitur locutionem etiam hoc loco restituere non dubitamus. Errarunt librarii vitam et scribendo pro vitae, quumque sic actio ista indefinita non immerito displiceret, pro mentisque scripserunt mentis atque, ut esset quo illa referretur eoque definiretur. Veram lectionem dudum Beierus restituit ad C. de offic, I, 5, 17, cuius annotationem Klotzius si 9
cognitam habuisset, non dubito quin aut rationem probaturus aut auctoritatem secuturus fuerit.

In proximo capite 15, 49 non satis accurate mihi codicum testi-

monia a viro diligentissimo examinata esse videntur. Scripsit enim: Epicurus autem qui res occultas — non solum viderat animo, sed etiam sic tractat ut manu. idque se in dubia codicum auctoritate praetulisse ait meae lectioni viderit — tractet. Atqui vix dubia videri potuit codicum auctoritas, quum id ipsum, quod a me positum est, in duobus, iisque omnium consensu praestantissimis, Moseri A. et N., diserte scriptum sit, quibus accedunt Rehdigeranus, Glogaviensis unusque ex Ottobonianis; e reliquis plerique saltem tractet, coniunctivum, non tractat, indicativum, habent, unde consequitur etiam alterius verbi coniunctivum restituendum esse, licet pro viderit proclivi errore in aliis viderat, in uno etiam videat scriptum sit.

I, 25, 70 quod Klotzius ex coniectura posuit: nihil horum nisi calde, non necessariam habet vulgatae lectionis mutationem, vitium autem, cui medendum erat, intactum relinquit. Nam quod vulgo legitur callide, licet in tribus tantum codicibus repertum, — plerique enim valde habent, — non tamen propterea spernendum erat. Sunt enim in illis tribus duo optimae notae, A. et N., et ironiam, quae est in callide, huic loco peraptam esse nemo non intelligit. Sed sive callide sive calde legimus, — et calide iam Davisius voluit, — coniunctio nisi aeque falsa est, id quod iam Heindorfius sentiens nihil non pro nihil nisi in tali contextu dicendum fuisse monuit. Quamquam quum de discrimine harum formularum non exposuerit, hinc factum videtur, ut posteriores editores illam admonitionem negligerent. Interest autem inter eas hoc, ut nihil nisi ibi demum dicendum sit, ubi conditionaliter loquimur, negationi exceptionem et restrictionem adiungentes, nihil non contra, ubi simpliciter ac sine exceptione tolli notionem negativam, h. e. removeri et arceri volumus, quod ubi fit, affirmativam s. positivam in eius locum succedere necesse est. Quem nihil non recte fecisse dicimus, hunc negamus quidquam non recte, affirmamus igitur omnia recte fecisse: quem autem nihil nisi recte fecisse dicimus, hunc nihil fecisse dicimus, praeterquam (excepto) si recte faceret. Hoc discrimen significationis ex ipsa utriusque formulae natura necessario consequitur, quod ut tamen vulgo minus animadvertatur, hanc causam esse puto, quod sunt sane permulti loci eiusmodi, in quibus pariter utramvis usurpare licuerit. Velut Cicero, ad Atticum XI, 18, 2, pro eo quod scripsit: nihil omnino iam expecto nisi miserum, potuisset etiam: nihil non miserum expecto. Nam qui negat se quidquam expectare, praeterquam si quid

miserum sit, quod expectet, is videtur etiam nihil non miserum, h. e. nihil boni sed omnia misera expectare. Item quod scripsit ad Att. X, 11, 4: nos iam nihil nisi occulte, potuit hic quoque: nihil non occulte. Hoc enim significaret se nihil palam sed omnia occulte agere; illud alterum est: nihil ago, praeterquam si quid est quod occulte agam. Pertenue hoc discrimen esse apparet, nullum esse nemo vincet. Nostro autem loco videndum, ne prorsus ferri non possit: nihil horum (scil. dixit) nisi callide, aut etiam calde. Diceretur enim sic Epicurus eorum ipsorum, quae dixerat, et de quibus, quin dixisset, nemo dubitabat, nihil dixisse, praeterquam si callide (aut calde) diceret. Scribendum igitur fuit, nihil horum nimis callide h. e. nihil admodum s. valde callide. Atque ipsum illud valde, quod in plerisque codicibus pro callide legitur, pro interpretamento vocis nimis habendum est, et in causa fuit, ut proximum adverbium callide propter similitudinem litterarum a librariis omitteretur.

I, 26, 72 non recte a Klotzio scriptum esse credo: nihil enim ei olet ex Academia, nihil ex Lyceo, nihil ne e puerilibus quidem disciplinis, addito ante olet pronomine, cuius vestigium sibi deprehendisse visus est in corrupta multorum codicum lectione floret. Atqui olere cum dativo personae duobus tantum modis constructum invenias pariter ab huius loci sententia alienis. Aut enim eam dativus personam indicat, quae olfacit aliquid, cuique odor, quem aliqua res spargit (hoc enim est olere) nares tangit, ut apud Plautum Aul. II, 2, 39: aurum huic olet; aut eam, cuius aliqua pars aut membrum odorem spargit s. olidum est, ut apud Martialem XII, 81: paediconibus os olet. De Epicuro autem — is enim apud Ciceronem designatur, — neque hoc dici apparet, nihil eum olfacere ex Academia etc., neque vero aliquod eius membrum odorem ex Academia spargere. Quodsi quis forte non quidem membra, sed dicta eius aut scripta intelligi velit, ut nihil ei olet sit i. q. nullum eius dictum vel scriptum olet: hanc quoque rationem usus loquendi constans ac perpetuus refutat. Numquam enim, si quid odore alicuius rei infectum est eumque spargit, id olere ex ea re, sed semper olere eam rem dicitur, ut hircum olere est apud Horatium, non ex hirco olere, militiam, laborem, virum olere apud Senecam ep. 86, non ex militia, ex labore, ex viro, aliaque apud alios obvia: omninoque olere ex aliqua re eo sensu, quo nos dicimus nach etwas riechen

Latinis inauditum est[2]). Nam in hoc, de quo disputamus, Ciceronis loco neminem fore confidimus, quin intelligat, haec verba ex Academia, ex Lyceo, e puerilibus disciplinis non cum verbo olet, sed cum nihil cohaerere, ut nihil ex Academia sit i. q. nihil ex Academia haustum, dicaturque Epicurus tam expers omnis eruditionis esse, ut nihil prorsus oleat, quod ex Academia, ex Lyceo, adeoque e puerilibus disciplinis manaverit. Uno verbo: nihil non est subiectum verbi olet sed obiectum, non nominativus, sed accusativus, ut in ep. ad Attic. II, 1, 1: ideo bene olere, quia nihil olebant, videbantur. Quae quum ita sint, aut servanda fuit lectio vulgata, aut, si quid tribuendum videretur iis codicibus, qui floret habent, hinc non certe ei olet, sed redolet potius scribendum.

I, 30, 85 plurimorum codicum auctoritatem secutus in prima editione scripseram id, quod etiam Klotzium tenuisse video: si igitur nec humano visu, quod docui, nec tali aliquo, quod tibi persuasum est; nunc autem re accuratius perpensa cum Davisio et Heindorfio praetuli, quod duo saltem codices praebent: nec alio ali-
11 quo. Nam in altera lectione significatur visus, qualis est eorum, de quibus modo dictum erat, solis, lunae, caeli; Epicurei autem non modo talem deorum speciem, sed omnino aliam qualemcunque esse negabant praeterquam humanam. — De visu pro specie dicto, in quo Klotzius offendit, vid. Ruhnken. ad Vellei. II, 94, 2.

In eodem capite, §. 86, utique recipienda fuit duorum codicum, Eliensis et Oxon. e. scriptura: dubium est enim, utrum dicat aliquid esse beatum, an si quod sit. Pronomen iste, quod pro infinitivo esse a Klotzio scriptum est, quamvis multorum codicum consensu commendetur, certe supervacaneum esse fatendum est; illum infinitivum contra res ipsa et sententia flagitat. Nam hypotheticae positioni si quod sit, ubi incertum est, sitne an non sit, necessario opposita esse debet affirmatio, esse re vera aliquid eiusmodi.

I, 36, 100 defendit Klotzius codicum scripturam: qui etiamsi

---

2) Nonnunquam olere cum ablativo, sed sine praepositione, construi notum est. Sed is ablativus sic demum usurpatur, si qua res alteri quasi admixta esse cogitatur eamque olentem efficere. Eodemque modo etiam fragrare cum solo ablativo construitur, ut Sueton. Vesp. c. 8: adolescens fragrans unguento. Sed ex unguento fragrare aut olere non magis dici solet, quam ex hirco olere, et ne hirco quidem olere, non magis quam Academia, aut militia, aut disciplinis puerilibus olere.

aberrant a coniectura, video tamen quid sequantur; verum ita defendit, ut mihi quidem rem incredibilem nihilo credibiliorem reddiderit. Dixi de ista locutione, aberrare a coniectura, in dissert. II p. 25 sqq., et cur ea probari nequiret, rationibus ex ipsa vocabuli significatione ductis evidenter, ut arbitror, demonstravi contra Wopkensii argutias, qui, Lectt. Tullian. II, 3 p. 136 Hand., coniecturam in hac locutione eam intelligi voluerat, quae a bonis principiis profecta bene procederet, et qua quis proinde veritatem aut probabilitatem assequeretur. Non multum diversa, paullo tantum deterior est Klotzii defensio, quum „coniectura" inquit „est tum (tunc) verus ille finis, quo tendimus". Nempe tendimus ad veritatem, eamque assequi coniectando annitimur: hinc igitur fieri potuisse credemus, ut coniectura etiam pro ipsa quam quaerimus veritate diceretur? Sane, inquit: eiusmodi certe coniectura, quae ad veritatem dirigit, ac proinde vera coniectura esse dicitur. Atqui quamvis multae coniecturae verae sint, sunt tamen non pauciores, vel etiam plures falsae ac fallaces, quae nihilo minus eodem coniecturae nomine appellantur. Vereor itaque, ne absurdum sit, huic coniecturae nomini, in quo ipso nulla nec veritatis nec falsitatis notatio insit, praeter insitam suam ac genuinam significationem etiam hanc propriam veritatis quasi adsignificationem adiunctam propterea credere, quod nonnullae coniecturae verae sint.

Facilius assentiar de cap. 38, 107: Quid est, quod minus probari possit, quam omnium in me incidere imagines, Homeri, Archilochi, Romuli, Numae, Pythagorae, Platonis, nec ea forma, qua illi fuerunt? Quo modo ergo illi? et quorum imagines? in quo contextu quum alterum pronomen illi, masculini generis, Heindorfio „sine sensu" esse videretur, ascita ab eo est Glogaviensis codicis lectio quae ergo illae: et pronominis certe mutationem etiam Moserus sibi necessariam videri profitetur in annotatione editionis minoris. Sed defensor vulgatae lectionis Orellius extitit, masculinum pronomen propter nomina, quae praecedunt, masculina, Homeri, Archilochi, ceterorum, positum esse docens, quibus nominibus non tamen ipsos illos homines, sed imagines eorum designari manifestum sit. Nempe fit hoc in quotidiano sermone saepenumero, ut obversari animo nostro hos vel illos homines dicamus, quos non ipsos videamus et nunquam fortasse viderimus, sed quorum species tantum quaedam et imago unde unde conformata nobis obversetur. Sic paullo post apud Ciceronem legimus: At Orpheus — in animum 12

meum saepe incurrit, quodque hoc loco explicandi aut corrigendi causa inseritur, id est imago eius, huiusmodi additamento facile supersedemus, quandoquidem etiam sic non obscurum esse confidimus, non eos ipsos, quos nominavimus, sed species tantum quasdam, quas eorum esse credamus, intelligendas esse. Sic igitur etiam hoc loco: quo modo ergo illi? nihil aliud significabit quam: quo modo ergo illorum imagines: siquidem illos quum dicimus, tamen imagines tantum intelligi volumus, intellectumque iri confidimus. Quod quum tamen haec interpretatio plerisque paullo abstrusior videri posset, meae editionis ratio ferebat, ut illud potius adsciscerem, quod faciliorem haberet intellectum: scripsi igitur illae, e cod. Glog.; quae ut ex eodem asciscerem pro quo modo, nihil opus erat. A Klotzio autem etiam illi servatum esse, propter diversam eius editionis rationem probo. — Minus probo, quod paullo ante hunc locum pro vulgata lectione: species dumtaxat obiicitur quaedam: num etiam cur ea beata sit, cur aeterna, ex coniectura non etiam posuit, interrogatione in negationem conversa. Peraptam hoc loco negationem esse quis neget? sed non minus apta est interrogatio. Quod autem se istam ex optimorum et plurimorum librorum auctoritate scripsisse ait, in errore versari videtur. Nam codices omnes aut illud ipsum num, aut pro eo nunc habent: non autem, quantum quidem ex Moseri annotatione constet, in nullo inventum est. Et quamvis facile nunc ex non fieri potuerit, non minus tamen proclivi errore idem etiam ex num fieri potuisse apparet, factumque aliquoties esse constat. Vid. Spalding. ad Quint. V, 10, 102 et, quem is laudat, Regelsberg ad Horat. ep. ad Pison. p. 416.

I, 43, 120: Democritus tum principia mentis, quae sunt in eodem universo, deos esse dicit, tum animantes imagines, quae vel prodesse nobis solent vel nocere. Sic in omnibus libris scriptum est, sunt et mox solent, licet utrobique, si minus orationis forma, ut Heindorfio visum est, ipsa tamen ratio et sententia loquentis coniunctivum poscat, quem proinde ego etiam contra omnes codices reponere non dubitavi, quamquam in priore editione typographus in soleant tantum mihi paruit, sunt intactum reliquit. Ecce autem Klotzius spretam sic a me codicum auctoritatem vituperans indicativum se nullo modo improbare posse testatur. Nimirum probare indicativum ii demum poterunt, qui Cottam — is enim loquitur — de placitis illis Democriti, quae ipse mox patria Democriti quam

Democrito digniora dicit, sic tamen iudicasse credunt, ut principia ista
mentis animantesque imagines, etiamsi divinitatem iis non tribueret,
esse tamen in rerum natura, et vel prodesse vel nocere hominibus
posse nollet diffiteri. In his igitur si Klotzius se numerari volet, equi-
dem haud gravabor: mirabor tantum viri accuratissimi inconstantiam,
qui, quum hoc loco indicativum nullo modo improbare possit, eundem
tamen alio loco, cap. 11, 28 improbaverit: ibi enim, licet omnes codi-
ces habeant lucis orbem qui cingit caelum, ipse cingat, idque
tacite, reposuit, rationi scilicet plus quam codicibus tribuendum esse in-
telligens. Ratio autem utriusque loci prorsus eadem est: nisi forte op-
ponat hoc tamen interesse, quod Parmenidis illum lucis orbem Velleius
commenticium vel, ut Klotzio placet, conventicium dixerit, Democriti 13
autem placita sibi commenticia videri Cotta non antea professus sit.
Id igitur si dicat, morari eum amplius non ausim.

Haec fuerunt in primo libro, de quibus paullo accuratius disserere operae pretium visum est: neque desunt in reliquis duobus, de quibus consentire cum viro sollertissimo non possim; sed nunc ea persequi non vacat. Itaque hoc alias. Iam vero Vos nobis, Commilitones, monendi adhortandique estis, ut exacto hoc hiberno studiorum curriculo feriarum otium non modo ad requiem et relaxationem animorum, sed etiam ad recolenda et commentanda magistrorum praecepta conferendum esse memineritis, moxque ad aestivas scholas, quorum indici haec praefati sumus, tempestive et frequentes adsitis.

Scrib. Gryphiswaldiae VII. Id. Mart. MDCCCLVII.

COMMENTATIO VI. AD CICERONIS LIB. DE NAT. DEOR.

3 Disputavimus in superiore prooemio hibernarum scholarum indici praemisso de aliquot locis Ciceronis librorum de natura deorum, de quorum emendatione a proximo editore R. Klotzio dissentiremus, in quo quum ultra primum librum progredi non licuerit, nunc iam ex reliquis duobus eos certe locos tractare libet, de quibus quae dicenda erunt nonnihil fortasse etiam prodesse iunioribus posse videantur.

Primum igitur cap. VI, 16, quum vulgo scriberetur: *est igitur id, quo illa conficiuntur, homine melius*, ego haud cunctanter *a quo illa conficiuntur* reposui, neque dubitaturum de huius emendationis veritate quemquam posse putabam, qui vel quid interesset inter utramque structuram nosset, vel argumentationis eius, quae hoc loco proponitur, viam satis attendisset. Est enim haec eiusmodi, ut non de *instrumento* aliquo rerum efficiendarum, sed de ipso *effectore* cogitandum esse appareat: effectorem autem in tali structura cum verbo passivo non nudo casu ablativo designari, sed semper praepositionem additam habere dudum a subtilioribus grammaticis observatum est [1]). Itaque *quo illa conficiuntur*, quod Klotzius retinuit, a Cicerone scribi non magis hoc loco potuit, quam paullo ante *res caelestes homine confici non possunt*, pro *ab homine* —, quemadmodum recte in omnibus codicibus legitur.

Cap. XXIV, 63 quum vulgo scriberetur: *nam vetus haec opinio Graeciam opplevit, exsectum Caelum a filio Saturno etc.*, Davisius olim et nuper Klotzius post *opplevit* inseruerunt *sci-*

---

1) cf. Kritz. ad Sallust. Iug. c. 21, 3. Nonnulla huic opposuit Obbarius in Annal. philolog. et paedag. vol. LXXV (1857) p. 490, sed quae removeri facile possint.

licet, paucorum codicum et veterum editionum auctoritatem secuti. Sed sive ad opplevit sive ad exsectum illam voculam pertinere volunt, quid ea hoc loco sibi velit et qua significatione posita sit, neque ipsi docent, neque ego doceri posse arbitror. Quamobrem aut meliorum codicum auctoritas sequenda erit, qui illud scilicet omittunt, aut 4
si cui id non tamen de nihilo esse videatur, removendum certe hoc loco et reponendum in proximi membri initio: Scilicet physica ratio non inelegans inclusa est in impias fabulas. Quod autem in duobus codicibus, Rehdigerano et Oxoniensi E., post opplevit legitur sed, hoc ex compendio illius scilicet ortum esse facile intelligitur. Id quum coaluisset cum verbo, natum hinc est opplevisset, quod habent quattuor Moseri codices, eaque corruptela coniecturae ansam dedit in codice Lugdunensi 3. servatae: nam *quum* vetus haec opinio Graeciam opplevisset — physica ratio — inclusa est in impias fabulas, quam coniecturam Moserus sibi non displicere profitetur. Et sane placere potest, si quis solam constructionem verborum intueatur: sin de sententia quaeritur, prorsus eam respuendam esse apparet. Nempe dicitur sic, posteaquam opinio illa de Caelo et Saturno Graeciam oppleverit, physicam quandam rationem his fabulis inclusam esse. Stoici contra, quorum hoc loco sententia exponitur, non sane hoc voluerunt, prius fabulas confictas, deinde rationem iis inclusam esse, sed priorem fuisse physicam rationem, quam qui excogitassent, quum proprie eloqui aut nollent aut non possent, figurate et fabularum quasi involucris indutam significasse.

Cap. LIII, 133. Sin quaerat quispiam, cuiusnam causa tantarum rerum molitio facta sit: arborumne et herbarum? quae quamquam sine sensu sunt, tamen a natura sustinentur. At id quidem absurdum est etc. Non immerito in hac codicum longe plurimorum lectione doctiores interpretes offenderunt. Primum enim manifesta est orationis inconsequentia, quum post conditionalem protasin, sin quaerat quispiam, nulla sequatur apodosis. Quamquam hanc quidem offensionem aliquis minus gravem esse dixerit: nam excusabilem esse scriptoris negligentiam, qui ab inchoata structura deflexerit, cuius generis exempla in philosophicis praesertim libris Ciceronis complura inveniri fatendum est. Sed altera offensio est in ipsa hac coniunctione Sin, sic plane ad instar eius quod est quodsi, sed si usurpata ad connectendam continuandamque orationem. Nam quamvis saepe sin ponatur non praecedente altero si,

semper tamen nativa particulae vis hactenus saltem servatur, ut non usurpetur, nisi quum altera conditio, si non diserte proposita et coniunctione conditionali significata est, intelligi tamen potest[2]). Huiusmodi autem in hoc Ciceronis loco, qui omnem eius contextum perlegerit, nihil esse videbit. Hanc ob causam ego iis assentiendum puto, qui illud sin librariorum errori imputarunt. Quod pro eo in uno codice scriptum est, hic, etiamsi non ex integriore aliquo exemplo, sed ex coniectura ductum, non tamen certe ineptum est, meritoque a Walkero, Mosero (in ed. min.) et Orellio illi alteri praelatum. Poterit tamen fortasse non minus probabiliter aut iam aut an reponi.

Cap. LIV, 134. Dentibus autem in ore constructis manditur atque ab his extenuatur et molitur cibus. Permirum est neminem eorum, qui ante nos hos libros ediderunt, offendisse in verbis ab his sic praeter expectationem et loco alieno insertis, quae si abessent, quid tandem ad integritatem structurae aut sententiae desiderari posset? Agnosceremus enim ablativorum dentibus in ore constructis significationem instrumentalem tribus illis passivis manditur, extenuatur, molitur, pariter convenientem. Nunc autem insertis illis duabus voculis sic Ciceronem loqui videmus, quasi

---

2) Nativa vis particulae, utpote ex si et ne conflatae, haec est, ut superiori conditioni sublatae, h. e. negatae, aliud quid opponatur, quasi dicas: si minus v. si non est sic, sed —. Hinc autem porro usurpatur etiam si superior conditio non quidem negatur, sed tamen aliquid maius ei opponitur, quasi dicas: si non modo hoc est, sed etiam. — Superior autem illa conditio aut expressa est, aut subaudienda. Et expressa quidem agnoscitur etiam in huiusmodi locis, qui non habent coniunctionem conditionalem, sed aliter conformatam orationem, velut Cic. de Off. I, 15, 47: primum illud est in officio, ut ei plurimum tribuamus, a quo plurimum diligamur: sin erunt merita, ut non ineunda sed referenda gratia sit etc. h. e. primum illud est, ut, si sit aliquis, a quo plurimum diligamur, ei plurimum tribuamus: sin etc. Ib. I, 34, 123: luxuria quum omni aetati turpis, tum senectuti foedissima est. Sin autem libidinum etiam intemperantia accedit etc. h. e. luxuria, si in senectute est, foedissima est; sin etc. — Subaudienda autem conditio est in locis huiusmodi: Pro Planc. c. 4, 10: Primum illud debes putare, comitiis, praesertim aediliciis, studium esse populi, non iudicium. — Sin autem mavis esse iudicium etc. h. e. Si autem non illud putas, sed mavis —. Caes. Civ. I, 32, 7: Orat ac postulat rem publicam suscipiant atque una secum administrent. Sin timore defugiant, illis se oneri non futurum, h. e. si autem non suscipiant, sed timore defugiant.

in mandendo quidem dentes pro instrumento sint, extenuandorum aut et molendorum ciborum officio aliter fungantur. Unum hac perversitate offensum esse memini, Handium ad Wopkens. Lectt. Tull. p. 386, qui proinde etiam de integritate loci dubitavit. „Nam“ inquit „etiamsi ab his explicemus ab iisdem, tamen cur ita dicatur non patet“; hoc est, opinor, etiamsi ab his accipiatur de dentibus paullo ante nominatis, tamen nulla ratio exputari potest, cur horum notionem Cicero hoc loco repetendam censuerit, sic praesertim, ut dentes non iam pro instrumento, sed pro effectoribus habendi esse videantur: nam hanc esse huius structurae passivorum cum praepositione significationem paullo ante monuimus. Apparet igitur locum corruptum esse: sanari autem potuit medicina omnium lenissima, voculis istis suo loco repositis, quemadmodum in mea editione factum est: Dentibus autem in ore constructis manditur ab his atque extenuatur et molitur cibus. Correcti in hunc modum loci tam planam structuram tamque facilem intellectum fore credidi, ut haerere iam nemo posset. Sed praeter expectationem res cecidit. Klotzius certe, praef. p. XX, hanc verborum collocationem minus etiam quam eam, quae in libris est, sibi placere profitetur; quo autem modo hanc, quam praefert, defendendam aut excusandam putet, quidve in illa altera displiceat, non expromit. Ac de vulgatae quidem lectionis perversitate satis dictum esse arbitror: meam autem lectionem improbari non alia ratione posse video, quam si quis ablativos absolutos, dentibus in ore constructis, sic praemitti potuisse neget ad designandam rem eandem, quae mox iterum designanda esset. Vetabunt fortasse hoc triviales grammatici, discipulosque suos tali structura abstinere iubebunt: ceterum apud veteres scriptores non certe inaudita sunt huius generis exempla. Velut apud Livium XXXII, 38: Paucis principibus elapsis eorum absentium direptae fortunae, pro eo, quod grammatici isti dicendum fuisse autumant: paucorum principum elapsorum. — Caes. B. G. III, 14, 4: turribus autem 6
excitatis tamen has alitudo puppium superabat, non turres excitatas —. Id. V, 4, 3: Principibus Trevirorum ad se convocatis hos singillatim Vercingetorigi conciliavit, ib. c. 44, 6: quo percusso et exanimato hunc scutis protegunt. Etiam VII, 4, 1 huc pertinet: convocatis suis clientibus facile incendit, licet ibi pronomen eos, ad repetendam clientium notionem ante verbum incendit in aliquot libris inventum, meliorum codicum

auctoritate Schneiderus expunxerit, qui de omni hoc genere structurae, et qua ratione id nonnunquam a scriptoribus usurpatum sit, non semel admonuit. Neque vero Ciceroniani loci ratio prudenti lectori obscura esse potest. Primum enim per ablativos absolutos, dentibus in ore constructis, naturae admonemur creatricis, cuius providentia factum sit, ut omnia corporis membra suo quaeque loco apte collocata videamus, quasi dictum sit: quum autem dentes a natura in ore constructi sint. Iam vero in reliqua enuntiatione quum repetatur dentium notio addita insuper praepositione, ab his, quasi quosdam ministros cogitare iubemur, iniuncto sibi munere atque officio fungentes. Eadem ratio agnoscenda est paullo post: confectio (ciborum) etiam a lingua adiuvari videtur. item c. LV, 139: adde nervos, a quibus artus continentur. c. LVII, 144: auditus, a quo quum sonus est exceptus. Nam his omnibus locis ex meris instrumentis, per nudos ablativos significandis, quasi quosdam ministros factos videmus, sui quemque muneris effectorem, estque haec membrorum personificatio — si licet novicio vocabuli uti, — non multum diversa ab ea, quam apud Livium II, 32 Menenius Agrippa, apud Xenophontem Mem. II, 3, 18 Socrates, et ad huius exemplum Seneca de Ira II, 31. et Cicero ipse de Offic. III, 5, 22 usurparunt.

Cap. LV, 137: quum vulgo cibus per venam cavam ad cor confectus iam coctusque perlabi dicatur, Klotzius, coctum in corpore cibum pro concocto recte dici negans, hoc ipsum, concoctusque, reponere non dubitavit, eiusque vestigium etiam relictum esse putat in aliquot codicum scriptura coactusque. Nam quod in omnibus sic scriptum esse ait, refutatur Moseri annotatione, quae illud alterum non modo in optimo Erlangensi, sed etiam in Landeshutano (H) et Norimbergensi (I) scriptum esse testatur, quibus accedit Vindobonensis vetustissimus, cuius collationem in manibus habeo. Quod autem etiam consuetudinem Latini sermonis concoctus requirere autumat, praef. p. XXI, Madvigii auctoritatem sequitur, cuius haec verba sunt ad C. de Finn. II, 20, 64, ubi in cod. Erlang. sic scriptum est: cibo qui et suavissimus esset et idem facillimus ad coquendum: „Erlangensis scripturam nihil nisi mendum puto, qui cum Spaldingio ad Quintil. VIII, 4, 16 nunquam coquere cibum pro concoquere dictum credam“. Atque his etiam rationem adiungit: „Neque enim“ ait „verbum in eo ipso substantivo, in quo certam (physicam) significationem haberet, transferri alio potuit“. Vereor autem, ut accipi haec ratio possit, quae

si valeret, omnem transferendarum significationum libertatem nimis angustis finibus coerceret; neque illicitam eiusmodi translationem veteribus visam esse puto, quae nihil ambiguitatis atque obscuritatis haberet. In illo quidem Ciceronis loco, si scribatur *cibus facillimus ad coquendum*, ambigat fortasse aliquis, utra coctio intelligenda sit, eane quae ignis ope in culina, an illa, quae in hominis corpore confi- 7
citur: quamobrem concedendum est, rectius ibi *ad concoquendum* scriptum esse; nostro autem loco, etiamsi *coctusque* scribatur, de vera sententia dubitari nullo modo potest. Neque Spaldingii annotatio ad Quintilianum ab hoc iudicio me demovere potuit. Legebatur apud Quintilianum: *quantum ille vini in Hippiae nuptiis exhauserit, quod ferre et coquere non posset illa corporis gladiatoria firmitate.* Spaldingius, quum in uno codice Turicensi *conquere* scriptum inveniret, hinc *concoquere* reposuit: vere fortasse; quamquam ne simplex quidem verbum in tali contextu errorem obiicere potuisse crediderim. Annotatio autem Spaldingii haec est: „nullis veterum certis quidem locis probatur coquere dici pro concoquendo. Saltem Plinium H. N. XXIX, 1, 8 (tom. IV p. 342 Sill.) frustra appellat Forcellinus, ubi *cibi in corporibus coqui* dicuntur *a balineis ardentibus*". Nempe hoc, opinor, voluit, Plinii locum nihil facere ad probandam illam concoquendi significationem etiam simplici verbo asserendam. Atqui hoc tamen certe patet, Plinium, quamvis de calore balinearum dicat, non tamen eam ciborum coctionem intelligere, quae proprie sic dicitur, sed eam quae in corporibus perficitur, h. e. nihil aliud quam concoctionem, quam adiuvari nonnulli balinearum calore putabant. cf. Th. Schmidt ad Horat. ep. I, 6, 61. Affertur autem a Forcellino praeter Plinii locum etiam hic e Celso, IV, 5: *qui nihil aliud concoquere possunt, bubulam coquunt:* sic enim ibi in omnibus, quas inspicere potui, editionibus scriptum est, nulla varietate codicum notata. Neque erat, opinor, cur Celsus simplex verbum refugeret, quum de significatione dubitari non posset. Atque adeo apud ipsum Ciceronem paullo ante hunc, de quo agimus, locum, §. 136, de alvo scriptum est, eam omne quod acceperit cogere ac confundere, ut facile et calore, quem multum habeat, et terendo cibo et praeterea spiritu omnia *cocta atque confecta* in reliquum corpus dividantur. Neque Klotzius hanc omnium codicum lectionem attentare ausus est. Nostro autem loco ad tuendam vulgatam lectionem accedit etiam hoc, quod non facile Cicero post verbum cum praeposi-

tione compositum alterum item cum eadem compositum, sed simplex potius usurpare solet, quam consuetudinem quum alii animadverterunt, tum Madvigius ad de Finn. III, 11, 36, Kühnerus ad Tuscul. p. 210, atque ipse etiam Klotzius praef. p. IV. V[3]).

Cap. LVI, 140 legebatur vulgo: Ad hanc providentiam naturae tam diligentem tamque sollertem adiungi multa possunt, e quibus intelligatur, quantae res hominibus a deo quamque eximiae tributae sint: qui primum eos humo excitatos et erectos constituit, ut deorum cognitionem caelestia intuentes capere possent. eaque lectio ipsa per se spectata nihil offensionis habere videtur. Nam quod, posteaquam initio de providentia naturae dictum est, mox pro ea deus nominatur, facillime explicatur e ratione Stoicorum, quibus nihil intererat, utrum deum dicerent an providentiam. Cf. II, 22, 58. Acad. I, 7, 28. Sed codicum varietatem intuenti vix tamen genuina illa lectio videri potest.
8 Nam primum non modo in plurimis sed etiam in optimis pro singulari a deo pluralem a diis scriptum videmus, qui si asciscitur, necessario etiam verbi pluralem constituerunt, pro constituit, requiri apparet. Atqui pluralem illum unus Glogaviensis habet, cuius auctoritatem nullam esse constat: reliqui omnes singularem tenent, neque quidquam varietatis est, nisi in uno Vossiano (A), in quo pro indicativo a correctore coniunctivus constituerit scriptus est. Itaque recentiores critici hoc codicum consensu permoti et pluralem a diis et singularem constituit recipiendum iudicarunt, quumque sic pronomen qui, ad deos relatum, ferri non posset, femininum quae reposuerunt, referendum illud ad providentiam naturae. Mihi vix credibilis videtur tam inepta orationis conformatio, ut posteaquam dictum est, quantae res hominibus a diis tributae sint, statim in proximo membro, ubi hoc ipsum, quod modo dictum erat, exemplo probatur, pronomen non tamen ad eos, qui modo nominati erant, deos, sed ad providentiam naturae longius remotam accommodaretur[4]). Tam inepte Ciceronem scripsisse non adducor ut credam; sed ipsa codicum varietas, quum in

3) De simili Graecorum usu cf. Elmslei. ad Eurip. Med. v. 1219. Sintenis ad Plut. Themist. p. 90 (ed. Lips. 1832.) Flügel obss. ad Plut. Phoc. p. 15.

4) Sunt sane non rara apud optimos scriptores exempla pronominis relativi non ad proximi, sed ad remotioris membri nomen spectantis; sed haec omnia eiusmodi sunt, in quibus res ipsa manifestum faciat, id quod enuntiatur non posse nisi

aliis a deo, in aliis a diis scriptum sit, pro indicio esse potest neutrum horum a Cicerone scriptum, sed a librariis aut correctoribus invectum esse, quo facto etiam pronomen qui, utpote in tali contextu necessarium, pro eo, quod a Cicerone scriptum fuerat, ponendum fuit. Deletis autem illis duobus verbis, a diis v. a deo, nec deesse quidquam ad sententiae integritatem apparet, et structura minus certe inepta est. Quamquam verum esse illud, quod pro qui a plerisque et a me quoque positum est, quae, nolim praestare: fortasse qui primum ex quippe primum a librariis factum est.

Cap. LIX, 149: deinde in ore sita lingua est finita dentibus. Sic vulgo scribitur, neque quisquam offendisse videtur in finita dentibus lingua, quae qua ratione finiri illis dicatur, ego me non assequi fateor. Nam finiri aliqua re quid est aliud quam terminos illa re constitutos habere? terminos autem linguae dentibus constitui, vereor ne absurdum sit. Sensisse hoc etiam ii videntur, qui pro finita scripserunt finitima, quod in duobus codicibus Norimbergensibus (I. et K.) legitur, correctione manifesta, sed parum probabili. Probabilius puto Ciceronem scripsisse lingua munita dentibus. Proprie enim hoc verbum dicitur de iis, quae tanquam vallo circumdata sunt et saepiuntur, ut cap. LVII, 143: munitae sunt palpebrae tanquam vallo pilorum. Dentes autem cum vallo aptissime comparantur, et quemadmodum ἕρκος ὀδόντων apud Homerum, sic vallum dentium est apud Gellium I, 15, 3 et apud Apuleium de doctr. Plat. c. 14, p. 205. Hild. Ceterum occupatam dudum hanc emendationem video a Bünemanno ad Lactant. de opif. dei c. 10, 17, ubi scriptum est: linguam dentium saeptis deus quasi muro circumvallavit, comparaturque a Bünemanno praeter locum Apuleii supra citatum etiam alter eiusdem scriptoris, Florid. II, 15. p. 63: verba intra murum 9
candentium dentium premere. itemque Apolog. c. 7 p. 454: sermo, qui, ut ait poeta praecipuus, e dentium muro proficiscitur. Miror autem Ciceronis editores omnes hanc emendationem fugisse.

---

ad remotius nomen pertinere. Veluti in horum ipsorum librorum initio: de qua tam variae sunt doctissimorum hominum tamque discrepantes sententiae, nemini obscurum esse potuit, pronomen non ad religionem, in proximo membro, sed ad naturam deorum in superiore memoratam pertinere. Alia exempla vid. ap. Kritz. ad Sallust. Catil. c. 48, 2, p. 218.

Cap. LXV, 163: quibus cognitis (sermo est de praedictionibus rerum futurum) multae saepe res hominum sententia atque utilitate partae, multa etiam pericula depulsa sunt. Sic hunc locum Klotzius dedit, non quo veram hanc lectionem esse crederet, sed quod nulla correctio ipsi satisfecit, quemadmodum ait in praef. p. XXII. Attamen praepositionem certe ex ante hominum sententia haud dubie recipiendam fuisse arbitror, utpote prorsus necessariam et quae facillime a librariis omitti potuerit: receperuntque Heindorfius (e Glogaviensi), Moserus in ed. min. et Orellius. Magis ambigas de utilitate, pro qua Lambinus utilitates reposuit. Ipsam quidem locutionem, ut aliquid ex utilitate fieri vel esse dicatur, haudquaquam inusitatam esse scio, quam quum Heindorfius exemplo alterius locutionis, ex usu, sibi probandam sumserit, quae extat apud Tacit. Ann. VI, 42: Artabanus plebem primoribus tradidit ex suo usu, poterat etiam illam ipsam ex eodem afferre, Ann. XV, 43: ea, ex utilitate accepta, decorem quoque novae urbi attulere. et XVI, 30; quod proconsulatum Asiae sibi potius accommodatum quam ex utilitate communi egisset. Tamen sic copulatas has locutiones, ex sententia et utilitate, nunquam me legere memini, neque copulari congruenter potuisse credo. Nempe sententia in nobis ipsis nostroque animo est, paramusque aut perficimus res ex sententia, quum sic eas paramus aut perficimus, ut volumus et optamus; utilitas autem non in nobis ipsis sed in rebus est, quam qui sequitur ac respicit in rebus agendis, is res ex utilitate agere dicitur. Non eadem igitur vis praepositionis est in utraque locutione, quamobrem certe non semel poni debuisset, sed repeti etiam ante utilitate [5]). Sed quum pluralem utilitates praeter Lambini, h. e. unius peritissimi et elegantissimi arbitri iudicium etiam editionis P. Marsi auctoritas, quae bono codici aequiparanda est, commendaret, hunc ego recipere non dubitavi.

Lib. III, cap. III, 7, quod in codicibus tantum non omnibus legitur: mihi quidem ex animo exuri non potest, esse deos, merito criticis displicuit, quandoquidem exurendi verbum in huiusmodi re

5) Ne quis forte mihi eiusmodi exempla opponat, quale est hoc ap. Ciceronem ad Famil. XI, 11, 2: ut ex tua sententia et reipublicae commodo fiat: tenendum est hoc commodo non pendere a praepositione, sed per se solum stare, ut ib. XVI, 1, 2: si commodo valetudinis tuae fieri possit.

nimis ineptum esse apparet. Nam quae a Davisio exempla afferuntur, longe omnia diversi generis esse quilibet facile intelliget. Velut apud Plautum Rud. III, 4, 62, posteaquam unus dixit: *Ignem magnum hic faciam*, subiungit alter: *Quin ut humanum exuras tibi*: scilicet quia ignem ille memoraverat, iocose quid illo fieri possit indicans. Augustinus autem, quum dicit, de mor. cathol. eccles. c. 30, *tantus caritatis ardor innascitur, ut exustis omnibus vitiis homo sanctificetur*, hanc ipsam ardoris imaginem perapte etiam ad exustionem vitiorum traducit. Ceterum etiamsi nullum caritatis ardorem antea commemorasset, tamen *exuri* vitia dicere potuisset, similitudine a medicis ducta, qui urendo corporis vitia delent. Sed quamvis vitia ex animo exuri recte dici possint, opinionibus tamen et persuasionibus tam violentam medicinam adhibere nemo facile volet. Itaque quod apud Senecam legitur, epist. LXIX p. 190 Gron.: *ei qui amorem exurere conatur*, probari fortasse potest, siquidem amor ille in vitiis habetur, tanquam morbus quidam animi. Nostro autem loco ineptum verbum esse omnes praeter Davisium consenserunt, et ne is quidem incertam apud Senecam lectionem esse dissimulat: nam in non paucis codicibus *exuere* scriptum est, idque recentiores editores receperunt. Atque hoc ipsum *exuendi* verbum etiam in hoc Ciceronis loco a duobus codicibus oblatum receperunt Moserus in ed. min., Orellius et nuper etiam Klotzius: neque ego id in priore editione sprevi. Nunc autem re accuratius considerata reprobandum censeo propterea quod exuere quidem aliquam opinionem is ipse, cuius ea est, non inepte dicitur, quemadmodum *obsequium exuere* apud Tacitum Ann. III, 13. *virtutes exuere* Ann. I, 75. *vitia exuere* Ann. VI, 25, aliaque similia, ubi quasi quidam habitus intelligitur: at vero *exui vitia ex aliquo* non magis dici possunt, quam habitus ex aliquo exui dicitur. Neque magis probari potest verbum *exire*, quod Heindorfius e Rehdigerano et Glogaviensi ascivit, eoque sensu accipi vult, quo apud Senecam, de benef. III, 38, *e memoria hominum exire* dictum est. Nam nec Seneca verbum solum *exire*, non addito illo *ex memoria*, usurpare potuisset de eo, quod alicui ex animo effluit, h. e. quod quis obliviscitur, neque apud Ciceronem Cotta — is enim loquitur — hoc dicere: non fore ut oblivisceretur deos esse, sed illud potius: nunquam se passurum hanc sibi persuasionem ab aliquo ex animo evelli. Itaque quum aptum huic sententiae verbum coniectura quaerendum esset, ego quidem *eximi* a Cicerone scriptum esse suspicatus sum, quod

verbum non absimili significatione apud Tacitum legitur, Ann. VI, 22: *plurimis mortalium non eximitur, quin primo cuiusque ortu ventura destinentur.* Fateor tamen non minus aptum videri quod Walkerus coniecit, *erui.* Scilicet quemadmodum stirpes firmiter solo inhaerentes *eruuntur,* h. e. vi aliqua maiore evelluntur, hinc translata imagine etiam opiniones aut consilia erui dicuntur, quum quis quae amplexus erat aut voluerat amittere ex animo cogitur. Sic apud Ciceronem ad Attic. XII, 36, 1 legitur; *Fanum fieri volo, neque id mihi erui potest:* quamquam de auctoritate huius lectionis non satis constat, fueruntque qui aut *eripi* aut etiam *exui* mallent, quorum hoc alterum quidem haud dubie spernendum est. Sed comparari cum nostro loco possunt quae Lactantius habet, Ciceronianae dictionis aemulus, I. D. II, 6. 10: *omnes religiones radicitus eruisti,* de philosopho contra religiones disputante easque ex animis hominum evellente.

Cap. XVII, 43. ambigitur, utrum rectius sit: *ne nymphae quidem deae igitur,* quemadmodum in plerisque codicibus et editionibus scriptum est, an: *ne nymphae deae quidem igitur,* quam verborum collocationem, in quinque Moseri codicibus inventam, Klotzius praestare putat propterea quod particulae *ne — quidem* et *igitur* non debuerint aliquo interposito vocabulo disiungi. Et sane mihi quoque hoc ab usu optimorum scriptorum abhorrere videtur, nec memini,
11 qui in huiusmodi sententiarum conformatione, ubi antecederet *ne — quidem,* rationalem coniunctionem, si ea utendum esset, non statim illis subiunxerit, quemadmodum a Cicerone factum videmus paullo infra §. 44: *ne orcus quidem igitur.* Tuscul. I, 36, 88: *ne carere quidem igitur in mortuo est.* de Finn. IV, 24, 67: *ne vitia quidem igitur crescere poterunt.* Licet igitur rationem, cur id sic fieri utique debuerit, non perspiciam, aliosque, in quibus F. Handium, particularum observatorem diligentissimum, Tursell. III, p. 198, nostrum locum sic ut vulgo scriptus est non suspectum habere videam, non intercedo tamen, quominus corrigendus sit. Neque tamen illud verum esse puto, quod Klotzius probavit: *ne nymphae deae quidem* pro vulg. *ne nymphae quidem deae.* Quaeres, quid intersit? Hoc, ni fallor, ut prius illud ab eo demum recte dici potuerit, qui deas illas, quae nymphae dicerentur, esse negaret h. e. nullas esse affirmaret; contra *ne nymphae quidem deae* ab eo dicendum fuerit, qui de eo, essentne nymphae an non essent, nihil affirmare vellet, sed

deas saltem eas esse negaret, h. e. divinitatem iis abiudicaret. Atque hoc ipsum Cotta mihi in hac disputatione velle videtur, sicut etiam paullo post Jovem, Neptunum, Orcum non esse aut fuisse negat; nam fieri potuit, ut hi ceterique omnes, qui pro diis colebantur, antiquis temporibus in terris vixisse et postea demum populorum superstitione consecrati esse putarentur, quemadmodum Euhemerum eiusque sectatores theologos statuisse constat, quorum ratione Cotta etiam supra cap. 16, 42 contra Stoicos usus est. Hi igitur utrum fuissent an non fuissent in medio relinqui ab Academico potuit: satis erat, si hos non certe deos esse argueret. Itaque mihi probanda videtur lectio codicis Erlangensis, quem in optimis habendum esse omnes consentiunt: ne nymphae quidem igitur, omisso vocabulo deae. Nam in hoc contextu careri eo facile potuit, additumque postea in margine ab aliquo esse videtur, atque hinc a librariis insertum.

Cap. XX, 51, quum in priore editione scripsissem: ob eamque causam, quia speciem habet admirabilem, Thaumante dicitur esse natus, — sermo autem de arcu est, — Klotzius coniunctivum habeat reposuit, propterea scilicet, quod hunc in omnibus codicibus legi credidit. Atqui primum hoc ipsum non ita esse videtur: nam quantum quidem ex Moseri annotatione colligi potest, indicativum habent Norimbergensis alter (K.) et Ottobonianus (La). Sed etiamsi vere omnes in coniunctivo conspirarent, tamen ego rationem plus quam librariorum aut correctorum errores valere debere arbitror. Nam coniunctivus significaret, ab iis ipsis, qui arcum Thaumante natum esse dicerent, etiam causam afferri, fictum hoc esse propterea, quod speciem ille admirabilem haberet. Id etiam Orellium sensisse apparet, quum dicat aliorum (quam loquentis) opinionem referri, nempe eorum, qui Thaumante arcum natum esse dicant. Mihi contra absurdum videtur, ab iis, qui hanc fabulam finxerint, etiam rationem, cur finxerint, redditam putare. Rationes fabularum posteriore aestate interpretes et theologi rimati sunt, non antiqui illi homines explicaverunt. Et admirabilem esse arci speciem, id profecto Cotta ipse non ignorabat, eamque causam fabulae fuisse sua sponte intelligebat, non tamquam alienam opinionem acceperat. Itaque indicativum utique scribendum fuisse iudico. Sed etiam in postremis huius loci verbis 12
aliquid a librariis turbatum esse codicum longe plurimorum et optimorum consensus ostendit. Habent enim nata, non natus, quam formam ab iis invectam esse patet, qui soloecismum in genere, arcus

nata, tolerari non posse intelligerent. Sed hoc ipsum nata pro documento haberi debet, excidisse in superioribus verbis aliquod nomen femininum. Nam quod Orellius praestantissimam hanc brachylogiam esse autumat, nomenque arcus femininum, utpote ex fabulis notum, licet non dictum tamen subaudiri vult, idque sufficere ad defendendum femininum genus participii: hoc genus brachylogiae paucis, opinor, placebit: sin autem sunt, quibus placeat, non intercedo equidem, quominus iudicio suo fruantur. Non magis autem probari potest Klotzii ratio, qui, praef. p. XXV, Ciceronem scripsisse suspicatur: est enim pulcherrima arci species et ob eam causam, Thaumante dicitur esse nata, deletis verbis intermediis, quia speciem habeat pulcherrimam: in qua coniectura nescias utrum magis mireris, audaciamne corrigendi, an religiosam in una forma, nata pro natus, codicum reverentiam. Nimirum maluit vir alioquin circumspectissimus suam coniecturam periclitari, quam alienae, quamvis egregiae, assentiri: qua aemulatione multos saepe, qui criticam hanc diorthoticam ex professo factitant, transversos agi videmus. Verissime dudum Antonius Augustinus scribendum esse monuit: Thaumante dicitur Iris esse nata: eamque emendationem, iam prius a me probatam, in altera editione haud dubitanter recipiendam esse censui.

Haec sunt, de quibus paullo accuratius disputare operae pretium esse videbatur. Praetermittenda enim hoc loco ea omnia putavi, de quibus iam ann. 1849 et 1850 in quattuor libellis academicis a me disputatum est, quamquam sunt etiam in his nonnulla, de quibus Klotzium a me dissentire editio eius manifestum facit. Velut lib. II. c. 49, 124 retinuit vulgatam lectionem: dum illa captum amitterent, id quod ipsa invaderet: quum ego demonstrativum id permutandum cum praepositione in censuerim, non quo necessariam praepositionem putarem, — nam invadere etiam cum solo accusativo construi nemini ignotum est, — sed quod praemitti sic demonstrativum relativo ad repetendam notionem rei modo commemoratae non ubivis, sed certis tantum conditionibus solere memineram, quarum nulla in hunc locum conveniret. Klotzius vero, ut videtur, nihil magnopere interesse credit, utro modo dicatur. Neque minus miror viri doctissimi iudicium, quum in eodem capite vulgatam lectionem: in eius locum succedit ex iis quae acquierunt, tueri conatur, subiectum verbi succedit a Cicerone in tali qualis h. l. est contextu omitti potuisse opinatus. Ex eodem genere est, quod III, 23, 60 sprevit emen-

dationem *haec aliaque eiusmodi* pro *haec atque eiusmodi*, scilicet quod hoc solum *eiusmodi* instar subiecti aut obiecti usurpari posse credit, nullo aut nomine aut pronomine addito: ad quod exemplum patietur sine dubio etiam nunc dici: *non opus est eiusmodi refellere*. Quod autem III, 9, 22 pro perfecto *dilatavit*, in codicibus scripto, non reposuit, quod a me scriptum est, *dilatabit*, casu potius quam consulto factum arbitror, quandoquidem neminem, qui vel mediocriter attendat, de necessitate huius emendationis dubitare posse confido. Fortassis autem etiam II, 2, 5 passivam formam, *inveterari*, pro activa minus dubitasset recipere, si meminisset, quam 12
saepe activae et passivae infinitivorum formae a librariis confusae essent, cuius confusionis causam ex antiqua scriptura *ei* pro *i* repetendum esse nuper Büchlerus monuit in N. Museo Rhenano XI. p. 515. Nam quod perfectum activum *inveteravi* intransitiva significatione dictum invenitur, (velut apud Cic. ad Famil. XIV, 3, 3; *nam si inveterarit actum est*.) nihil facit ad eandem significationem etiam praesenti asserendam, quod si intransitive dicendum est, *inveterasco* usurpari solet. Similiter ex eo, quod *auxi* nonnunquam intransitive dicitur, perperam multi etiam *augeo* pro *augesco* dictum esse collegerunt, contra quos recte disputatum est a Rittero ad Tacit. Ann. VI, 41.

Scrib. Gryphiswaldiae a. d. IV. Id. Jul. MDCCCLVII.

AD CICERON. DE LEGG. II, 24.

3 Quum in colligendis, restituendis ac disponendis duodecim tabularum fragmentis plurimorum olim ac doctissimorum virorum industria sollerter versata sit, tum fructuosissimam huic studio operam nuper impendit Dirksenius, vir clarissimus,[1]) non ipsis solum fragmentis, quae passim apud veteres scriptores extant, diligenter collectis probabiliterque restitutis et commodissimo ordine dispositis, indicatis simul ubique fontibus explicatisque iudicii sui in emendando ac disponendo rationibus, sed etiam quae a prioribus hoc in genere effecta erant, omnibus in brevi conspectu propositis; quae res quanti laboris fuerit quantumque utilitatis afferre possit, si quis posthac in his legibus tractandis operam suam collocare velit, non opus est praedicare. Tantum autem a viro doctissimo praestitum est, quantum summa unius hominis diligentia praestare plurimum potuit, neque quisquam, qui operis illius taediosam saepe molestiam ac difficultatem perpenderit, succensendum Dirksenio putabit, si forte nonnihil etiam ab hoc aut praetermissum aut minus recte animadversum deprehenderit. Huius generis exemplum invenire nobis visi sumus in fragmentis tabulae decimae; desideramus enim ibi unum, cuius nobis quidem satis manifesta vestigia extare videntur apud Ciceronem de legibus lib. II. cap. 25. §. 62: „Nostrae quidem legis interpretes, quo capite iubentur sumptus et luctum removere a deorum manium iure, hoc intelligunt imprimis, sepulcrorum magnificentiam esse minuendam.“ Dubitari enim non potest, quin hoc ipsum de sumptu ac luctu minuendo praeceptum iisdem aut similibus verbis scriptum fuerit in lege duodecim tabularum; idque praeceptum

1) Uebersicht der bisherigen Versuche zur Kritik und Herstellung des Textes der Zwölf-Tafel-Gesetze, von H. E. Dirksen. Lips. 1824.

quum generale esset, ceteris, quae singularia erant, haud dubie praemissum, ab interpretibus, quorum tres paullo ante a Cicerone nominati 4
sunt, S. et L. Aelii et L. Acilius, in eam sententiam acceptum est, ut ad sepulcrorum potissimum sumptus ac magnificentiam pertinere dicerent, cuius mentionem diserte factam in lege non esse ipsa Ciceronis verba ostendunt: „Sed credo, Quinte, ut ceteri sumptus, sic etiam sepulcrorum (sumptus scil.) modum recte requiri: quos enim ad sumptus progressa iam ista res sit, in C. Figuli sepulcro vides. Sed credo minimam olim istius rei fuisse cupiditatem; alioquin multa extarent exempla maiorum." His dein statim subiunguntur illa, quae supra adscripsimus: „Nostrae quidem legis interpretes —". Recte igitur fecerunt Gothofredus, Potherius et alii, qui hanc quoque legem in collectionem receperunt, his fortasse verbis olim conceptam: *Sumptus et luctum a deorum manium iure removeto.*

Sed non id nunc agere instituimus, ut praetermissa a Dirksenio aliisque fragmenta conquiramus; hoc potius demonstrare conabimur, unum esse ab omnibus receptum, quod eximendum sit. Repetitum autem hoc quoque fragmentum est ex eodem Ciceronis libro de legibus cap. 24. §. 60, loco perquam corrupto neque a quoquam adhuc probabiliter vel emendato vel explicato, sed certissima, ut nobis quidem videtur, et facillima mutatione sanando. Scriptus autem hic locus in Moseri editione est hoc modo:

> Illa iam significatio est, laudis ornamenta ad mortuos pertinere quod coronam virtute partam et ei, qui peperisset, et eius parenti sine fraude esse lex impositam iubet: *credo* (codd. nonnulli: *credoque*) *quod erat factitatum, ut uni plura fierent lectique plures sternerentur; idque* (codd. nonnulli: *id quoque*) *ne fieret, lege sanctum est.* Qua in lege quum esset NEVE AVRVM ADDITO, quam humane excipit altera lex, QVOI AVRO DENTES VINCTI ESCVNT, AST IM CVM ILLO SEPELIRE SE FRAVDE ESTO.

Totum locum apponendum censuimus, quo facilius appareret, illa verba, quae obliquis literis distinximus, *credo* — *sanctum est*, neque cum prioris enunciationis neque cum posterioris sententia apte coniuncta esse. Permisit enim lex coronam virtute partam et ei qui peperisset et eius parenti in funere imponi. Id qua ratione permiserit, explicat Cicero, quum significationem hanc esse h. e. significari hac re dicit, laudis ornamenta ad mortuos quoque pertinere. Aliam praeterea rationem addi nemo desideret, neque istis quae modo designavi-

mus verbis *credo quod* etc. additam esse apparet. Quid enim, quaeso, hoc de pluribus, nescio quibus, uni factis lectisque pluribus stratis ad illam coronae impositionem pertinet? Nisi quis forte Goerenzio assentiri velit, qui *feretra* pro *fierent* scribendum ratus, id quod iam olim Simeon Bosius et Lambinus coniecerant, haec feretra lectosque plures uni stratos sic se intelligere dicit, — utor autem ipsis Goerenzii verbis, — ut imago eiusdem (hominis mortui) cerea in pluribus lectis exposita circumlataque sit, quo saepius corona promerita ostentaretur. — Itaque Cicero ex huius interpretis sententia hoc dicet: coronam virtute partam et ei qui peperisset et eius parenti imponi licere propterea, quod factitatum esset, ut uni plures lecti sternerentur coronaque eadem saepius circumferretur; idque ne fieret, lege cautum esse. — Tam absurde Ciceronem loquutum esse, paucissimos credo fore, qui a Goerenzio sibi persuaderi patiantur. — Obloquitur, ut decebat, Goerenzio etiam Madvigius, vir prudentissimus,[2]) isque persanatum locum fore censet, si *fieret* in *feretra* mutetur, *id quoque* pro *idque* recipiatur, denique ante *credo* maxima distinctione interpungatur. Scilicet novam hac periodo legem a Cicerone referri, non superioris rationem exponi statuit. Sed haec sententia nobis quidem parum probabilis videtur. Primum enim non solet Cicero neque alias unquam neque in his legibus percensendis tam abrupte loqui, ut nulla coniunctione transitum ad aliam rem significet; id quod etiam librarii nonnulli sensisse videntur, qui *credoque* scripserunt. Sed neque agnoscit coniunctionem ullus bonus codex, neque hac addita multo melior fit transitus magisque ex more Ciceronis. Dein illud quoque *fierent* in *feretra* mutatum est contra codices, quotquot collati sunt, omnes. Fuerunt autem etiam, qui *fierent* retinendum, sed *funera* addendum esse statuerent; scilicet ne adiectivo *plura* substantivum suum deesset. Sed hoc quoque additamentum codicum omnium consensu respuitur. Quid multa? Sive hanc sive illam emendationem amplectaris, alia tamen eaque gravissima restat difficultas, si quis rerum ipsarum connexionem diligenter intueatur. Apparet enim Ciceronem hoc loco de ornamentis mortuo addendis loqui instituisse. Huc enim pertinent primum coronae, quas qui meruerint eorumque parentibus sine fraude imponi dicit; dein aurum, quod addi mortuo lex vetat, nisi si cui dentes auro

2) Emendationes in Ciceronis libros philosophicos. Scrips. Joh. Nic. Madvig. Hafn. MDCCCXXVI. Part. I. p. 81.

vincti sint; id enim cum eo sepeliri fas esse. Iam vero illud de pluribus vel funeribus vel feretris ac lectis parum apte interponi inter aurum et coronas manifestum est; nihil enim isti lecti ad ornamenta pertinent cadaveri addenda.

Quae quum ita sint aliam medicinam quaerendam esse apparet, eamque invenisse nobis videmur omnium lenissimam, qua adhibita sine unius literulae mutatione plana fiant omnia atque facilia. Scilicet alieno loco a librariis interpositi sunt isti versus *credo — sanctum est,* quos si brevi ante hunc locum intervallo inserueris, et suo loco repositos et sanissimos esse intelliges. Est autem suus his versibus locus in principio huius capitis:

> Homini, inquit, mortuo ne ossa legito, quo post funus faciat: credo quod erat factitatum ut uni plura fierent, lectique plures sternerentur; idque ne fieret, lege sanctum est. Excipit bellicam peregrinamque mortem.

Iam quo minus de veritate huius emendationis dubitetur, senten- 6
tiam loci breviter explicabimus. Ac primum quidem *ossa legere* satis notum est dici de iis, qui combusto corpore ossa igne non consumpta colligunt atque tollunt; neque id commemoraremus, nisi diversam sententiam a nonnullis huius legis interpretibus propositam videremus. Nam quum Festus grammaticus s. v. *membrum* moris fuisse doceat, ut digitus mortui decideretur, ad quem servatum iusta fierent, reliquo corpore combusto, — hunc ipsum morem hac lege designari statuerunt, vetarique ne decideretur digitus eo consilio, ut post concrematum corpus redintegrato funere et ipse efferretur. At primum vix est probabile, funus unquam digito abscisso factum esse. Dein qui digitum abscindit, is *ossa legere* nullo modo dici potest, quaeque a Raevardo aliisque allata sunt huius locutionis exempla, nihil plane faciunt ad hanc rem probandam. Scilicet apud Senecam legimus Consol. ad Marciam cap. 22: *Adiice incendia, ruinas, naufragia, lacerationes medicorum ossa vivis legentium.* Apud eundem de Provid. cap. 3: *Sed si cogitaveris tecum, remedii causa quibusdam et radi ossa et legi, et extrahi venas —.* De benef. lib. V. cap. 24: *Ad Mundam in acie oculos mihi effossus est et in capite lecta ossa.* Talia quamvis multa afferas, nihil proficies. Nimirum *ossa* legi dicuntur iis, quibus aut casu aut ictu fracta aut collisa sunt, et medici ope extrahuntur, qui quidem *legere ossa* propterea dicitur, quod fragmina in vulnere quaerit et colligit; id autem quam diversum sit a recisione membri, nemo non intelligit. —

Multo autem minus ad rem pertinet, quod et ipsum protulerunt, *legere* pro *adimere* et *auferre* dici in locutione *sacra legere*, unde etiam *sacrilegus* et *sacrilegium* derivantur. Nempe *legere* in hac locutione est *sublegere* et *clanculum auferre;* idque in eos, qui membrum mortuo abscindunt, nullo modo cadere apparet. Quod autem dativum quoque casum, quo Cicero utitur, urgendum censuerunt, quasi aliud esset *mortui* ossa legere, aliud *mortuo*, id quidem nullam vim habere videtur, quum, etsi genitivus in illa locutione de ossibus combusto corpore collectis frequentior sit, dativum tamen hoc quidem loco non minus aptum esse pateat. Tenebimus igitur eam horum verborum explicationem, quam contra Raevardum quum alii multi tum Kirchmannus quoque defendit,[3]) et Wyttenbachius etiam amplexus est. Sententia igitur legis haec est, ut, quum olim fieri soleret, ut ossa combusto corpore collecta domum reportarentur, unde aliquo post tempore solemni funere et ipsa elata tumulo conderentur, id in posterum fieri vetet. Ipsum enim ossilegium non vetari apparet, quippe quod semper etiam post leges XII tabb. in usu manserit, neque potuerit sane vetari, quum insepulta mortuorum ossa relinqui nullo modo
7 possent. Atque ii quoque, qui illud *ossa legere* de digito abscisso interpretati sunt, non rem ipsam vetari statuerunt, sed consilium, ut Goerenzius loquitur, rei adhibitum. Nam res quidem ipsa coniuncta erat cum religionibus ac iure pontificio. Quum enim humari mortuorum corpora desiissent, et comburendi consuetudo invecta esset, ut vetusti moris vestigium aliquod in funerum ritu servaretur, excogitarunt hoc pontifices, ut reliquo corpore combusto, particula tamen h. e. digitus, non concrematus humo contegeretur. Hoc igitur, utpote in iure sacro positum, neque abrogari facile potuit, et Ciceronis etiam aetate perduravit, id quod ex iis apparet, quae de gleba in os, h. e. in digitum abscissum, iniecta leguntur c. 22. § 57, ubi conf. interpp.

Quod sequitur: *credo* (h. e. videlicet) *quod erat factitatum ut uni plura fierent* —, planum est ad *plura* e praecedentibus verbis supplen-

---

3) Goerenzius, qui Raevardi sententiam amplecitur, hoc quoque levitatis suae documentum dedit, quod auctorem eius Kirchmannum dicit. Hic enim, ut dixi, Raevardo obloquitur, in eoque Casauboni se auctoritatem sequi profitetur, de Funn. III, 7. p. 314. ed. Lugdun. a. 1672. — Ceterum video Boeckhium quoque ad Plat. Minoem p. 58. Ciceronis verba de ossilegio post combustum corpus accipere.

dum esse *funera*. Affert autem Cicero causam, cur illud lege vetitum sit, quae quidem ab auditoribus, vetusti ac dudum obsoleti moris fortasse ignaris, non sua sponte statim perspici potuerit. Itaque olim, ait, hoc factitatum esse credo, ut uni plura fierent funera, primum scilicet, quum ad rogum corpus efferretur, alterum dein, et fortassis etiam plura, quum lecta post combustionem ossa aliquo post tempore in tumulum deferrentur, lectis et ipsa imposita. — Sed excipit lex bellicam peregrinamque mortem, h. e. qui in bello ac peregre mortui sunt, eorum plura funera, bina saltem, fieri licet, primum eo loco, ubi obierunt, quum comburitur corpus, alterum in patria, quum ossa ad propinquos relata tumulo conduntur. Atque hunc morem etiam Athenis obtinuisse quum alia exempla demonstrant, tum illud quod extat apud Isaeum oratorem de hered. Nicostrati §§. 19 et 26, ex quibus locis posteriorem Reiskius vel ignorantia moris vel oblivione mirifice interpretari conatus est.

Iam vero si recte isti versus a nobis suo loco repositi sunt, hoc quoque apparet, non inesse in iis duodecim tabularum fragmentum, quod inesse omnes adhuc viri docti crediderunt, hoc fere modo a plerisque conceptum:

Uni plura funera ne facito neve lectos plures sternito.

Quippe non legem aliquam Cicero illis verbis refert, sed suam prioris legis explicationem proponit: *ossa legi quo post funus fiat* propterea legem vetuisse, quoniam olim factitatum fuerit, ut uni plura funera fierent. — Ceterum hoc quoque addendum videtur ad refellendam eorum coniecturam, qui quum *feretra* pro *fierent* reponendum censerent, aliquam duodecim tabularum legem et ipsi his verbis referri statuerunt. Manifestum est enim Ciceronem loqui de re obsoleta et a sui temporis moribus remota, quam propterea auditores docendi viderentur. Id etiam Madvigius intellexit: „significaverat,“ inquit, „quaedam in legibus praecipi, quorum causa, moribus mutatis, non perspiceretur; ea probabile esse ad illorum temporum mores fuisse accom- 8
modata. Ex horum genere hoc erat; poterat enim quaeri, cur lex vetaret plures uni lectos sternere, quum id nemo facturus esset.“ Atqui non poterat id quaeri, quippe quum plures in uno funere lectos etiam Ciceronis aequales usurpare solerent, neque plures tantum, sed etiam plurimos. Nam in Sullae quidem funere sex mille haud minus lecti elati esse dicuntur; in funere Marcelli sexcentos Augustus prae-

ferri iussit. Vid. Serv. ad Virg. Aen. VI, 761. Kirchmann. de Funeribus II. cap. 7. p. 138. Hunc igitur morem, sua etiam aetate in principum funeribus usitatissimum, designare ut obsoletum et obscurum Cicero non potuit. Sed longe aliud est, plures in uno funere lectos efferri, et plura uni funera fieri; hoc olim factitatum erat, postea obsoleverat.

AD CICERON. DE FINIBUS LIB. V.

Factum iam antehac aliquoties a nobis est, Commilitones, ut in 3
his novarum scholarum programmatis argumenta tractaremus e scholis modo absolutis repetita, quo scilicet aut invitaremus auditores nostros ad res ibi propositas iterata apud se commentatione recolendas, aut etiam accuratius, quam scholarum ratio passa esset, de nonnullis disputaremus. Nunc igitur e Ciceronis libro V de finibus nuper a nobis explicato locos aliquot tractare decrevimus, quum praesertim his ipsis demum diebus Droysenii V. C. conversionem illorum librorum acceperimus, quae si prius in manibus fuisset, admonere passim nos potuit, ut, quae nobis vera videretur interpretatio, hanc firmius ex omni parte stabilire erroremque removere studeremus.

Statim cap. 1, § 3 haud indubitata est Ciceronis verborum interpretatio. Dixerat modo Piso de magna vi admonitionis, quae inest in locis, adeo ut, quum videamus ea loca, in quibus memoria dignos viros acceperimus multum esse versatos, magis moveamur, quam si quando eorum ipsorum aut facta audiamus aut scriptum aliquod legamus. Respondet ad haec Q. Cicero: *Est plane, Piso, ut dicis. Nam me ipsum huc modo venientem convertebat ad sese Coloneus ille locus, cuius incola Sophocles ob oculos versabatur, quem scis quam admirer, quamque eo delecter. Me quidem ad altiorem memoriam Oedipodis huc venientis et illo mollissimo carmine, quaenam essent haec ipsa loca, requirentis species quaedam commovit, inanis scilicet, sed commovit tamen.* Ambigi potest *altiorem memoriam* utrum Sophoclis esse dicat paullo ante commemorati, an eius, cuius statim nomen sequitur, Oedipodis: itemque *species* illa, qua se ad altiorem memoriam commoveri ait, sitne et ipsa Sophoclis, quem modo ob oculos sibi versari dixit, an Oedipodis potius, in haec loca delati. Illud alterum Droysenius

amplexus verba Ciceronis in hunc modum interpretatur, ut dicat primum invisenti sibi haec loca Sophoclem, eorum olim incolam, ob oculos versari, deinde hac Sophoclis specie commoveri se ad altiorem memoriam Oedipodis, quippe quem ille huc venientem nobilissima fabula induxerit. Sed offendit me in hac interpretatione primum, quod ita non recte *species quaedam* dicitur de Sophocle, h. e. de specie Sophoclis modo commemorata, quam si iterum intelligi Cicero voluit, non indefinito pronomine *quaedam*, sed demonstrativa *illa* uti debuit.
4 Nam absonum esse in huiusmodi *secunda notitia* [1]) indefiniti pronominis usum suus quemque sensus docet, sensitque haud dubie Droysenius ipse, quum in convertendo loco demonstrativum pronomen substituerit: *diess Traumbild*, quasi non *species quaedam* sed *species illa* legeretur. Deinde si *altiorem memoriam Oedipodis* eo sensu Cicero dixisset, quo Droysenius statuit, de memoria vetustioris temporis, *die Erinnerung* (ita enim haec ab eo conversa sunt) *an eine fernere Vergangenheit, an Oedipus*, ut opponeret hanc memoriam alteri Sophoclis memoriae tanquam recentiori et minus altae, haec oppositio, meo quidem iudicio, paullo aliam postulabat periodi conformationem, in hunc fere modum: *Etiam ad altiorem memoriam Oedipodis* — — *species illa me commovit.* Nunc autem quod primo loco posuit suae personae designationem, *me quidem*, quum superiorem quoque enuntiationem ab eodem pronomine inchoasset, *nam me ipsum*, haec ipsa periodi conformatio et pronominis repetitio non tale quid nos expectare iubet, quod superioribus oppositum sit, sed quo haec quasi confirmentur et plenius exponantur. Dixerat autem antea, se Coloni adspectu Sophoclis admonitum esse, cuius rei quum duas causas huic ipsi periodo implicuisset, quod ille incola huius loci fuisset, et quod ipse magno opere illum amaret eoque delectaretur, iam nova periodo hisce duabus causis tertiam addit eamque praecipue efficacem, quod hic ipse locus praestantissimo Sophoclis carmine sub Oedipi persona celebratus sit. Itaque Colonus quum quasi repraesentaret Oedipum Sophocleum, haec ipsa Oedipi species non potuit quin etiam altiorem poetae, qui illum loquentem induxit, memoriam in Ciceronis animo excitaret. Est igitur haec *altior* memoria non memoria vetustioris temporis, quae interpre-

---

1) Ita Priscianus XVII, 4 appellat, quam Graeci grammatici δευτέραν γνῶσιν dicunt, ubi res iam ante commemorata aut cognita iterum proponitur, quod ubi fit, aut articulo aut demonstrativo pronomine notatur.

tatio ne ab usu quidem loquendi probari posse videtur, sed memoria animum penitius movens, *eine innigere Erinnerung*, quemadmodum *altior pavor* dicitur a Tacito Annal. XVI, 29. *timor altus* a Petronio c. 123.

In eodem capite mirifice ab interprete perturbata est vera sententiarum connexio in his Attici verbis: *At ego, quem vos ut deditum Epicuro insectari soletis, sum multum equidem cum Phaedro, quem unice diligo, ut scitis, in Epicuri hortis, quos modo praeteribamus, sed, veteris proverbii admonitu, vivorum memini; nec tamen Epicuri licet oblivisci, si cupiam, cuius imaginem non modo in tabulis nostri familiares, sed etiam in poculis et in annulis habent.* Convertuntur haec in hunc modum: *Aber ich — — ich bin viel mit Phaedrus — — in Epicur's Garten —; aber wie ich auch dem alten Sprichwort folgend der Lebenden gedenke, so kann ich doch des Epicurs nicht vergessen etc.* Apparet in hac conversione plane perversam esse oppositionem membrorum. Nam illud *non possum Epicuri oblivisci*, etiamsi recte opponitur huic, *vivorum memini*, non potuit tamen etiam superiori illi opponi, *sum multum equidem in Epicuri hortis*. Nam *esse multum in aliquo loco* et *non oblivisci eius, cuius ille locus est*, tantum abest ut adversetur alterum alteri, ut ipsa rei natura necessario coniuncta videri debeant, neque possit ita quisquam dicere, *esse se multum in aliquo* 5
loco, sed non posse oblivisci eius cuius ille locus est, sed ita potius dici necesse sit, aut *esse se quidem in loco, et tamen eius cuius est locus oblivisci*, aut etiam, *esse se in loco, propterea que non posse eius, cuius is est, oblivisci*. Quod autem apud Ciceronem Atticus dicit, hoc est: quum reliqui omnes se locorum adspectu ad eorum, qui olim in his locis versari soliti essent, memoriam commoveri professi sint, ipse se hanc tantam in locis vim admonitionis persentiscere negat; nam quamvis saepe sit in Epicuri hortis, vivorum tamen potius quam mortui Epicuri meminisse. Atqui, addit, nolite propterea me huius plane oblitum credere. Etiamsi enim horti illi minus me eius admonent, non possum tamen oblivisci, cuius imaginem tot locis nostri habere consueverint.

Cap. 2, § 5 interrogatus a Pisone L. Cicero adolescens eloquentiae imprimis studio deditus, quemnam ipse potissimum locum invisat, an eum, in quo summi olim oratores verba facere consueverint, *noli*, inquit, *ex me quaerere, qui in Phalericum etiam descenderim etc.* Obscuravit interpres sententiam, quum convertit, *Frage mich lieber*

nicht. Nam ita qui loquitur, ostendere videtur, nolle se interrogari, quod aut non possit respondere, aut invitus respondeat. Latine autem *noli quaerere* non secus quam *quid quaeris?* ita dicitur, si quis significare vult, rem ipsam sua sponte manifestam esse, ut quaeri de ea plane non opus sit; ubi nos dicimus: *Du brauchst gar nicht erst zu fragen.* Hinc factum est, ut usurparetur haec loquutio nonnumquam etiam ab eo, ex quo nihil ab altero quaesitum esset, quasi ad occupandam quaestionem, ubi posset non minus recte *nimirum, profecto, mihi crede* poni, veluti Cic. ad Famil. IV, 4, 3, quem locum iam ab aliis adhiberi memini: *Fecerat autem hoc senatus, ut, quum a L. Pisone mentio esset facta de Marcello et quum C. Marcellus se ad Caesaris pedes abiecisset, cunctus consurgeret et ad Caesarem supplex accederet. Noli quaerere: ita mihi pulcher hic dies visus est, ut speciem aliquam viderer videre quasi reviviscentis rei publicae.*

Sed nolo in huiusmodi rebus levioribus morari. Gravius peccatum est cap. 7, § 17, 18: *Voluptatis alii primum appetitum putant, et primam depulsionem doloris; alii censent primum ascitum non dolere, et primum declinatum dolorem; ab his alii, quae prima secundum naturam nominant, proficiscuntur, in quibus numerant incolumitatem conservationemque omnium partium, valetudinem, sensus integros, doloris vacuitatem, viris, pulchritudinem, cetera generis eiusdem.* In secundo membro utrum ita legatur, ut e Goerenziana et Orelliana scripsimus, an cum Madvigio, editore horum librorum uno omnium praestantissimo, *vacuitatem doloris alii censent primum ascitam* —, nihil nunc ad rem: sententia enim in utravis lectione eadem est, recteque ab interprete exprimitur; quamquam displicet quod posuit: *das erste Meiden, Schmerz;* quasi *declinatum* non participium sit, sed substantivum, idque non actionem declinandi significans, sed rem, quae declinatur: quo sensu profecto *declinatus* non magis a Latinis dicitur, quam *das Meiden* a Germanis eo, quo Droysenius posuit, modo. Sed in tertio membro mirum est quam multi a vero aberraverint, a quorum uno etiam Droysenius se induci passus est. Fuit enim nescio quis, qui pro *alii* — *illa* reponi vellet, idque Droysenius quin probaverit, con-
6 versio eius dubitare non sinit: *Hiervon gehen die ersten Naturgemässheiten, wie man sie wohl nennen kann, aus.* Itaque demonstrativum pronomen *ab his* ad superiora pertinere credidit, voluptatem et doloris vacuitatem, non, quo debebat, ad sequentia, *quae prima secundum naturam nominant:* quem errorem si quis fortasse eo excusandum dicat,

quod in tali generis per subsequentem enuntiationem relativam definitione demonstrativum pronomen *in iis* potius exspectandum fuerit, quum alterum *in his* ad rem ante commemoratam referri soleat, mihi *in his* nihil h. l. offensionis habere posse videtur, utpote in re nota positum, quandoquidem haec *prima natura* iis, ad quos Piso h. l. verba facit, omnibus, praeterquam uni fortasse L. Ciceroni, satis iam dudum nota erant. Illud autem plane manifestum, sententiam loci, ut a Droysenio conversus est, et alienam esse a mente Ciceronis et per se falsissimam. Nam quum *prima naturae* propterea dicantur, quoniam haec primum natura appetit, absurdum est, quod haec aliunde, a voluptate aut a doloris vacuitate, proficisci dicuntur: ita enim prima erunt voluptas et doloris vacuitas, illa autem, quae hinc proficiscuntur, secundaria. Porro nulla ratione in his rursus doloris vacuitas numerari potuit, eadem quae modo in illis posita erat, unde haec proficiscerentur. Vera autem totius loci structura perspecta recte omnia se habere intelligitur. Proponuntur enim tres diversae de primo appetitu naturali sententiae, quum alii voluptatem primum appeti statuerent, alii doloris vacuitatem sive indolentiam, alii denique haec, quae prima naturae ab iis hanc ipsam ob causam nominata sunt, quod prima appeterentur; in quibus etiam vacuitatem doloris numerari nihil mirum. Interest enim inter horum et eorum, qui secundo loco commemorati sunt, sententiam hoc, quod alteri vacuitatem doloris solam, nihilque praeterea, appeti voluerunt, alteri autem hanc tanquam partem tantummodo ponunt universi huius generis commodorum, quae primorum naturae nomine comprehendentur. Proficisci autem ab his huius sententiae auctores propterea dicuntur, quia his primis constitutis progrediebantur inde ad inveniendum bonorum finem et extremum.

Etiam proximae periodi initium: *ex his tribus quum unum aliquod sit quo primum natura moveatur* —, non recte conversum est: *da unter diesen dreien ein erstes ist.* Debebat enim ita: *da es nun Eines von diesen dreien ist, wodurch die Natur zuerst angeregt wird.* —

Paullo infra Ciceronis verba, *ex eo autem quod statuerit esse, quo primum natura moveatur, existet recti etiam ratio atque honesti, quae cum aliquo uno ex tribus illis congruere possit*, haud dubie hoc significant, recti honestique rationem, ex primo appetitu derivatam, talem esse opportere, quae cum uno ex illis tribus congruere possit, h. e. quae non pugnet cum eo, quod primum positum sit. Interpres autem, quum scribit, *die wesentliche Bestimmung von dem was recht und edel*

ist —, *welche denn mit einem von den dreien in Verhältniss treten kann*, neque vim verbi *congruere* satis exprimit, et Ciceroni hanc tribuit sententiam: constituto eo, quo primum natura moveatur, ductaque inde recti et honesti ratione, fieri posse, ut haec cum uno ex illis
7 tribus congruat. Ita loqui non potuit, nisi etiam aliter se rem habere posse credidit, h. e. posse fieri, ut recti honestique ratio cum eo, unde ducta sit, non congruat; quod apparet absurdum esse.

In proxima parte huius capitis manca haud dubie et obscura est Ciceronis disputatio. Nam postquam posuit, prout quis de primo appetitu naturae statuerit, ita etiam honestum, quippe cuius ratio inde ducenda sit, aut ad voluptatem referri, aut ad vacuitatem doloris, aut ad illa quae prima naturae nominantur, et ita quidem, ut honestum sit facere omnia unius alicuius ex his tribus consequendi causa, etiamsi id quod appetimus fortasse propter impedimenta extra potestatem nostram posita non assequamur, adiungit statim haec: *Ita fit, ut quanta differentia est in principiis naturalibus*[2]) *tanta sit in finibus bonorum malorumque dissimilitudo*. Atqui qua tandem ratione hoc ita fiat, intelligi non potest, nisi prius edocti fuerimus, esse qui finem bonorum in una honestate ponant. Debebat igitur Cicerō tale quid praemittere: *quodsi finis bonorum in honestate ponitur, quemadmodum multis placet, ita fit, ut etc.* — Non minus propter brevitatem obscura sunt quae statim sequuntur: *Alii rursus iisdem a principiis omne officium referunt aut ad voluptatem aut ad non dolendum aut ad prima illa secundum naturam obtinenda.* Nimirum omisit illud dicere, quo uno maxime ab iis, quos antea commemoravit, horum sententia dissidet. Nam referre officia aut ad voluptatem aut ad doloris vacuitatem aut ad prima naturae, hoc quidem commune est utrisque: neque hoc inter eos differt, ut alteri omnia fieri iubeant ad consequenda illa commoda, alteri ad obtinenda, quae fuerimus consequuti: nam neque illi, opinor, officio fungi eum dicunt, qui quum omnia fecerit, ut illa consequatur, obtinere, quae consequutus sit, nihil curet, neque hi ita omne officium

2) H. e. prout aut voluptas aut doloris vacuitas aut prima naturae statuuntur primum appeti. Apparet igitur alio sensu *principia naturalia* quam *prima naturae* dici. Haec sunt certa quaedam commoda, quorum primum appetitum esse Stoici et Antiochus statuerunt: illo nomine designatur, quidquid a quoquam philosopho primum appeti statuitur. Latius igitur patet principiorum naturalium nomen, suntque prima naturae his, tanquam species genere, comprehensa.

ad obtinenda prima naturae commoda referunt, ut horum consequendorum curam ab officio seiunctam velint. Sed omnino non in hoc summa rei vertitur, quo officium ab utrisque referatur, sed quem finem bonorum statuant. Hunc illi in eo ponunt, si quis omni officio ad illa commoda vel consequenda vel obtinenda constanter perfungatur: hoc enim esse honeste agere, et in hoc summum bonum consistere, etiamsi quis officio fungendo consequi illa commoda vel obtinere non possit: alteri contra pertinere ad finem bonorum existimant, ut quis ea commoda non studeat solum vel consequi vel obtinere, omneque officium eo referat, sed etiam ut ea consequatur reapse et obtineat. Paullo planius itaque Cicero rem exposuisset, si addidisset ad eam, quam supra scripsimus, periodum aliquid in hanc fere sententiam: *hanc autem si non obtineantur, expleri summum bonum non putant.* Ceterum apparet participium *obtinenda*, etiamsi formam habet ad proxima tantum verba accommodatam, significatione tamen ad haec tria, quae ante posita sunt, voluptatem, non dolendum, prima naturae, pariter pertinere. 8
Hoc plane obscuravit interpres convertendo: *Andere beziehen — — alle Pflicht entweder auf die Lust, oder auf das nicht Schmerz leiden, oder auf das Behaupten jener ersten Naturgemässheiten.*

Eodem capite quae leguntur § 20: *ne vitationem quidem doloris ipsam per se quisquam in rebus expetendis putavit, ne si etiam evitare posset,* etiamsi *ne si* pro *ne si quidem* vel *ne tum quidem si* recte dici concedatur, sententiam tamen habent adeo manifesto falsam, ut latere interpretem non debuerit. Vitationem doloris apparet esse actionem eius, qui omnia facit ad dolorem vitandum; vitatio ipsa per se expetitur, quum quis huiusmodi actionem, etiamsi effectu careat, h. e. etiamsi non reapse evitet dolorem, tamen optabilem iudicat. Dixerit igitur Cicero nihil aliud nisi hoc: *vitationem doloris quae esset sine effectu, ne tum quidem, si non esset sine effectu, cuiquam expetendam visam:* quo nihil potest absurdius esse. Ac si quis forte non ita haec coniungi debere putet, sed disiungi alterum ab altero, ut primum Cicero dicat ipsam doloris vitationem per se et sine effectu nemini expetendam visam, deinde ne eam quidem, quae non careat effectu: hoc quoque non potuisse dici, quum omnis loci contextus, tum res ipsa docet. Nam vitationem doloris effectu non carentem, h. e. evitationem vel vacuitatem doloris, summum bonum nonnullis visum esse constat, et ab ipso Cicerone paullo ante Hieronymus huius sententiae auctor nominatus est: omni autem hoc loco de iis tantum finibus loquitur, qui in

sola agendi ratione consistant, ut haec ipsa per se explere summum bonum iudicetur, effectus autem actionis haud perinde habeatur. Scribendum est igitur, *nisi etiam evitare posset:* ut haec verba, etiamsi poterant sine damno sententiae abesse, non tamen incommode addita sint, ad hoc ipsum, quod inest in vitatione doloris ipsa per se, disertius etiam declarandum. Et correxit ita iam dudum Ursinus: recepit autem correctionem etiam Bremio probatam nuper demum Madvigius.

Cap. 9, § 24. Primae periodi membra a nonnullis editoribus, quos Droysenius sequitur, perperam distinguuntur hoc modo: *Omne animal se ipsum diligit, ac simul ut ortum est, id agit, ut se conservet, (quod hic ei primus ad omnem vitam tuendam appetitus a natura datur, se ut conservet,) atque ita sit affectum, ut optime secundum naturam affectum esse possit.* Statuunt nempe, qui istiusmodi parenthesin commenti sunt, Ciceronem hoc dicere, omne animal *simul atque ortum sit* non id solum agere, se ut conservet, verum etiam ut ita sit affectum, ut optime secundum naturam affectum esse possit. Atqui hoc ipsum Cicero negat, quippe qui proxima statim periodo hoc unum initio agi ab animali dicat, se ut tueatur, qualecunque sit, non ut quam optime affectum sit: id enim procedente demum aetate paullatim accedere. Vera autem sententiarum connexio haec est, ut primum illud ponatur, unde omnis reliqua disputatio proficiscitur, omne animal se diligere, deinde ea adiungantur, quae hinc consequuntur. Consequuntur autem haec duo, primum ut se conservare studeat, deinde ut expleri naturam suam velit: hoc est enim, quod ait, ita affectum esse, ut optime secundum naturam affectum esse possit. Iam vero ex his duobus alterum, se ut conservet, tempore prius est, statimque a primo ortu apparet,
9 alterum autem, ut expleri naturam suam velit, posterius et procedente demum aetate consequitur. Posito igitur illo altero, quod simul atque ortum est animal apparet, sui conservandi studio, ne quis hoc unum, nihilque praeterea inesse in se diligendo credat, subiungit statim ad omnem huius naturalis commendationis vim declarandam utriusque studii commemorationem, et prioris illius, quod iam ante commemoratum erat, se ut conservet, et huius posterioris, quod postea consequitur, ut naturam suam expleat, sitque quam optime affectum. Deinde rursus etiam disertius haec distinguit: primo initio nihil aliud animali propositum esse, nisi ut se conservet qualecunque sit; ubi autem processerit paullum, non iam hoc satis esse, sed quaeri quae apta sint naturae, h. e. quae ad explendam naturam pertineant, efficiantque ut ani-

mal non modo conservetur in suo statu, sed perveniat ad perfectionem sitque quam optime possit secundum naturam affectum. Continetur autem utrumque prima illa commendatione naturae, qua se quisque diligit [3]). — Ita omnia satis plana sunt, et apparet parenthesin nullam esse.

In eodem capite § 25 peccatum a librariis esse arbitror unius particulae permutatione. *Quoniam autem sua cuiusque animantis natura est, necesse est finem quoque omnium hunc esse, ut natura expleatur. nihil enim prohibet, quaedam esse et inter se animalibus reliquis, et cum bestiis homini communia, quoniam omnium est natura communis. sed extrema illa et summa, quae quaerimus, inter animalium genera distincta et dispertita sunt et sua cuique propria et ad id apta, quod cuiusque natura desideret.* Uniuscuiusque ex his tribus membris sententia plana est et perspicua, neque oppositionis ratio, quae inter secundum ac tertium membrum intercedit, quemquam fallere potest. Sed qua ratione primo membro secundum per causalem particulam *enim* adiungi potuerit, non intelligo. An forte propterea omnium animalium finis hic est, ut natura expleatur, quoniam quaedam iis inter se communia sunt? — Scribendum est haud dubie, *nihil etiam prohibet.* Hae particulae *etiam* et *enim* quam saepe a librariis permutatae sint, Drakenborchius docere poterit ad Liv. 46, 41, 3.

Cap. 12, § 35. *Corporis igitur nostri partes totaque figura et forma et statura quam apta ad naturam sit, apparet: neque est dubium, quin frons, oculi, aures et reliquae partes quales propriae sunt hominis*

3) Conf. cap. 11, § 33: *Iure igitur gravissimi philosophi initium summi boni a natura petiverunt, et illum appetitum rerum ad naturam accommodatarum ingeneratum putaverunt omnibus, qui continentur ea commendatione naturae, qua se ipsi diligunt.* Sic vulgo scribitur, *continentur*, et contineri prima commendatione naturae eos dici volunt, ad quos ea commendatio pertinet, h. e. qui ea reguntur et impelluntur. Verum ita inepte hi tanquam una pars omnium designarentur, quam tamen nemo sit omnium ad quem ea commendatio non pertineat. Hoc sentiens Davisius pro *qui-quia* scribendum esse coniecit, idque nuper a Madvigio receptum est. Sed ne sic quidem locum sanum esse arbitror. Nam *contineri* prima commendatione homines non alio sensu latine dici posse iudico, nisi ut ea *coerceri, cohiberi, frenari* dicantur, quod alienum esse apparet. Scribendum itaque *qui continetur*, ut relativum referatur ad illum appetitum rerum ad naturam accommodatarum, qui sane continetur prima commendatione naturae, h. e. quem haec in se habet et complectitur, eiusque fons et causa est. Nam propterea quod se quisque diligit, fit ut ea appetat, quae pertineant ad naturam explendam.

intelligatur. Ex Droysenii conversione alterius membri, *und unbedenklich wird man das auch in dem Antlitz, den Augen, Ohren und den übrigen Theilen, wie sie in dieser Art dem Menschen eigenthümlich sind, erkennen*, apparet eum e superiore membro verba, *quam apta ad naturam sint*, subaudienda etiam ad verbum *intelligatur* putavisse. Itaque eandem sententiam habemus bis a Cicerone propositam, primum, apparere quam aptae ad naturam corporis nostri partes sint, deinde, non dubium esse, quin intelligatur quam aptae sint: neque quidquam interest inter haec duo membra, nisi quod in altero partibus universe positis tota corporis figura, forma, statura adiungitur, quae partium compositione constant, in altero autem aliquot partibus singulatim enumeratis reliquae in universum adduntur. Mirifica porro et plane incredibilis forma orationis, quae, postquam alicuius novae sententiae expectationem fecit, non hanc solum expectationem destituit, sed ne constructionem quidem verborum plenam et integram habet, ut intelligi per se sola possit. Ita non modo Ciceronem, sed neminem prorsus scripturum fuisse credo. Unius autem litterulae mutatione et structura integra et sententia non incommoda evadit. Scribendum est, *quales propriae sint hominis*, (non *sunt*). Ita haec duo a Cicerone dicuntur, primum, corporis nostri partes omnes earumque compositionem aptam esse ad naturam; deinde, intelligi h. e. persentiri a quolibet, quales partes propriae sint hominis, h. e. quales esse eas conveniat, quas proprias hominis, vel proprie humanas dicamus. Scilicet quoniam antea in universum partes corporis ad naturam aptas dixit, sunt autem in multis saepe hominibus etiam non aptae, quum aliqua pravitate aut distortione aut imminutione a natura recesserunt, ideo addendum sibi illud alterum putavit, quo significaret, se de iis tantum loqui, quae propriae hominis sint vereque humanae, quae quales sint, haud dubie a quolibet sua sponte intelligatur.

Cap. XIII, 38: *Etenim omnium rerum, quas et creat natura et tuetur, quae aut sine animo sunt aut non multo secus, earum summum bonum in corpore est.* Convertit Droysenius: *Denn für alle andern von der Natur erzeugten und erhaltenen Dinge*—. propterea, ut arbitror, quia opponuntur postea his et bestiae quaedam, in quibus insit aliquid simile virtutis, et homo, in quo summa omnis animi sit, quae oppositio flagitare videbatur, ut in primo membro non *omnes res* ponerentur, sed eae tantum, quae praeter illas bestias et hominem a natura creentur, h. e. *ceterae res*. Atqui ille genitivus *omnium rerum*

partitivus est, totum significans, deinceps in partes suas distribuendum; sunt autem hae partes primum, eae res, quae sine animo sunt aut non multo secus; deinde bestiae quaedam generosioris indolis, denique homines. Poterat igitur Cicero etiam in hunc modum scribere: *Etenim ex omnibus rebus, quas et creat natura et tuetur, quae — earum —*. Relativum pronomen demonstrativo, ad quod refertur, praemitti usitatum est, et hoc loco aptissime factum.

Cap. 15, § 43. *Parvi virtutum simulacris, quarum in se habent semina, sine doctrina moventur.* Sunt simulacra virtutum eae animorum affectiones, quae quum vere virtutes vocari non possint, similes tamen virtutibus sunt. Nam virtus quae vere dici possit, non existit 11
nisi ratione perfecta; in iis autem, quorum nondum perfecta ratio est, adumbratur tantummodo virtus, estque aliquid simile virtutis, non autem ipsa virtus expressa. Similiter de Offic. I, 15, 46: *vivitur non cum perfectis hominibus planeque sapientibus, sed cum iis, in quibus praeclare agitur si sunt simulacra virtutis.* estque haec significatio adeo aperta, ut vix videatur quemquam latere potuisse. Convertit tamen interpres *Vorbilder der Tugenden*, ut aut *simulacra* pro *exemplis* accepisse putandus sit, aut diversam germanicae voci significationem tribuisse ab ea, qua usurpari ab omnibus solet: quod si fecit, improbandum est magnopere. Nam nemo istam interpretationem legens non aliud a Cicerone dictum credet, quam quod vere dictum est.

Sed haec quidem hactenus: plura enim quominus addamus, tempore excludimur. Restat igitur, ut Vos, Commilitones, ad feriarum otium salubriter et cum fructu usurpandum dimittamus, quo mox refectis viribus recreatisque animis novum scholarum curriculum impigre nobiscum ingrediamini. Valete.

Scrib. Gryphiswaldiae a. d. III. Kal. Sept. MDCCCXLI.

DE VOCE AUCTOR.

3 Quod in quotidiano sermone dici solet, vera non semper veri similia, similia veri non semper vera esse, id in nulla studiorum nostrorum parte frequentius experientia comprobatum videmus, quam in ea, quae in originibus vocabulorum versatur indagandis, qua in re quum olim plerique certa veri inveniendi via et ratione prorsus ignorata id unum sequi solerent, quod speciem aliquam et similitudinem veri habere videretur, incredibile dictu est, quam multae vocabulorum origines excogitatae diuque pro veris habitae sint, quas qui recte et ex artis legibus examinet, statim falsissimas esse agnoscat: contraque nunc ab etymologis multa proponuntur, quae quum imperitissimus quisque incredibilia esse confidentissime clamitet, periti vera esse non credant tantum, sed planissime ac certissime intelligant. Etenim hac demum nostra aetate, vetere illa opinandi et hariolandi temeritate remota, artis, quae vere dici possit, etymologicae solida fundamenta poni coepta sunt, quae quum non aliunde nisi ex plurimarum linguarum inter se cognatarum accurata comparatione peti posse constet, nemo se in hoc studiorum genere operae pretium facere posse intelliget, nisi qui se idonea, hoc est accurata et subtili earum linguarum, quae in comparationem vocandae sunt, scientia instructum esse videat: ceteri, si sapient, uti potius iis, quae a peritis inventa acceperint, quam ipsi in hunc campum descendere cum errandi et labendi periculo malent. Nos quidem in huiusmodi rebus non tam turpe putamus multa nescire, quam stultum, si quis arbitretur se scire quae nec sciat nec scire possit. Interim sunt etiam in hoc genere non aeque omnia ardua et a vulgari captu remota: multa in quibus non tam diffusa ista plurimarum linguarum cognitione, quam sobrio iudicio opus sit, ut aut verum inveniatur aut quod falsum sit certis rationibus confutetur. Horum unum hoc loco

tractare decrevimus, vocabulum *auctor*, de cuius vel significationum multitudine uno genere comprehendenda et per species commode digerenda, vel stirpe atque origine, unde simul ipsum quasi corpus et forma vocabuli, simul primitiva significatio commode repetatur, diversissimae adhuc fuerunt doctissimorum virorum sententiae: nos utrum veram rationem perspexerimus, an errorem errori addamus, peritorum esto iudicium. Ac primum quidem quod ad formam vocabuli attinet, *auctor* rectius quam *autor* scribi nunc quidem satis inter omnes constat quum propter codicum optimorum et vetustissimorum consensum, tum propter titulorum testimonia, quae palatinam litteram antiquitus vocabulo insitam fuisse demonstrant, licet posteriore tempore et in noviciis linguae latinae filiabus evanuerit, itidem ut in *actus* — *atto, tractare* — *trattare, vectura* — *vettura* aliisque id genus quam plurimis [1]). Quodsi *auctorem* veteres dicebant, non *autorem*, haec 4
ipsa forma vocabuli minus probabilem facit eorum sententiam, qui stirpem eius in graeco pronomine αὐτός sibi invenire visi sunt: nulla enim ratio excogitari potest, quamobrem *c* littera addita sit; nisi si quis veteres falsa originatione deceptos, quum ab *augendo auctorem* dictum statuerent, huic stirpi pronuntiationem accommodasse dicat [2]). Gravius hoc est, quod isti originationi omnis analogia repugnat. Neque enim unquam ex graeca terminatione ōς vel ōϱ, quemadmodum Aeoles et Dorienses nonnulli pronuntiabant, latinam ōr, ōris extitisse videmus, neque nomen fieri, quod pronomen est, neque omnino posse hoc fieri iudicamus, propter diversam utriusque verborum generis naturam atque indolem. Quodsi quis fortasse latinum *autor* non quidem illud ipsum graecum αὐτόϱ esse dicat, sed ex eadem tamen stirpe procreatum, hunc quoque nihil dicere censemus. Quippe dubitari non potest, quin pronominis αὐτός duae stirpes sint, altera αὖ particula, altera τō, demonstrativi pronominis radix [3]), quarum neutra latino nomini ullo

1) Hispanicam linguam excipit Ballhorn-Rosen. *de dominio* p. 246, provocans ad vocabula *actor*, *lector*, *rector*, quae latinam formam immutatam servarunt. Sed haec etiam apud Gallos c̄ litteram non amittunt: contra *matar* Hispani dicunt pro *mactare*, et *matador*, ut opinor, non *mactador* ab ipso Ballhornio dici solet. Item *tratar* dicunt pro *tractare*, et *fruto* pro *fructu* et *luto* pro *luctu*. Itaque ex eo, quod ab Hispanis *autor* dicitur, nequaquam consequitur, etiam a veteribus Latinis ita dictum esse.

2) Haec fuit Beieri sententia, excurs. ad Cic. fr. or. pro Tullio etc. p. 245.

3) Conf. Hermann. de pronomine αὐτός, opuscul. tom. 1. p. 308; quamquam

modo convenit. Quod vero ad graecum nomen *αὐθέντης* (*αὐτοέντης*) provocant, quod a juris scriptoribus nonnunquam eodem sensu quo latinum *auctor* dicitur, apparet, opinor, *αὐθέντην* pro auctore usurpari nunquam potuisse, si inesset sola illa pars, quam communem latino vocabulo cum graeco esse putant, neque adiuncta esset altera, cuius in latino vocabulo nullam vestigium est. Alii ad *αὐτώρης* confugerunt[4]) rarissimi usus et incertae originis vocabulum, cuius unum auctorem habemus Scholiasten Pind. Pyth. IV, 107, qui ut explicet quod Battum Pindarus *μελίσσας Δελφίδος αὐτομάτῳ κελάδῳ* excitatum dicit, haec habet: *οὐκ ἠρωτήθη γὰρ παρὰ τοῦ Βάττου περὶ τῆς ἀποικίας ἀλλὰ περὶ τῆς φωνῆς, ἔνθεν καὶ αὐτώρης ὁ τρίπους. Καλλίμαχος· αὐτώρης ὅτε τοῖσιν ἐπέφραδε. καὶ τότε αὐτώρης ἡ μάντις λέγεται, ὅταν βουλευομένου τινὸς, περὶ ὅτου μὴ ἥκει μαντευσόμενος ἀπαυτοματίζῃ.* Erit igitur *αὐτώρης* qui sua sponte respondet quod non interrogatus est; auctores plerumque interrogati, saepenumero etiam inviti fiunt. Ceterum qui illud *αὐτώρης* arripuit, Beierus ad Cic. fr. or. pro Tullio p. 246, hac se imprimis ratione permotum dicit, ut graecam potius quam latinam nominis originem crederet, quod ceterorum nominum latinorum in *tor* a verbis ductorum nulla substantiva sint in *oritas*, quemadmodum ab *auctor auctoritas*. In quo hoc sane mirandum est, in una re, leviore haud dubie, tantum analogiae tribui: in eo contra, ubi maxime animadvertenda erat, prorsus eam sperni. Restat igitur illa originatio, qua nihil veri similius inveniri posse videtur, ut *auctorem* ab *augendo* dictum esse statuamus, sicut *actorem* ab *agendo*, *doctorem* a *docendo* et similia. Itaque haec sententia et veteribus quibusdam placuit, et recentioribus plerisque omnibus probatur: neque nos eam prorsus spernendam fuisse censemus, quum ad eum qui auget significandum illud ipsum nomen verbale a verbo *augeo* existere ex legibus analogiae
5 consentaneum fuerit: sed vix tamen fieri posse arbitramur, ut, si *auctorem* proprie non alium esse dicamus, quam *qui augeat*, cum hac primitiva significatione reliquae omnes, quae admodum variae sunt, commode concilientur. Ii certe, qui adhuc omnium consensu optime

---

hic minus recte, ut arbitror, *αὐτός* ex adverbio *αὖτε* ortum esse dicit. Nempe hoc ipsum adverbium *αὖτε* ortum est ex *αὖ* cum illa radice demonstrativa, quae in adverbiis *τέ*, in pronominibus *τός* fit, unde etiam *οὗτος* ex *ὁ-τός*, non ex *ὅτε*.

4) Ballhorn-Rosen *de dominio* p. 250.

in hoc negotio versati sunt, Lünemannus et Voigtlaenderus, tantum abest ut nobis satis fecerint, ut ne illam quidem ipsam quam primitivam esse volunt significationem satis recte aut perspexisse aut demonstrasse videantur. Proficiscitur Voigtlaenderus a Ciceronis loco pr. Sest. c. 66, §. 138, ubi *qui rem publicam sustinent*, ii praedicantur *auctores* et *conservatores* civitatis: quorum aemulis gloriae *de Offic.* II, 24, 85 praecipitur, ut quibuscunque rebus vel domi vel belli possint, rem publicam *augeant*. „Auctor igitur," addit, „proprie is est, quem nostrates prisco vocabulo appellant *den Mehrer*, e. g. *des Reichs* [5])." — Vult ergo auctorem civitatis eum dici, qui civitatem commodis augeat; eamque sententiam poterat etiam iis verbis stabilire, quibus Cicero in Sestiana paullo ante illum locum utitur, quum optimatibus inter alia hoc tribuit, ut plebis libertatem et commoda tueri atque augere velint. Tamen vereor equidem ut Ciceronis mentem recte assequutus sit, quandoquidem aliis locis eadem ista loquutio ita usurpatur, ut augendi significatio nulla subesse videatur, veluti pro Flacco cap. 15, ubi Asclepiades quidam Acmonensis, qui, quum ipse solus, civium suorum, ut aiebat, nomine, testimonium in Flaccum dixisset, laudationem Acmonensium publicam elevare conatus erat, propter hanc causam cum irrisione *praeclarus auctor suae civitatis* dicitur, h. e. is cui de civitate sua recte fides haberi possit. Item Cicero ad Atticum VIII ep. 2 de relicta a Pompeio urbe loquens, *mihi* inquit, *nihil ulla in gente unquam ab ullo auctore rei publicae ac duce turpius factum esse videtur, quam a nostro amico factum est,* ubi auctorem rei publicae eum dicit, cuius fidem cives in administranda re publica sequuntur. Alias loquutiones, in quibus auctor ita dicitur, ut neque ipsam illam augendi et amplificandi significationem habeat, neque aliquam huic coniunctam et hinc repetitam, non opus est nunc a me commemorari: sunt enim plurimae et nemini ignotae. Atque hae ipsae in causa fuerunt, ut verbo *augere* non haec solum quam omnes agnoscimus amplificandi et in maius provehendi, sed gignendi etiam et producendi significatio tributa sit, quo scilicet *auctor* etiam procreator, genitor, effector dici possit. Hanc autem gignendi s. producendi significationem manifestam fieri volunt eo, quod *augeri* ipsumque activum *augere* intransitive usurpa-

5) Hanc nominis significationem in eodem illo Ciceronis loco etiam Ballhornius agnoscit l. l. p, 248: sed is *auctorem* et *autorem* diversae et significationis et originis esse vult.

tum idem saepenumero sit, quod *crescere*, *crescere* autem et *creari* arctissime inter se coniuncta sint. Nimirum *crescere* pertinet ad vim illam genitricem et creatricem, quae quas res progenuit, in his etiam postea permanet et continuae perfectionis illiusque, ut cum Lucretio loquar, auctifici motus causa existit, quo fit ut res alantur atque augeantur: neque tamen propterea idem esse dicemus *crescere* et *creari*. Et quum quae crescunt et aluntur, haec maiora fiant et augeantur, necesse quidem est augeri et crescere permutari saepenumero inter se posse, nulla tamen ratione hinc consequitur, *augere* quia sit maius *facere*, *alere*, propterea etiam idem esse quod *creare* s. *gignere*. Quem autem locum citant Lucretii V, 323: *nam quodcunque alias ex se res auget alitque*, huius loci sententia, etiamsi patitur istam gignendi significationem, nequaquam tamen flagitat: potuit sane dici *quodcunque* — — *gignit alitque*; potuit autem non minus *nutrit alitque*: quemadmodum *auctiferas terras* Cicero dixit ap. Augustin. de C. D. V, 5, ubi potuit
6 sane *genitrices* dicere: verum dixit *altrices* ad exemplum *γῆς πουλυβοτείρης*. Itaque ut *augere* i. q. *alere* ita *auctorem* quoque *altorem* significare posse concedimus. Iam vero hinc ad alteram illam procreandi et producendi significationem, quam in auctoris nomine inesse volunt, pervenire poterant hoc modo, ut ostenderent *ali* etiam eas res dici, quae ex occultis et absconditis initiis paullatim increscunt et in lucem adspectumque prodeunt, ideoque auctorem s. altorem, si is sit, qui alendis augendisque initiis rem in lucem producat, non absurde quasi productorem et procreatorem rei haberi posse. Quodsi quis hanc rationem adhibendam censeat illis locis interpretandis, ubi vulgo auctor pro conditore et procreatore accipitur, nos non intercedimus: monemus tamen ne falsa specie deceptus huc trahat, quae reapse diversa sunt: velut apud Vergilium Georg. I, 26: *te maximus orbis Auctorem frugum tempestatumque potentem Accipiat* — *auctorem* plerique *creatorem* esse volunt, quae sane accommodatissima huic loco explicatio est. Sed Manilius tamen I, 393 Vergilium haud dubie imitatus, *Caesar*, inquit, *nunc terris, post caelo maximus auctor*. ubi apparet *auctorem* pro *moderatore* dictum, eaque interpretatio haud scio an apud Vergilium quoque verior sit. Ceterum exiguus est illorum locorum numerus prae maxima multitudine eorum, in quos ista interpretatio nullo modo quadrat; velut quum Pythagoram Horatius Od. 1, 28, 14 *auctorem naturae verique* dicit, quia de natura veroque praecepta dedit, aut Caecilium Cicero ad Att. VII, 3 extr. *malum auctorem Latinitatis*,

quia pro exemplo latine scribendi esse non potuit, aut *auctorem beneficii populi Romani* pr. Mur. c. 2. non eum qui beneficium tribuit, sed qui tributum a populo praestat et tuetur, aut *auctorem doloris* pro Flacc. c. 20 non qui creavit dolorem, sed qui testatur atque profitetur, denique quum venditores, testes, fideiussores, comprobatores alicuius rei auctores dicuntur, haec atque talia non intelligo profecto, qua ratione cum ista vel augendi vel alendi vel producendi significatione apte componi possint, eoque minus me hoc intelligere profiteor, quo saepius eorum disputationes perlegi, qui illa omnia conciliare et e communi quasi fonte significationis derivare conati sunt. Quamobrem eam nominis originem, quae mihi probabilis videri solet, non verebor proponere. Est enim, mea sententia, *auctor* ab eadem stirpe declinatum, unde est *aio* [6]). Scilicet non ab hoc ipso verbo *auctorem* dictum volo, quasi *aitorem*, sed hoc dico, arctissimam esse horum verborum inter se cognationem, neque absurdum est statuere, ipsius verbi *aio* vel *aiio*, ut a veteribus ipsoque adhuc Cicerone scribi solitum Quinctilianus auctor est I, 4, 11; in vetusta lingua latina etiam aliam formam fuisse, priore syllaba in diphthongum *au* producta, *auio* v. *augo*, itidem ut apud Graecos $\overline{\alpha}$ et $\overline{\alpha\upsilon}$ stirpes congeneres sunt, et huic alteri accedit gutturalis aspiratio χ, ut fiat $\overline{\alpha\upsilon\chi}$, unde αὐχέω, quod et ipsum nonnunquam eodem sensu dicitur, quo latinum *aio* [7]). Quid quod apud Latinos quoque āū pro ā comparet in *autumo*, quod non dubium est, quin ex *auto* (*āito*) ortum sit, ut *negumo* a *nego* [8]): nam quod Beierus graecum verbum αὐτομῶ comminiscitur, unde *autumo* a Latinis factum sit, nemini, opinor, persuadebit. — Est igitur *auctor* primitiva significatione is, qui aliquid ait atque affirmat. Plus autem esse *aio* quam *dico* nemo ignorat: inest enim in illo primum haec ipsa affirmandi significatio, qua opponitur 12
verbo *nego:* deinde maxime solet de iis dici, qui aliquid quasi suo iure, velut pro potestate et imperio, aut cum fide quadam et gravitate elo-

6) Sanscr. *ah.* Goth. *aika.*

7) Conf. Blomfield. gloss. Aeschyl. Prometh. v. 710, qui rectissime αὐχέω, *inquit, est proprie confidenter dico.* Assentitur mihi A. Fleckeisenius, Zur Krit. d. altlat. Dichterfragm. bei Gellius p. 8, et ad explicandam gutturalem aspirationem affert Sanscr. radicem *ah:* nam h in χ abiisse eodem modo, quo μιχ in ὀμίχω e Sanscr. *mih* extiterit.

8) Festus h. v.: *negumate in Carmine Cn. Marcii vatis* (de quo cf. Davis ad Cic. de divin. 1, 40) *significat negate, quum ait: Quamvis moventium duonum negumate.* Nulla ratione Scaliger *negunate* aut *neginate* scribendum suadet.

quuntur, denique qui id dicunt, quod praestare possint ac velint. Ita dicitur e. c. de eo, qui iuris sui persequendi causa actionem alteri intendit, in formula notissima *aio te mihi dare (facere) oportere*, ap. Valer. Prob. de not. p. 1453 Gothofr. et in illa altera apud Ciceronem pro Mur. c. 12 et Gaium IV, 16: *hunc ego hominem ex iure Quiritium meum esse aio*, porro de magistratibus, de imperatoribus, senatu, quum quid edicunt et praecipiunt, ut *aiunt aediles* Dig. XXI, 1 fr. 1 §. 1 et passim; *praetor ait* ib. XXXVIII, 14 fr. 1 pr. *senatus ait* ib. 17 fr. 1 §. 12. *ait divus* Traianus ib. XLIX, 14 fr. 16. *ait lex* ib. XXIV, 3 fr. 64 §. 6. Hinc etiam de prudentibus, qui de iure praecipiunt ac respondent, velut *ait Vivianus* Dig. XXI, 1 fr. 1 §. 9 et 10. *Pomponius ait* ib. fr. 4 §. 2 et 3. Cf. fr. 6 pr. et §. 1. fr. 8. 9. 10 aliaque innumerabilia. Neque hic praetermittendae sunt quotidiani sermonis formulae *ain tu, ain tandem, ain vero,* quarum sententia est *certene dicis, itane dicis, ut fides tibi habenda sit, ut praestare quod dicis possis?* — Itaque consentaneum est *auctorem* quoque eum vocari, qui quod dicat praestare velit ac possit, vel cui dicenti fidem habemus aut obtemperamus; et plurimis locis nihil prorsus interest utrum *ait* dicas an *auctor est* e. g. Liv. II, 48: *auctores sumus tutam maiestatem populi Romani fore* h. e. aimus, pollicemur, spondemus. Id. IV, 26: *sunt qui male pugnatum auctores sint.* h. e. aiant, affirment, testentur. Terent. Adelph. V, 8, 16: *idne estis auctores mihi* h. e. idne aitis, iubetis? Ex hoc autem fonte omnes vocabuli significationes, quamvis variae videantur, commodissime derivari possunt. Ac primum quidem si auctor is est, qui dicit quod praestare velit ac possit, et cui dicenti fides habenda sit, apparet quam recte fideiussores, sponsores, testes, doctores et praeceptores, suasores et impulsores eodem hoc nomine appellentur, cuius rei exempla congerere nihil attinet, quum e lexicis a quolibet peti possint. Sed huc referenda est etiam veteris iuris formula apud Valerium Probum p. 1476: *Quando in iure te conspicio, postulo an fias auctor* h. e. an aias et praestare velis quod obligatus es [9]). Item quod Festus docet s. v. *manceps, auctorem emptionis* (in vectigalibus rei publ. conducendis) eundem ac praedem esse, quia debeat praestare populo quod promiserit. Atque hoc sensu Plancius pater a Cicerone pro Planc. c. 13 *maximarum societatum auctor* fuisse dicitur, quam loquutionem non debebat Wunderus cum Ernestio ita explicare, ut auctorem diceret esse

9) Conf. Branchu Obss. Dec. II c. 15 p. 89.

consiliarium, cuius consiliis in maximis rebus uterentur. — Nec vero mirum est, etiam paullulum dilatata significatione eos nonnunquam *auctores* vocari, qui non verbis et aiendo, sed alio quocunque modo fidem nobis faciunt aut ad obtemperandum nos permovent, veluti Plautus dicit Trin. 1, 2, 70: *rem tibi auctorem dabo* h. e. rem tibi dabo cui fidem habeas, et Cicero de divin. 1, 15: *sibi eas aves, quibus auctoribus officium et fidem sequutus esset, bene consuluisse* h. e. quibus impellentibus, et ad Att. VII, 3 *malus auctor Latinitatis,* h. e. cui non recte fidem habeas, cuius exemplum non recte sequaris. Porro *auctores rei publicae* erunt, quorum verbis et consiliis in re publica obtemperari solet, h. e. principes, duces, moderatores, quemadmodum a Cicerone haec coniunguntur pro Sest. cap. 66: *ii principes, ii duces, ii auctores huius ordinis habiti sunt,* et eo quem iam supra adscripsimus loco ad Att. VIII, 2: *ab ullo auctore rei publicae ac duce.* — Deinde quum illa aiendi significatio etiam in eum con- 8
veniat, qui quod ab altero fit consensu suo comprobat ratumque habet, hunc quoque *auctorem* dici nemo mirabitur. Ita Paullus libro VIII ad Sabinum, Dig. XXVI, 8, 3: *quum se probare dicit id quod agitur; hoc est enim auctorem fieri,* eoque sensu imprimis patres saepenumero *comitiorum auctores* dici vulgo notissimum est. — Item quum quis aiendo obligatur in negotio quocunque contrahendo, hic quoque *auctor* esse dicendus erit: quemadmodum apud personatum Ciceronem pro domo c. 29: *te esse interrogatum, auctorne esses ut in te P. Fonteius vitae necisque potestatem haberet.* Ita qui ad gladium se ipsi mancipant, auctores fiunt lanistae, scil. ut potestatem in se habeat[10]): quam ob rem hi homines *auctorari* dicuntur, et quum dimittuntur *exauctorari*, id quod postea etiam ad militiam translatum est. — Postremo quum in veteribus legibus *auctoritas* eo sensu dicatur, ut ius dominii vel potius ius vindicandi[11]), quod cum dominio coniunctum est, significet, velut quum dicunt *adversus hostem aeterna auctoritas esto* h. e. ab hoste rem semper vindicare liceto, et *usus auctoritas fundi biennium*[12]) h. e. ius vindicandi in fundo per biennii

10) Conf. Schol. ad Horat. II Sat. 7, 59. Intt. ad Petron. c. 117. Lips. Saturn. II, 5. Schulting ad Mos. et Rom. leg. coll. IV, 3 p. 746.

11) Conf. Alciat. ad Dig. L, 16 fr. 115. Opp. tom II p. 1166.

12) Magnus est virorum doctorum dissensus de vera horum verborum tum lectione tum interpretatione. Nos posuimus quod unum ratio postulare nobis vi-

possessionem capitor (nam *usus auctoritas* est *auctoritas usu capta*): et in lege Atinia apud Gellium N. A. XVII, 7: *quod subreptum erit, eius rei aeterna auctoritas esto* h. e. hanc semper vindicare liceto, dubium esse non potest, quin *auctor* quoque antiquitus is dictus sit, qui hanc auctoritatem haberet h. e. cui *rem vindicare* liceret. Scilicet in hoc ipso, quod vindicat, posita est illa aiendi significatio, quum qui vindicat rem suam esse aiat. — Iam si dominus rem vendit, etiam emptoris *auctor* dicitur, quatenus eam contra alium quemcunque emptori vindicare et tueri paratus est: quae significatio *auctoris et auctoritatis* in iure omnium frequentissima est[13]). Sed haec quoque latius paullatim patere coepit, ut auctor dicatur alterius is esse, unde ius aliquod in alterum transiit et qui illud praestare possit, quemadmodum *auctor accensi* ab Ammiano Marcellino XVI, 7 dicitur, qui illum accensum fecit, et *auctor Iuliani Constantius* ib. XXI, 10, qui Iulianum Caesarem dixerat[14]): neque mirabimur etiam de iis hoc nomen usurpari, qui quod ius ab iis in alterum transiit, ipsi aiendo tueri et praestare non possunt, velut *heredis auctor* dicitur, a quo is hereditatem et ius suum accepit[15]). Atque hinc fortasse factum est, ut auctor in universum is dicatur, ad quem alicuius rei causa et origo refertur, primitiva nominis significatione prorsus obliterata, velut *auctor generis, auctor sanguinis* pro *genitore, auctor urbis* pro *conditore* aliaque huius generis complura. Quod si quis hoc probet, non opus erit ne ad hanc quidem nominis significationem explicandam aliam originem circumspicere, quam quae a nobis proposita est.

Scrib. Gryhiswaldiae a. d. III. Cal. Mart. MDCCCXXXIV.

---

debatur: ceterorum sententiae vel e Dirksenii libro praestantissimo de XII tabb. vel ex iis, quos Beierus l. l. p. 248. sq. citavit, cognosci poterunt: ipsi quominus haec accuratius persequamur huius scriptionis ratio vetat.

13) Quod fuerunt qui *emptorem* quoque *auctorem* dici putarent, eum quidem, qui plus licitando et pretium augendo rem sibi acquireret, verbo commemorasse satis est. Futilem errorem dudum alii refutarunt. Vid. Duker. de latinit. Ict. vett. p. 250 ed. Lips.

14) Conf. Casaub. ad Spartiani vit. Adrian. c. 10.

15) Conf. Schulting. ad Cod. Hermog. tit. XI. §. 1. p. 716.

DE VOCIBUS MEDDIX TUTICUS.

Perlustrare nuper coepimus Oscae linguae monumenta a G. F. 3
Grotefendio V. C. duabus tabulis descripta additisque commentariis partim illustrata, partim, ut nobis quidem videtur, etiam obscurata[1]): quorum contemplatio quum magis quam fore putaveramus ac diutius nos tenuerit, simusque nunc quum maxime in iis defixi, indidem etiam huius scriptionis argumentum sumere placet, non quo iam nunc aliquid, quod operae pretium sit, afferri a nobis posse credamus, sed quia piget hoc tempore, depositis quae in manibus sunt, aliam scribendi materiam circumspicere. Quodsi cui haec leviora videbuntur, non intercedemus profecto; sed facilem tamen et paratam nobis excusationem fore speramus ab ipso horum libellorum academicorum genere, quibus post exantlatos semestres labores relaxandi et reficiendi animi causa novo laborum curriculo proluditur. Ac ne prorsus tamen haec nostra prolusio ab eorum quorum nomine editur personis abludat: sicut summum universitatis nostrae magistratum hae paginae praescriptum habent, ita nos nunc de summo Oscarum universitatum magistratu verba facturi sumus. — Erat is *Meddix tuticus*, quod nomen, dudum Livii et Festi testimoniis notum, aliquoties in Oscis inscriptionibus legimus, quamquam non eodem ubique modo scriptum. Nam in Veliterna quadam inscriptione[2]) *Medix* est, plane ut apud Livium codices meliores habent[3]): in tabula Bantina semper *Meddis* legitur, s

1) Rudimenta linguae Oscae ex inscriptionibus antiquis enodata. Scr. Dr. G. F. Grotefend. Hannov. MDCCCXXXIX. 4.

2) Hanc e Museo Borgiano Lanzius in *Saggio di lingua Etrusca* II, p. 616 publicavit, Grotefend. repetiit in Rudim. lingu. Umbricae part. I p. 22.

3) Lib. XXIII, 35, 13. XXIV, 19, 2. XXVI, 6, 13. Deteriores libri *Medio-*

pro *x* littera posita et *d* geminata, licet in vocibus *medicim, medixud, medicat*, quas cum illo cognatas esse merito suspiceris, *d* simplex compareat. *Meddiss*, utraque littera geminata, legitur in abaco Herculanensi Oscis litteris inscripto apud Grotef. tab. II, 1 B., itemque in cippo
4 sepulcrali apud eundem ib. 3. *ΜΕΔΔΙΕΞ* graece scriptum est in titulo Mamertino Messanae reperto, apud eundem p. 21: denique *Meddix* apud Festum p. 123 ed. O. Muell., ubi qui affertur Ennii versus „*summus ibi capitur meddix, occiditur alter*“ si non iisdem litteris scriptum vocabulum, at certe productam utramque syllabam a poeta demonstrat. Veriorem autem esse eam terminationem vocabuli, quae habet litteram *x*, et *s* vel *ss* a Bantinis aliisque tantum ob fugam *vastioris litterae*, ut Cicero ait, usurpatum, ex iis, quae de origine vocabuli perspicere nobis videmur, probabile fit. Ac stirpem quidem eius eandem esse, quam Graecae vocis μέδων, Homerici ἡγήτορες ἠδὲ μέδοντες iam dudum plerisque persuaserunt [4]). Qui enim aptius rerum publicarum moderatores quam a curando et consulendo appellari potuerunt? Quae si non fallax est veri species, eiusdem stirpis est Oscum vocabulum, cuius sunt Latina *mederi* et *meditari*, quorum alterum, quum primitus haud dubie nihil aliud esset quam *curare* vel *consulere*, postea demum angustiore significatu de morbis potissimum curandis usurpari coepit, unde facili transitu in *sanandi* significationem abiit, plane ut noster quoque sermo vernaculus eo verbo, quod de Latino *curare* ductum est, pro illo uti consuevit, quod *sanare* significat, perinde ac si idem esset *curare* morbos et *sanare;* quamquam experti plurimum interesse contendunt, et tanto plerumque difficilius aegrotos sanari, quanto studiosius a medicis curentur [5]). Sed huius ipsius nominis *medici* Oscum vocabulum, si de origine eius verum vidimus, geminum ac prorsus idem esse apparet. Nam quum pariter utrumque proprie curatorem significet, tum formam etiam Oscam *medix* per syncopam eius quod est *medicus* ortam esse planissimum inde fit, quod etiam pro altero vocabulo *tuticus*, quam formam Livius et Festus produnt, *tutix s. tovtix* eadem syncopa in abaco Herculanensi scriptum est,

---

stucus, Maedixtuticus, Maedixtutius, Maedixtiticus, Mediatutions, Mediastutius, Mediatuneus, Mediaticus habent; sed geminam *d* nullus.

4) Vid. Forcellin. s. v. Doederlin. Synonym. et Etymol. tom. VI p. 214. Grotefend. rud. l. Osc. p. 15. l. Umbr. IV p. 14.

5) Non meus hic sermo, sed auctores habeo quum alios multos tum Plinium H. N. XXIX, 1.

quum pleniorem formam testentur accusativus *tovticom* et nominativus feminini generis, ut ego quidem arbitror, *tovtico*, in tab. Bant. v. 10 et 23, quibus adnumerari potest *toticu* in inscriptione Veliterna, sive haec Osca est sive Umbrica: nam arctissimam utriusque linguae cognationem fuisse satis constat. Et Oscos pariter atque Umbros syncoparum in vocabulorum terminationibus amantissimos fuisse, quam alia multa ostendunt, tum quod in tabula Bantina v. 19 legitur, *pis cevs Bantins fust*, quod vix ambigi potest quin recte interpretemur, *qui* (*v. quisquis*) *civis Bantinus sit*[6]). Ex eodem genere est quod in inscri- 5
ptione Pompeiana legitur apud Grotef. tab. II, *Kvaisstur Pompaiians*, itemque in inscriptione Capuana ap. eund. tab. 1, 2, *ΚΑΠFΑΣ*, h. e. *ΚΑΠFΑΝΣ* pro *Capuano*, quemadmodum *Campas* v. *Campans* etiam apud Plautum, Trin. II, 4, 144. cl. Non. p. 486 Merc. *Campanum* significat, itemque *Lucas*, h. e. *Lucans* a veteribus Romanis *Lucanus* dicebatur, unde elephas, in Lucania primum Pyrrhi bello cognitus, *bos Lucas* appellatus est[7]). Porro huc pertinet Umbricum *fons* v. *fos* — utroque enim modo in tabulis Eugubinis scriptum invenitur —, sive hoc pro eo quod est *fonus* s. *bonus*, sive pro *favens* v. *fovens* accipitur: nam alterutrum verum esse negari vix poterit[8]): itemque *emps* pro *emptus*, *termnas* pro *terminatus* in inscriptione Umbrica apud Grotef. rud. ling. Umbr. part. 1 p. 22, 1, quibuscum recte comparatur Latinum *damnas*, h. e. *damnatus*, apud ICtos et in legum formulis: ut taceam de Oscis verborum formis, quales sunt *fust*, *fefacust*, *dicust*, *didist*, *deivast*, quas qui cum aliis, veluti cum *censazet* et cum Umbrico *facurent*, aut cum Latina verborum declinatione comparaverit, statim intelliget e *fuset* v. *fusit*, *fefacuset*, *dicuset*, *didiset*, *deivaset* decurtatas esse.

Ita *meddicis* v. *meddici* nomine haud improbabiliter, ut nobis vi-

---

6) Novimus quidem e Festo p. 212 Muell. Oscos *pitpit* pro *quidquid* dixisse, unde consentaneum est, etiam masculinum *pispis* in usu fuisse: sed fieri tamen nihilo minus potuit, ut etiam simplex pronomen *pis* eodem sensu diceretur, et sicut nos in multis loquutionibus *wer* pron. usurpamus non interrogativo sensu, sed indefinito, et in relatione indefinita, ita Oscis quoque *pis* et interrogativum esset, et indefinitum ac relativum.

7) Vid. Varro L. L. XII, 39, et in universum de his ethnicorum nominum formis cf. Niebuhr. H. R. tom. I. not. 225 ed. 3.

8) Vid. Lassen de tab. Eugub. in Museo Rhen. I (ann. 1833) p. 391. Grotefend. rud. ling. Umbr. IV p. 9.

detur[9], explicato, addere libet, etiam *consulis* nomen, quo Romani summum rei publicae suae magistratum post leges XII tabularum[10] appellarunt, quamvis sono et stirpe diversum, vi tamen et significatione Osci nominis simillimum esse. Nam sicut *consulere* et *mederi* — modo propriam ac primitivam huius verbi significationem teneas — fere synonyma sunt, ita consulem, a consulendo dictum[11] proprie itidem ut *Meddicum* nihil aliud quam *curatorem* esse dicemus. Multo certe veri similior est haec nominis explicatio, veteribus etiam plerisque probata[12], quam quod Niebuhrio placuit[13], consules propterea di-
6 ctos, quia duo essent et quasi *co-essent*, ut collegae, a *con* praepositione et *sul*, cuius syllabae hanc vim esse vult, ut nihil aliud nisi *eum qui est* significet. — Porro si recte Muellerus[14] Sabinum nomen *Mettus*, Latinum *Mettius* eadem atque Oscum *Meddix* esse statuit, simile quid in hoc accidit, quam quod in Graeco μέδων, ut proprium fieret ex appellativo. Nam Medontem praeconem Ithacensem, aut illum Codri regis filium, unde Medontidarum familia originem duxit, nemo ignorat.

---

9) Dubitationem alicui fortasse moverit geminata littera *d*, quum frequentius certe *Meddix* v. *Meddis* quam *Medix* legatur. Vix tamen hoc valere poterit ad propositam sententiam convellendam, siquidem nihil de orthographiae Oscae ratione compertum est, cui quis tuto insistere possit, et simplicem *d* ipsam tabulam Bantinam habere in aliquot vocabulis, quae cum *medix* cognata videntur, supra monuimus. Productam primam syllabam, quum Latina eiusdem stirpis vocabula brevem habeant, comparaveris cum Graeco μήδεσθαι, quod pariter ac μέδεσθαι dicitur.

10) Vid. Zonar. Annal. VII, 19.

11) Vel potius ab eo, unde hoc ipsum ductum est, verbo absoleto *conso*. Cf. Voss. Etym. s. v. *consentia*. Forcellin. s. v. *consentes*.

12) Carbo ap. Cic. de or. II, 39, 165. Flor. 1, 9, 2. Pompon. in Enchir. Dig. 1, 2, 2, 16, consules propterea dictos aiunt, quia consulerent civibus et rei publicae: minus probabiliter Varro L. L. V. 8, quia consulerent populum et senatum. Quamquam Varro ipse hanc sententiam dubitanter proponit, neque sprevit illam alteram, cuius etiam Accium auctorem citat in Bruto: „qui recte consulat consul fuat.“ Perperam autem Quintilianus I. O. 1, 6, 32 consules a consulendo propterea dictos credit, quia *consulere* veteres etiam pro *iudicare* dixerint, cuius usus argumentum esse opinatur loquutionem *boni consulere*, quippe quae idem significet atque *bonum iudicare*. Haec refutare non magis opus est quam Ioannis Lydi nugas de magistratt. 1, 30 p. 52 Haas.

13) Hist. Rom. tom. I p. 543. 544 ed. 2.

14) Etrusc. tom. I p. 23 et ad Festum p. 123.

Iam ad alterum vocabulum accedimus, quod est *tutix* s. *tuticus*,
vel, ut Osci scribebant, *tovtix, tovticus*[15]) Hoc quin adiectivum sit
nemo dubitat; significare autem vulgo idem creditur quod *magnus*[16]),
non aliam ob causam, quam quia *Aequum tuticum*, Samnii oppidum,
in itinerario Hierosolymitano *Aequum magnum* dicitur[17]). Atqui fieri
haud dubie potuit, ut eidem oppido duo cognomina, alterum ab Oscis
alterum a Latinis, imponerentur, quae tamen non eiusdem significatio-
nis essent, sed alterum a magnitudine inditum, quo distingueretur hoc
oppidum ab alio vel aliis cognominibus, quae minora essent[18]), alte-
rum autem propter aliam quampiam rationem, de qua quid mihi vide-
atur, post exponam. Itaque quum vera via ex isto itinerario nequa-
quam certo cognosci possit, circumspiciamus potius reliqua Oscae
linguae monumenta, si quid forte in his vestigiorum deprehendatur,
quibus insistamus. Et quo facilius me lectores per has salebras comi-
tentur, proponam statim, quo mihi pervenisse visus sum; deinde qua
via pervenerim indicabo. Arbitror igitur *tovticus* adiectivum esse a sub-
stantivo *tovto* deflexum: hoc autem, cum Latino adiectivo *totus* haud
dubie cognatum, *universitatem* significare videtur, usurparique vel pro
civitate, quum sensu collectivo universus civium numerus hoc nomine
comprehenditur[19]), vel etiam pro *coetu* et *conventu totius populi*: ad- 7
iectivum autem inde ductum significare quidquid universitatis est ad
eamque pertinet, *meddicem* igitur *tuticum* nihil aliud esse quam *cura-
torem universitatis*. — Ceterum quoniam in Bantina tabula nomen

15) *Vau* litteram in hoc vocabulo habent inscriptiones apud Grotef. tab. II, 1, 3, 4.

16) Vid. Forcell. s. v. Klenze de tab. Bant. in opusc. philol. p. 34.

17) *Aequum*, von *Equum* scripsi cum Servio ad Virg. Aen. VIII, 9, propter inscriptionem ap. Orell. no. 113; et alias quoque huius scripturae auctoritates apud Wesselingium esse credo ad Itin. Anton. p. 105, quem librum inspicere non possum. Didici tamen e Cellario, Geogr. ant. I p. 873, etiam in tabula Itinerario Ant. adiecta *Aequum* scriptum esse. Ceterum falli veteres Horatii interpretes, qui hoc oppidum a poeta in itinere Brundisino, sat. I, 5, 87, significari credunt, mihi cum plerisque recentioribus plane persuasum est.

18) Commemorantur in vicinia *Aecae* et *Aeculanum*, quae nomina eiusdem cum *Aequo* stirpis esse videntur. Vid. Cellar. I p. 872. sq.

19) Velut quum theatra, stadia es si qua alia sunt civitatum communia, *universitatis* esse dicuntur, hoc nihil aliud quam *civitatis* esse apertum est. Vid. Inst. II, 1, 6. Dig. 1, 8, 1 pr. et fr. 6; et in titulo Dig. XXXVIII, 3 qui *liberti universitatum* dicuntur, non alii sunt quam *municipiorum*.

tovto paucis tantum locis legitur, neque horum explicatio satis per se ipsa plana est, invenitur autem aliquoties in tabulis Eugubinis *tota* vocabulum, neque dubitari potest, non diversum hoc Umbricae linguae nomen ab Oscorum *tovto* fuisse, significatio autem eius, comparatis inter se Eug. tabularum locis, paullo certius cognosci posse videtur, hinc potius, quam a Bantina tabula proficiscendum nobis erit. Extat igitur in tab. Eug. primum haec formula, identidem cum paucis scripturae varietatibus repetita[20]), quas quidem nunc commemorare nihil attinet: *Tiom subocav suboco* (sequitur numinis appellatio) — *ocriper totaper Iiovina:* quorum verborum sententiam Lassenius[21]) et Grotefendius in universum recte haud dubie perspexerunt. *Tiom* enim accusativus esse videtur pronominis secundae personae: in *subocav suboco* idem fere inesse statuimus, atque in Latino *prece precor* aut *invocatione invoco: ocriper Fisiu* denique et *totaper Iiovina* eas res designant, pro quibus numen invocatur. Nam *per* nomini postpositum idem significare ac Latinam praepositionem *pro*, dubitari plane non potest[22]). Et apud Latinos quoque postpositarum praepositionum exempla non rara esse nemo nescit[23]). *Per* autem pro eo quod est *pro* non solum hodierni Itali dicunt, sed etiam veteres Latini in duabus certe vocibus compositis, *perendie* et *perinde*. Et de *perendie* quidem dicere longum est, tractabimusque hoc vocabulum alio tempore commodius; *perinde* autem et *proinde* promiscue usurpata inveniri certum est, falluntur que magnopere, qui tale utriusque particulae discrimen statuunt, ut *perinde* comparativa, *proinde* autem causali tantummodo aut conclusiva significatione dici velint[24]). Nam neque codicum optimorum auctoritate hoc discrimen comprobatur[25]), neque vero perspici potest, qua ratione *per*, si quidem non sit i. q. *pro*, sed respon-

---

20) Vid. locos a Grotefendio compositos rud. ling. Umbr. IV p. 8.

21) In Museo Rhen. I p. 383 sqq.

22) Cf. Grotefend. II p. 23. VIII p. 33 sq.

23) Vid. praeter Ruddiman. institt. gr. Lat. p. 335. Bentlei. ad Terent. Andr. II, 2, 2. Ruhnken. ad Vellei. p. 218. ed. Frotsch. Baier. ad Cic. or. fragm. p. 57. Walch. ad Tac. Agric. p. 338.

24) Praecipuos eorum, qui de his particulis egerunt, commmemoravit Haasius in annot. ad Reisigii lectiones de gramm. Lat. p. 429.

25) Certe innumerabilibus locis *proinde* scriptum est, ubi ex illorum sententia *perinde* scribendum fuisset, etiamsi rarius *perinde* invenitur, ubi causalis aut conclusiva significatio est.

deat graecae praepositioni *διά*, comparationi aptum sit[26]), quum contra *pro* utrique usui, et comparationi et causae vel consequentiae indicandae, pariter accommodatum sit. Nec sane mirum est, in vulgari 8 sermone, quum *δισυλλάβως pr'inde* pronuntiarent, id quod et comicorum poetarum et Lucretii versus plurimi demonstrant, obscurato sono vocalis, linguam hominum mentemque saepissime a vero aberrasse, quumque, quod vulgo *pr'inde* et ipsi dicerent et ab aliis dici audirent, aut distinctius pronuntiandum aut litteris consignandum erat, *perinde* pro eo quod debebant *proinde* arripuisse. — Porro *ocre* in Umbrica formula *montem* significare satis a Lassenio demonstratum est[27]). *Fisium* autem montem a *Deo Fisio* dictum et simili religione apud Iguvinos consecratum fuisse, qua Capitolium apud Romanos, perquam est probabile, quamobrem in solemnibus publicarum precum formulis, quum pacem deorum pro urbe et populo implorarent, huius etiam sacri montis nomen commemorari non sane mirum videri potest. De *tota Iiovina* ante quam dicam, aliae quaedam formulae, in quibus eadem vocabula leguntur, percensendae sunt. Tab. VII, a, 49 et alibi haec verba sunt: *Tursa Iovia futu fons pacer pase tua pople totar Iiovinar*, et paullo post: *Serfe Martie, Prestota Serfier Serfer Martier, Tursa Serfia Serfer Martier, fututo foner, pacrer pase vestra pople totar Iiovinar, tote Iiovine* —, et VI, b, 23 et alibi: *Fons sir pacer sir ocre Fisi tote Iiovine.* In his *fons*, cuius pluralis *foner* est, i. q. *bonus* esse videtur, *pacer*, cuius pluralis *pacrer*, i. q. *pacatus* aut *propitius*. Reliqua satis per se plana sunt, apparetque his precibus deos, quorum nomina appellantur, de quibus quaerere hoc loco nihil attinet, invocari, ut boni

---

26) Non enim verendum est, ne quis ad *peraeque* nos ableget, in quo notionem adverbii *aeque* praepositio *per* intendit, ut in aliis multis compositis. Nam *inde*, particula pronominalis, ita intendi non potest, quippe quae propriam notionem nullam habeat, sed demonstrationem tantummodo rei aliunde notae vel notionis aliunde repetendae.

27) L. l. p. 386. Cf. Grotefend. III p. 6, qui paullo tamen calidius *arcem* Iguvii *ocrem Fisium* fuisse ex eo concludit, quod utrumque nomen, *arx* et *ocris* idem proprie significet, uniusque stirpis sit, eius scilicet, cuius et Graecum *ἀκρός*. Id ut de *ocris* equidem libenter concedo, quum praesertim *ὄκρις* etiam Graecum sit, ita *arcem* tamen potius ab *arcendo* dictam arbitror cum Varrone L. L. V, 151, Servio ad Virg. Aen. I, 20, Doederlino Syn. et Etym. IV p. 428. Neque igitur Umbricum nomen ita cum Latino componi, atque hinc illius sententiae argumentum peti debuit. Quamquam apparet vel sic nihil obstare, quominus montem Fisium Iguvinis etiam pro arce fuisse credamus.

sint ac propitii pace sua populo. — Agnoscitur autem a quolibet genitivus casus in *totar Iiovinar*, dativus in *pople, ocre, tote Iiovine.* Facilia intellectu etiam haec sunt, VI, 6, 29. a, 31. *Di Grabovie (Tefre Iovie) pihatu ocrer Fisier, totar Iiovinar nome,* in quibus *pihatu* quilibet intelligit imperativum esse verbi cum Latino *piare* comparandi, *nome* autem accusativum, qui regat genitivos antepositos, idemque haud dubie quod latine *nomen* significet. Non minus facilia verba sunt VI, a, 15. 29 et alibi: *Solvom seritu poplo totar Iiovinar, salva[m] seritu totam Iiovinam,* difficiliora autem VII, a, 11 sq.: *prevendu via ecla atero tote Tarsinate trifo Tarsinate Tursce Naharce Iabusce nomne,* in qua formula hoc saltem mihi agnoscere videor, *prevendu* imperativum esse; proxima tria verba nunc intacta relinquo; *trifo* si quis *tribum* esse di-
9 cat[28]), facile assentiar; *tote* dativum esse supra vidimus: eundem igitur casum in proximis quoque septem vocabulis agnoscemus, quippe quae omnia ab eodem quo illud verbo *prevendu* pendeant. — Sunt praeter has formulas etiam aliae complures, in quibus *tota* comparet; sed has, quoniam nihil amplius ex iis disci potest, praetermittimus. In his omnibus autem *tota* Lassenio et Grotefendio adiectivum esse videtur eiusdem cum Latino significationis, certissimumque huius sententiae argumentum Grotef. III p. 9 esse putat in verbis *tote Tarsinate trifo,* quippe quae appareat nihil aliud quam *toti Tarsinati tribui* significare posse. Quasi vero certum sit, haec verba ita ut ab ipso et Lassenio factum est coniungenda esse, ac non potius in hunc modum, *tote Tarsinate, trifo Tarsinate,* ut *tote* non minus quam *trifo* substantivum sit, et idem utrique adiectivum *Tarsinate* adiunctum, quemadmodum plurimis locis *tota Iiovina* legitur, nusquam autem *tota Iiovina trifo,* aut aliud substantivum additum. In hoc ipso autem *tota Iiovina,* quum manifestum sit, *Iiovina* adiectum esse, non poterit non quemlibet vehementer offendere adiectivum, ut quidem illi volunt, adiectivo attributum. Quid enim causae Iguvinis fuisse credemus, ut urbem suam — hanc enim designari satis patet — non proprio ipsius nomine, sed adiectivo semper appellarent? Nam *Iguvium*, vel Umbrice *Iiovio, Iioviom, Ἰκούφιο,* non autem *Iguvinam* verum urbis nomen fuisse, propter constantem Graecorum et Latinorum scriptorum usum pro certo habendum est[29]); ac licet potuerit sane etiam *urbs Iiuvina* dici,

28) Ita Grotefend. cum Lassenio l. l. p. 391.

29) Vid. Cic. ad Att. VII, 13. Caes. B. C. 1, 12, 1 et 2. Liv. XLV, 43, 9, ubi

ut *urbs Romana*, tamen in solemnibus precibus pro vero nomine semper adiectivum poni, ne addito quidem substantivo, non minus, opinor, mirum et incredibile videri debet, quam si in Romanis precum formulis dii invocarentur, non ut *totam Romam*, sed ut *totam Romanam* servarent, urbe ipsis ad subaudiendum relicta. Multo igitur probabilius est *totam* substantivum esse, *universitatem* vel *civitatem* significans, neque ullus est in tabulis Eugubinis locus, in quem non haec significatio optime conveniat: veluti in illis, quas supra posuimus, formulis: *te prece precor pro monte Fisio, pro civitate Iguvina — estote boni propitii pace vestra monti Fisio, civitati Iguvinae — populo civitatis Iguvinae. — piate montis Fisii, civitatis Iguvinae nomen. — salvum servato populum civitatis Iguvinae.* — De postrema formula mihi non liquere professus sum. Grotefendius hanc, ut reliqua omnia, nullo negotio convertit, verum ita ut vaticinari magis quam interpretari videatur. *Prevendu*, et id, quod alio loco in gemina formula legitur, *ahavendu*, idem significare autumat, quod Latinum *subvenito*, comparatisque Graecis verbis *περιβαίνω* et *ἀμφιβαίνω* praepositiones *pre* et *aha* eandem vim habere, quam *περί* et *ἀμφί*. *Via* porro, pro quo tab. IV, a, 14 in gemina formula *FEA* Etruscis litteris scriptum est, nihil aliud esse, quam *εὖ* sive *bene*, a verbo *beo* deductum: *ecla* esse *extra, atero* denique *ἀτηρόν*. Talia ut non probari argumentis, ita ne redargui quidem possunt; sed apparet, si quis simili ratione coniectare velit, etiam alias multas interpretationes et ab hac et inter se diversas, et pariter tamen omnes credibiles proferri posse. Nam quis te refutaverit, si *prevendu* et *ahavendu* non secundae sed tertiae personae imperativos dixeris, significationis eiusdem, cuius sunt *provenito* et *advenito*? Quippe *vendu* nihil aliud esse quam *venito* vel auribus percipi posse: *pre* autem, itidem ut *per*, respondere Latinae praepositioni *pro* vel ex his duabus formulis, *pre vereir treblaneir*, alteraque huic manifesto opposita, *post vereir treblaneir* intelligi, quas appareat significare *pro feriis treblanis h. e. ante ferias treblanas* et *post ferias treblanas* [30]).

---

cf. Drakenb. Sil. Ital. VIII, 460. Add. Strab. V, 2 p. 368, (ubi in corrupto nomine *'Ιτορον* nihil nisi *'Ιούϊον* aut *'Ιγούϊον* latere iam Cluverius perspexit) itemque Ptolem. III p. 157 ed. Bas., ubi *'Ισούϊον* scriptum est. *Iguvina* a nullo, quod sciam, urbs appellatur, quamquam uno loco, Cic. per Balb. c. 20, incolae *Inguvinates* dicuntur, quos ceteri *Iguvinos* vocare solent, ut Caesar l. l. Plin. H. N. III, 14 p. 169. XXII, 4 p. 837 Gron. Inscript. ap. Gruter. p. CCCXLVIII, 1.

30) Cf. Lassen l. l. p. 378. Grotefend. II p. 5.

Aha porro non multum discrepat ab *ad*. *Via* denique, *ecla* et *atero* quaslibet res bonas et optabiles significare poterunt, prout quis vel ex Graeca vel ex Latina lingua voces non nimis repugnantes advocaverit. Sed non libet in tali lusu amplius morari. Hoc unum dicendum est, si cui forte mirum et parum credibile videatur, quod ex nostra interpunctione *totam* s. *universitatem Tarsinatem* et *tribum* universitati cognominem iuxta positam habemus, non tamen propterea Grotefendi rationem potiorem iudicandam esse, quippe ex qua pari modo post tribum Tarsinatem nomen Tarsinate separatim commemoretur. Omnino autem de Tarsinatibus deque Turscorum, Naharcorum s. Naharcum et Iapuscorum nominibus res perobscura est. *Nomina* dici videntur simili ratione, quam qua in Romanorum formula *socii nomenque Latinum* dici solent, ubi *nomen* significat homines hoc nomine appellatos. *Turscos* porro, sive, ut alibi dicuntur, *Tuscos* probabile est ex nobili in Etruria gente fuisse[31]), cuius partem olim etiam in Umbria late dominatam esse constat[32]). *Naharcos* s. *Naharces* si quis ab Umbriae fluvio, qui *Nar* dicitur, appellatos esse statuit[33]), refutari a nullo poterit. De *Tarsinatibus* et *Iapuscis*[34]) coniecturas qui volet periclitetur. Quaenam autem his omnibus cum Iguvinis ratio intercesserit, quum certo sciri nullo modo possit, non inepte fortasse huiusmodi quid coniectaveris: communia quaedam sacra fuisse Iguvinae civitati cum civitate Tarsinati: huius unam praecipuam tribum fuisse toti civitati cognomi-
11 nem[35]) et propter dignitatem separatim in precibus commemoratam: Naharcos porro et Turscos et Iapuscos vicinorum locorum habitatores, suam separatim rem publicam habentes, sed cum illis tamen communione quadam sacrorum coniunctos.

Iam ad Oscam inscriptionem tabulae Bantinae revertendum est, in qua vocis *tovto*[36]), quam eandem cum Umbrica *tota* statuimus, variae

31) Hoc etiam Muellero visum est, Etrusc. I p. 71 et 100, neque intelligo cur Grotefend. III p. 9 de *Tudertibus* cogitare maluerit.

32) Plin. H. N. III, 14 p. 167.

33) Cum Lepsio, de tab. Eugubin. (Berol. 1833) p. 93. Grotef. III, p. 9.

34) *Iapusci* Muellero Etrusc. 1 p. 71 not. 2. Iapyges esse videntur.

35) Hoc non sine exemplo sumimus. Nam etiam Ephesi unam de quinque tribubus Ephesiam dictam esse Stephanus Byz. prodit s. v. *Βέννα*, ubi pro *βουλή* et *βουλευταί* — *φυλή* et *φυλέται* legendum esse, quemadmodum iam in Antiqu. iur. publ. Gr. p. 80, 4 monuimus, nemo facile dubitabit, qui totius loci contextum perpendit.

36) *Tovto* enim, non *tovta*, Oscos nominativo casu dixisse credo, licet *tovtam*

formae quattuor aut quinque locis leguntur, horumque nullus est, qui quidem probabilem interpretationem admittat, in quem non illa quam proposuimus vocabuli significatio convenire videatur. Nam plane certam et indubitabilem explicationem etiam in hac inscriptione, ut in aliis brevioribus Oscae linguae monumentis, perpaucae tantum partes habent, quum propter vocabula plurima prorsus obscura et inextricabilia, tum propter ipsius inscriptionis condicionem, quae in triginta tribus versibus — tot enim supersunt — viginti habet plus minus mutilatos, adeo ut de nonnullis pauculae tantum litterae aut litterarum apices servati sint, et in illis ipsis, qui minus mutilati sunt, partim litteras quasdam dubias et paene deletas, partim etiam scripturae compendia [37]), quae quid significent nemo pro certo dixerit. Itaque quod versu 9 legitur, in truncata parte tabulae, *pous tovto deivatus tanginom deicans*, quod ne Grotefendius quidem interpretari conatus est, intentatum praetermittimus. Versu 14 autem verbis *don op tovtad petirupert urust*, videtur aliquid significari, apud universitatem, h. e. ut arbitror, in conventu s. concilio populi agendum. *Don* i. q. *dum* esse probat relativa coniunctio *pon* pro *quum*, vers. 18. 19, *pon censtur Banzae tavtam censazet*, quorum sensus in universum perspicuus est, etiamsi de *tavtam* ambigatur. Porro *op* praepositionem esse Latinae *ob* geminam, usurpatam autem ab Oscis etiam eo sensu, quo a Latinis *apud*, et cum ablativo casu construi solitam, colligi posse videtur e vers. 23. 24: *suae pis op eizois com atrudiacud acum herest: si quis apud eos cum (adversario?) agere voluerit* [38]). *Petirupert*, aut, quemadmodum

accusativo, et *tovtad* ablativo dicerent. Nam *o* pro *a* in nomit. decl. 1 comparet etiam in *molto* (multa), cuius accusativus sing. *moltam* est tab. Bant. v. 2, et acc. plur. aut gen. sing. *moltas* v. 13. Cf. Klenze p. 43—46.

37) Talia sunt Q. v. 2 et 29. N. v. 12. 26. PR. v. 23. 27. 28. TRPL. v. 29 et alia fortasse plura, sed minus aperta.

38) De *suae pis* nulla est dubitatio. Cf. Mueller. l. l. p. 31. De *eizois* proxima annotatione dicetur. *Atrudiacud* incertae lectionis est, suntque fortasse duo vocabula, *atrud* et alterum eiusdam terminationis, sed primis litteris evanidis; utrumque autem ablativum esse planum est. Cf. Klenz. p. 45, 47 et Bopp. gramm. compar. I. p. 213. Significationem de coniectura posui. *Acum* infinitivus est verbi *aco* h. e. *ago*, cuius imperativum habemus v. 15: *com preivatud actud*, *cum privato agito*, similesque imperativorum formas *estud* et *licitud* v. 12. 23. 26. 13. 18. 26. Cf. Bopp. l. l. p. 214. Infinitivi in *um* exeuntis certissimum exemplum est *moltaum* in formula ter cum levibus quibusdam varietatibus repetita, *suae pis ionc meddis moltaum herest licitud: si quis hunc magistratus multare voluerit liceto.* v. 12. 13.

12 v. 15 scriptum est, *petiropert* Grotefendius *quater* significare statuit, haud scio an recte; siquidem *petora* Oscos pro *quattuor* dixisse Festus docet pag. 206 Müll. Certe nec nomen *petirupert* nec verbum esse videtur, sed particula. Hinc consequitur, ut *tovtad* nomen sit, quippe a praepositione *op* pendens, et substantivum quidem, quia nullum aliud nomen adest, cui tanquam adiectivum appositum videri possit. Nam quominus pronomen esse credam demonstrativum, quod Klenzio visum est, illud me impedit, quod hoc genus demonstrativi pronominis, quod Graeci habent, a *τ* littera incipiens, *τοῦτο*, *ταῦτα* etc., sicut a Latina lingua prorsus abest, ita etiam apud Oscos non fuisse persuasum habeo propter sat multas in tab. Bant. pronominum formas [39], quae etiam hac in parte, ut in plerisque aliis, multo maiorem Oscis cum Latinis quam cum Graecis convenientiam fuisse demonstrant. *Urust* verbum esse forma cum aliis, quae supra posui, comparata demonstrat, neque abhorreo a Grotofendi sententia, qui Latinum *orare* comparat [40]), significationemque hanc esse credo, ut dicatur de eo qui causam oret verbaque faciat apud populum aut apud iudices, quemad-

18. 26, potestque haec forma cum Graec. inf. in *εν* comparari. *Herest* verbi significationem fere eam esse quam expressi, contextus docet, consenseruntque in eo Mueller. l. l. p. 38. Lassen Mus. Rhen. II p. 153, Grotef. p. 15 et rud. ling. Umbr. III p. 7.

39) Tales sunt *ionc* in formula *suae pis ionc meddis moltaum herest*, quod manifestum est *hunc* significare. *Ioc* legitur in loco mutilato v. 5: sed dubitari nequit, quin *hoc* significet. Porro *exeic*, in formula *suae pis contrud exeic fefacust*, apparet aut *haec* significare, aut etiam, ut Grotef. vult p. 12, esse *ex hac* h. e. *posthac*, quod si quis probet, *contrud* pro adverbio accipiendum erit. Sed mihi illud alterum verius videtur propterea quod v. 8 *post exac* legitur, neque veri simile est duas propositiones *post* et *ex* ita coniunctas esse. Praeponebant igitur fortasse Osci demonstrativo pronomini *ic* particulam *ex*, cum Latina *ecce*, *ce* comparandam, ut *exic* dicerent eodem modo, quo *hicce* Latini. Sed etiam postpositae particulae *ce* v. *cen* exemplum extare videtur v. 25, *pas ex aiscen ligis scriftas set*, quae verba malo cum Klenzio p. 46 interpretari: *quas ex hisce legibus scriptas sciet*, quam cum Grotef. p. 19 *exaiscen* pro *en exaiso* accipere, praepositione postposita: quandoquidem in tabula *ex. aiscen*, puncto interposito, legimus. Porro pronominalia sunt haud dubie etiam *eizeic* v. 21, *eizeis* et *eizois* v. 22. 23, *eizuc* v. 30, *eizazunc* v. 24, quamquam de singulorum vi et significatione nondum satis liquet, nisi hoc certum videtur, *eizois* esse ablat. plur., comparandum cum *zicolois* et *nesimois* v. 25. Hoc autem pro certo affirmare licet, pronominis cum Graeco *τοῦτο* comparandi nullam usquam vestigium agnosci posse.

40) P. 16. 17. Sed miror quid sit, quod utroque loco ita loquitur, quasi non solum verbum *urust*, sed *urus urust* legerit, quum tamen in eo tabulae Bant.

modum vers. 16 legimus, *con* [*com*] *preivatud urust*, h. e. *cum privato oraverit*, litigans scil., vers. 15 autem, *com preivatud actud* h. e. *cum privato agito*. Ita universa illorum verborum sententia haec fere erit: *dum apud universitatem*, h. e. in contione, (*quater*?) *oraverit* v. *causam egerit*[41]). — Tertius locus est vers. 15, *sipus perum dolom mal-* 13
lom in trutum zico tovto pertemust, ex quibus ego quidem nihil, quod probabile sit, extricari posse spero. Etsi enim *perum dolom mallom* facile quilibet cum Latino *per dolum malum* comparat, tamen ambiguum est, utrum *perum* eodem plane modo ut *per*, an potius pro *propter*, ut Gr. *διά* c. acc., dictum sit, et reliqua vocabula omnia nimis obscura sunt. — Versu 21 autem, *pru meddixud tovtad praesentid*, significare arbitror, *pro tribunali magistratus*, *praesente universitate* h. e. in concione v. populi concilio. Nam *pru* i. q. *pro* esse in aperto est: *meddixud* ablativus casus est a nominativo *meddixo* s. *meddixom*, quod nomen, a *meddis* s. *meddix* declinatum, probabile est locum significare, ubi meddix ius dicit aliisve muneribus fungitur, qualia apud Graecos *τὰ ἀρχεῖα* sunt. *Praesentid* pro *praesente* accipere non dubitabit, qui aliarum quoque formarum verbi substantivi apud Oscos convenientiam cum Latinis reputaverit, velut *estud* pro esto v. 11. 23. 26. *fuid* pro *sit* v. *fiat* v. 29. *fust* pro *fuerit* v. 19. 22. — Superest unus huius inscriptionis locus v. 18. 19: *Pon censtur Banzae tavtam censazet*. In hoc *tavtam* non satis certae lectionis esse vel inde colligas, quod alii sibi

exemplo, quod ipse edidit, *urus* non compareat. Estne igitur error eius, qui apographum confecit, an ipsius Grotefendi?

41) Longe aliter haec verba Grotefendius interpretatur. Tribus enim vocibus in unam conflatis *donoptovtad*, hoc Latinae particulae *dumtaxat* respondere ait, quandoquidem *donop* pro *donec*, sicut *neip* s. *nep* pro *neque* dictum sit, *tovtad* autem sicut *tovto* v. 9. 15 sive *tavtam* v. 19, *τάξιν* quandam significet, cum *τάττω*, ut Lat. *taxat*, cognatum. Atqui ut concedatur *donop* ab Oscis pro *donec* dici potuisse — quamquam hoc alia ratione, quam qua Grotef. usus est, demonstrari debebat, — ut concedatur porro, in *dumtaxat* quae inest *dum* particula i. q. *donec* valere, — quod ego non infitior probari posse —, tamen *tovtad* cum *taxat* componi posse prorsus nego, eiusque iudicii rationes paullo post proponam, ubi de verbis v. 18, 19. *pon censtur Banzae tovtam censazet*, disseram. — Rursus diversa est Klenzii interpretatio, cui *optovtad* i. q. *propterea*, *tovtad* igitur pronomen demonstrativum esse videtur, quod cur ego non credam, supra exposui. Ceterum in similem errorem dudum Lanzius incidit, quum *sepis tutico* in Veliterna inscriptione *ἐπὶ τούτῳ* significare opinatus est, recte propterea ab ipso Klenzio reprehensus p. 34 not. 31.

tantam agnoscere visi sunt[42]). Mihi probabile est, quod Grotefendio quoque placuit, *tovtam* legendum esse; quod si admittitur, paene pro certo contenderim, nihil aliud his verbis significari, quam: *quum censitor Bantiae universitatem s. populum censeat.* Nam quod Grotefendius p. 18 opinatur *tovtam* h. l. ipsum censum significare, prorsus mihi incredibile videtur. Primum enim consentaneum est, quum *censaum*, verbo inf., pro eo quod est *censere* Oscos dixisse vers. 20 demonstret, eiusdemque verbi subiunctivum modum *censaxet* noster locus offerat, isque qui censum agit nomine inde ducto *censtur* dicatur, etiam ad ipsum actum censendi designandum non aliud vocabulum usitatum fuisse, quam verbale nomen a *censaum* deductum, id quod equidem mihi agnoscere videor in *censtomen* vers. 20.[43]). Deinde quod pro-
14 vocat Grotefendius ad v. 21, ubi legitur *tovtad praesentid*, quod ipse esse vult, *in censu praesented:* haec interpretatio prorsus arbitraria nullaque probabili ratione commendata est, multoque veri similiorem illam esse arbitror, quae paullo ante a me proposita est. Nam quod ait *tovtad* esse i. q. ἐν τάξει: apparet eum aliquam cognationem Osco vocabulo cum hoc Graeco intercedere velle; at enim perpaucos fore credo qui hanc cognationem agnoscant, omniumque minime ipsi Grotefendio licebat *tovto* ab eadem stirpe, cuius est Graecum vocabulum, h. e. *ταγ*, *tag, tang,* repetere, quum alio loco, p. 10 et 16, vocem *tan-*

---

42) Vid. Klenz. p. 44 not. 67.

43) *Suae pis censtomen nei cebnust dolud mallud* h. e. *si quis in censum non (detulerit?) dolo malo.* Grotefend. p. 18 „censtomen," inquit, „sicut *Fουχουμεν*, *ἐσουχουμεν* in Iguvinis tabulis II, 20 in casu determinativo positum *ex censito* significat." Idem pro *cebnust*, quod in exemplo tabulae Bant. satis distincte scriptum extat, *efb(e)nust* posuit, idque compositum esse vult e praepositione *ex*, quae ante *b* in *ef* mutetur, et futuro exacto *benust*, quod in tab. Iguv. VI, a, 52 *operatus fuerit* significet. Itaque nostrum locum convertit: *si quis ex censito non exsolveret dolo malo.* De Umbrico verbo *benust* nolo nunc contendere, quamquam persuasissimum habeo, aliam eius significationem esse quam quae Grotefendio placuit; sed audaciam mutandi Osci verbi quod non intelligas, refingendique ad Umbricum, item precario magis quam ex intellectu interpretatum, satis mirari non possum. Porro si verum est, quod Grotef. placet nec mihi displicet, *Fουχουμεν* Umbr. significare *in foco*, eo minus credibile fit, *censtomen* non *in censu* v. *in censum*, sed EX *censito* significare, ut eadem sive terminatio sive paragoge et vim praepositiones *in* et huic contrariam praepositionis *ex* habere credatur. Quidni potius in his formis praepositionem agnoscimus postpositam? sicut *per* in Umbrico sermone supra vidimus. Verbum *cebnust*, quoniam certo explicari non potest, ex coniectura converti, prout contextui accommodatum videbatur.

ginom ab eadem stirpe repetierit, *tanginom* autem et *tovta* plane diversae originis esse cuilibet mediocriter in huiusmodi quaestionibus versato apertum esse debeat.

Ita quum nostram de voce *tovta* sententiam rationibus, ut in tali tamque intricata quaestione, satis probabilibus defendisse videamur, de adiectivo *tovtico* non amplius disserere opus est. Apparet enim per se, hoc de iis dici debuisse, quae sunt universitatis ad eamque pertinent[44]); et si verum est, quod de *Meddicis* significatione proposuimus, *Meddicem tuticum* esse *curatorem* sive mavis *consulem universitatis*. Unum tamen addere libet, de urbis *Tutici* nomine. Hanc Ptolemaeus[45]) commemorat in Samnio inter Alifas et Telesiam, videturque recentioribus plerisque eadem esse, quae alias *Aequum tuticum* dicitur[46]). Idem nomen haud dubie restituendum est in Dosithei quadam narratione apud Plutarchum[47]), ubi nunc scriptum est *Τούξιον*. Dositheus hanc urbem *μητρόπολιν τῶν Σαυνιτῶν* dicit: quod si verum est,

44) Hinc etiam de bonis publicatis dici potuit, eamque significationem agnoscere mihi videor in tab. Bant. v. 22. 23: *pae ancensto fust, tovtico estud* h. e. *quae incensa fuerit, publica esto*. Haec quoque Grotef. p. 18 longe aliter interpretatur: *qua (lege) censitum fuerit, prorsus esto*. Sed quis tandem *pae* pro *qua* accipiet? quum in ablativo *pad* potius dictum esse analogia demonstrare videatur. Porro *accensto* neque idem quod simplex *censto* v. *censtom* esse credemus, ut *an* plane otiosum sit, neque vero, quae altera est Grotefendi coniectura, pro *in censito*, (in censu,) accipiemus, quandoquidem ablativum novimus in *d* litteram, non in nudam vocalem exiisse. Denique *tovtico* pro adverbio haberi et per *prorsus* — quasi dicas *totaliter* — converti, mihi quidem parum probabile videtur. Quod autem Grotef. ad Umbricum *todcome* provocat, quod quidem ipsi *prorsus* significare videtur: primum nequaquam certa est haec Umbricae vocis significatio; deinde, si maxime certa sit, tamen quam longe *tovtico* a *todcome* distet, quilibet animadvertit. Ex nostra interpretatione *pae* est nominat. sing. fem. pronominis *pis* vel *pi*; *ancensto* femin. participii verbi *censaum* cum *an* compositi, eodem sensu, quod apud Latinos *in* privativum anteponitur: *tovtico* denique item nominat. fem. a *tovtix* s. *tovticus*. Et de hac femininorum terminatione in *o* supra diximus not. 36; substantivum autem, quo haec omnia, adiect. cum partic. et pronomine, referenda sunt, latet in proxime praecedentibus tabulae verbis, quae intelligi non possunt, estque fortasse *famelo* h. e. *familia*: hanc, si quis in censu non professus esset, lex publicari iubebat. *Familiam* quidem etiam apud veteres Romanos pro re familiari dictam satis constat.

45) Lib. III p. 160. Hinc Tuticanorum familiare cognomen probabiliter repetit Forcellin. s. v. cf. Inscr. ap. Gruter. p. DCLXIII, 6 . . . DCCX, 8. MVI, 6.

46) Vid. Cellar. I. p. 873.

47) Parall. Gr. et R. c. 37 tom II p. 357 Tauchn.

etiam ratio nominis sive cognominis facile apparet. Scilicet *tuticum* Samnites id oppidum vocabant, quo *tovto* h. e. universitas eorum, sive omnis populus, ad concilia conventusque celebrandos confluere solebat. Sin falso caput Samnii Tuticum a Dositheo dicitur, nihilo minus tamen etiam minori alicui oppido illud nomen convenisse dicemus, si non quidem omnis populi, at circum habitantium certe conventus in eo agebantur: quin minutissima quoque fora et conciliabula *tutica* dici recte potuerunt. Nam prout *tovto* s. universitas vel omnium, vel complurium, vel paucorum fuit, ita etiam adiectivi inde ducti ambitum variari oportuit.

Haec scripseramus, Commilitones, emenso hibernarum scholarum curriculo ad feriarum otium et hilaritatem cum bonis votis Vos dimissuri, nobisque ipsis haud ingratam a laboribus requiem et recreationem securo et tranquillo animo prospectantes, quum subito et inopinato casu perculsi ex hac tranquillitate in luctum et moerorem coniicimur. Intelligitis, quid dicamus: nam vester hic luctus non minus quam noster est: vestris quoque animis vulnus inflictum: vestris quoque lacrimis hic insperatus et immaturus Klausenii obitus defletur. Nos carissimo collega, Vos optimo praeceptore, universitas nostra insigni decore orbata est, et, quo gravius lugemus, orbata est paene prius quam aucta, quum vixdum virtus viri egregii et praestantia penitus a nobis cognosci fructusque eius percipi coepit. Obiit Klausenius post mensem duodevigesimum, quam ex Rhenana academia in hanc nostram translatus, post paucos dies, quam in ordinaria professione collocatus est: obiit florentissima aetate, integris animi viribus, corpore, etsi minus robusto, certe tamen iuveniliter vigente, in medio vitae et laudis cursu interceptus, praeclara multa agitans, excellentibus-
16 que doctrinae et ingenii copiis quum litteris tum universitati nostrae plurimum incrementi promittens. Nam quid non praestaturum videbatur eius virile robur, cuius talia extarent opera iuvenilia? quae si quis ex vero aestimare velit, non sane adolescentulo, quartum et trigesimum annum nondum egresso, sed viro digna dicet per longum tempus in litteris naviter versato et prope consummato. Itaque in hac brevitate vitae hoc tamen ille effecit, ut operibus non cito perituris longissimae se posteritatis memoriae commendaret. Superstes erit Klausenii nomen, quamdiu Graecae et Romanae antiquitatis studia vi-

gebunt: celebrabitur apud posteros, quamdiu erunt, qui vel in principis tragicorum operibus non verba solum aut externa artis ornamenta, sed intimos sublimis animi sensus et rerum divinarum humanarumque notiones quaerant, vel qui principis in orbe terrarum populi religiones accuratius pernoscere sacrorumque origines absconditosque fontes investigare studeant. — Vobis autem, Commilitones, memoriam viri desideratissimi etiam propter alia bona plurima, quamquam minus ad exteros illustria, caram et sanctam fore confidimus. Vobis enim Vestraeque institutioni plurimum ille operae et optimas horas libentissime tribuebat: vobis docendo, praecipiendo, omnibus modis prodesse laborabat: neque unquam apud eum aut tarditas nonnullorum aut socordia tantum valebat, ut quidquam ab intentione animi aut laboris assiduitate sibi remittendum esse putaret. Et amastis, qui Klausenium audiebatis — ii certe vestrum, quos compellare operae pretium est — amastis eius in tradendis disciplinis subtilitatem, in interpretandis scriptoribus elegantiam, in moderandis tironum exercitationibus sollertiam, erga bene moratos et discendi cupidos comitatem promptamque ad omne genus consiliorum aut auxiliorum voluntatem, animum denique unius honestatis et veritatis amore inflammatum, liberum, erectum, et quidquid agebat, sive ut vellet ab aliis sive secus accipiebatur, recte factorum conscientia contentum. Talis igitur praeceptoris imaginem non cito ex animis vestris elapsuram, sed haesuram perpetuamque fore speramus, efficacissimum Vobis ad omnem virtutem honestatemque incitamentum, ne tam praeclarum exemplum frustra vobis propositum fuisse videatur.

Scrib. in univers. Gryph. a. d. XV. Cal. April. MDCCCXL.

etiam ratio nominis sive cognominis facile apparet. Scilicet *tuticum* Samnites id oppidum vocabant, quo *tovto* h. e. universitas eorum, sive omnis populus, ad concilia conventusque celebrandos confluere solebat. Sin falso caput Samnii Tuticum a Dositheo dicitur, nihilo minus tamen etiam minori alicui oppido illud nomen convenisse dicemus, si non quidem omnis populi, at circum habitantium certe conventus in eo agebantur: quin minutissima quoque fora et conciliabula *tutica* dici recte potuerunt. Nam prout *tovto* s. universitas vel omnium, vel complurium, vel paucorum fuit, ita etiam adiectivi inde ducti ambitum variari oportuit.

Haec scripseramus, Commilitones, emenso hibernarum scholarum curriculo ad feriarum otium et hilaritatem cum bonis votis Vos dimissuri, nobisque ipsis haud ingratam a laboribus requiem et recreationem securo et tranquillo animo prospectantes, quum subito et inopinato casu perculsi ex hac tranquillitate in luctum et moerorem coniicimur. Intelligitis, quid dicamus: nam vester hic luctus non minus quam noster est: vestris quoque animis vulnus inflictum: vestris quoque lacrimis hic insperatus et immaturus Klausenii obitus defletur. Nos carissimo collega, Vos optimo praeceptore, universitas nostra insigni decore orbata est, et, quo gravius lugemus, orbata est paene prius quam aucta, quum vixdum virtus viri egregii et praestantia penitus a nobis cognosci fructusque eius percipi coepit. Obiit Klausenius post mensem duodevigesimum, quam ex Rhenana academia in hanc nostram translatus, post paucos dies, quam in ordinaria professione collocatus est: obiit florentissima aetate, integris animi viribus, corpore, etsi minus robusto, certe tamen iuveniliter vigente, in medio vitae et laudis cursu interceptus, praeclara multa agitans, excellentibus-
16 que doctrinae et ingenii copiis quum litteris tum universitati nostrae plurimum incrementi promittens. Nam quid non praestaturum videbatur eius virile robur, cuius talia extarent opera iuvenilia? quae si quis ex vero aestimare velit, non sane adolescentulo, quartum et trigesimum annum nondum egresso, sed viro digna dicet per longum tempus in litteris naviter versato et prope consummato. Itaque in hac brevitate vitae hoc tamen ille effecit, ut operibus non cito perituris longissimae se posteritatis memoriae commendaret. Superstes erit Klausenii nomen, quamdiu Graecae et Romanae antiquitatis studia vi-

gebunt: celebrabitur apud posteros, quamdiu erunt, qui vel in principis tragicorum operibus non verba solum aut externa artis ornamenta, sed intimos sublimis animi sensus et rerum divinarum humanarumque notiones quaerant, vel qui principis in orbe terrarum populi religiones accuratius pernoscere sacrorumque origines absconditosque fontes investigare studeant. — Vobis autem, Commilitones, memoriam viri desideratissimi etiam propter alia bona plurima, quamquam minus ad exteros illustria, caram et sanctam fore confidimus. Vobis enim Vestraeque institutioni plurimum ille operae et optimas horas libentissime tribuebat: vobis docendo, praecipiendo, omnibus modis prodesse laborabat: neque unquam apud eum aut tarditas nonnullorum aut socordia tantum valebat, ut quidquam ab intentione animi aut laboris assiduitate sibi remittendum esse putaret. Et amastis, qui KLAUSENIUM audiebatis — ii certe vestrum, quos compellare operae pretium est — amastis eius in tradendis disciplinis subtilitatem, in interpretandis scriptoribus elegantiam, in moderandis tironum exercitationibus sollertiam, erga bene moratos et discendi cupidos comitatem promptamque ad omne genus consiliorum aut auxiliorum voluntatem, animum denique unius honestatis et veritatis amore inflammatum, liberum, erectum, et quidquid agebat, sive ut vellet ab aliis sive secus accipiebatur, recte factorum conscientia contentum. Talis igitur praeceptoris imaginem non cito ex animis vestris elapsuram, sed haesuram perpetuamque fore speramus, efficacissimum Vobis ad omnem virtutem honestatemque incitamentum, ne tam praeclarum exemplum frustra vobis propositum fuisse videatur.

Scrib. in univers. Gryph. a. d. XV. Cal. April. MDCCCXL.

DE RELIGIONIBUS EXTERIS APUD ATHENIENSES.

3 Plato, Legg. X, 15 p. 909, ubi exponit, quales de religione cutuque deorum leges in civitate bene constituta observandae sint, sacra civium privata ac domestica, quae in sua quisque domo faciat, prorsus arcenda esse statuit: ἱερά, inquit, μηδὲ εἷς ἐν ἰδίαις οἰκίαις ἐκτήσθω. Comparavit hanc legem Astius cum ea, quae a Cicerone praescribitur, de Legg. II, 8, 19: *Separatim nemo habessit deos, neve novos sive advenas nisi publice adscitos privatim colunto*; sed apparet tamen quantum intersit. Nam Cicero, licet novos sive advenas deos privatim coli vetet, nisi publice adsciti sint, ipsum tamen genus sacrorum privatorum, in quibus sunt Larum, Penatium, deorum Manium religiones, tantum abest ut vetet, ut ea, quemadmodum a maioribus tradita sint, perpetuo conservari ac deinceps posteris prodi iubeat[1]). Contra Plato non modo novos sive advenas, sed nullos omnino deos privatim coli vult, unde consequitur in eius civitate neque arae Iovis Hercii neque patritorum (πατρῴων) deorum larariis, neque ulli alicuius numinis sacrario in privatorum aedibus locum concedi, neque sacrificia ulla diis offerri posse nisi in publicis templis, assistentibus
4 etiam sacerdotibus publice constitutis, quemadmodum ipse praecipit: θύειν δ᾽ ὅταν ἐπὶ νοῦν ἴῃ τινί, πρὸς τὰ δημόσια ἴτω θύσων, καὶ τοῖς ἱερεῦσί τε καὶ ἱερείαις ἐγχειριζέτω τὰ θύματα, οἷς ἁγνεία τούτων ἐπιμελής. Id quam ab causam praeceperit tamque diligenter omnem privatorum sacrorum usum interdixerit, ex ipsius disputatione cognosci potest. Nam homines imperitos, praecipue mulierculas, si

---

1) L. l. c. 9, 22: *Sacra privata perpetua manento.* c. 19, 48: *de sacris autem — haec sit una sententia, ut conserventur semper et deinceps familiis prodantur et, ut in lege posui, perpetua sint sacra.*

quando aut morbis aut periculis aut aliquo graviore malo opprimantur, aut somniis atque ostentis terreantur, ad eiusmodi sacra confugere solere, quibus propitiari deos posse opinentur, nec deesse improbos quosdam atque impios impostores, qui credulos animos prava superstitione impleant, donisque et sacrificiis quibusdam oblatis deorum iram placari et peccatorum veniam impetrari posse affirment, cui superstitioni quo minus indulgeri per sacra privatim et intra parietes facta possit, idcirco hoc omne genus arcendum esse: *ἵνα μὴ ἱερά τε καὶ βωμοὺς ἐν ἰδίαις οἰκίαις ἱδρυόμενοι λάθρα τοὺς θεοὺς ἵλεως οἰόμενοι ποιεῖν θυσίαις τε καὶ εὐχαῖς αὐτοῖς τε ἐγκλήματα πρὸς θεῶν ποιῶνται καὶ τοῖς ἐπιτρέπουσι, καὶ πᾶσα οὕτως ἡ πόλις ἀπολαύῃ τῶν ἀσεβῶν τρόπον τινὰ δικαίως.* Sed ab hac ratione, quam in sua civitate Plato sequitur, Graecorum civitates omnes longissime remotae erant, quumque illud ipsum genus superstitionis, cui is lege sua occurrendum statuit, apud omnes in publicis religionibus dominaretur, non erat profecto, cur etiam privatim deos propter eandem superstitionem placari vetarent. Itaque non modo interdicta sacra privata nusquam videmus, sed cautum ubique, ne, quae antiquitus tradita erant, per socordiam interirent, neve quidquam in hoc genere honorum diis debitorum intermitteretur, quae cura ut communis erat Graecis cum Romanis, sic eandem etiam in Ciceronis legibus commendari vidimus. Quod autem praeterea adiungitur a Cicerone, ne quis novos deos sive advenas nisi publice adscitos privatim colat, hoc num Graecarum civitatum legibus similiter cautum fuerit, ambigitur. Ac de ceteris quidem, quarum instituta propter monumentorum ac testimoniorum defectum parum cognita sunt, etiam ex hoc genere nihil nobis 5
innotuisse non sane mirandum est; sed de Atheniensibus quoque, quorum minus obscurata memoria est, haudquaquam satis constat. C. F. Hermannus quidem, diligentissimus antiquitatum graecarum indagator, cultus exteros h. e. exterorum deorum sacra apud Graecos aut certe apud Athenienses legibus interdicta fuisse tribus saltem testimoniis probari autumat[2]), reprehenditque Lobeckium, virum subtilissimum, qui iisdem illis testimoniis propositis nihilo minus tamen dubitare se professus sit, an ullum sacrorum genus publicis Atheniensium legibus prohibitum fuerit[3]).

---

2) Antiquitt. Graec. sacr. §. 10 not. 10.
3) Aglaopham. p. 667.

Mihi autem testimonia ista, quibus tantopere Hermannus confidit, aut nihil prorsus ad rem pertinere, aut certe non id quod ille vult probare videntur, maloque cum Lobeckio dubitare. quam rem incertam pro certa amplecti: huiusque sententiae meae rationes hoc loco exponere placuit.

Primum igitur examinandum est testimonium Demosthenis, qui in oratione ctr. Aeschinem de male gesta legatione, §. 281. p. 431 R., adversarium quovis modo invidiose detrectans, Glaucotheae eum filium appellat, eius, quae thiasos olim congregaverit eaque sacra factitaverit, quorum causa alia quaedam sacerdos supplicio affecta sit. Sacra illa Sabazia fuisse aliunde compertum habemus: de altera sacerdote vetus interpres docet, fuisse eam Ninum quandam, eamque a Menecle accusatam esse, quod philtra adolescentibus pararet: *λέγει δὲ*, inquit, *τὴν Νίνον λεγομένην· κατηγόρησε ταύτης Μενεκλῆς ὡς φίλτρα ποιούσης τοῖς νέοις:* id quod non ex coniectura ab eo positum, sed veterum monumentorum fide traditum esse facile agnoscitur [4]). Videtur igitur
6 Ninus non tam propter sacra accusata damnataque esse, quam propter veneficia sacrorum obtentu parata. Scilicet mulier impura, quo plures alliceret thiasotas, Sabazium suum etiam hoc nomine commendabat, quod quum alia multa cultoribus suis beneficia praeberet, tum etiam hanc amantibus opem praestaret, ut per medicamenta quaedam cum eius numinis invocatione certisque caerimoniis parata eorum, a qui-

---

4) Extabat oratio *κατὰ Μενεκλέους ἀπαγωγῆς* a Nini illius filio contra matris quondam accusatorem habita (vid. Dionys. de Dinarch. c. 11.), ex qua oratione aut ipse scholiastes, aut is quem hic auctorem sequitur, discere fortasse potuit quae de Nini causa refert. Ceterum publicam hanc sacerdotem fuisse nemo credet, non magis quam Glaucotheam: *ἱερείας* vocabulo nihil nisi sacrificula significatur. Et ne civis quidem fortasse fuit: certe nomen eius peregrinitatem prodere videtur. Quod quum filius eius, is a quo postea Menecles accusatus est, civis sine dubio fuerit, statuendum erit, hunc aut *δημοποίητον* fuisse, aut patrem civem habuisse. Scimus enim proximo ante Aristophontis legem et Euclidem archontem tempore civitatem etiam iis, qui patrem tantum civem, matrem peregrinam haberent, non denegatam esse (vid. Antiq. i. p. Gr. p. 198. Griech. Alterth. 1 p. 359.) neque quidquam obstat, quo minus hoc tempore illum Nini filium natum esse credamus, cuius adversarius Menecles si idem fuit, de cuius hereditate extat Isaei oratio, sic quoque temporis ratio congruit. Nam hunc ego, comm. in Isac. p. 199, circiter ann. 360 mortuum esse ostendi: ad summam senectutem pervenisse ex ipsa oratione cognoscitur, quamobrem natus videri debet circ. ann. 435 aut 440, h. e. triginta amplius annis ante Euclidem archontem. Nini autem causa non multis ante hunc annis acta esse videtur.

bus se amari vellent, animos sibi devincirent. Eiusdem Sabazii etiam Glaucothea sacerdos fuit, quae licet fortasse nunquam ad veneficia sacris abusa sit, non tamen obstare hoc Demostheni potuit, quo minus eam cum altera Sabaziorum antistite tanquam similem ac parem componeret, neque curaret quaerere, supplicium huic utrum propter sacra, an propter veneficia sacrorumque abusum inflictum esset[5]). Tam religiosam veritatis observationem, praesertim in adversario exagitando, 7
longissime a veterum oratorum more remotum esse satis constat.

Alterum testem Hermannus Plutarchum appellat, vit. Demosth. c. 14, quem quo consilio citaverit et quidnam huius testimonium facere posse crediderit ad sententiam suam comprobandam nemo facile perspiciet. Nihil enim Plutarchus nisi Theoridem quandam (sive Theodoridem) sacerdotem a Demosthene accusatam condemnatamque esse narrat quum propter alia delicta, tum quod servitia ad fallendum fraudemque dominis faciendam instrueret: *κατηγόρησε δέ*, inquit, *καὶ τῆς ἱερείας Θεωρίδος, ὡς ἄλλα τε ῥᾳδιουργούσης πολλὰ καὶ τοὺς δούλους ἐξαπατᾶν διδασκούσης· καὶ θανάτου τιμησάμενος ἀπέκτεινε.* Neque igitur cuiusnam dei sacerdos fuerit, nec qualia sacra fecerit ex his Plutarchi verbis intelligi potest. De eadem Theoride etiam is loquitur, cuius est oratio prima in Aristogitonem, quae exstat inter Domesthenicas, p. 793, Lemniam eam et *φαρμακίδα* dicens, veneficiis cum incantationibus usam; itemque Harpocratio, qui ex Philochoro refert, haruspicam (*μάντιν*) fuisse et impietatis crimine damnatam. Impietatis propterea postulari potuit, quod sacris, itidem ut Ninus, ad veneficia cum incantationibus abusa esset: exotica haec et peregrinorum numinum sacra fuisse, quamvis credibile sit, tamen a nullo proditum est, et si maxime proditum esset, vel sic non liqueret, haec sola, etiam absque veneficii crimine, ad condemnationem suffectura fuisse.

---

5) Verba Demosthenis, *Γλαυκοθέας τῆς τοὺς θιάσους συναγούσης, ἐφ' οἷς ἑτέρα τέθνηκεν ἱέρεια*, hanc unam interpretationem admittunt, ut altera illa sacerdos propter thiasos, quales Glaucotheae sint, damnata esse dicatur, neque assentior Lobeckio, qui Agl. p. 666 *ἐφ' οἷς* etiam pro indefinito *δι' ἃ* accipi posse putat, ut non thiasi, sed aliud quid, quo minus definite, hoc invidiosius significetur. Neque enim grammatica ratio hoc patitur, et satis invidiosum hoc ipsum est, quod sic utriusque sacerdotis thiasi tanquam eiusdem generis iisdemque flagitiis inquinati designantur. De scholiasta Dem., quem Lobeckius alteram interpret. secutum esse credit, infra dicemus.

Magis ad rem pertinet Josephi testimonium, adv. Apion. II, 37. Is enim non modo Ninum illam, de qua supra diximus, propterea damnatam esse ait, quod initiaverit homines exterorum deorum sacris, sed addit etiam, hoc Atheniensium legibus prohibitum et capitali poena sancitum fuisse, ne quis exteros deos introduceret: *Νίνον μὲν γὰρ τὴν ἱέρειαν ἀπέκτειναν, ἐπεί τις αὐτῆς κατηγόρησεν, ὅτι ξένοις ἐμύει θεοῖς. νόμῳ δ' ἦν τοῦτο παρ' αὐτοῖς κεκωλυμένον, καὶ τι-*
8 *μωρία κατὰ τῶν ξένον εἰσαγόντων θεὸν ὥριστο θάνατος*[6]). Disertum sane testimonium, sed auctoritatis perquam dubiae, aut potius nullius. Primum enim de causa damnationis obstat Josepho scholiastae Demosthenici relatio, quae propter id ipsum, quod non hanc, in quam quilibet facile coniectando inciderit, sed aliam causam memorat, fide digna videri debet. Neque difficile est ad perspiciendum, unde Iosephi error natus sit. Nempe scholiastam illum aut scholiastae auctorem non noverat, hoc autem ex ipso Demosthene intellexerat, Ninum itidem ut Glaucotheam Sabazii sacra factitasse iisque homines initiasse, Sabazium vero peregrinum deum esse sciebat, cuius sacra non antiquitus recepta, sed recentius demum invecta essent. Hinc igitur quum horum sacrorum antistitam damnatam et morte multatam videret, etiam ipsa haec sacra damnationis et supplicii causam fuisse coniiciebat, eamque coniecturam tanto libentius amplectebatur, quod confirmari hoc exemplo videret id quod probandum sibi sumpserat, non minus exterarum religionum apud Graecos quam apud Iudaeos odium fuisse[7]). Porro autem quum nulla causa esset dubitandi, quin poena Nini legitima fuisset, hoc quoque confidenter addidit, legem apud Athenienses fuisse qualem supra ipsius verbis perscripsimus. Neque ego Iosephum malae fidei insimulo: immo plane persuasum ipsi fuit de coniecturae suae veritate, quum praesertim etiam Socrati hanc damnationis causam, si non unam, tamen praecipuam fuisse crederet, quod, ut ipse ait, *καινοὺς ὅρκους ὤμνυε καί τι δαιμόνιον αὐτῷ σημαίνειν ἔφασκε,* quod crimen non longe saltem ab illo altero diversum videbatur.

---

6) In editionibus vulgo scribitur: *νῦν μὲν γάρ τινα ἱέρειαν.* De veritate correctionis a Lobeckio Agl. p. 668 propositae nemo dubitabit. Alterum vitium *ξένους θεούς* tacite corrigendum fuit.

7) Vid. cap. 36: *ὁ Μόλων Ἀπολλώνιος ἡμῶν κατηγόρησεν, ὅτι μὴ παραδεχόμεθα τοὺς ἄλλαις προκατειλημμένους δόξαις περὶ θεῶν. ἀλλ' οὐδὲ τοῦτο ἐστιν ἴδιον ἡμῶν, κοινόν δὲ πάντων, οὐχ Ἑλλήνων δὲ μόνον, ἀλλὰ καὶ τῶν ἐν τοῖς Ἕλλησιν εὐδοκιμωτάτων.*

Sed de Socrate postea dicendum erit. Josephi autem illam legem quanto diligentius considero, tanto minus mihi credibilem videri profiteor. De peregrinis diis loquitur. Quinam sunt igitur dii peregrini? Illi, arbitror, quos Aristophanes alicubi barbaros dicit, h. e. apud barbaros culti, Graecis ignoti. Atqui hi ipsi tamen barbarorum dii Graecis nomine magis et opinione quam re ipsa et et natura diversi a suis esse videbantur. Nam vera deorum nomina ne sibi quidem nota esse intelligebant, idque etiam in precibus profiteri veniamque erroris petere solebant [8]): quam ob rem non erat profecto, cur barbara nomina diis minus grata et accepta quam graeca esse crederent. De personis autem ac formis divinis, et quae cuiusque propria munera, quae potestas, quod numen esset, non ignorabant quidquid traditum apud se esset opinionibus potius et coniecturis quam certa et indubitabili scientia constare, veramque rerum divinarum cognitionem sibi solis contigisse, aliis denegatam esse, non gloriabantur [9]). Hinc igitur, quamvis in universum tenaces essent patriarum religionum, et iis potissimum nominibus deos invocandos, iis sacris colendos esse crederent, quae essent in quaque civitate a maioribus tradita [10]), tamen alia nomina aliosque ritus cur diis prorsus invisos, ideoque arcendos a civitate et ne in privatis quidem sacris tolerandos esse putarent, nulla probabilis causa erat, immo verendum potius, ne, si nimis in hoc genere morosi essent, debitis etiam gratisque honoribus deos fraudarent. Peregrinis quidem certe hominibus, qui ex aliqua barbarorum terra, e Thracia, Mysia, Phrygia, Caria, Aegypto in Graeciam immigrassent graecarumque civi- 10
tatum inquilini facti essent, interdici nullo modo poterat, quominus deos suos domesticos venerarentur sacraque patria retinerent, quippe quae omitti sine summa impietate non posse censerentur. Inquilinorum autem quum in aliis civitatibus, quae exterorum commerciis florebant, tum praecipue Athenis magna multitudo fuit, nec pauci eorum

8) Vid. Plat. Cratyl. p. 400, cum Heindorfii comm., eiusdemque annot. ad Horat. Sat. II, 6, 20, nosque ad Aeschyl. Prometh. p. 98.

9) Conf. Opuscul. ac. I p. 335.

10) Hesiod. ap. Porphyr. d. abst. II, 18: ὥς κε πόλις ῥέζῃσι· νόμος δ' ἀρχαῖος ἄριστος. Add. Draconis legem ap. eundem IV, 22: porro Cic. de legg. II, 16, 40. Xenoph. Mem. I, 3, 1. IV, 3, 16 et alia apud Nägelsbach. d. nachhom. Theologie des gr. Volksglaubens, p. 201.

barbarae originis [11]): unde consequitur etiam barbarorum deorum sacra privata apud hos non defuisse, quorum si quis civitatem nancisceretur, id quod Athenis, posteaquam plebis dominatio invaluerat, non paucis contigisse constat, is quos deos inquilinus coluerat eosdem etiam civis colere non desiit, ut apud Aristophanem Execestides quidam, natione Car, conditione libertinus et civis adscripticius, irridetur quod barbarum habeat *πατρῷον*, hoc est quod non, ut genuini cives Attici, Apollinem, sed aliquem deum barbarum ut *πατρῷον* domi suae colat [12]). Neque aliter explicandum videtur, quod de Isagora Herodotus narrat, familiam eius Iovi Cario sacra factitasse [13]). Quippe Isagorae maiores e Caria in Atticam migraverant, et quum in civitatem recepti essent, sacra patria retinuerant [14]), Sic igitur non paucos deos barbaros aditum quodammodo in civitatem, privatis dumtaxat sacris, nancisci debuisse, idque legibus prohiberi non potuisse satis apparet.

11 Forsitan autem aliquis Iosephi auctoritatem sic tueri conetur, ut legem ab eo commemoratam non ad quemvis exterorum deorum cultum pertinere dicat, sed ad id genus sacrorum, quae non intra privatos parietes continerentur et ab unius domus ac familiae hominibus fierent, sed ad quae multi promiscue concurrerent, a sacrificulis allecti, initiati et in thiasos congregati, qualia fuerunt Metroaca et Sabazia. Id si admittatur, concedendum tamen simul etiam illud erit, hoc genus sacrorum non propter contemptum quendam aut odium peregrinorum deorum, sed propterea potius prohibitum esse, quod verendum esset,

---

11) Vid. Xenoph. de redit. c. 2, 3: *Λυδοὶ καὶ Φρύγες καὶ Σύροι καὶ ἄλλοι παντοδαποὶ βάρβαροι· πολλοὶ γὰρ τοιοῦτοι τῶν μετοίκων*. Cf. ad Isac. p. 296.

12) Aristoph. Av. v. 1534 Inv. cf. v. 764.

13) Herodot. V, 66.

14) Qui Neleo et Androcle ducibus ex Attica in Asiam transiecerant ibique in Lydiae et Cariae ora sedes occupaverant, multifariam sine dubio commerciis et connubiis cum veteribus harum regionum incolis miscebantur, unde fieri non potuit, quin etiam de religionibus eorum aliquid susciperent. Ex eorum posteris si qui postea in veterem patriam ad cognatos suos revertebantur, consentaneum est facilem his ad civitatem aditum fuisse. Tales Isagorae maiores fuisse haudquaquam improbabile est, atque sic facile Iovis Carii cultum in hac familia explicari posse apparet. Non opus est igitur Herodotum aut malignitatis insimulare, cum Plutarcho, de Her. mal. c. 23, quasi barbaram originem nobili familiae affinxerit, neque erroris, quasi Carium Iovem cum Caraeo confuderit, a qua suspicione Bergkius, Beitr. z. griech. Monatskunde p. 60, se non abhorrere profitetur. Welckero autem, Mythol. I p. 642, Carius Jupiter a Caraeo non diversus esse videtur.

ne quid forte mali atque flagitii ab huiusmodi thiasis committeretur. Verum ne id quidem probari potest, fuisse unquam omnes omnino peregrinorum deorum thiasos atque initiationes sic simpliciter et absolute legibus interdictos. Certe quae de huiusmodi sacris peregrinis primum in Atticam invectis relata sunt, in his nullam tam generalis interdicti mentionem fieri videmus. Magnae matris initia metragyrtes quidam, incertum quo tempore, e Phrygia invexit multasque mulierculas initiavit [15]). Is mox in barathrum coniectus esse dicitur, non quod peregrinae deae religionem introduxisset, sed quod insanire et augustorum mysteriorum sanctimoniam imitando profanare censeretur [16]). Scilicet non vera sacra ista Atheniensibus videbantur, sed vesani hominis deliramenta, quae si impune grassari multosque in socie- 12
tatem furoris pellici paterentur, verendum esse, ne multa hinc et gravia rei publicae mala nascerentur. Postea tamen religio incessit, ne interfecto sacerdote quamvis furioso matrem deorum offendissent: quamobrem oraculi monitu templum ei consecrarunt iuxtaque posuerunt metragyrtae imaginem [17]). De sacris deae publicis nihil amplius

---

15) Vid. Phot. et Suid. s. v. *μητραγύρτης*. Schol. Aristoph. Plut. v. 431.

16) Schol. Aristoph. l. c.: *εἰς τὸ βάραθρον τὸν Φρύγα τὸν τῆς μητρὸς τῶν θεῶν ἐνέβαλον ὡς μεμηνότα, ἐπειδὴ προέλεγεν, ὅτι ἔρχεται ἡ μήτηρ εἰς ἐπιζήτησιν τῆς κόρης.*

17) Quo tempore haec facta sint, nemo indicavit. Videntur tamen ad Pericleam aetatem referenda: certe statuam matris deorum hac aetate a Phidia, qui obiit ann. 432, aut ab eius discipulo Agoracrito factam et in Metroo consecratam esse constat (Pausan. 1, 3, 4, Plin. H. N. XXXV, 5, 4), et Pausanias sic loquitur, ac si eodem tempore etiam Metroum exstructum sit: *ᾠκοδόμηται δὲ καὶ Μητρὸς θεῶν ἱερὸν, ἣν Φειδίας εἰργάσατο.* Nec multo prius sacra matris deorum Athenis innotuisse etiam Zoega statuit, Bassiril. ant. I. p. 47: non parlandosi di simulacro nel metroo anteriore a quello fatto da Fidia, non pare che i riti metroi molto prima dell' età di Pericle celebrità in Atene acquistare incominciassero. Neque is, qui post Zoegam de Metroo scripsit, F. Gerhardus, aliter iudicat; quamquam Metroum Athenis longe antiquius fuisse autumat, non tamen matri deorum, sed — mirum dictu — Minervae consecratum. Scilicet Athenienses, verae rationis obliti, aedem olim antiquae urbis custodi consecratam nunc tanquam vacuam huic nuper invectae matri deorum dedicarunt. Extat Gerhardi commentatio in Act. acad. Berol. ann. 1849, et haec, quae commemoravi, leguntur p. 461. 467. 469. 475. — Leakius, Topogr. Ath. p. 79 ed. Bait. et Saupp., de metroo sic loquitur, quasi id iam Themistoclis aetate fuerit: nam statuam hydrophori a Themistocle apud metroum positam esse ait. Sed hic error manifestus est. Plutarchus enim, quem auctorem citat, vit. Themist. c. 31,

memoriae traditum est: privatim coli aut non desiit, aut mox rursus coli coepta est, nec deerant Athenis metragyrtae, initiationes, thiasorum solemnia, modestiora tamen sine dubio minusque fanatica, quam quae olim tantam indignationem moverant.

Non admodum diversa erant Sabazii sacra, quorum Ninum et Glaucotheam antistitas supra cognovimus. Haec Aristophanis aetate Athenis introducta sunt: certe nullam ibi Sabazii mentionem ante hunc
13 poetam fieri videmus, neque improbabile est, omnium primam eius antistitam illam ipsam Ninum fuisse, id quod etiam Demosthenis scholiastes, is quem vulgo Ulpianum dicimus, affirmare videtur. Quamquam huius auctoritatem non satis gravem esse fatendum est: quumque illam non, quemadmodum alter scholiastes, propter veneficia damnatam dicat, sed quod sacra ista ad contumeliam et irrisionem sanctorum mysteriorum, h. e. Eleusiniorum, spectare viderentur, postea autem Athenienses oraculi monitu sacra illa rursus fieri passos esse, et Glaucotheae ut homines iis initiaret permisisse, dubitari vix potest, quin suam potius coniecturam, quam testatam rerum gestarum memoriam prodat. Ceterum etiamsi causam damnationis veram esse statuamus, apparet vel sic non propter peregrinitatem numinis, sed propter sanctissimarum religionum violationem poenam ei inflictam esse, plane ut isti metragyrtae, de quo supra dictum est. Legem vero de eiiciendo Sabazio eiusque sacris nullam latam esse, non immerito Lobeckius p. 668 etiam e Ciceronis silentio argumentatus est, qui quum arceri novos deos iubeat, idque etiam aliis visum esse demonstret, de Sabazio tamen nullam Atheniensium legem, sed Aristophanis tantum auctoritatem affert, apud quem Sabazius et quidam alii dii peregrini iudicati e civitate eiiciantur. „Quis dubitat,“ inquit „quin Cicero in Legg. II, 15, quo loco novos deos eiiciendos et saepe eiectos esse monet, si eiusmodi legem cognitam habuisset, hanc potius quam Aristophanis de Sabazio edictum ludicrum commemoraturus fuerit?“

Sic igitur satis undique probatum arbitror, legem illam, quam Iosephus fuisse credidit, ipsis Atheniensibus inauditam fuisse. Nam

---

statuam illam ab exule Themistocle Sardibus in Matris deorum templo repertam esse ait, transportatam scilicet illuc a Persis, quum bello Pers. secundo Athenis potiti essent.

quod unum fortasse aliquis opponat[18]), Socrati ab adversariis crimini datum, quod nova numina (καινὰ δαιμόνια) introduceret: adverten- 14
dum est, non sic simpliciter hoc ei obiectum esse, sed coniunctum cum altero crimine, quod deos publice receptos sperneret planeque ne haberet quidem in deorum numero, sed alia pro iis ac nova numina discipulis suis veneranda commendaret[19]). Quam vere hoc ei ab accusatoribus obiectum sit, nihil nunc attinet quaerere, estque hac de re iam satis superque ab aliis dictum. Illud autem quilibet sua sponte intelligit, longe aliud esse vetera numina ac religiones prorsus reiicere et cum novis commutare, id quod Socrates fecisse incusabatur, aliud autem nova numina aut novas numinum formas atque appellationes introducere novasque religiones iis quae antiquitus receptae erant adiungere. Hi enim, a quibus matris deorum aut Sabazii sacra instituebantur, sic facile se defendere poterant, ut nihil a se detrahi veterum deorum honori, sed addi potius aliquid dicerent: nam matrem deorum eandem esse quam Rheam, Sabazium esse Dionysum, neque dubitandum esse, quin dii ipsi tanto magis placarentur, quanto pluribus vel nominibus invocarentur, vel ritibus ac caerimoniis colerentur. Sic igitur enim veteres Athenienses iudicarunt, eamque ob causam nova sacra non prohibuerunt, nisi si ea vel officere veteribus religionibus easque in contemptum adducere, vel corrumpere hominum mores et sceleribus atque flagitiis opportunitatem dare censerent. Hanc enim causam fuisse videmus, cur Phrygem istum metragyrtam in barathrum 15

---

18) Quod Servius ait, ad Verg. Aen. VIII, 187: Cautum fuerat apud Athenienses, ne quis novas introduceret religiones: unde et Socrates damnatus est: non est verendum, ne quis hunc testem locupletem esse credat.

19) Josephus quidem l. l. Socrati etiam hoc crimini datum credit, quod insolitis quibusdam et satis miris iuris iurandi formulis uteretur, scilicet quod canem, anserem, platanum potius quam deos antestaretur. Et fuerunt etiam alii, qui id eum in contumeliam deorum fecisse opinarentur, velut Tertull. Apol. c. 14. adv. nat. c. 10. Lactant. D. I. III, 20, 15. Sed fecit hoc potius ob reverentiam deorum, ne in eiusmodi affirmationibus, quales in quotidiano sermone etiam de rebus saepe levissimis usurpari solebant, illorum nominibus temere et praeter necessitatem abuteretur. Veteres ipsi huiusmodi affirmationes, quae formam tantum, non vim et naturam iuris iurandi habent, a Rhadamantho praeceptas volunt: tantum abest, ut eas ad contemptum deorum spectare crediderint. Cf. Lasaulx, Der Eid bei den Griechen, in collectione opuscul. Studien des classischen Alterth. p. 200 sq.

coniicerent Ninumque supplicio afficerent, non quod nova numina introduxissent, sed quod vesanis atque impiis ritibus aut etiam veneficiis poenam meruissent. Alii autem, qui eorundem numinum sacris operabantur, tuti a poena erant, dum neque publicas religiones violarent neque alia maleficia committerent.

Ceterum Sabazii sacra, quamvis multos haberent asseclas et thiasotas, semper tamen privata mansisse neque unquam publice suscepta esse videntur: Matri deorum templum quidem dedicatum, de publico autem eius deae cultu nihil amplius memoriae traditum esse iam supra diximus. Non tamen plane desunt peregrinorum sacrorum publice susceptorum exempla, quorum unum notissimum est Bendideorum. Fuit enim Bendis Thracum dea, quam plerique cum Diana, alii cum Hecate, alii etiam cum Proserpina aut compararunt aut confuderunt, nec dubitari potest, quin sacra eius a Thracibus inquilinis, quorum haud exiguus numerus Athenis maximeque in Piraeeo fuit, in Atticam translata sint. Sed haec aliquamdiu privatim tantum celebrabantur ab iisdem illis inquilinis, et si qui fortasse etiam de civibus illius numinis religionem amplexi erant: nam liberum id cuilibet fuisse ex iis quae supra disputata sunt satis apparere arbitror. Atque hoc ipsum, quod cives multi paullatim Bendidis cultores facti erant, in causa fuisse videtur, ut mox etiam publice sacra eius susciperentur festumque institueretur annuum, cum pompis et civium Atticorum et Thracum inquilinorum sacrificiisque publico sumptu apparatis [20]). Id Platonis aetate factum esse ex huius libro I de re publica comperimus [21]): fieri
16 autem non aliter potuit, quam lege ab aliquo oratore ad populum lata, cuius, ut de ceteris rebus quibusvis, sic etiam de religionibus aut adsciscendis aut respuendis illa saltem aetate summa potestas fuit. Nam quod nonnulli de his ab Areopago decernendum fuisse crediderunt, probari non potest [22]). Quod autem Strabo, X, 3 p. 471, Athenienses

---

20) De his vid. Corp. Inscr. I no. 157, 23. et Boeckh. Oecon. publ. Ath. II p. 129 ed. sec. — Templum Bendidis, τὸ Βενδιδεῖον, prope aedem Dianae Munychiae, commemorat Xenoph. Hell. II, 4, 11.

21) De anno non satis constat, neque opus est nunc quaeri.

22) Cf. de comit. Ath. p. 299 sq. — Sed corrigendus est error iuvenilis, in quem a Petito aliisque inductus fui, de Harpocrationis verbis s. v. ἐπιθέτους ἑορτάς: ἐλέγετο δὲ παρ' αὐτοῖς καὶ ἐπίθετά τινα, ὁπόσα μὴ πάτρια ὄντα ἢ ἐξ Ἀρείου πά-

sicut in aliis rebus, sic etiam in religionibus φιλοξένους fuisse multaque peregrina sacra adscivisse ait, id quum verissime dictum esse non paucis exemplis et comicorum poetarum frequenti irrisione satis constet[23]), haudquaquam tamen sic accipiendum est, quasi omnes isti dii exteri, quos passim a multis cultos esse videmus, etiam populi scitis in civitatem quasi recepti fuerint publicosque honores acceperint. Id enim perpaucis contigit, et florente quidem re publica vix ulli praeterquam Bendidi, et fortassis etiam Aegyptio Ammoni. Certe ol. CXI, 4, a. Chr. 333, huic deo sacra a strategis rei publicae nomine sumptuque publico facta esse vetus inscriptio docet[24]), videturque etiam festum eius Athenis fuisse: quamquam de hoc unum modo testimonium non satis disertum extat[25]), neque quo tempore id institutum sit indagari 17
potest. — Quodammodo autem in peregrinis diis etiam Pan numerari potest, non ille quidem barbarus, nequaquam tamen cunctae Graeciae communis, sed ab initio, quantum quidem coniicere licet, Arcadibus proprius. De huius cultu publico Athenis suscepto nota est Herodoti narratio, VI, 105: bello Persico primo, quum Phidippidem cursorem Athenienses Spartam misissent auxilia arcessiturum, huic in Arcadia ad montem Parthenium prope Tegeam Panem se obtulisse eique mandasse ut renuntiaret Atheniensibus, mirari se, quod parum sui memores essent, quamvis valde iis faveret nec pauca favoris documenta partim iam edidisset, partim mox editurus esset. Hanc ob causam, addit Herodotus, bello feliciter confecto, quum vera Phidippidem renuntiasse

---

γου βουλὴ ἐδίκαζεν. Non enim ἱερά intelligenda sunt Areopagique de his iudicia, sed sunt ἐπίθετα quaevis causarum genera, de quibus iudicium Areopagitis extra ordinem populi iussi mandabatur. Ne de γραφῇ ἀσεβείας quidem pro certo affirmari potest eam legitime ad Areopagum pertinuisse. (Vid. C. F. Hermann. de theoria Deliaca, in Prooem. Gott. schol. ann. 1846/47.) nec de Paulo apostolo aliud quid refertur in Act. ap. XVII, 18 sqq., quam deductum esse in Areopagum, ut explicaret, quaenam esset nova sua doctrina. De accusatione et iudicio nihil dicitur, sed tantum irrisum a multis eum abiisse, nonnullos autem, in quibus Dionysium eiusque uxorem Damarin, verbis eius fidem adiunxisse.

23) Vid. Th. Bergk. de reliq. com. Att. p. 109.

24) C. I. Gr. no. 157. cf. Boeckh. de oec. publ. Ath. II p. 132.

25) Apud Hesych. s. v. Ἄμμων, de quo vid. Boeckh. l. l. p. 133. — De Iside, Osiri, Nephthye apud Athen. cultis testimonia omnia recentioris aetatis sunt, nec liquet, privatimne an publice culti sint.

crederent, non modo sacellum Pani sub arce consecrarunt, sed etiam sacra annua cum lampadodromiis instituerunt. Neque nos dubitamus, quin fabulam istam de Phidippide multi pro vera habuerint; compositam autem putamus seu ab ipso Phidippide sive ab aliis, quo facilius populus ad honorem agresti illi et quasi de plebe deo tam insignem habendum permoveretur. Ortum autem hoc consilium post pugnam demum Marathoniam, et propter ipsum pugnae locum suspicamur. Nam probabile est in hac parte Atticae, quae Diacria dicitur, eratque pecori magis quam agri culturae apta, Panem deum ab incolis pastoribus et rusticis iam prius cultum fuisse, novimusque apud Marathonem etiam montem Pani sacratum fuisse cum antro, in quo eius dei *αἰπόλιον* monstrabant, hoc est lapides caprarum quandam similitudinem referentes[26]): quae religio si iam ante bellum Persicum ibi fuit, non mirabimur hinc multos per-
18 motos esse, ut in proelio ibidem facto vicini dei numine se adiutos esse, eamque ob causam publicos ei honores deberi iudicarent.

Sed ne illos quidem deos, quos, quia cultus eorum antiquior fuit, ipsos quoque antiquos dicere licet, omnes iam ab ultima antiquitate primisque rei publicae initiis cultos esse adeo manifestum est, ut dubitari a nullo possit. Paucioribus, quos indigenae Attici coluerunt, accesserunt mox alii ab advenis allati: Dionysus e Boeotia primum in vicinos Atticae pagos translatus paganisque sacris cultus, donec mox etiam in urbem receptus publicisque honoribus affectus est: Apollo, is quem Delphi et Dorienses coluerunt, Athenis non ante adoptatus est, quam priscis Atticis multi Hellenicae stirpis advenae, quos vulgo perperam Iones dicunt, admixti essent: Cereris et Proserpinae initia non ante, quam Eleusinii cum Atheniensibus in unius rei publicae communitatem accepti essent. Sed haec aliaque eiusmodi, quorum obscura indicia ex fabulosa historia eruenda sunt, hoc quidem in universum demonstrant, priscas religiones paullatim novis et adventiciis auctas esse, de singulis autem

26) Pausan. I, 32, 7. — Panis templum, *Πανεῖον*, in pago Anaphlystio Strabo commemorat IX, I p. 398. et in Salamine insula hunc deum cultum esse e Pausania I, 36, 2 cognoscitur, quo pertinet etiam, quod Aeschylus, Pers. v. 445, eum in propinqua Psyttalea versantem inducit.

si quaeritur, quando et a quibus invectae sint, et quo modo tantopere invaluerint, ut non iam a paucioribus, velut gentibus, pagis aliisve populi partibus, sed ab universo populo publicis sacris festisque colerentur, aut raro aut nunquam ultra coniecturas lubricas atque incertas procedi potest.

Gryphiswaldiae d. XIV m. Octobris MDCCCLVII.

DE CAPESSENDA A SAPIENTIBUS RE PUBLICA.

3 Nobilissimum est decantatumque a multis dictum Platonis, non prius beatas fore civitates, quam gubernatio rerum publicarum philosophis tradita fuerit: cuius dicti sententia ne perperam accipiatur, quosnam ille philosophos dicat reputandum est. Nempe non tales, quales esse plerique eorum solent, qui illud nomen aut ipsi sibi imponunt aut impositum ab imperitis gerunt, — quorum merito factum est, vix ut quidquam hodie vilius aut contemptius sit philosophi nomine, — sed tantummodo viros vere sapientes aut studiosos certe verae sapientiae, h. e. recti honestique amantes, ab omni fraude ac vanitate, a turpitudine et temeritate abhorrentes, iustos, temperantes, fortes atque prudentes, quales viri quum praesunt civitatibus, tunc illud unum praestantissimum genus rei publicae existit, aristocratia veri nominis, qua ut nihil optabilius generi humano, ita nihil rarius ac difficilius inventu est[1]). Neque enim admoventur facile a populo sapientes gubernaculis rei publicae, neque ipsi sua sponte ad capessendam rem publicam prompti paratique esse solent, sed illud potius evenire videmus, quod ab eodem Platone elegantissima imagine expressum est a navigantibus desumpta, quem locum, quoniam est sane cognitu dignus,
4 hic repetere placuit, non ad verbum quidem conversum, sed redditis tamen accurate sententiis[2]). „*Fingamus*", inquit Plato, „*aliquem na-*

1) De hac aristocratia veri nominis, h. e. optimorum imperio, et quantum distet ab ea vel nobilium vel divitum imperium, quae oligarchia aut plutocratia vel timocratia est cf. accuratam Luzaci expositionem in annott. ad orat. de Socrate cive p. 63—74. Add. Hüllmann, Staatsrecht des Alterth. p. 111. Goettling, de aristocratia veterum in Act. Acad. Jenens. I, p. 465. nos in Antiquitt. i. p. Gr. p. 60.

2) Extat locus de re publ. VI, p. 488.

vicularium, sive unius navis sive plurium dominum, magnitudine quidem et robore corporis ceteros, qui una vehuntur, omnes superantem, sed subsurdum eundem neque oculis satis valentem, itemque rei navalis haud sane peritum; nautas autem rixantes inter se de navis gubernatione, et sibi quemque gubernaculum permitti postulantes, quamvis neque didicerint unquam gubernandi artem, neque ostendere possint aut quem praeceptorem habuerint aut quo tempore didicerint, immo vero negent omnino esse aliquam eius rei artem ac disciplinam, eosque, qui id ita esse contendunt, dilacerare adeo cupiant. Obsident autem hi homines assidue navicularium instantque precibus omnemque lapidem movent, ut sibi potissimum gubernaculum tradatur, quumque id non impetrant, sed alios sibi praeferri vident, hos non raro aut obtruncant aut e navi eiiciunt, istum autem bonum navicularium aut mandragora consopientes aut vino inebriantes aut alia quapiam ratione impedientes, quominus navis imperium retineat, rerum omnium in navi potestatem ad se trahunt, vinoque et epulis indulgentes sic navigant, ut consentaneum est eiusmodi homines navigare posse, dilaudantes etiam ac praedicantes tanquam peritum et gubernaculo dignum quicunque ipsis sese socium adiungit et conferre aliquid potest, quo facilius naviculario aut dolis atque fallaciis decepto aut vi coacto ipsi navem in potestate habeant, si quis autem sibi adversatur, hunc insectantes contumeliis, tanquam hominem nullius pretii; verum autem gubernatorem qualem esse oporteat tantopere ignorantes, ut ne hoc quidem intelligant, oportere eum et anni temporumque rationem habere, et caelum ac sidera et ventos observare, et quidquid praeterea ad artem pertinet: quarum rerum si quis mentionem facit inter huiusmodi homines, derident eum atque contemnunt tanquam vanum rerum sublimium speculatorem nugatoremque inutilem." Plato ipse hanc suam imaginem facillimam ad intelligendum esse non immerito profitetur: a recentioribus tamen quibusdam interpretibus non totam ex omni parte satis intellectam esse hinc manifestum est, quod nonnulli, in quibus etiam doctissimum Stallbaumium esse miror, eum, qui ναύκληρος a Platone dicitur, non distinxerunt a gubernatore. Quid intersit autem inter ναύκληρον et κυβερνήτην, vel lexica docere poterunt. Nauclerus s. navicularius est navis dominus, eiusque persona nemo alius a Platone significatur, quam ipse *populus rei publicae dominus, (le peuple souverain,)* subsurdus ille et parum acute cernens nec nisi magnitudine corporis et robore valens, plane ut Aristophanicus ille DEMVS, senex insipiens et

delirans, donec ab insiciario sanatur. Is navis gubernacula, quemadmodum populus administrationem rei publicae, permittit quibus vult: qui autem rixantur de gubernaculo, demagogi sunt sive *δημοκόλακες*, ab iisque navicularius aut consopitur aut inebriatur pariter ut a demagogis populus, quorum artes, ut *κολακείας μόριον, πολιτικῆς μορίου εἴδωλον, ἀντίστροφον ὀψοποιίας ἐν ψυχῇ*, alibi a Platone describuntur[3]). Denique monitores illi, qui non temere nec sine arte navem gubernari volunt, viri boni ac sapientes reique publicae periti sunt, quos demagogi in civitate, pariter atque illi nautae Platonis adversarios suos, omni modo insectantur conviciisque et contumeliis absterrere a re publica conantur. „*Hoc igitur modo*", pergit porro Plato, „*quum in civitate populus, aut qui plurimum apud populum valent, erga sapientes affecti esse soleant, non mirum est, hos accedere ad rem publicam mergique civilibus undis non valde cupere. Quippe vident*
6 *multitudinis temeritatem a perditissimo quoque facillime incitari, neque locum sanis conciliis concedi, neque esse quorum societate et auxilio fretus vir bonus ac sapiens id, quod verum rectumque esse intellexerit, tueri ac perficere queat, sed quum neque una cum reliquis delirare velit, nec resistere unus efferatae multitudini possit, sicut inter feras hominem destitutum, nullo nec suo nec rei publicae emolumento periturum esse.*"

Sic ferè Plato: post Platonem autem disputatum a plurimis est, utrum accedere ad rem publicam an abstinere ea magis sapientem deceret[4]). Et Aristoteles quidem[5]), hac proposita quaestione, *πότερος*

3) In Gorgia p. 463 sqq.

4) De antiquioribus constat septem illos, qui quasi proprio ipsis nomine Sapientes vocari solent, omnes praeter Thalen Milesium civitatibus praefuisse legibusque latis aut administrata re publica gloriam nactos esse. Vid. Diog. L. I, 40. Aelian. V. H. III, 17 aliaque a nobis cit. in Antt. i. p. Gr. p. 92, 1. Pythagorae quoque disciplinam magnopere ad rem publicam spectasse ex iis, quae ibidem a nobis dicta sunt, apparet, nec recte Cicero de orat. III, 15, 56, hunc plane eodem cum Democrito et Anaxagora loco numerat, qui sane totos se a re publica ad otiosam rerum cognitionem transtulerunt. — De Socrate cive luculentam habemus Luzaci orationem, Lugd. B. ann. 1796 editam. De duobus Socratis auditoribus maxime disparibus, Aristippo et Antisthene, quorum alter fugiendam, alter administrandam sapienti rem publicam dicebat, vid. Augustin. de Civ. Dei XVIII, 41. Eadem controversia postea inter Stoicos et Epicureos maxime agitabatur, de qua pauca quaedam legimus in Senecae fr. De otio sapientis, plura collegit Gassendus, De philos. Epicur. II p. 14 et 357.

5) Politic. VII, 2.

αἱρετώτερος βίος, ὁ διὰ τοῦ συμπολιτεύεσθαι καὶ κοινωνεῖν πόλεως, ἢ μᾶλλον ὁ ξενικὸς καὶ τῆς πολιτείας ἀπολελυμένος, h. e. utrum vitae genus praestabilius sit, illudne, quod versetur in re publica civiliumque negotiorum participatione, an contra quod his abstineat et tantum hospitetur in civitate: illud quidem convenire inter sapientiores ait, praestantissimam maximeque optabilem vitam eam esse, quae plurimum maximeque expeditum virtutis usum habeat, hoc tamen ambigi, in utro vitae genere id magis contingat. Videri enim multis, in administratione rerum publicarum fieri non posse, quin saepenumero etiam iniuste agendum sit, id quod contra virtutem esse apparet, aut multas magnasque molestias atque offensiones subeundas esse, quod tranquillitati animi et felicitati contrarium est; alios contra contendere, viris dignam ac decoram vitam solam hanc civilem et actuosam esse, propterea quod nusquam amplior virtuti campus pateat, in quo exerceri omnemque suam vim expromere possit. Aristoteles ipse utram sententiam veriorem iudicet hoc quidem loco non definit: ceterum quanti faciat civilem hominum societatem satis alibi testatus est, quamobrem fieri non potuit, quin viri boni ac sapientis officium esse iudicaret, inservire quantum posset huic societati eamque omni modo tueri atque conservare. — Ex discipulis Aristotelis nobilissimi Theophrastus et Dicaearchus fuerunt, quorum magnam controversiam fuisse Cicero scribit, ad Atticum II ep. 16, quum Dicaearchus τὸν πρακτικὸν βίον longe omnibus anteponeret, Theophrastus autem τὸν θεωρητικόν. Ceterum hic, quamvis abstinere sapientem re publica neque immisceri civilibus negotiis vellet, tamen ad praeceptoris sui Aristotelis exemplum plurimos et ipse libros de re publica eiusque forma et administratione composuit, multarumque civitatum leges et instituta admirabili diligentia persequutus est: quippe cognitionem harum rerum ad sapientiam pertinere iudicans, cuius haud minima pars in eo constat, ut variis ac multiplicibus, quae ubique extiterunt, formis ac speciebus rerum humanarum quam fieri potest plenissime et accuratissime perspectis, ipsam vim et naturam humanitatis magis magisque mente et intelligentia complectamur. Ac redundare ex hoc studio etiam in rem publicam eiusque administrationem fructum haud contemnendum posse intellexit, quum instituerentur doctorum virorum disputationibus alii ad accuratam harum rerum cognitionem atque intellectum, exemplisque omnis generis propositis quid sibi, quum accessissent ad rem publicam, sequendum, quid vitandum foret admonerentur. Propterea igitur et a

Peripateticis et a veteribus Academicis, qui re consentientes vocabulis differebant, omnem hunc locum civilem doctrinamque politicam graviter et copiose tractatam esse accepimus [6]), neque immerito ipsi gloriati sunt, claros viros a se instructos saepenumero rem publicam rexisse [7]). Nec Stoicorum ratio ab his discrepabat. Quum enim ad tuendos conservandosque homines hominem natum esse sentirent, consentaneum esse huic naturae intelligebant, ut sapiens etiam rem publicam gerere et administrare vellet [8]). Quod autem crimini datur huius sectae principibus [9]), vitam eorum cum praeceptis discordasse, quum recusarint ipsi ad rem publicam accedere, et in otio potius et umbra senescere maluerint: hoc quidem crimen, si opus sit, facile aliquis diluat, possuntque non pauci memorari viri praestantissimi, Stoicorum disciplina instructi, qui postquam ad rem publicam accesserunt, vim et efficaciam huius disciplinae egregiis factis comprobarunt. Non dubium est autem quin, quae apud Ciceronem quum aliis locis tum in libro primo de re publica disputantur de illa quaestione, conveniatne sapienti tractare rem publicam, an otium potius et quietem sequi deceat, e Stoicorum fontibus derivata sint. Ex his unum nunc locum maxime insignem adscribere placet [10]). „*Illa perfugia*“, inquit, „*quae sumunt sibi ad excusationem, quo facilius otio perfruantur, certe minime sunt audienda, quum ita dicunt, accedere ad rem publicam plerumque homines nulla re bona dignos, cum quibus comparari sordidum, confligere autem, multitudine praesertim incitata, miserum et periculosum sit: quamobrem neque sapientis esse accipere habenas, quum insanos atque indomitos impetus vulgi cohibere non possit, neque liberalis, cum impu-*
9 *ris atque immanibus adversariis decertantem vel contumeliarum verbera subire, vel expectare sapienti non ferendas iniurias: proinde quasi bonis et fortibus et magno animo praeditis ulla sit ad rem publicam adeundi causa iustior, quam ne pareant improbis, neve ab iisdem lacerari rem publicam patiantur, quum auxilium ferre, si cupiant, non iam queant.*“ Scripta haec a Cicerone sunt ante annos propemodum bis mille: sed profecto nobis nostrisque his temporibus scripta videri

6) Vid. Cicero de Finn. IV, 2, 5. cf. ib. 22, 61. de div. II, 1, 3.
7) Verba Ciceronis sunt, Acad. II, 36, 115.
8) Haec quoque Ciceronis sunt, de Finn. III, 20, 68.
9) Apud Plutarchum de Stoicor. repugn. c. 2.
10) Extat locus de re publ. I c. 5.

possunt, quibus sane verendum est, ne parere boni improbis cogantur, neve laceretur res publica perditissimorum hominum audacia, quos nullum scelus, nullum flagitium, nullam quamvis crudelem caedem refugere videmus, dum terreant adversarios sibique cedere cogant, plebem autem imperitam atque credulam inescare blandis fallaciis, aequata omnibus iura, nullo amplius graduum ac dignitatis discrimine, summamque quidvis agendi libertatem nullis frenis coercitam pollicentes. Ceterum quae et qualis sit illa libertas, quam isti mangones venditant, Platonis disertius quam nostris verbis dicemus, ad Ciceronis exemplum, qui locum divini illius viri a se conversum inseruit libro de re publica primo cap. 43 [11]): „*Quum enim,*" inquit, „*inexplebiles populi fauces exaruerunt libertatis siti, malisque usus ille ministris non modice temperatam sed nimis meracam libertatem sitiens hauserit, tum magistratus et principes, nisi valde lenes et remissi sint et large sibi libertatem ministrent, insequitur, insimulat, arguit, praepotentes, reges, tyrannos vocat. Ergo illa sequuntur: eos, qui pareant principibus, agitari ab eo populo et servos voluntarios appellari, eos autem, qui in magistratu privatorum similes esse velint, eosque privatos, qui efficiant, ne quid inter privatum et magistratum differat, ferunt laudibus et mactant honoribus: ut necesse sit in eiusmodi re publica plena libertatis esse omnia: ut et privata domus omnis vacet dominatione, et hoc malum usque ad bestias perveniat; denique ut pater filium metuat, filius patrem negligat, absit omnis pudor, ut plane liberi sint; nihil intersit, civis sit an peregrinus; magister ut discipulos metuat et iis blandiatur, spernantque discipuli magistros; adolescentes ut senum sibi pondus assumant, senes autem ad ludum adolescentium descendant, ne sint iis odiosi et graves; ex quo fit, ut etiam servi se liberius gerant, uxores eodem iure sint quo viri, quin tanta libertate canes etiam et equi, aselli denique liberi sint, sicque incurrant, ut iis de via decedendum sit. Ergo ex hac infinita licentia haec summa cogitur, ut ita fastidiosae mollesque mentes evadant civium, ut, si minima vis adhibeatur imperii, irascantur et perferre nequeant: ex quo leges quoque incipiunt negligere* [12]),

---

11) Platonis locus est de re publ. VIII p. 562. C.

12) Apud Platonem est, *οὐδὲ τῶν νόμων φροντίζουσι γεγραμμένων ἢ ἀγράφων:* nec satis accurate Platonis sententiam Cicero expressit, hoc de inscriptis legibus omittens. Nempe non humanas solum leges Plato in isto civitatis statu negligi ait, sed etiam divinas, „quas qui migret, iniustus atque improbus habendus sit, sive

ut plane sine ullo domino sint." En praeclaram libertatis speciem, quae merito omnes sui amore incendat, qua nostrum quoque populum beari multi cupiunt, et cuius aliquot specimina et quasi praeludia passim iam cognoscere potuimus. Quodsi perfecerint illi quod volunt, ut in civitate nihil praeter multitudinis arbitrium valeat, quis tandem exitus futurus sit, ab eodem Platone discere poterimus [13]. „*Ex hac enim nimia licentia, quam illi solam libertatem putant, ait ille ut ex*
11 *stirpe quadam existere et quasi nasci tyrannum. Nam ut ex nimia potentia principum oritur interitus principum, sic hunc nimis liberum populum libertas ipsa servitute afficit. Sic omnia nimia, quum vel in tempestate vel in agris vel in corporibus laetiora fuerunt, in contraria fere convertuntur, maximeque id in rebus publicis evenit, nimiaque illa libertas et populis et privatis in nimiam servitutem cadit. Ita ex hac maxima libertate tyrannus gignitur et illa iniustissima et durissima servitus.*" Exponit deinceps Plato, quo id modo futurum sit, quem locum, quoniam longior est minusque ad haec nostra tempora accommodatus, repetere nolo. Illud autem plane certum, neminique, qui vel mediocriter sapiat, obscurum est, verae ac stabili populorum libertati nihil perniciosius magisque contrarium esse ista democratiae licentia, qua nullam peiorem rei publicae formam veteres politici esse iudicarunt [14]). Nimirum illi democratiae dotes experiundo penitus notas atque compertas habuerunt: nostrates isti aut nihil praeter opinabilem quandam speciem democratiae animo suo informatam habent, ipsam qualis sit, prorsus ignorantes, aut perturbari rem publicam et pessum dari quam minus ipsi valere malunt. Boni autem viri et prudentes, qui sapere ex historia didicerunt, quanto magis veram libertatem populo contingere ac stabiliri firmiter cupiunt, tanto magis a falsa ista specie libertatis eiusque aut stultis aut improbis praeconibus caven-

---

sint illae scriptae uspiam, sive nusquam." Cic. de legg. I, 15, 42. Hae enim sunt *ἄγραφοι* leges, *ὑψίποδες*, ut Sophocles ait, Oedip. R. v. 863, *οὐρανίαν δι' αἰθέρα τεκνωθέντες, ὧν Ὄλυμπος πατὴρ μόνος, οὐδέ νιν θνατὰ φύσις ἀνέρων ἔτικτεν, οὐδὲ μάν ποτε λάθα κατακοιμάσει.* Cf. Dissen. Opusc. p. 165. Harum autem legum quanta vel ignoratio vel oblivio apud multos eorum sit, qui se populo libertatis viam praeire iactant, nonne et verba et facta nefaria satis superque demonstrant?

13) Locus est de re publ. VIII p. 563 E. expressus a Cicerone, de re publ. I, 44.

14) Cf. Hüllmann, Staatsrecht d. Alt. p. 107 sqq.

dum esse intelligunt. Bonos igitur viros ac prudentes etiam hoc quod instat tempus, et haec quae die crastino celebraturi sumus REGIS natalicia admonebunt, nullam esse optabiliorem formam reipublicae, quam regnum bene constitutum et populi libertate sapienter temperatum. Quamobrem quum vota faciemus pro Regis nostri salute, quam a populi salute disiungi et separari nullo modo posse intelligimus, hoc unum maxime a Deo O. M. precabimur, ut nec Regi nec populo unquam deesse sinat virorum bonorum ac sapientium fidem atque constantiam, utque horum salubria consilia tandem aliquando vincant atque opprimant adversariorum conatus, sive hi licentiam pro libertate, sive dominationem pro regno affectant, quorum quidem malorum si alterutrum utique optandum sit, veremur ne non paucis optabilius videatur, boni ac iusti domini imperio subiectos, quam imperitae multitudinis libidini obnoxios vivere.

Jam reliqua nostra oratio ad Vos, Commilitones, convertenda est, ut proponamus Vobis quae propius ad Vos Vestrumque officium pertinent. Scimus autem persuasumque habemus, si non omnes, at plerosque saltem Vestrum satis ipsos intelligere, nihil magis atque intentius studiosis adolescentibus agendum esse, quam ut optimis artibus animos suos excoli instituique se ad futurae vitae munia atque officia magistrorum praeceptis et disciplina studeant, unamque iis laudem propositam esse ex huius studii assiduitate, nullam autem perniciosiorem pestem adolescentium animos invadere posse, quam si conditionis suae atque aetatis immemores ad maiora quam fas est adspirent, immaturisque consiliis inexercitatisque viribus ea sibi arrogent, quae nisi animo maturo multoque rerum usu et vetustate instructo tractari recte non possunt. Hinc enim, si nihil aliud, hoc certe mali nascitur, ut, quum quaereant, quae nondum ad sese pertinent, illa quae maxime ad se pertinent, quaeque et poterant et debebant consequi, negligant perdantque, seraque mox poenitentia optimum adolescentiae tempus per vanos conatus temere effusum deplorent. Quo magis autem officii admoneantur, excitenturque ad munus suum naviter explendum, quum alia instituta sunt, tum haec quoque certamina litteraria indicuntur, quaestionibus propositis ad captum adolescentium accommodatis, quibus tractandis vires suas experiantur, studiique sui strenuitatem quidque profecerint in litteris, praeceptoribus suis approbent. Indicuntur

autem haec certamina hoc potissimum die, Regis natalibus festo, quo vel ipsum hoc tempus festusque noster ac civium cuiusvis ordinis conventus Vos, Commilitones, commoneat, etiam iuvenilia Vestra studia non ad Vestras tantummodo privatim rationes referenda esse, sed pertinere quodammodo etiam ad rem publicam, quae quum nunc omnibus addiscendarum artium excolendique ingenii subsidiis liberaliter Vos instruat et adiuvet, illud suo iure a Vobis repetit, ut collatis in Vos beneficiis recte, h. e. cum industria et strenuitate utamini, eiusque rei, quantum in Vobis est, documenta proferatis, bonosque aliquando et quales res publica optet cives Vos evasuros esse iam nunc tirociniis Vestris ostendatis. — —

Gryphiswaldiae Id. Octob. MDCCCXLVIII.

DE BOGISLAO MAGNO POMERANIAE PRINCIPE

ORATIO

IN DECENNALIBUS EXTINCTAE DUCUM. POM. FAM. SACRIS
AB ACADEMIA GRYPHISVALD. DIE XIX. MENS. IUL. A. MDCCCXXX.
INSTAURATIS HABITA.

Recens adhuc animis nostris inhaeret eorum dierum memoria, 3
quum propter restitutam post longas tenebras euangelicae doctrinae lucem conservatamque per tria saecula purioris religionis veritatem, solemnia sacra hoc ipso loco celebrantes convenimus. Omnia tunc laeta atque hilara vidimus, ornatos floribus postes et parietes, resonantes festivis concentibus aedes, vultus omnium velut felicissimae victoriae gaudio renidentes, verba denique laetitiae ac gratulationis plena.

Nunc autem quam diversa sunt omnia: quam mutata ipsius loci facies. Lugubres modo aures nostras personuerunt fidium ac tibiarum cantus: ipse hic suggestus atro velamine obductus: sepulcralis monumenti titulus: funesta luctus insignia oculis nostris ubique proposita.

Ita hunc diem ut celebremus et maiorum pietas iussit et noster nos animus monet. Quis enim non lugeat illorum temporum recordatus, quorum hic nobis dies memoriam revocat, quibus tristiora nec vidit unquam patria neque potuit videre. Iacebat Pomerania non uno vulnere afflicta, sed multis atque continuis cladibus adeo prostrata, ut
nunquam videretur posse resurgere. Quem igitur tunc maiorum no- 4
strorum fuisse creditis dolorem, quum tanquam orbati parentibus liberi, sepultos viderent eos omnes, in quorum vita suam ipsi salutem atque incolumitatem positam fuisse intelligebant. Ac sane si omnem vetustatis memoriam revolvas, vix alterum invenies tantae tamque miserandae stragis exemplum. Una hominum aetas antiquam principum domum, nobilitate, virtute, gloria plerisque clariorem, patriae, cui

inde ab ultimis temporibus haec una praefuerat, propter innumera beneficia eximie caram, — hanc una hominum aetas et numerosa stirpe laetissime florentem, et penitus deletam vidit atque extinctam. Sex enim in praeclaram patriae spem adoleverant Bogislai XIII et Ernesti Ludovici filii, quorum nemo neque ad iustum vitae humanae terminum duravit, neque natos ex se reliquit, qui in ipsius locum succederent. Extinctus est in ipso aetatis flore Georgius, triginta sex annorum adolescens. Lugebat Pomerania, praeclarae illius indolis, cuius multa iam et insignia specimina cognoverat, fructum sibi necopinata morte interceptum: ita tamen lugebat, ut hunc dolorem quattuor, qui supererant, fratrum, unius patruelis adspectus quodammodo levaret. Nondum annus abierat, et Philippum extulit secundum, virum nunquam satis praedicandum et per tredecim annos in administranda re publica egregie spectatum. Graviori sane vulnere percussa erat patria, nondum tamen letali, quum superessent adhuc non indigni tali principe successores.
5 Ecce autem post biennium etiam Franciscus immatura morte sublatus est, qui acceptum a fratre imperium ita administraverat, ut hunc in illa totius Germaniae perturbatione, cuius tunc coepta erant initia, fortissimum et prudentissimum communis salutis et libertatis vindicem ac defensorem omnes fore sperarent. Alterum abiit biennium: et Ulricum quoque in ipso virilis aetatis robore florentem et vigentem repentinae mortis casus absumpsit. — Ita quattuor uno quinquennio principibus abreptis, quasi attonita et obstupefecta tot cladibus patria, quum omnem futuri temporis spem una cum illis concidisse videret, gravius tamen orbitate malum non putabat sibi timendum. Igitur cum Philippum quoque Iulium tribus fere post Ulricum annis extulisset, unum tunc ex tot fratribus relictum Bogislaum, inter ipsam suscepti imperii gratulationem moesta ac lugens ita consalutavit Pomerania, ut quae nulli posthac sui sanguinis principi esset gratulatura. Ignorabat scilicet etiam graviorem sibi impendere calamitatem. Quod enim post Pomeranorum principium interitum eos saltem se nacturam esse sperabat rerum suarum moderatores, qui essent secum et finium propinquitate, et stirpis origine, et linguae morumque communione, multorum denique ac vetustorum foederum iure coniuncti: ne hoc quidem post Bogislai mortem contigit solatium. Peregrina enim tunc per totam Germaniam vis et arma dominabantur, et quum bello, seditione, discordiis mixta omnia et perturbata essent, exhausta tandem vulneribus et lacerata Germania pacem nancisci non potuit, nisi ita ut magnas

atque opimas provincias aut praemii aut praedae loco peregrini aut 6
hostes aut socii auferrent. Ita nostrae quoque Pomeraniae illud fatum subeundum fuit, ut melior eius pars, legitimis heredibus erepta, exterorum dominationi subiiceretur. —

Orbati igitur suis principibus maiores nostri, alienatique ab iis, quibuscum et natura et iure sociati esse debuerant, et a semet ipsis quodammodo divulsi ac discerpti, unam adhuc principalis suae stirpis progeniem, non quidem in patrio solio collocatam, sed nobilitatis tamen avitae atque virtutum heredem viderunt superstitem, Annam, Bogislai sororem. Hanc igitur tunc universa Pomerania sic intuebatur, tanquam vivam eorum quos amiserat imaginem, tantoque maiore caritate amplectebatur, quod omnis sui luctus et moeroris hanc sibi sociam esse videbat: postremo egregiae matronae obitum non minus fere lugebat, quam olim in postremi Bogislai obitu luxerat. Itaque maiores nostri, quum in Annae funere omnium illorum, quorum nunc demum stirpem penitus extinctam videbant, et recordatio et desiderium in animis eorum redintegrata essent, diem quo decesserat statis temporibus et a se et a posteris suis ita statuerunt celebrandum, ut non huius solum memoria recoleretur, sed universae principum domui extinctae debita pietatis et caritatis officia praestarentur.

Hoc igitur nobis hodie agendum est, auditores: persolvendum a nobis quoque quod debemus sanctum pietatis officium: parentandum
principum quondam nostrorum beatis manibus. Me vestra, patres 7
conscr., voluntas in hoc suggestu collocavit mihique illud parentandi munus imposuit, quod ego me recusare nec posse nec debere existimavi, non quo me aut tantum dicendo valere opinarer, ut dignum aliquid vestris auribus proferrem, aut ab ingenio ita mihi instructus viderer, ut talem dicendi materiam vel cogitando satis complecti vel verbis aequare possem; verum ut eloquentia plerisque, ingenio autem omnibus libenter me inferiorem esse profiteor, pietate tamen atque caritate eorum, de quibus hodie dicendum est, nemini cedo: quamobrem si pietatis potissimum vestrae me interpretem esse voluistis, huic ego muneri aliquatenus me satisfacere posse confido.

Iam vero tantum mihi patere video dicendi campum, tantam tamque infinitam maximarum rerum copiam, ut quo potissimum me convertam, quid eligam, quid praetermittam, vix certo statuere possim. Recolenda est enim principum nostrorum memoria, celebranda fortia facta, collaudandae virtutes, commemoranda in rem publicam collata

beneficia. Atqui hi principes nostri et plurimi fuerunt, qui per multa
saecula modo singuli, modo bini aut terni patriae praeerant: et horum
omnium vix unus non sua quadam et propria laude insignis fuit.
Paucos invenias ex tam numerosa stirpe, quos non patres patriae, non
viros bonos, fortes, iustos dixeris: neminem plane, qui iniustitiae, cru-
delitatis, impotentiae ullo crimine infamis sit. Et possit profecto ali-
quis, qui velit boni omnibusque numeris absoluti principis speciem
8 quandam atque imaginem animo conceptam proponere, eamque illu-
strare exemplis ex vera rerum memoria petitis, omnis generis illustris-
sima exempla in nostrorum principum historia tam multa invenire, ut
alia nulla requirat. Horum igitur si persequi laudes instituam, etiamsi
capita tantum rerum summatim perstringam, dies me citius quam di-
cendi materia deficiat. Itaque quum omnes celebrare infinitum sit,
paucos autem ex universo numero seligere vix possis, ut non detra-
xisse videaris eorum quos reticueris honori, sic mihi faciendum esse
statui, ut qualis fuerit Pomeranorum principum virtus, uno tantum,
sed maxime illustri exemplo demonstrem, Bogislai illius decimi, quem
consentiens et aequalium et posteritatis vox Magnum appellavit: non
quasi non alios quoque pari magnitudine principes habuerit Pomera-
nia (nam habuit sane nec virtute minores et cognomento quoque eodem
ornatos); sed Bogislaum tamen unum omnium maxime illustrem fece-
runt vel admirabiles fortunae vicissitudines, vel rerum gerendarum op-
portunitates, vel etiam idonei quos nactus est virtutis suae praecones.
Nam et ab humillimis initiis ad summum ille principalis dignitatis fa-
stigium evectus est, et totius Pomeraniae imperium nactus, ampliorem
habuit agendi campum opibusque et subsidiis omnis generis instructior
fuit; denique illis temporibus vixit, quibus post conditam ab eius avo,
Wartislao nono, nostram hanc Academiam, literarum cognitione atque
amore magis quam antea Pomerani imbuti, diligentioresque facti sunt
9 ad suorum res gestas posteritatis memoriae tradendas. Itaque Bogis-
lai omnis vita tanquam in tabula oculis nostris proposita patet, ut in
nullo clarius atque certius cognosci possit illa, quam a maioribus ac-
ceperat, indoles viri non casu tantum et sorte nascendi, sed natura
sua et moribus vere principis, et principis vere Pomerani. In hoc igi-
tur viro laudando nihil opus est oratoria arte, qua in aliis fortasse
paucis careri possit, ut, quae minus illustria sint, taceantur ac dissimu-
lentur, quae niteant, augeantur in maius atque amplificentur, omnibus
autem color quidam inducatur, quo splendidiora atque augustiora

fiant: Bogislai laudes nihil nisi simplicem ac nudam veritatis vocem postulant. Quamobrem nunc me vos, auditores, huius viri imaginem non oratorie sed vere proponentem, benigne, quaeso, et attente audiatis.

Natus est Bogislaus saeculi decimi quinti anno quarto et quinquagesimo. Patrem habuit Ericum secundum, Wartislai noni, eius qui hanc universitatem condidit, filium: matrem Sophiam, Bogislai noni filiam, quae apud patruum, Ericum primum, Sueciae olim, Daniae et Norvagiae regem educata et magnarum eius divitiarum heres facta erat. Puerili disciplina usus est tali, ut huius exemplo ostendisse videri debeat natura, quantum ipsa per se nullisque alendi atque excolendi ingenii subsidiis adiuta efficere valeat. Nam patrem quidem, virum ceteroquin belli pacisque artibus egregium, quo minus filiorum curam ipse ageret, rei publicae negotia, et gravissima quae illo tempore cum Brandenburgensibus gerenda erant bella impedivisse videntur: itaque 10
unum tantum, natu maiorem, Wartislaum secum habuit; reliquos, Casimirum et Bogislaum, et quinque filias, una cum matre, quo tutiores forent ab imminentibus saepe bellorum periculis, in orientalem Pomeraniae partem ablegavit. Ibi Sophia, quum iam antehac non optime cum illo convenisset, sive muliebris animi impotentia falsorumque amicorum instinctu, sive quod illicito amore capta esset, eiusque conscientia angeretur, tantopere est a marito alienata, ut nunquam posthac, quamvis saepe invitata, redire ad eum vellet. Ita disiuncto matrimonii consortio reliquum tempus Ericus cum Wartislao Wolgasti, Sophia cum Casimiro et Bogislao Rugiwaldae degebat. In hoc secessu, exacerbato indies magis animo, non maritum solum, sed filios quoque ipsa suos, utpote inviso matrimonio procreatos, summo odio habere coepit, adeo ut neque cultu principali eos educaret, neque magistris traderet bonis artibus informandos, postremo ne adspectum quidem eorum tolerare vellet. Ita pueruli materna domo expulsi per oppidum oberrant: aluntur oppidanorum beneficiis, si quis esset, qui eos aut aedibus recipere aut mensae adhibere vellet: in publico ludo, plebeiorum pueris immixti, non iis quibus ipsos decebat artibus, sed vix primis literarum elementis imbuuntur. Fuerunt sane multi, quos tam indignae sortis misereret; sed qui auxilium aliquod solidum afferre aut posset aut propter matrem auderet, nemo inventus est, praeter unum ex propinquo pago rusticum, Ioannem Langium.
Is quum saepius in oppidum ventitaret, videretque Bogislaum, ut ne- 11

glectus erat ab omnibus habituque incedebat non principali, sed misero ac sordido, rebusque, etiam quae ad victum vitamque sustentandam pertinerent, fere omnibus carebat, non tamen oppresso tot malis animo, insitam naturae nobilitatem inter omnes inopiae ac miseriae sordes conservabat, nihilque se indignum aut faciebat unquam aut dicebat, — tanta eius et misericordia et admiratione captus est, ut se suaque omnia ultro ei offerret. — In tam abiecta humilitate, tenuibus unius rustici opibus aegre sustentatus, adolevit ille, qui mox erat totius Pomeraniae lux et gloria futurus.

Annum agebat Bogislaus vigesimum, quum nuntius affertur Ericum patrem Wolgasti mortuum esse, paulloque post etiam maiorem filium Wartislaum decessisse. Itaque imperium hereditatis iure ad Casimirum et Bogislaum pertinebat. Tunc mater, et vindictae metuens, si filii, quos tam male habuisset, ad summam potestatem pervenissent, et ipsa occupandae rei publicae consilia agitans, facinus ausa esse dicitur tam atrox tamque incredibile, ut verear equidem hoc loco referre, quod non certissima auctoritate et gravissimis testimoniis comprobatum sit. Ceterum constat Casimirum repentina morte absumptum esse; Bogislaus autem, saluti suae metuens, Rugiwalda excessit, et Langii sui opera et consiliis adiutus in occidentalem provinciam se contulit, ibique a nobilibus auxilium petiit ad ius suum obtinendum. Illi ut vi-
12 derunt Bogislaum, ut loquentem audiverunt, subito relictis rebus omnibus tanta alacritate tantoque studio causam eius tuendam susceperunt, ut intra paucos dies magnam lectissimorum virorum manum colligeret. Ita qui paullo ante neglectus et contemptus in oppidulo delituerat, unius rustici caritate sublevatus, nunc subito in excelsum locum evectus eoque quo decebat honore ornatus, a primariis reipublicae viris Dux atque princeps consalutatur. Et erat sane quod gauderent Pomerani tali principe tanquam divino quodam beneficio insperantibus sibi oblato. Nam quum Erico eoque quem huius in imperio successorem fore speraverant filio Wartislao extinctis, alterum Wartislaum, Erici fratrem, seniorem viderent ac sine prole, illum autem, qui post huius mortem unus esset e principali domo reliquus futurus, Bogislaum, tali tamque indigno loco adhuc habitum fuisse scirent, ut aut plane non videretur ausurus ad rei publicae gubernacula accedere, aut, si accederet, parum tamen idoneus fore ad tantam rerum molem probabiliter administrandam; nunc subito adolescentem intuebantur, cuius ipse adspectus curam omnem ex animis eorum eximeret, et praeclara omnia

sperare iuberet. Erat enim in Bogislao et forma oris et totius corpo-
ris figura supra vulgarem hominum modum excellens atque augusta,
statura adeo procera, ut parem sibi haberet neminem, membrorum
compositio apta et elegans, in qua et robur insolitum et agilitas summa
appareret: frons excelsa, caesaries in humeros longe demissa, in vultu
cum venustate mixta maiestas: neque absonum tali formae ingenium:
mentis vigor et celeritas, animi robur et constantia, morum summa 13
probitas, verborum simplex fides atque gravitas; ut plane non homi-
nem, sed heroem aliquem coelitus demissum sibi intueri viderentur. —
Itaque Bogislaus celeriter, ut dixi, magna nobilium manu contracta,
primum Wartislaum, patruum suum, salutat et de summa rerum con-
sultat: dein hoc comitante per totam citeriorem provinciam profectus
omnes in fidem suam recipit: inde in ulteriorem Pomeraniam conten-
dit. Ibi quoque, quaqua incessit, laeti omnes et gratulabundi confluxe-
runt: universa Pomerania ad novi huius principis adspectum spe ac
gaudio exsultavit. Mater autem sola, conscientiae stimulis exagitata,
filii congressum fugit, Pomeraniae fines reliquit, Gedanum abiit exula-
tum. Bogislaus vero, pietatis ne in tali quidem matre immemor, non
factis solum sed verbis quoque semper abstinebat omnibus, quibus ali-
qua matris nomini ac famae apud exteros macula adspergi posse vide-
retur. Vicit autem tandem hanc quoque Bogislai virtus ita, ut a filio
matrem vinci par erat. Nam quum in honore se esse videret apud
eum, cuius ipsa honoris nunquam memor fuisset, verecundiam materni
nominis inviolatam conservari ab eo, cui nullum ipsa unquam materni
animi signum edidisset, fracta est tandem iniqui odii pertinacia. Itaque
misit ad Bogislaum, ut sibi liceret in patriam reverti et filium videre.
Hic autem, omni prioris temporis memoria abiecta, laetari tanquam
munere sibi oblato, gratias matri agere, quod tandem aliquando ma-
trem se esse meminisset. Advenientem honorifice excepit: sedem as-
signavit et reditus satis amplos, unde dignitatem suam tueretur. Ne- 14
que vero illa posthac se indignam tanta filii pietate praestitit, quoque
magis hic oblitus videbatur omnium, quae prius facta fuerant, eo ma-
gis et lamentabatur istam suam pravitatem, et apud Deum hominesque
se ipsa accusabat. Filii autem nunquam sine lacrimis mentionem fecit,
nunquam accessit, ut non supplicare et tanquam adorare videretur,
nullum diem, nullam horam praetermisit, ut non Deum invocaret pro
huius filii incolumitate et felicitate.

Talis Bogislaus fuit erga matrem: qualem igitur fuisse putabitis

adversus eum, qui tutoris olim ac parentis loco fuerat, Joannem Langium? Hunc ad se evocatum optare iussit, quidquid sibi tribui vellet: nihil eum a se tantum petere posse, ut non maiora etiam se ei debere fateretur. Langius autem diu nihil petit: postremo, ne spernere videretur Bogislai voluntatem, hoc unum petit, ut immunitas sibi concedatur earum rerum, quae tunc temporis ab illius conditionis hominibus praestandae erant. Instare Bogislaus ut maius aliquid petat et beneficio suo dignius. Ille constanter recusare: hoc unum pro mercede postulare, ne maiora invitus accipere cogatur. Victus tandem Bogislaus illud saltem addi voluit, ut ista immunitas non ipsi solum Langio, sed liberis quoque eius et posteris in perpetuum tribueretur. Verum ne hoc quidem ille permisit. Nolle se, inquit, liberos suos supra eum gradum extolli, in quo nascendi sorte collocati essent, ubi, si probi essent
15 et quales ipse optaret, omnibus bene honesteque vivendi praesidiis satis instructos fore; sin secus, nihil profuturam fortunae mutationem. — Videtis, auditores, Pomerani huius rustici animum cum quovis sapiente comparandum. Itaque Bogislaus eum semper maximi fecit, ut neminem fere haberet cariorem, et sermone eius atque consiliis etiam de rebus publicis, quae quidem ab illo perspici possent, libenter uteretur. —

Vix autem Bogislaus gubernaculis rei publicae admotus erat, quum ea inciderunt tempora, ut quam de se spem suis ipso adspectu excitaverat, re et factis comprobaret. Jam dudum enim Brandenburgi Marchiones cuiusdam quasi clientelae vinculo, quem vasallatum barbaro nomine vocant, Pomeranos principes sibi obnoxios facere conati erant, cuius rei haec erat vis, ut qui tali vinculo teneretur, imperium non tanquam proprium ac suum, sed tanquam alterius beneficio concessum haberet, et certa quaedam officia patrono praestare cogeretur. Restiterant quidem semper Pomerani istis Marchionum conatibus, utpote nec iustis nec suae dignitati convenientibus: nonnunquam etiam vi et armis de iure suo certaverant: et post Barnimum illum tertium, qui saeculo decimo quarto ineunte magnas Ludovici Marchionis copias fuderat, ipsiusque Brandenburgi magnam partem victor occupaverat, per centum amplius annos Marchiones quieti fuerant neque nostros principes lacessere ausi erant. Postea tamen, quum Barnimi stirps, quae Sedinum et ulterio-
16 rem Pomeraniam tenuerat, Ottonis tertii morte extincta esset, omnisque illa pars ad Wartislaum nonum et Ericum, Bogislai patrem, hereditatis jure recidisset, Fridericus Marchio se illius provinciae

heredem esse postulavit, causatus nescio quas pactiones, quas olim
a decessoribus suis cum Barnimo factas esse diceret. Et pe-
pigerant sane illi, ut si interiret Barnimi domus, in eius lo-
cum Marchiones succederent; atqui quum agnati Barnimi, citerioris
Pomeraniae principes, non consensissent, apparebat sane nullam esse
eiusmodi pactionis vim, quae contra ius et invitis agnatis facta esset.
Propterea Wartislaus et Ericus, iure suo usi, omnem illam provinciam
occuparunt et in suam fidem receperunt. Fridericus autem, quod iure
perfici non poterat, armis efficiendum ratus, quibus se superiorem fore
sperabat, magnis copiis contractis bellum Pomeraniae intulit, et licet
saepius repulsus esset, Ericus tamen, belli pertaesus, quum multos
etiam Marchionis socios arma parare videret, quibus ad extremum ut
satis resistere posset verebatur, satius duxit de iure suo hactenus certe
concedere, ut in clientelam Marchionis se conferret. Hac igitur pactione
fretus Friderici successor, Albertus ille, quem Achillem sui a fortitu-
dine dixerunt, a Bogislao postulavit, ut et ipse clientelae officia, patris
exemplo, sibi praestaret, minis simul additis, quibus hominem adole-
scentem, rerum imperitum et nuper demum ex humillima condicione
emersum facile terreri posse confidebat. Sed parum norat excelsum
huius et timoris expertem animum, qui, ut ipse nihil sibi unquam
contra ius aliorum faciendum statuerat, ita suum quoque ius ab aliis 17
imminui nolebat: contemni autem se et minis terreri, id vero indignum
et nullo modo ferendum esse putavit. Respondit igitur, quod pater
suus olim vi et iniuria coactus fecisset, ad se nihil pertinere: sibi ne-
que opus esse patrono, neque placere quidquam, quod esset dignitatis
suae minuendae: quodsi quis vi secum agere vellet, se non intercedere,
armis arma oppositurum. Itaque verbis omissis statim Albertus cum
validissimo decem millium equitum peditumque exercitu Pomeraniam
invasit, et omnia longe lateque vastare coepit. Subita res Bogislaum
non perculit. Ipse, licet nondum satis ad bellum instructus, tamen
sua suorumque virtute fretus, cum equitibus haud amplius sexcentis
et mille circiter peditibus, quos subito contraxerat, adversus hostes
proficiscitur, non ut acie confligeret, quod temerarium fuisset tam im-
paribus utrimque viribus, sed ut loca munita praesidiis firmaret, unde
hostium populationes arceri possent, suisque tempus daretur maiorum
virium cogendarum. Itaque Pyrisci consedit, quod erat in confiniis
oppidum operibus et loco satis munitum. Statim hostes undique con-
tractis copiis Pyriscum summa vi oppugnare coeperunt; intelligebant

enim, si Bogislaum aut vivum aut mortuum cepissent, facile fore ut tota Pomerania nullo resistente potirentur. Illi autem omnes hostium conatus summa fortitudine eludunt, impetus repellunt, saepe ipsi erumpunt, magnaque illis clade illata victores in oppidum revertuntur:
18 omniumque rerum dux atque princeps ipse Bogislaus fuit. Nam et pro munitionibus acerrime dimicabat, ubicunque suos laborare videret, accurrebat, auxilium ferebat, hortabatur, propugnabat: et ubi eruptiones fierent, primus semper portis egrediebatur, postremus recedebat: prorsus neque laborem ullum neque periculum refugiebat, ut saepe exorandus esset a suis, ut ipse sibi parceret, et in sua incolumitate omnium salutem verti reputaret. Interim hostes, etiam novis subinde copiis aucti, nihilo segnius instabant; illi contra, quos obsessis auxilio venire oportebat, adhuc cessabant et diutius etiam cessaturi videbantur. Huius morae impatiens Bogislaus, qui quam primum etiam in acie cum hostibus decertare cuperet, ipse egredi oppido statuit, lentumque suorum apparatum urgendo et incitando accelerare. Sed quum undique hostium castra oppidum cingerent, nullus erat exitus, nisi per profundissimam paludem ab sinistra parte subiectam, quam illi, quum haud pervia videretur, custodire neglexerant. Hac igitur Bogislaus, uno comite assumpto regionis illius gnaro, qui per vadosa eum educeret, non sine difficultate et discrimine evasit, ad suos pervenit, copias quam potuit celerrime coegit, properatisque itineribus hostem versus duxit. Ita illi quem obsessum a se et paene iam captum teneri putaverant, hunc simul et evasisse et cum iusto exercitu adventare cognoscunt. Statim obsidionem solvunt, neque obviam ire Bogislao ausi, Pomeraniae finibus excedunt. Sequitur Bogislaus, Brandenburgum intrat, hostes, quacunque obsistunt, fundit fugatque, pagos aliquot et
19 oppida munita expugnat, magnamque agri hostilis partem occupat. Hoc experimento edoctus est Albertus, qualem adversarium lacessivisset, quumque imparem se videret huius adolescentis fortitudini, belli consilium abiecit et pacis condiciones proposuit. Bogislaus autem honori suo satis factum ratus, et, quod rarissimum est, in victoria temperans, accepit pacem hac lege, ut liberam haberet et omni clientelae vinculo solutam Pomeraniam, Marchiones autem e patronis socii fierent, aequo foedere secum coniuncti. Haec quo magis firma foret societas, etiam Margaretham, Friderici filiam, Alberti neptem, in matrimonium ei collocari placuit.

Talia fuerunt Bogislai tirocinia, quae quo rectius aestimetis, et

qua ipse aetate fuerit et quibus belli gerendi subsidiis instructus, et qualem adversarium habuerit reputandum est. Adolescens enim exercitum duxit vixdum e pueritia — et quali pueritia — egressus: qua aetate alios tirones videmus veteranorum contubernio ad bellum erudiri, eadem ille, qui nunquam ante castra, nunquam aciem vidisset, ipse imperator naviter et intrepide bellum gessit, et contra eum adversarium gessit, quo nemo tunc ex Germaniae principibus bellica laude magis florebat. Ab hoc etiam vinci non turpe fuit: parem discedere, gloriosum: superiorem vero evadere, magnae sane atque insolitae virtutis documentum. — Neque tamen Bogislaus tam felici armorum successu elatus et gloriae illecebris captus bello studere, eiusque gerendi causas atque opportunitates cupide circumspicere coepit: quod solet
fere malum bellicosae principum virtuti adiunctum esse: pacis semper 20
amantissimus fuit, et gloriosius duxit suorum salutem atque incolumitatem paterna cura tueri remque publicam quietis atque otii bonis florentem salubriter administrare, quam bellis fortiter gerendis famam quaerere. Itaque post pacem cum Alberto compositam in hoc uno omne studium collocavit, ut bene faceret rei publicae. Ac primum quidem, quum multis illo tempore latrociniis Pomerania infestaretur, etiam a nobilibus quibusdam hominibus, qui, ut erant etiamtum mores, nobilitatem suam non pollui arbitrabantur plebeiorum hominum sanguine et spoliis, impunitatem autem adhuc inter continua bella, quibus Pomerania omnis perturbata fuerat, facile nacti erant: huic primum malo Bogislaus occurrendum esse statuit. Igitur haud raro cum lecta suorum manu ipse provincias peragrabat, latronum receptacula exquirebat, castella expugnabat ac diruebat, tantumque illis brevi tempore terrorem incussit, ut nusquam posthac, dum ipse vivebat, inventi sint qui latrocinari auderent, et per totam Pomeraniam etiam qui inermes et soli et pretiosissimis rebus onusti commearent, in viis quoque publicis non minus quam suos intra parietes tuti ac securi essent. — Dein quum etiam redituum publicorum ratio admodum perturbata esset, omnisque eorum administratio nulla certa lege nulloque ordine temperata et descripta, publica multa a privatis occupata, aliorum fructus ministrorum vel avaritia vel incuria intercepti, publicumque aerarium, dum pauci locupletes fiebant, exhaustum esset, ut ne maxime quidem
necessariis sumptibus sufficeret, eaque inopia omnem rerum gerenda- 21
rum facultatem impediret ac retardaret: huic quoque malo celerem Bogislaus atque efficacem medicinam adhibuit. Assumptis enim in con-

silium prudentissimis cuiusque provinciae viris, omnem et sumptuum, quos rei publicae administratio requireret, et redituum, qui ubique ex vectigalibus, portoriis, tributis percipiendi essent, rationem commode composuit, iisque colligendis idoneos maxime viros praefecit, atque ita, cum neminis iniuria, neque exigens a quoquam, quod non deberi constaret, et multa etiam liberaliter remittens, tantum effecit, ut neque cives unquam libentius et minore cum molestia conferrent, neque princeps ullus illa tempestate, pro mensura quidem imperii, opulentior haberetur. His autem opibus non ad fastum et ostentationem, sed summa cum sapientia ad rei publicae commodum utebatur. Liberalibus imprimis ac splendidis praemiis afficere solebat eos, quorum opera et consiliis in administranda re publica adiuvaretur, quos prudentia, rerum usu, morum probitate insignes, ex omni Pomerania ad se evocatos habebat, ut nemo neque promptioribus neque melioribus ministris uteretur. Et erat in hoc ministrorum delectu admirabilis Bogislai sagacitas, quae sane non in minimis numeranda est boni principis virtutibus, ut, quum fieri non possit, ut unus omnia videat omnibusque prospiciat, eos sibi viros adiungat, qui maxime sint vel ad impertienda vel ad exsequenda consilia idonei. Talem Bogislaus habuit Schulenburgum, virum non genere magis quam virtutibus clarum, ta-
22 lem Georgium Kleistium, civili prudentia nemine inferiorem, talem Massovium, belli pacisque artibus pariter insignem, talem denique Stoientinum, virum literatissimum, et Bugenhagii atque Ulrici Hutteni amicitia et laudibus nobilitatum.

Ceterum ita his Bogislaus utebatur ministris, ut omnibus tamen rebus gerendis ipse interesset, neque quidquam eum fugeret, quod aliquo modo ad summam rem publicam pertineret. Quid quod ipsam rem publicam non ita tractabat, itaque ad universam civitatem regendam studium conferret, ut non etiam privatas singulorum res libenter respiceret et curaret. Nemo unquam civis, quamvis esset humilis, a principis conspectu et alloquio arcebatur: patebat cuivis ad Bogislaum aditus: ipse frequenter in publicum prodiens sermones cum occurrentibus conferebat, circulis atque conventibus immiscebatur, si quid esset, quod aut petere, aut queri, aut communicare secum vellent, id ut libere proferrent ultro hortabatur. Et fertur aliquando quum per urbem ambulans multos videret ante Schulenburgi aedes congregatos, adiisse et percunctatum esse, num quid accidisset, et quae causa esset tanti concursus. Illi habere se aiunt, quod a principe peterent, idque

ut referretur ad eum, cum Schulenburgo agere velle. Tunc Bogislaus,
non sine stomacho: *Quid hoc rei est?* inquit: *nonne me ipsum coram
appellare oportebat? an unquam audivistis quemquam pententem a me
non admissum esse? Agite dum, me statim sequimini.* Ita omnes se-
cum in domum suam deduxit, quae peterent audivit: respondit quod 23
ex re esse videret: denique laetos omnes et gratos dimisit. — Hac tanta
comitate et affabilitate factum est, ut incredibili amore omnes, summi,
infimi, Bogislaum amplecterentur, et tanquam solem aliquem post lon-
gas malorum procellas hunc sibi exortum esse praedicarent, cuius lae-
tifica luce omnia recrearentur et reflorescerent.

Etiam privata ac domestica Bogislai vita talis fuit, qualis decebat
eiusmodi principem, splendoris ac dignitatis plena. Primum otii et
negotii tempora commode divisa, ut nunquam horam voluptati daret,
quae rei publicae deberetur, rei publicae causa libenter voluptates in-
termitteret. Quae autem vacua tempora nactus erat, ea in armorum
fere studiis et in musica arte consumpsit. Amabat autem imprimis il-
lud equestris ludi genus, quum armati, variis discursibus obequitantes,
dato signo infestis hastis inter se concurrunt, et prosternere hastarum
impetu adversarium connituntur. Hoc in certamine Bogislaus parem
sibi neminem habebat: tanta erat in eo peritia, tantum cum agilitate
robur, ut qui ita certantem videret, Achillem potius Homericum aut
Aiacem aut alium fabulosi temporis heroem, quam suae aetatis homi-
nem se intueri putaret. Accedebat quod ipsa Bogislai forma divinae
cuiusdam maiestatis admiratione omnium oculos et mentes percellebat.
Insolita corporis magnitudo, splendidis ipse armis indutus, equo insi-
dens arduo et acri, qui et ipse sentire videretur, quem virum ferret, et
neminem nisi hunc sessorem tolerat: stipatus splendida comitum ca- 24
terva, quos et ipsos e procerissimis suorum eligere solebat, supra
omnes tamen eminens, tanquam celsae basilicarum turres ceterarum
aedium summa fastigia superant: mox incitato equo procurrens, mox
tela torquens, mox adversarium deiiciens. Hoc spectaculo etiam Cae-
sarem Maximilianum, quum iam senex Bogislaum hospitio excepisset,
satiari non potuisse ferunt. Et fuerat ipse Maximilianus in iuventute
armorum et equitandi peritia insignis, hisque studiis apprime deditus;
sed talem neque se olim fuisse, neque similem quemquam vidisse te-
stabatur, et obsecrabat Bogislaum, quum bellum sibi instaret adversus
Gallos, ut societatem secum iniret, totiusque exercitus dux et impe-
rator fieret. —

Aliquantum temporis Bogislaus etiam venationi dabat, non ludi-
crae illi et inerti, quae imbelles feras aut celeritate canum, aut telorum
eminus missorum iactu, aut astu et insidiis superat, sed huic forti et
virili, quae bellum gerit cum bestiis ferocissimis, quae etiam contra
stare audeant et congredi cum hoste, nec sine periculo vincantur, cum
apris, lupis, ursis, quorum etiamtum magna erat in his terris multitudo,
et magnas saepe arvis ac gregibus ipsisque hominibus clades inferebat,
ut illis extinctis etiam horum commodis non mediocriter consultum
videretur. — Haec autem studia in Bogislao temperata erant miro ar-
tis musicae amore. Hac se omnium maxime oblectabat, ut quoties re-
25 quiesceret a negotiis et laboribus, fidium se ac tibiarum cantu recrea-
ret. Et habebat domi suae egregiam musicorum artificum cohortem,
qualem illa aetate vix in maximorum regum aulis reperires. — Etiam
a literis talem animum non alienum fuisse, vix opus est commemorare.
Quamquam in his ne quid insignius esset, obstitit quum Bogislai iu-
ventus, sero demum aliqua bonarum artium cognitione imbuta, tum
vero ipsarum literarum illis temporibus in Germania, et in hac prae-
sertim Germaniae parte, forma et conditio. Vix enim depulsa priorum
saeculorum barbarie, humanitatis quasi quidam igniculi ex Graecia in
Italiam atque inde in ceteras Europae partes diffundi coeperant: vix
glandibus homines vesci desierant et frugibus adsueverant, hoc est,
spretis illis barbarae disciplinae tricis et quisquiliis, quas olim pro ne-
scio qua sapientia stolidi magistri stupenti populo venditarant, quid
verum esset, quid pulcrum, quid decorum et animo excolendo vitaeque
humaniter agendae fructuosum, Graecorum ac Romanorum exemplo
et praeceptis discere coeperant. Gliscebat paullatim sanior disciplina;
sed in hanc nostram Pomeraniam sero viam invenit. Intellexit tamen
iam tum Bogislaus, quantum esset in literis praesidii et ad rem publi-
cam bene administrandam et ad omnem vitae rationem salubriter in-
stituendam, doctorum hominum sermonibus libenter utebatur: litera-
rum magistros honore et praemiis ornabat, Academiam nostram, se
puerulo conditam, liberaliter fovebat, denique, quum ex orientali itinere,
26 de quo post dicendum erit, in patriam rediret, nullum se pretiosus ci-
vibus suis munus ex Italia referre posse putavit, quam Petrum Raven-
natem, clarum illa aetate multiplici doctrina virum, qui magnis Bogis-
lai praemiis invitatus una cum filio Vincentio aliquamdiu apud nos
magna cum gloria docuit. — Imprimis autem historiae cupidus fuit
Bogislaus, et licet ipse non aliorum exemplis sed sua natura ductus

virtutis viam invenisset, tamen et clarorum virorum facta libenter cognoscebat et magnam in iis vim esse intelligebat ad insita virtutis semina alenda atque excitanda. Itaque quum patriae quoque historiam egregiis exemplis abundare iudicaret, eaque in obscuro latere sibi ac suis turpe existimaret, auctor fuit Joanni Bugenhagio, qui tunc Treptoviensem scholam regebat, ut Pomeraniae res gestas componeret et posteritatis memoriae commendaret. Ita nos prima patriae historiae initia Bogislao nostro debemus.

Talibus fuit ille publice privatimque moribus: neque mirabimur, horum non apud suos solum insignem fuisse amorem ac venerationem, sed ad exteros quoque famam ac gloriam longe lateque diffusam. Itaque et confluebant undique multi, ut talis viri adspectu coram fruerentur, et nullus fuit illo tempore princeps, quin hunc sibi aliquo amicitiae aut affinitatis vinculo coniunctum cuperet.

Huius rei maxime insignia documenta cepit post Margarethae uxoris mortem, quum multorum ei principum filiae aut sorores ultro in matrimonium offerrentur. Fuit in his etiam Anna, Casimiri Jagellonis, Polonorum regis filia. Nam quum legati Polonorum, qui erant 27
tunc forte aliarum rerum causa missi, peragrata Pomerania omnem terram intuerentur pagis oppidisque florentissimam, agros cultissimos et frugum proventu uberrimos, lautas hominum opes, mores probos et humanos, rem publicam legibus et institutis sapienter ornatam egregieque administratam, Bogislaum autem, quem huius felicitatis auctorem omnes praedicabant, tanquam numen aliquod praesens et a suis coli viderent, et ipsi coram venerati essent: nihil se gratius regi suo facturos esse intelligebant, quam si talis viri affinitatem ei conciliarent. Itaque condicionem Bogislao obtulerunt: neque is oblatam recusavit. Nam et Casimirum maximi faciebat, regem potentissimum et magna rerum gestarum gloria clarum, et filiam eius venustam, probam et pudicam esse acceperat. Itaque brevi res convenit: neque falsam de hoc matrimonio spem conceptam fuisse re atque eventu comprobatum est. Vixerunt enim inter se Bogislaus et Anna mira concordia et caritate, auxeruntque coniugii felicitatem dulcissima pignora, quinque filiis tribusque filiabus susceptis. —

Ita nunc, auditores, vidimus Bogislaum bonis cumulatum omnibus, quae in hominis vitam et in principis statum maxima cadere posse videntur: neque tamen hic tam insolitus felicitatis cursus aut mollem fecit eius animum atque remissum, aut fastu et superbia extulit. Sui

semper similis in tuendis rebus secundis non minore quam in paran-
28 dis cura et industria versatus est, ut quo plura nactus esset, eo maio-
ribus dignus videretur. Nihil autem sibi et suae virtuti tribuebat: quid-
quid aut ab ipso bene gestum esset, aut feliciter sibi cecidisset, divinae
providentiae acceptum referebat, quoque maior et clarior et felicior, eo
magis etiam pius in Deum et religionis memor fuit. Et erat haec sana
et vera pietas, non languida illa atque enervata, quae in precibus assi-
due fundendis et externa quadam religionis ostentatione lente subsiste-
ret, sed quae coniuncta esset cum actionum probitate, nullaque re ve-
rius quam bene faciendo Deum coli posse intelligeret. Quamquam no-
lite putare externum istum pietatis cultum et caerimonias a Bogislao
spretas et neglectas esse. Nullum diem non a piis precibus incepit,
nullum sine precibus conclusit: nullius rei agendae non a summi nu-
minis invocatione auspicium cepit. Atque haec Dei veneratio quam pe-
nitus in animo eius insederit, etiam illo consilio apparet, quod quam-
vis sit ab huius saeculi moribus et sentiendi ratione abhorrens, in Bo-
gislao tamen verae atque eximiae cuiusdam pietatis documentum haberi
debet. Nam si vel hominum, qui aliqua virtute et meritis supra vulga-
rem modum inclaruerunt, tantum valet apud bonos omnes nomen et
memoria, ut ipsis dudum mortuis, loca tamen, ubi olim vixerunt, non
sine summa voluptate visitent: quanto maiore nos caritate et venera-
tione ea loca intueri convenit, in quibus Deum ipsum, humana forma
indutum, inter homines olim versatum esse accepimus. Haec igitur
29 Bogislaus adire, ex his Deum quasi propiorem adorare, et impressa
terris humana Dei vestigia exosculari statuit. Idque consilium, quippe
ex puro et sincero Dei amore natum, et cum summa pietate ac religione
coniunctum, etiam adversus anxias uxoris preces, amicorum monita,
longinqui et periculosi itineris formidines enumerantium, constantis-
sime retinuit.

Praeparatis igitur omnibus, familiaque et imperio soceri et finitimorum principum tutelae commendatis, electisque ad rem publicam se absente regendam viris sapientissimis, ipse cum trecentis fere comitibus iter ingreditur, peragrataque celeriter Germania inferiore, primum apud Norimbergenses aliquamdiu substitit. Captus enim erat quum eximia urbis pulcritudine, tum civium moribus probitatis et elegantiae plenis: neque minus illis ipse placuit, cuius nomen quidem et gloriam iamdudum fama cognitum habuerant, ipsum autem nunc primum coram admirati sunt. Etiam ex vicinis urbi regionibus multi undique

confluxerant ad Bogislaum videndum et salutandum: et quum festum esset carniprivii tempus, quod ludis multis atque spectaculis et omni hilaritatis genere celebrari solebat, his omnibus se sine fastu et arrogantia immiscens, suas quoque ipse partes publicae laetitiae suscipiens et tanquam privatus cum privatis comiter colludens — ita omnium sibi animos devinxit, ut nullus illa tempestate suis civibus princeps carior esset, quam Bogislaus factus est Norimbergensibus. Ita totum fere mensem inter hos exegit. Mox autem Caesare Maximiliano ad Oenipontem salutato, inde, dimissa maxima parte comitum, quos ex Pomerania secum aduxerat, cum paucis Venetiam contendit. Multos ibi invenit, qui quum de eius consilio accepissent, concedi sibi orarent, ut comites itineris fierent et tutela Bogislai uterentur. Ex his rursus collecta trecentorum fere hominum manu, Germanorum, Italorum, Gallorum, Hungarorum, Polonorum aliorumque, navem conscendit, superatisque feliciter sinus Hadriatici et Ionii maris periculis in Creticum pelagus pervenit. Iam quum haud procul ab ipsa insula abessent, subito novem praedonum naves velis remisque citato cursu in se agi vident. Hae quid intentarent, nemini dubium: effugiendi nulla spes: impar vero certamen, si cum una Liburnica, hominibus haud amplius trecentis et ne armatis quidem plerisque aut armorum usui adsuetis, contra novem hostium naves, hominesque amplius bis mille armatos et militares pugnandum esset. Tamen Bogislaus suorum animos erigit: „*Saepe exiguis viribus maximas hostium copias fusas esse: si pereundum sit, tamen cum gloria mori decere: honestam mortem turpi vita et barbarorum servitio potiorem.*“ Itaque ad pugnam omnia parari iubet: ipse scuto tantum et gladio armatus in prora consistit, primum hostium impetum excepturus. Illi mox navem undique cingunt, magnam vim missilium eminus spargunt, dein propius urgent, ipsis navis lateribus adhaerent, viam sibi hastis ac gladiis facere conantur. Ibi tum Bogislaus ubicumque summum discrimen esse videt, advolare, hostes repellere, prosternere, in mare deturbare, suos et verbis et exemplo adhortari, prorsus strenui militis et boni imperatoris officia simul exsequi. Ita diu iniquum certamen sustinetur. Perculsi hostes inexspectata nostrorum fortitudine: neque tamen victoriam minus sibi certam credunt, quum tantopere se viribus superare videant. Unus erat ex praedonum ducibus, homo insoliti roboris, et magnitudine quoque corporis Bogislao vix impar. Is quum hunc unum victoriam remorari intelligeret, eum sibi proprium ac solum adversarium sumpsit. Irruit; repellitur:

iterum aggreditur; in mare detruditur: sed quum et nandi peritus es-
set et a suis exciperetur, mox rursus proelio se immiscet, adversarium
suum petit. Ita quum saepius repulsus et deiectus non tamen certa-
mine desisteret, sed pertinacius semper instaret, suosque incitaret ut
coniunctis secum viribus omnes unum peterent, in tam atroci atque
impari certamine Bogislaus, quum vix sufficeret multorum undique
ictibus scuto ac gladio excipiendis, nunquam tamen loco cedit, quin re-
primit etiam proximos, alios sternit, in ipsum ducem invehitur. Sed
ibi dum maiori vehementia ictum intentat, et in galeam adversarii gla-
dium illidit, sternit quidem illum, sed gladium ipse diffregit. Concla-
mant hostes, quum Bogislaum inermem videant: maiore animo irruunt
omnes: nostri nihil nisi mortem sibi reliquam esse putant. Tres tamen
ex fidissimis Bogislai comitibus se illis obiiciunt, ipsum corpore te-
gunt, vulnera excipiunt, prosternuntur quidem, sed tempus tamen illi
dederant ut arma resumere posset. Is autem, quum gladium in pro-
32 pinquo nullum inveniret, laborantibus autem suis celeriter succurren-
dum esse videret, veru igni forte impositum conspicatus, hoc ut erat
etiam carnibus onustum arripit, pro gladio utitur, turbinis instar in
hostes contorquet, ceteros disiicit, ipsum ducem exanimatum proster-
nit. Huius demum casu hostes victoriae spem abiiciunt, suos e proe-
lio revocant, nostros non amplius morantur. Hi autem ex tanto peri-
culo tam contra spem servati Bogislaum omnes circumsistunt: patro-
num et servatorem suum salutant: huic se debere quod vivant, quod
lucem adspiciant, quod libertate fruantur, gratulabundi praedicant.

Dein paucis post diebus Ioppen appellunt: inde pedestri itinere
Hierosolyma perveniunt. Ibi quidquid erat aut in ipsa urbe aut in vi-
cinis regionibus aliquo divini redemptoris monumento sacratum, pius
princeps invisit et veneratur. Haec olim loca nascentem Illum viderant,
haec coelestis vocis testimonio generi humano commendatum, haec
verbis factisque divinis salutem mortalibus aeternam dispensantem,
haec denique omni cruciatu et crudelissimae mortis supplicio affectum,
defunctum, tumulo conditum, mox prodeuntem et in coelum unde de-
scenderat reversum. Quo igitur animi affectu haec omnia Bogislaum
lustrasse creditis? Haud alio profecto, quam qui veram pietatem, ve-
rum Dei amorem deceret. Non enim satis putavit genubus incumben-
tem aut humi prostratum adorare Dei vestigia, non precibus tantum et
caerimoniis operam dare: non donis templo oblatis pietatem profiteri:
33 — sunt sane haec laudanda, si vera sunt; sed sunt tamen eiusmodi,

quibus nimis saepe etiam eos uti videas, quorum ipsum animum ac vitam nemo bonus laudandam putet. Bogislaus autem ab eo demum vere Deum adorari intellexit, qui Deum haberet in suo ipse pectore: has demum sanctas esse caerimonias, quae cum morum sanctitate essent coniunctae: haec grata Deo sacrificia, quae factis continerentur ad divina praecepta accommodatis. Igitur ita haec loca veneratus est, ut viva et efficaci divini magistri memoria omnis eius animus impleretur: ita discessit, ut se suamque vitam omnem Deo consecraret. —

Jam vero operae pretium est audire, qualis fuerit Bogislai reditus, quanta omnium bonorum gratulatione celebratus, quam insignes ubique honores in ipsum cumulati. — Igitur quum confecto celeriter maritimo itinere Venetiam rursus contenderet, ut primum nuntiatum est eum adventare, Senatus Venetus legatos obviam misit, qui multo verborum honore in urbem suam invitarent. Ibi publico hospitio lautissime excipitur: proceres omnes salutatum concurrunt: Dux ipse Venetus adest, et servatorum tot civium suorum causa gratias agit. Inde stato die in ducale palatium deducitur, splendidissimo convivio excipitur, ad extremum spectaculo adesse iubetur, quale nullum adhuc Venetiae visum sit. Tunc ipsi Senatorum filii in scenam prodeunt, assumptoque alii Bogislai eiusque comitum, alii praedonum, quos devicerat, habitu, et personis quoque ad veritatem factis induti, proelii 34
illius imitationem quandam et imaginem mimica arte edunt. — Ita illi novo atque insolito honoris genere, quem verbis satis a se ornari non posse intelligebant, huius virtutem quasi vivo quodam simulacro, actione ac gestu expressam celebrare conati sunt.

Hinc Bogislaus Romam contendit: neque minus honorifice a populo Romano et a summo Pontifice acceptus est. Idem concursus, eadem gratulatio, idem omnium hominum, aetatum ordinum favor. Ipse autem Pontifex, quum vidisset Bogislaum et virum fama non minorem in colloquiis cognovisset, magno aliquo et insigni honore quanti eum faceret ostendere voluit. Indicta igitur in sacratissimo urbis templo concione, Bogislaus cum suis comitibus, Romanorum quoque nobilissimis et multis qui Romae aderant exterarum civitatum proceribus stipatus, solemni pompa in templum deducitur: collocatur in solio prope ipsius Pontificis et Cardinalium sellas: dein Pontifex orationem orditur gravem et luculentam: collaudat Bogislaum, gratulatur imperio Romano tantae virtutis principem, dignum hunc esse ait, qui et in urbe orbis terrarum principe, et ab eo, qui Dei in terris vicarius sit, summi

honoris insignibus condecoretur. His dictis coronam capiti eius imponit ducalem, gladiumque tradit aureum, exultante et gratulante populo Romano.

Quid autem referam, quam simile triumpho reliquum per Italiam et Germaniam iter fuerit? quanto favore a Caesare Maximiliano, quanta caritate a Norimbergensibus, quanta denique laetitia et gratulatione a suis, civibus, uxore, liberis acceptus sit. — Neque vero in iis mihi immorandum est, quae post hoc tempus bene et praeclare a Bogislao gesta sunt. Virtutem enim viri ex his quae adhuc dicta sunt satis cognoscere potuistis, neque fuerunt quae posthac fecit ab his quae adhuc fecerat diversa: et fortunae quoque favore in re publica administranda tam constanti usus est, ut felicius quam Bogislai imperium Pomerania nullum viderit.

Extrema demum Bogislai aetas renascentem vidit euangelicae veritatis lucem, a diuturnis illis, quas vel fraus hominum vel inscitia obiecerat, tenebris Lutheri eiusque amicorum solertia et fortitudine vindicatam: quae res quantos tunc animorum motus, quantas ubique seditiones ac certamina concitarit, non opus est commemorare. Verum in his quoque Bogislaus ita versatus est, ut et pietatem praestaret summam, et aequitatem ac moderationem omni laude maiorem. Nam quum religionis et veritatis per omnem vitam amantissimus fuit, tum ecclesiae Romanae auctoritatem maximi fecit, et praeceptorum, quibus a tenera aetate imbutus fuerat, in senectute memoriam non abiecit. Horum igitur quum videret magnam partem a Luthero impugnari, et convelli auctoritatem eorum, quos ipse venerari semper consueverat, quis mirabitur, quod non subito assensus est, quod, quae puer imbiberat, senex non statim dediscere potuit? Neque tamen ita veteris doctrinae tenax erat, ut illam novam prorsus aspernaretur. Mediam sibi viam sequendam statuit, ut nihil neque arriperet temere, neque repudiaret. Itaque quum in Wormaciensibus istis comitiis, quibus ipse interfuit, Lutheri doctrinam et ipsius Imperatoris et plurimorum ecclesiae atque imperii principum suffragiis condemnatam videret, libros eius publice combustos, proscriptum ipsum et vix adversariorum manibus ereptum, ita tunc Wormacia discessit, ut standum quidem sibi censeret comitiorum decretis, neque tamen quidquam contra eos, qui dissentirent, violenter atque hostiliter agendum. Nam veritatem sua ipsam natura satis tutam atque munitam fore confidebat; ab errore autem vi atque minis adhibitis non deflecti animos hominum, sed per-

tinaciores fieri et exacerbari. Hanc igitur rationem et ipse constanter tenuit et a suis teneri postulavit. Itaque nunquam iis intercessit, qui veritatis causam placide, ut decebat, et sine tumultu ac seditione tuerentur: Stoientinum, unum ex consiliariis, palam Lutheri doctrinam professum, non minore quam antea favore amplexus est: ipsum Paullum a Rhoda, qui primus fere omnium Lutheri praecepta in Pomeraniam publice docendo propagabat, libenter aliquoties audivit concionantem: denique suum ipse filium Barnimum etiam Wittebergam misit, quo accuratius omnem rem cognosceret. At vero quum turbas et seditiones religionis praetextu moveri videret, quum apud Sundenses
a plebe concitata per ludibrium et contumeliam ipsa sacra pollueren- 37
tur, quique nollent a vetere ecclesia desciscere, omni iniuriam genere vexarentur: hanc ille pravitatem et improbavit vehementer et severe coercendam statuit.

Sed noluit nimirum divina providentia placidam viri venerabilis senectutem turbis istis ac seditionibus comprimendis exerceri. Exemptum inter ipsa horum malorum initia rebus humanis Bogislaum in beata sempiternae pacis sede collocavit. —

Habetis, auditores, magni principis imaginem, adumbratam quidem et imperfectam, sed quae non potuit tamen, quin animos vestros et amore et admiratione multifariam commoveret. Quodsi virum diligitis bonum, iustum ac pium, sic habetote: has virtutes, quum in illo summae essent, non tamen proprias fuisse, sed communes fere omnium, quos vel ante illum, vel postea ex illius stirpe ortos Pomerania principes habuit. Fortitudine sane et robore animi, rerum bene gestarum gloria, felicitate denique et opibus pauci fuerunt omni tempore cum Bogislao comparandi; sed probitas, iustitia, pietas gentilicia fuerunt nostrorum principum bona, quibus adeo plerique insignes fuerunt, ut nemo unus prae ceteris harum laude excellat. Igitur quum opes, imperium ceteraque fortunae beneficia ab illorum gente ad exteros translata sint, ipsi autem omnes dudum a stirpe interierint, harum tamen virtutum grata manet in Pomeranorum animis et manebit recordatio. Non aeneis illi titulis, non molibus e lapide constructis no-
men suum posteris ambitiose commendarunt; verum nulla est patriae 38
nostrae pars, in qua non multa supersint virtutis eorum monumenta. Horum vero memoriam quem aut diligentius conservare aut religiosius colere decebit, quam nostram hanc Academiam? quam illi non condiderunt solum, neque dum supererant liberaliter foverunt ac tutati sunt,

sed futurae quoque post ipsorum obitum saluti atque incolumitati prospexerunt. Quapropter quidquid ad hunc diem ex hac Academia vel in rem publicam vel in quemvis nostrum fructus atque commodi redundavit et redundat, huius partem longe maximam illorum beneficio deberi mementote. Itaque debitas hodie quoque gratias persolvite Illorum beatis manibus, quorum, quamdiu superstes erit hocce musarum sacrarium, tamdiu quasi praesens inter nos numen et tutelam venerabimur: Wartislao illi nono, qui condidit olim et instruxit, Philippo primo, qui collapsam temporum iniuriis restituit et recreavit, Ernesto Ludovico, qui pluribus muneribus splendidissime ornavit, Bogislao denique postremo, qui etiam moriens huius curam ex animo non deposuit, sed ut se suaque gente extinctis haec tamen, maiorum suorum deliciae et alumna, salva et incolumis maneret, paterna caritate prospexit. — Si qua rerum, quae in terris aguntur, ad beatorum sedes notitia pertinet, si qua cura mortalium divas defunctorum animas tangit, scimus has hodie voces a Vobis audiri, scimus hoc pietatis offi-
39 cium a Vobis accipi, scimus denique Vos gaudere, quod vestra haec Academia per tot annos, in tot rei publicae conversionibus, in tot calamitatibus salva tamen et superstes perduravit, et nunc laetior etiam et vegetior effloruit, postquam tandem aliquando redditi nos sumus iis, a quibus nunquam nos divelli oportebat: gaudere, quod, siquidem Vos ex vestro sanguine exortum tutorem nobis et moderatorem relinquere fata noluerunt, sub eius tamen regis tutelam nunc demum nos et universa vestra Pomerania pervenimus, quo meliorem ne optare quidem fas sit: quem quas in aliis singulas veneramur virtutes, harum omnium raro et admirabili consortio divinitus ornatum videmus. Itaque tanta ex hoc rege intra tria lustra iam redundarunt in hanc provinciam beneficia, quibus plura aut maiora priori tempore nulla meminerimus a quoquam uno in nos esse collata: Academia autem nostra cum Wartislao, Philippo, Ernesto Ludovico, Bogislao etiam Fridericum Guilielmum tanquam recreatorem suum ac sospitatorem consalutat. — Iure igitur ac merito oratio mea a moestitia et luctu exorsa, postquam in huius regis commemorationem deducta est, in gratulationem et laetitiam convertitur. Talem nobis obtigisse principem tantum intelligimus Dei O. M. beneficium, ut eo maius neque nos optare a Deo, neque Deum praestare nobis potuisse agnoscamus. Invocate igitur mecum, Auditores, divinam providentiam, ut hoc nos beneficio quam diutissime etiam perfrui sinat: ut in regem nostrum conferat quaecunque digna

sint eius virtutibus praemia: ut floreat ipse bonis, quae in humanam vitam cadunt, omnibus: ut domum suam, numerosa subole beatam, nullo unquam videat fortunae vulnere afflictam: ut regnum videat paterna sua cura et sapientia indies florentius: ut populi sui amore ac veneratione gaudeat: ut ex eorum numero, qui eum regem et patrem patriae salutant, nos quoque, licet recentius quam ceteros in tutelam eius receptos, amore tamen et pietate cum quolibet ex antiquissimis certare cognoscat.

Dixi.

PROGRAMMA.

42 De mulierum virtutibus, inquit Plutarchus, non assentior Thucydidi, qui eam optimam esse mulierem pronuntiat, de qua foris minimus vel in bonam vel in malam partem sermo sit, censens nimirum, ut corpus, ita famam quoque bonae mulieris inclusam esse neque in publicum prodire oportere. Elegantius sane Gorgias mulieris non formam sed famam multis notam esse iubet, optimeque mihi Romanorum lex constituta esse videtur, quae ut viris, ita mulieribus quoque defunctis iustam ac debitam laudationem publice tribui iubet. —

Hanc prudentissimi scriptoris sententiam commode nobis videmur usurpare posse in indicendis solemnibus, quorum pars haud minima etiam ad matronae honorem celebrandum pertinet virtutis laude pariter ac natalium splendore illustrissimae. Et sane etiamsi quis rem universe spectans vix improbaverit Thucydidis iudicium, utpote ipsi naturae consentaneum, quae quum vitam mulierum omnem a publico remotam domus ac familiae finibus incluserit, laudem quoque non publicam, sed privatam et domesticam esse voluit; non tamen cadit hoc nisi in eas, quibus privatae conditionis sortem fortuna assignavit; quas autem in excelsiore quodam loco, in regum ac principum domibus collocavit, harum etiamsi genere non diversas, illustriores tamen virtutes et celebratiores esse oportet. Nam quum ipsae principum domus ad rem publicam quodammodo pertineant, unde in universam civitatem vel boni vel mali plurimum redundet, ita virtutes quoque et vitia, quae in aliis privata sunt, quum in principe muliere existunt, totius in se civitatis oculos convertunt, et quo in excelsiore loco posita, eo etiam
43 illustriora et conspectiora fiunt. Quodsi accedunt ad haec eiusmodi tempora et fortunae casus, qui non vulgaris cuiusdam et communis,

sed maioris et insolitae virtutis etiam a mulieribus documenta edi vel
poscant vel permittant, horum sane fama fieri non potest quin latius
dimanet, et non aequalium modo laudibus sed posterorum quoque
memoria celebretur. Talia nos admirati sumus in Illa, quam
in regio Borussiae solio collocatam cum acerbissimo bonorum
omnium dolore mors nimis matura abripuit: quae quum bonitate ac
modestia in rebus secundis, constantia ac fortitudine in adversis non
domus solum suae ac mariti, sed patriae quoque universae et decus
esset unicum, et dulcissimum solatium, quis est quin immortali laudis
praeconio non a suis modo sed ab exteris, neque a nobis, qui ipsam
vidimus, sed ab illis quoque, qui olim fama cognoscent, hanc et cele-
brandam esse et celebratum iri fateatur? Talia quondam maiores no-
stri admirati sunt in Ea, cuius memoriae sacra decennalia crastino die
universitas nostra instaurabit, ANNA, Bogislai xiii filia, Bogislai xiv,
ultimi Pomeranorum Ducis, sorore una superstite, matrona omni vir-
tutum genere ornata, quae vel privatam commendare vel principem il-
lustrare possunt. Nupserat haec Ernesto, Duci de Croya et Areschotto
etc. S. R. I. Principi, qui quum esset Romanae ecclesiae addictus, ex-
ortis paullo ante belli illius funestissimi initiis, quo per triginta annos
Germania lacerata est, imperatoris et catholicorum partes amplexus in
castris ad Oppenhemium occubuit, vigesimo fere et secundo post nu-
ptias mense. Ita Anna cum uno filiolo, Ernesto Bogislao, vidua re-
licta mox inter peregrinos (in Lotharingiam enim a marito deducta
erat) et religionis odio sibi infensos omni iniuriarum et vexationum
generi se expositam vidit. Retinuerat enim, quum Ernesto nuberet,
evangelicae religionis a maioribus acceptae cultum, ad eumque etiam
liberos quos peperisset informandos in sponsalibus pepigerat. Et cum 44
marito quidem, licet diversae sectae addicto, magna semper et dulcis-
sima animorum concordia vixerat; hoc autem defuncto cognati filium
eius et in principatu heredem illis imbui sacris, quae detestanda ipsis
et hostili odio persequenda viderentur, id vero non ferendum rati ne-
que blanditiis neque minis pepercerunt, quo Annae animum suae vo-
luntati obsequentem facerent. Sed tanta fuit egregiae matronae con-
stantia, tanta pietas, tam firmus paternae religionis amor, ut quamvis
solam se videret atque inopem, et hostibus undique circumdatam, illos
autem multos et potentes et omni ad nocendum facultate instructis-
simos, nunquam tamen frangeretur nec quidquam concedere sustine-

ret, quod se indignum et religioni suae contrarium iudicaret. Ita in hoc iniquissimo certamine biennium fere duravit: tandem quum supra minas etiam vera pericula sibi intentari videret, domum potius mariti et principales opes quam religionem suam deserendam rata, cessit Lotharingia, et quidquid ibi ex mariti hereditate sibi ac filio deberetur adversariorum manibus relinquens in Pomeraniam se recepit. Illi statim in omnia tanquam vacua involarunt, neque unquam postea cogi potuerunt ut praedam restituerent. Anna autem apud suos reliquum vitae tempus ita peregit, ut longe maiorem e virtutis laude splendorem acciperet, quam opum ac divitiarum iactura amiserat. Repudiatis enim omnibus quae subinde ferebantur novarum nuptiarum condicionibus, primi atque solius amoris unice tenax totam se filio ad omnem virtutem principalem informando dare decrevit. Et percepit sane ex hoc dulcissimum materno animo fructum, quum adolescentem videret bonis omnibus propter morum probitatem, doctrinam, prudentiam, pietatem egregie carum: ut quum propter leges feudales Bogislao xiv, avunculo,
45 in imperio succedere non posset, ab eo tamen ad quem hereditatis iure Pomerania pertinebat, (licet propter temporum illorum et rerum omnium perturbationem universam obtinere non posset,) Friderico Guilielmo, magno illo Brandenburgensi Electore, hoc nemo dignior iudicatus sit, cui suas in administranda provincia vices demandaret. Ita hoc postremo Pomerania gavisa est sui sanguinis principe, si non domino, attamen rectore et moderatore, donec ad Borussiam regendam Regimontium translatus est. Mater autem fratribus omnibus et sororibus amissis ipsa paternae gentis postrema relicta huius unius adspectu gravissimum dolorem consolabatur. Ceterum in Stolpensi praefectura, cuius ei dum viveret possessio data erat, solitudinem suam non principali fastu ac magnificentia, sed virtutis et pietatis operibus exornavit, et quum reditus non nimis amplos haberet, horum permodicam partem in suos usus convertit, reliquam in bene faciendo quibuscunque posset summa cum liberalitate et munificentia consumpsit. Nam quum diuturnis belli calamitatibus exhausta esset Pomerania multorumque res familiaris attrita, horum nemo opis atque auxilii indigens Annam accessit, quin sublevatus abiret: multis etiam non petentibus opem ultro largita est. Neque pecunia solum, sed allo-

quio et consilio miseros consolabatur: circumibat ipsa domos: aegrotis medicinam e sua domo subministrabat: medicos mittebat: liberos orbos aut propter egestatem parentum male habitos nutriendos, vestiendos, artibus et opificiis instruendos curabat, prorsus ut omnes eam vel tanquam matrem amarent, vel tanquam numen aliquod tutelare venerarentur. Neque tamen ipsa unquam propterea aut gratias sibi agi aut laudem atque honorem tribui postulabat: quidquid faceret, Deo se debere professa, nunquam satis sibi ipsa fecisse videbatur, neque quidquam magis dolebat, quam quod propter opum mediocritatem non tantum quantum vellet efficere posset. Ita non sane mirum quod hanc et dum vivebat universa
Pomerania summo amore et caritate amplexa est, et post mortem 46
non minus gravi dolore deflevit, quam illos olim principes suos defleverat, quorum stirpem vetustissimam et nobilissimam in hac iam penitus extinctam vidit. In hoc enim uno funere cunctos sibi videbatur efferre, quorum illa non nominis solum heres relicta fuerat, sed virtutes quoque, quas in illis patria venerata erat, omnes vivo et incomparabili exemplo expressas repraesentarat. Universitas autem nostra, pluribus fere quam ulla alia rei publicae pars et insignioribus beneficiis a principibus quondam suis affecta, auctore ipso Ernesto Bogislao, Annae filio, diem huius emortualem, qui erat d. vii vel ex emendata quam nunc sequimur fastorum ratione d. xviiii m. Iulii, a. mdclx, *in memoriam* (sunt haec ipsa Ernesti Bogislai verba in epistola ad universitatem scripta) *tam ipsius optimae Principis quam serenissimorum tot egregiorum Pomeraniae Ducum, a quibus haud degener descendit, fundatorum scilicet et nutriciorum huius Universitatis nunquam obliterandae gratitudinis officio* decennnalibus sacris in perpetuum celebrandum statuit.

His igitur sacris crastino die, h. m. xviiii, decimo iam et septimo post egregiae Principis obitum exacto decennio, in Auditorio maiori universitas nostra ex maiorum instituto operabitur. Pietatis nostrae interpretem esse voluimus collegam coniunctissimum D. Georgium Fridericum Schoemann, Literarum Gr. et Lat. Prof. P. O., qui qualis fuerit Pomeranorum principum virtus uno maxime insigni Bogislai Magni exemplo demonstrabit. Quamobrem omnes quibus antiquorum Pomeraniae Principum memoria

cordi est, Magistratus regios et urbicos, civiles et militares, omnesque omnium ordinum cives atque hospites ut hanc solèmnitatem nobiscum celebrare velint qua decet observantia et reverentia invitamus.

P. P. Gryphiswaldiae d. XVIII Iul. MDCCCXXX. SVB SIGILLO VNIVERSITATIS MAXIMO.

INDEX GRAECUS.

cordi est, Magistratus regios et urbicos, civiles et militares, omnesque omnium ordinum cives atque hospites ut hanc solemnitatem nobiscum celebrare velint qua decet observantia et reverentia invitamus.

P. P. Gryphiswaldiae d. XVIIII Iul. MDCCCXXX. SVB SIGILLO VNIVERSITATIS MAXIMO.

INDEX GRAECUS.

Π.

Ρ.

Σ.

Τ.

Υ.

Φ.

Χ.

Ψ.

Ω.

INDEX LATINUS.

D.

E.

F.

G.

H.

I.

L.

Q.

R.

S.

T.

V.

X.

Z.

INDEX SCRIPTORUM.

I.

L.

M.

N.

O.

P.

T.

V.

X.

Z.

ERRATA.

Plura quidem sunt quam vellem, sed leviora pleraque et quae morari lectorem vix possint. Velut in graecis vocabulis p. 58, 6. *ἐμβασιλύει*. p. 77, 13. *περιφέρεθαι*. p. 119, 3. *Ἡρκαλῆς*. p. 149, 13. *πορυμοσάσῃ*. p. 211, 9. *ἡγεμωνικώτατον*, ne de accentibus aut spiritibus dicam nonnunquam aut omissis aut alieno loco positis; in latinis autem p. 88, 13. particulum et p. 182, 6. syllabum. p. 107, 10. verso (pr. vero). p. 110, 8. hisoria. p. 111, 19. montrasse. p. 165, 1. netur (pr. monetur). p. 193, 6. compositur. p. 227, 32. pro (pr. quo). p. 261, 8. demonstravis. p. 295, 10. potentis. p. 341, 1. instuimus. p. 343, 9. etsi (pr. et si). p. 373, 8. ab im. alitudo. p. 378, 2. futurum. p. 389, 2. ab im. sex (pr. sexies) aliaque eiusdem generis, quae omnia enumerare vereor ne putidum sit. In numerorum notis unum errorem deprehendi p. 390, 1, ubi pro 761 scribi debuit 862: nec multo plures esse credo. Si qui tamen sint, his ac similibus paratam apud cordatos homines veniam fore confido.

Typis Caroli Schultzii.
Kommandantenstrasse 72.

OPUSCULA ACADEMICA.

GEORG. FRID. SCHOEMANNI

OPUSCULA ACADEMICA.

VOLUMEN IV.

MISCELLANEA.

BEROLINI

APUD WEIDMANNOS.

MDCCCLXXI.

ARNOLDO SCHAEFERO, HISTOR. IN UNIVERS. BONN. PROF.
GE. FRID. SCHOEMANNUS S. P. D.

Tibi potissimum, optime Schaefere, ut haec opuscula dedicarem impulit me grata eius temporis memoria, quo te in hac universitate collegam habui. Nam valde me tibi conciliavit non solum perspectus animi tui candor et morum elegantia, sed etiam studiorum similitudo, quum in perscrutandis veterum Graecorum monumentis te pariter mecum aut diligentius etiam versatum esse intelligerem, et antiquitatum graecarum alteram editionem parans consiliis tuis et admonitionibus non semel adiuvarer. Haec quidem quae nunc tibi offertur opusculorum collectio diversi generis est; attamen ne has quidem aut diorthoticas aut exegeticas aut grammaticas disputationes te spreturum esse confido, quia nullam philologiae partem studiis tuis alienam esse scio, ac verius *Φιλόλογον* te esse iudico, quam multos eorum, qui vulgo nunc hoc nomine designantur. Continentur autem hoc volumine aliquot programmata partim indicibus scholarum praemissa, partim indicendis solemnibus academicis scripta inde ab ann. 1858, quo anno tertium opusculorum volumen edidi, usque ad ann. 1867, quo tempore hoc scribendi munus iunioribus collegis mandatum est. Ac me quidem ut volens eo abdicarem non modo senectus mea auctaque in dies infirmitas admonuit, sed accessit insuper aliquid offensiunculae ex causa, ut nunc sentio, perquam futili et quae recte aestimanti risum citius quam indignationem movere debuerit. Fuerunt nempe etiam apud nos viri quidam admodum, ut ipsi aiebant, libertatis studiosi, quibus magnopere displicuit, quod aliquoties, si quando civium animos rei publicae curis solito magis moveri et in diversas partes distrahi viderem, ego me quoque civem esse memineram et quae sentiebam de re publica libere profitebar. Id illi academico doctori in libellis ex officio scribendis nullo modo licere clamabant, quum praesertim illud genus rei publicae, quod ipsis expetendum videbatur,

vehementer a me improbari non aequo animo ferrent. Hanc ob causam pro sua liberalitate silentium mihi imponendum et censorem constituendum esse decreverunt, qui si quid teneras liberalium virorum aures laedere posse videretur e programmatis meis expungeret. Is quam strenue officio suo functus sit, hinc existimabis, quod, quum obiter alicubi tetigissem nimiam quandam nullisque legibus coercitam, non dicendi libertatem, sed conviciandi et calumniandi adversarios licentiam, sine qua nonnulli constare publicorum conciliorum libertatem posse negabant, hunc locum ille describi a typographo vetuit. Equidem eum in hac editione p. 173 restitui, itemque alia quaedam istis ingrata sic ut erant omnia sine mutatione repetenda curavi, ne cui forte quae tunc sentiebam nunc reprobasse viderer. Atque adeo illorum ipsorum, qui tunc ea damnabant, plerosque nunc mutato animo non magnopere iam a me dissentire crediderim, proximi temporis rebus bene ac praeclare gestis admonitos, tutius longe ac salubrius rei publicae hoc genus gubernandi esse, quod ego commendabam, quam illud alterum, in quo necesse erit gubernacula nunquam aliis permitti, nisi quos quoque tempore mutabilis atque inconstans imperitae multitudinis favor auraque popularis extulerit. Sed non opus est haec nunc longius persequi: nam te quidem, mi Schaefere, de his rebus non aliter ac me sentire plane mihi persuasum est. Finem autem epistolae faciet gratulatio tibi debita, cuius admonuit me repetita his diebus lectio libri praestantissimi, quem tu de rebus a magno rege Friderico superiore saeculo gestis scribere coepisti; quibus rebus erectum populi nostri animum eumque dignitatis gradum captum esse videmus, in quo constitutus altius etiam eniti aliisque exemplo universae autem Germaniae praesidio esse potuit. Harum rerum historiam luculenter, quemadmodum exorsus es, porro pertextam et absolutam videre vehementer exopto. Nec defuturam tibi spero ad levandum scribendi laborem fidae manus operam et *εὐγενῆ συνεργίαν*, cui plurimam et plenissimam salutem meo nomine dices. Vale.

Dab. Gryphiswaldiae d. XVI. Iun. MDCCCLXXI.

INDEX OPUSCULORUM.

VETERUM SCRIPTORUM SENTENTIAE DE REGNO.

Imperator M. Aurelius Antoninus, is qui philosophus iure cognominatus est, in eis quae de semet ipso scripta reliquit, gratam eorum mentionem facit, quorum vel praeceptis et disciplina vel conversatione et exemplo virtutum omnium bonarumque artium amore animus ipsius inde a pueritia imbutus fuerit. In his autem, quae sibi ad vitam recte agendam maxime profuerint, hoc praecipue numerat, quod ab amico vel, ut ipse ait, a fratre Severo informatam animo habuerit *φαντασίαν πολιτείας ἰσονόμου κατ' ἰσότητα καὶ ἰσηγορίαν διοικουμένης καὶ βασιλείας τιμώσης πάντων μάλιστα τὴν ἐλευθερίαν τῶν ἀρχομένων* [1]), h. e. imaginem rei publicae aequis legibus administratae, in qua ius omnibus aequum esset et cuique quae sentiret eloqui liceret, regiaeque potestatis, cui nihil magis quam libertas subditorum cordi esset. Hanc autem qui legerit dignam viro sapiente optimoque imperatore professionem, nonne statim etiam eius Regis recordabitur, quem nuper nobis ereptum lugemus? Nobis quidem certe, quoties illa M. Antonini verba inspeximus, Friderici Guilelmi nostri se offerebat imago, ipsumque nobis loquentem audire videbamur, cui, licet diversa fuerit ceterarum rerum plurimarum conditio, hoc tamen pro-

---

1) Est hic locus in M. Antonini libr. *εἰς ἑαυτόν* I, 14, ubi fuerunt, qui pro *παρὰ τοῦ ἀδελφοῦ μου Σεουήρου* rescribendum censerent aut *τοῦ φίλου μου*, aut *Οὐήρου*. Sed in L. Verum haec aliaque, quae Antoninus h. l. commemorat, vix cadere posse videntur: Cn. Claudium Severum autem, philosophum peripateticum, ab Antonino auditum esse Capitolinus refert c. 3, isque potuit fortasse etiam *ἀδελφός* ab eo dici honoris causa, utpote vir consularis. Nam consul fuerat a. u. 898. Cf. Galen. de anat. I, 1. et de praecogn. ad Posth. c. 2. 5 quos locos Ionsio debeo, de scriptt. hist. phil. I, 15, 4 p. 97. Sic etiam Aegypti reges *ἀδελφοῦ* appellatione viros primarios ornasse notum est. Cf. C. Inscr. gr. III. p. 290. et de fratris appellatione comitibus superioris ordinis et provinciarum rectoribus ab Imperatoribus tributa vid. Brisson. de form. III, 63 p. 295 Conr.

fecto cum illo commune fuit, ut de regis munere atque officio recte sentiret idque non studeret solum implere, sed etiam re ipsa, quantum quidem humanae naturae modus patitur, implesse dicendus sit. Cadit quidem in hunc quoque id quod in omnes magna ac difficilia negotia tractantes cadere vetus poeta monet:

ἔργμασιν ἐν χαλεποῖς πᾶσιν ἁδεῖν χαλεπόν.

verum hoc saltem pro certo affirmare licet, etiam si qui fuerint, quibus nonnulla eius facta minus placerent, nullum tamen virum bonum et aequum fuisse, quin Regem illum non solum honore et veneratione, sed summa etiam caritate, summo amore dignum haberet, neque unquam de animo Eius vere regio, ünius veri rectique amante, nihil propter se suamque aut voluptatem aut potestatem aut gloriam appetente, sed unius boni publici cupido, a quoquam dubitatum esse, praeterquam ab hominibus aut stolidissimis aut perditissimis ac furiosis, quos Ille, quum etiam turbas excitare et statum rei publicae concutere coepissent, licet coercere per vim posset, tamen insita naturae suae bonitate et clementia parcere iis et resipiscendi ac poenitendi spatium dare maluit, tantaque in illis turbis moderatione usus est, ut vel relaxare aliquantum, et plus fortasse quam opus erat, imperii habenas et concedere de iure suo, quam vindicare violenter maiestatem et proculcare seditiosos homines satius haberet. Qua quidem moderatione plus nobis effecisse videtur, quam si vi ac terrore adversarios oppressisset. Nam bonorum omnium ac prudentium animos etiam firmius quam antea sibi conciliavit; istos autem quum concessa sibi libertate sine modo ac modestia male abuti atque perversissima perniciosaque rei publicae consilia sequi coepissent, in summum apud sanam partem populi aut contemptum aut odium adductos esse vidimus, persuasumque omnibus, qui mediocriter modo saperent; longe optabilius esse boni ac iusti regis imperio subiectos, quam imperitae multitudinis temeritati obnoxios vivere.

Hanc ipsam sententiam quum anno h. s. XLVIII, in magna quae etiamtum erat rerum omnium perturbatione multorumque animis huc illuc fluctuantibus, publice nos iisdem fere verbis profiteremur [2]), meminimus nonnullis, bonis fortasse viris sed minus peritis, mirum videri hoc iudicium et vix ignoscendum iis, qui, sicut nos, antiquitatis graecae

2) In programmate indicendis Regis nataliciis, repetito in Opusc. ac. III. p. 449.

romanaeque cognitionem profiterentur, quippe quum constaret apud utrumque populum summo in odio fuisse regium imperium, et tanto res eorum illustriores atque florentiores fuisse quanto maiore uterentur libertate. Scilicet sic solent fere homines de rebus non satis accurate et quasi intus cognitis temere opiniones sibi informare, quumque aliqua Graecorum et Romanorum notitia pueruli in scholis non imbuti sed leviter modo tincti sint, unumque aut alterum veteris scriptoris librum aut libri particulam legerint, iam satis se idoneos esse putant, qui de veterum rebus iudicia promant. Qui autem interiorem antiquitatis cognitionem assidua et diligenti praestantissimorum historicorum et philosophorum lectione partam habent, horum vix quemquam fore putamus, quin de Graecorum Romanorumque libertate rebusque publicis longe aliter quam illi semidocti sentiat. Multa Graecos Romanosque, quum summa libertate fruerentur, praeclare gessisse, ipsamque illam libertatem magnum fuisse optimarum artium stimulum atque incitamentum, id sane nec nos negamus neque a quoquam negari posse concedimus. At enimvero lubricam hanc et ancipitem libertatem fuisse contendimus, ex qua cum bonis etiam mala atque incommoda non pauciora promanarent, quamque sine damno habere nullus populus nisi ad breve tempus potuerit, tamdiu scilicet, quamdiu se dignum ea praestaret veramque libertatem ab eius falsa et fallaci specie discerneret, id quod omnium difficillimum ac rarissimum esse et historiae exempla docent et veteres scriptores sapientissimi uno ore queruntur. Nam vera quidem libertas in eo tantum constat, ut suum cuique tribuatur, hoc est ut aequa sit iuris distributio pro cuiusque dignitate, et eum quisque in re publica locum obtineat, quo se dignum esse praestiterit; sed de ipsa hac dignitate, quo modo aestimari debeat, perquam difficile est iudicium, quum alii avitam generis nobilitatem, alii divitias, alii virtutem tantum et prudentiam spectari volunt, unde fieri non potest quin discordiae, certamina turbaeque intestinae nascantur, quibus nullam non civitatem veterem concussam identidem et laceratam videmus. His certaminibus sicubi eorum, qui aut propter nobilitatem aut propter divitias praevaluerant, potentia fracta erat, vera et iusta libertas h. e. iuris aequabilitas aliquantisper fortasse observari, permanere autem diu nusquam potuit. Nihil enim citius ac frequentius fieri solet, quam ut dignitatis suae modum ipse sibi quisque statuat, neque praestare sibi alios aequo animo ferat, sed parem sibi locum, par ius cum quolibet alio deberi clamitet; quumque maior semper in

civitate numerus imperitorum aut improborum quam prudentium ac bonorum sit, si de unius cuiusque dignitate iudicium multitudini permissum est, manifestum est in hoc rei publicae statu prorsus contra naturam rectamque rationem eos fere plurimum valere, qui in bene constituta re publica minimum valere deberent. Talem nobis rerum faciem et apud Graecos et apud Romanos historia ostendit, et apud utrosque, posteaquam aliquamdiu factionibus certatum est resque publica victoribus in praedam cessit, postremo libertas illa, qua recte uti non potuerant, in servitutem gravissimam conversa est. Haec mala veteres rerum scriptores aut viderunt suis ipsi oculis, aut accidisse alibi memorant, aut futura esse praesagiunt, neque quemquam eorum esse constat, quin omnes quas quidem ipsi nossent rerum publicarum formas ab optimo statu longe abesse, neque aliud illis malis remedium adhiberi posse censeat, quam si praesit rei publicae potestas eiusmodi, quae ipsa omnis expers certaminis, neque nobilibus neque locupletibus neque multitudini plus aequo favens aut obnoxia, veram iuris aequabilitatem custodiat idque quantum possit efficiat, ut suum cuique pro dignitate tribuatur. Exerceri autem huiusmodi potestatem non melius posse iudicant, quam ab uno viro bono et sapiente, tantum supra ceteros omnes elato, ut nulla eum partium studia attingant, nullaque nec aemulatione aut invidia nec gratia et ambitione praepeditus id unum spectet ac sequatur, quod utile rei publicae, hoc est non alicui parti civium sed aeque universis prodesse intelligat. Hanc ob causam prudentissimi scriptores nullam rei publicae constitutionem optabiliorem esse censuerunt quam regis imperium cum iustitia et sapientia administratum: ceteras, sive paucorum sive multitudinis arbitrio regerentur, — quales erant ipsorum civitates, — multo minus probandas minusque ad bonum publicum tuendum conservandumqne idoneas esse iudicarunt. Atque hoc eorum iudicium tanto gravius esse fatebimur, quanto magis ipsi et oligarchiae et democratiae mala atque incommoda experiendo cognita habebant, eaque non fortuita atque adventicia, sed cum ipsis illis rei publicae formis necessario coniuncta esse intelligebant, ut evitari nullo modo possent, nisi si natura hominum alia fieret, quemadmodum Plato in ea quam ipse informavit re publica etiam genus hominum ab hoc, quod in terris est, longe diversum finxit. Regium vero imperium, quale optabant, licet nec apud se nec apud alios experiendo cognovissent, hoc tamen persuasum habebant, facilius fieri posse ut malis istis careret et ad illam, quam optimam iudi-

cabant rei publicae constitutionem propius certe quam aut oligarchia aut democratia accederet.

Ne quis autem haec magis cupide et ex arbitrio nostro quam veterum auctoritate dicta esse criminetur, operae pretium est, ex magna multitudine testium paucos saltem eosque disertissimos producere, quorum consensu hoc certe manifestum fore speramus, quamvis vulgo Graecorum Romanorumque ingenium ab unius imperio abhorruerit, eos tamen, quorum supra vulgus prudentia esset, ab eo, quod imperita multitudo sequebatur, longe dissensisse. Prodeat igitur primum Homerus, non poetica tantum facultate, sed omni genere sapientiae clarissimus, cuius voce, si nihil aliud, hoc certe patefiet, illa aetate, qua haec, quae eius nomine feruntur, carmina orta sunt, venerabilem sanctamque regum maiestatem, multitudinis autem licentiam intolerandam visam esse. Enimvero, inquit,

οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω,
εἷς βασιλεύς, ᾧ ἔδωκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω[3]).

non bonum est multorum imperium: unus princeps esto, unus rex, cui hoc tributum est a Iove. Iovis igitur numine regnum mandatum, dei gratia reges institutos esse clamat, idque etiam cognomentis quibus ornari solent testatur, quum *διοτρεφέας* eos aut *διογενέας* appellet. Bonus rex quasi dei instar a populo colitur, ut de Agamemnone ait, *θεὸς ὣς τίετο δήμῳ*, et de Aetolorum rege Thoante[4]): summa boni regis laus est, ut paterno erga populum animo sit, *πατὴρ ὣς ἤπιος*[5]), atque sicut pastor gregis, sic ille subditorum curam gerat, unde etiam *ποιμένες λαῶν*, pastores populorum, reges vocantur, qui si officio suo recte funguntur, felicissima est populorum conditio. Nam ubi rex imperat *θεουδής* h. e. memor deorum, iustitiamque colit et tuetur, *εὐδικίας ἀνέχῃσι*, talis regis causa etiam divina dona atque beneficia largiter populo impertiuntur, florentque eius subditi, *ἀρετῶσι δὲ λαοὶ ὑπ' αὐτῷ*[6]). — Neque minus boni regis laudes celebrantur ab Hesiodeo poeta, qui in theogoniae prooemio musarum principem Calliopen eiusque sorores nascenti huic adesse et vitam eius comitari his versibus testatur:

Ἡ γὰρ καὶ βασιλεῦσιν ἅμ' αἰδοίοισιν ὀπηδεῖ.
ὅντινα τιμήσωσι Διὸς κοῦραι μεγάλοιο

---

3) Il. II, 204.
4) Il. X, 33, XIII, 218.
5) Od. II. 234.
6) Od. XIX, 109. 111. 114.

γεινόμενόν τ' ἐσίδωσι διοτρεφέων βασιλήων,
τῷ μὲν ἐπὶ γλώσσῃ γλυκέρην χείουσιν ἐέρσην,
τοῦ δ' ἔπε' ἐκ στόματος ῥεῖ μείλιχα, οἱ δέ νυ λαοὶ
πάντες ἐς αὐτὸν ὁρῶσι διακρίνοντα θέμιστας
ἰθείῃσι δίκῃσιν· ὁ δ' ἀσφαλέως ἀγορεύων
αἶψά κε καὶ μέγα νεῖκος ἐπισταμένως κατέπαυσε.
τοὔνεκα γὰρ βασιλῆες ἐχέφρονες [ἠδὲ δίκαιοι
τιμῆς ἔμμοροί εἰσι καὶ αἰδοῦς][7]*, οὕνεκα λαοῖς*
βλαπτομένοις ἀγορῆφι μετάτροπα ἔργα τελεῦσι
ῥηϊδίως μαλακοῖσι παραιφάμενοι ἐπέεσσιν,
ἐρχόμενον δ' ἀν' ἀγῶνα θεὸν ὣς ἱλάσκονται
αἰδοῖ μειλιχίῃ, μετὰ δὲ πρέπει ἀγρομένοισιν.

Tam praeclare igitur de regno iudicarunt veteres illi poetae, quorum aetas, etsi dubitari non potest, quin iam mutatam viderit rerum publicarum formam et pro regibus ubique paucorum imperium exortum, tamen eorum certe malorum, quae mox partium studia et factiones discordiaeque et certamina domestica attulerunt, adhuc expers fuisse videtur. Abolendi autem regni quaenam ubique causae fuerint exponere longum est: nam aliae fuerunt alibi, diximusque de iis alio loco, quae nunc repetere nihil opus est. In universum autem duas potissimum causas fuisse videmus, alteram in populorum ingenio, alteram in regum ipsorum moribus non regiis positam. Nam, ut ait Aristoteles[8]), *βασιλευτὸν τὸ τοιοῦτόν ἐστι πλῆθος, ὃ πέφυκε φέρειν γένος ὑπερέχον κατ' ἀρετὴν πρὸς ἡγεμονίαν πολιτικήν*, h. e. r e g i o i m p e r i o a p t u s e s t e i u s m o d i p o p u l u s, q u i s i c n a t u r a e t i n g e n i o c o m p a r a t u s e s t, u t n o n a e g r e f e r a t u n u m i n t e r s e g e n u s e x i m i u m e t a d r e g e n d a m r e m p u b l i c a m d e s i g n a t u m e s s e: tale autem non fuit ingenium Graecorum, quippe quibus contra naturam esse visum sit, quum multi pares essent, unum genus reliquis omnibus praeferri. Alteram causam brevissime Ciceronis verbis[9]) significare licet, qui regale civitatis genus non tam regni quam regum vitiis repudiatum esse ait: scilicet quum extitissent passim reges, qui impares se officio regali implendo indignosque

7) Haec cur inserenda putaverimus patebit ex iis, quae in censura Hesiodi Goettlingiani diximus, in Diurn. Antiqu. Zeitschr. f. d. A. W. 1845 Suppl. no. 20. p. 159.

8) Polit. III, 11, 11.

9) De legg. III, 7, 15.

tanto honore praestarent. — Sed posteaquam ubique aut in paucorum aut in multitudinis potestate res publica fuit, nimis cito intelligi potuit, neque illorum, qui se optimos sive optimates dicerent, neque eorum, qui populares appellarentur, aut prudentia aut virtute certius ac stabilius, quam unius viri imperio fundatum esse rei publicae statum, innumerabilesque existere discidii atque certaminum causas, quum se quisque extollere, alteri alteros opprimere conarentur, mox pauciores populum sibi subiicere atque obnoxium facere studerent, mox populus invideret paucorum opibus atque exaequari et communicari cum omnibus omnia cuperet. Hinc in omni civitate turbae ac seditiones rem publicam distrahebant, cui malo quum aliquid remedii circumspiceretur, iis quidem, qui ceteris prudentiores erant, hoc unum maxime placuisse videmus, ut unius viri boni ac sapientis consilio res publica permitteretur, non quidem ut perpetuum imperium haberet: id enim Graecorum ingeniis haud ferendum videbatur; sed ut componeret discordiam ordinanda legibus re publica et suis cuique parti iuribus et muneribus describendis, ut quem cuique locum in civitate tenere, quae praestare officia, quibus frui commodis conveniret, certa et aequabili norma definiretur. Et profecto civilem Graecorum prudentiam, licet aliis in rebus haud magnopere admiremur, in hoc tamen laudandam atque recentioribus quibusdam populis pro exemplo proponendam esse dixerimus, quod leges rei publicae ordinandae melius tutiusque unius sapientis viri consilio, quam multorum hominum deliberationi permitti iudicarunt: idque eorum iudicium etiam re ipsa et eventu comprobatum videmus. Satis est unum Solonem commemorare, cuius legibus, iis quidem certe quae ad ius publicum pertinent, nihil sapientius ulla aetas vel olim vel recentiore aevo vidit, quibuscum si quis eas comparaverit, quae hodie in numerosis conventibus magno cum molimine verbosisque multorum orationibus suadentur, dissuadentur, perferuntur moxque rursus abrogantur, videbit profecto quantum intersit. An vero fieri potuisse credemus, ut Solonis illae leges etiam in contionibus probarentur perferrenturque? quae quum latae essent, populusque ad eas observandas iure iurando obstrictus esset, vituperabantur tamen a multis, qui minus quam speraverant iuris ac potestatis sibi concessum esse viderent, unde factum, ut mox recrudescente discordia homo callidus et factiosus Pisistratus opprimendae aliquamdiu libertatis opportunitatem nancisceretur remque publicam in suam potestatem redigeret. Sed haec persequi, et quo modo post

eiectos Pisistrati filios restitutamque et firmius fundatam a Clisthene Solonis formam rei publicae Athenienses, dum eam incorruptam tenebant, gloria opibusque floruerint, post autem, quum ingenita et inevitabilia popularis imperii mala eam corrupissent, quam praecipiti lapsu ceciderint, exponere hoc loco nihil opus est. Neque illud a quoquam ignorari putamus, vix ullam fuisse in Graecia civitatem, in qua non similes atque Athenis discordiae optimatiumque et popularium certamina tyrannorum proventum attulerint, quorum licet non pauci viri sollertes ac strenui usurpatam a se potestatem cum magna moderatione boneque publico exercerent, nusquam tamen diurturnum hoc genus imperii raroque a patribus ad filios translatum videmus, cuius rei quae causae fuerint non difficile est ad intelligendum. Laborabat enim regnum tyrannorum, quamvis ceteroquin fortasse laudabile, hoc maxime malo, quod non patriis moribus avitoque iure nec voluntario civium obsequio fulciebatur, sed quemadmodum vi partum erat, sic etiam retineri tantum per vim poterat, quam quidem tanto impatientius cives tolerabant, quanto saepius accidebat, ut, si minus ipsi, qui primi rerum potiti erant, tamen eorum successores potestate nullis legibus coercita corrupti traditum a patribus imperium paternis artibus retinere non possent: ut etiam in hoc genere idem quod de veteribus regnis dicere liceat, repudiatum esse non tam regni quam regnantium vitiis. Ceterum strenuis illis atque fortibus tyrannis, qui occupato imperio discordiis civilibus finem fecerant, haudquaquam honorem ac favorem sapientissimorum et patriae amantissimorum virorum defuisse Aeschyli, Pindari aliorumque exempla demonstrant, quos haud invitos in eorum aulis versatos esse laudesque eorum celebrasse constat. Et cum uno illorum, Hierone Syracusano, Simonidem Xenophon colloquentem facit, quumque is de molestiis et periculis tyrannicae sortis questus esset, confirmantem eum et cohortantem, ut melius de conditione sua sentiat: nam posse etiam tyranno contingere, ut bene faciendo subditos sibi firmiter devinciat imperiumque suum carum iis acceptumque faciat. Apparet hinc nomen tyrannorum illa aetate non tam odiosum ac detestabile bonis viris visum esse, quam posteriore tempore, quum aliud genus tyrannorum passim extitisset ex mercenariorum militum ducibus, qui nulla sua virtute sed tantum externis auxiliis freti dominationem arripuerant, eaque non, ut priores illi, ad sananda civitatis mala, sed ad suas suorumque cupiditates explendas impotenter ac foede abutebantur. Sed unius regnum legitimum, quamvis Graecorum civitates propter eas

quas attigimus causas ab eo abhorrerent, per se tamen ipsum haudquaquam improbandum, immo oligarchiae et democratiae praeferendum non paucis visum esse, etiam Herodoti et Isocratis auctoritate probabimus. Ille enim [10]) post interemptum magum, qui se Smerdin Cyri filium esse simulaverat eaque fraude regnum occupaverat, colloquentes inter se septem Persarum principes inducit et de summa rerum deliberantes: quorum unus, Otanes, enumeratis malis, quibus facile unius imperium nullis legibus adstrictum corrumpatur, popularem rei publicae formam institui vult, alter, Megabyzus, multitudinis imperitae potestate nihil perniciosius magisque bono publico adversum esse testatus, delectis quibusdam viris optimis gubernacula permittenda esse censet, tertius denique, Darius, utrumque rei publicae genus multis magnisque malis laborare demonstrat, quorum expers esse docet unius viri boni ac sapientis imperium: eamque sententiam ceteris veram esse persuadet. Ficta sine dubio est haec omnis consultatio, neque id Herodotus quamquam voluisse videtur dissimulare potuit: verum tanto magis documento esse potest, quid ipse scriptor de tribus illis rei publicae formis iudicaverit. Isocratis autem duo sunt libelli Nicoclis nomine inscripti, qui Salaminis in Cypro rex fuit, regnumque hereditarium a patre habuit Euagora, cuius laudes idem Isocrates alio quodam libro praedicavit. Sed Nicoclem orator altero quidem illorum libellorum regii officii admonet, quid sequendum regi quid fugiendum sit praecipiens, altero autem ipsum loquentem inducit subditisque suis regii imperii bona, oligarchiae et democratiae vitia exponentem, et quo modo ipse regnum administraturus sit promittentem: quae quidem promissa vere regia, et qualia vix optimates, nullo modo autem populares promittere audeant, si reapse Nicocles praestitisset, rem publicam sub eius regno sane beatam futuram fuisse fatendum est. Nunc autem hoc saltem libellus ille docet, Isocratem non magis quam Herodotum aut optimatium aut popularis imperii fautorem fuisse, sed melius de regno unius sperasse. Poteramus porro etiam discipulos Isocratis citare, quorum complures tyrannorum strenuorum amicos et laudatores fuisse accepimus, Philistum, Theodectem, Theopompum, Naucratem; sed praevertendum putamus ad eos, qui accuratius et data opera de variis rei publicae formis eiusque optimo genere disputarunt, quorum, quum multorum scripta

---

10) Lib. III c. 80—83.

perierint, aliorum quae feruntur scripta suppositicia videantur [11]), nunc duos tantum producere licet, Platonem et Aristotelem [12]). Sed Platonis libros eos, qui de re publica inscribuntur, cur hoc loco praetermittendi sint neminem, qui eos noverit, latebit. Nam tale in iis proponitur genus civitatis, quale nec fuit unquam in terris, neque existere nisi prorsus alia facta hominum natura unquam poterit. Et in legum quoque libris X, quos post eius mortem Philippus Opuntius edidisse dicitur, imaginem propositam videmus novae civitatis iis conditionibus condendae, quae optari facilius quam sperari possint. Unum tamen locum in his libris memorabilem silentio praeterire nolumus, ubi unius viri, adeoque tyranni imperium unice aptum esse dicitur ad sanandam corruptam civitatem bonisque moribus et institutis fundandam et firmandam [13]). Nam plures ubi rei publicae praesint, ibi propter opinionum et iudiciorum varietatem ac dissensionem aliquid in melius mutari haud facile posse: tyrannus autem si fuerit alacris ingenii, et qui facile sapientibus consiliis aurem praebeat, ac fortitudine animique magnitudine emineat, nihil fere cogitari salubrius posse: flexurum enim cives quocunque voluerit, atque sic emendaturum rei publicae statum. — Fuerunt qui hoc Platonis loco fidem adstruerent pervagatae de eius itinere ad minorem Dionysium narrationi, quum iuvenis animum mollem et facile flectendum ad instituendam bonam rei publicae formam a se impelli posse sperasset: de qua narratione utut iudicabitur [14]), hoc quidem manifestum est, Platonem per unum facilius quam per plures rei publicae recte consuli posse censuisse. Neque minus unius imperium probari videmus in eo dialogo, qui inscribitur Politi-

11) Pythagoreorum apud Joannem Stobaeum, Floril. tit. 47. 48.

12) Poteramus etiam Xenophontem producere, qui in Cyropaediae parte prima, ubi Persarum instituta proponit, regnum describit salubriter auctoritate principum et populi libertate temperatum, in postrema autem parte, postquam Cyrus Medorum rex factus plures populos subiecit, quodnam genus imperii his in potestate retinendis maxime idoneum sit docet. Sed haec, quum de Cyropaediae argumento et consilio ab aliis aliter iudicetur, longiorem disputationem postulare videbantur, quam quae hoc tempore institui posset. Interim satis erit C. Hildenbrandum laudare, qui in opere nuper edito, Geschichte und System der Rechts- und Staatsphilosophie. Lips. 1860. tom. 1. p. 225—249, de Cyropaedia accuratissime disseruit.

13) Legg. IV p. 709 E. 710.

14) Haud improbabilem eam sibi videri C. F. Hermannus profitetur, Gesch. u. System der Plat. Philosophie, p. 67 sqq.; neque nos ab eo dissentimus.

cus, quo nomine significatur a Platone vir recte regendae civitati idoneus, qui idem etiam rex appellatur. Atque initio quidem regis notio ita definitur, ut pastoris instar sit gregem humanum custodiae suae mandatum tuentis et conservantis: repudiatur tamen mox haec definitio [15]), ut quae in horum qui nunc sunt hominum conditionem non cadat, sed convenientior sit priscae illi aetati, quam poetae fuisse fingant, quum deos inter homines versantes eorumque curam gerentes omnisque vitae usibus prospicientes inducant [16]). Nam deorum quidem naturam tanto esse hominibus praestantiorem, quanto pastoris naturam gregibus ab eo custoditis; hominum autem, qui nunc sint, quamvis inter se dissimilium, non tamen tantam esse dissimilitudinem, ut possit unus supra ceteros tamquam deus supra mortales eminere [17]). Neque tamen propterea aut illud civitatis genus probandum, in quo multitudinis voluntas valeat, quippe in qua plures semper insipientes sint, neque eam, in qua penes paucos sit imperium, quos nimis saepe propter superbiam et insolentiam abalienari a populo suisque magis commodis quam bono publico inservire videas: sed unam optimam civitatis constitutionem eam esse, in qua unus praesit tali animo praeditus, ut nihil sequatur et cupiat praeter civium salutem, et ea prudentia instructus, ut quid salubre populo, quid contra sit, recte perspicere et quo id modo quibusque subsidiis efficiendum sit providere possit. Quodsi talis moderator rei publicae contigerit, etiam legibus iura describi haud opus esse, quum praesertim fieri nequeat, ut leges ferantur quibusvis aut hominibus aut temporibus aptae, et in magna varietate rerum atque conditionum non raro accidere possit, ut, quod in universum leges sanxerint, si in singulis nullo discrimine adhibeatur, iniustum potius quam iustum censeri debeat, et, quod in proverbio est, summum ius saepissime summa iniuria fiat. Hoc igitur malum non verendum esse, si fieri possit, ut de singulis iudicandi et quid cuique conveniat ac debeatur decernendi penes virum vere iustum ac sapientem potestas sit [18]). Ceterum haudquaquam diffitetur Plato talem rei

---

15) *Πῶς οὖν ἡμῖν ὁ λόγος ὀρθὸς φανεῖται καὶ ἀκέραιος ὁ περὶ τοῦ βασιλέως, ὅταν αὐτὸν νομέα καὶ τροφὸν ἀγέλης ἀνθρωπίνης θῶμεν μόνον ἐκκρίνοντες μυρίων ἄλλων ἀμφισβητούντων;* Pag. 268 B.

16) P. 271 E.: *θεὸς ἔνεμεν αὐτοὺς αὐτὸς ἐπιστατῶν, καθάπερ νῦν ἄνθρωποι, ζῶον ὂν ἕτερον θειότερον, ἄλλα γένη φαυλότερα αὐτῶν νομεύουσι* Cf. Opusc. acad. II p. 273.

17) P. 275. B. C.

18) P. 294 A. sqq. 296 E. 297.

publicae rectorem optari citius quam sperari posse: neque enim, ut inter apes, sic inter homines reges nasci tantopere prae ceteris excellentes, qui omnia maxima minima complecti animo ac pervidere diiudicareque possint[19]). Hanc igitur ob causam careri non posse bonis legibus virorum bonorum et sapientium consilio descriptis, quae in universum quid in quoque rerum genere iuris sit praefiniant: his autem exercendis adhibendam esse prudentem singularum rerum aestimationem, ut, in quibus summum illud ius locum habere nequeat, boni et aequi ratio praevaleat. Sic res eo deducitur, ut optimum genus imperii sit *μοναρχία ζευχθεῖσα ἐν γράμμασιν ὀρθοῖς, οὓς νόμους λέγομεν*[20]), h. e. unius imperium bonis legibus iunctum, quo leges quidem in universum valeant, sed his sic ut par sit utque boni publici et verae iustitiae ratio poscat exercendis rex invigilet. Atque hinc etiam illud consequitur, boni regis officium in eo potissimum constare, ut quoniam unus omnia curare non possit, alios aliis in suo quosque genere optimos praeficiat ministros, ipse autem horum administrationem regat agendique modum iis praescribat. *Τὴν ὄντως οὖσαν βασιλικήν*, inquit[21]), *οὐκ αὐτὴν δεῖ πράττειν ἀλλ' ἄρχειν τῶν δυναμένων πράττειν*, fere ut nostra aetate in Gallia virum haud contemnendum dixisse meminimus: le roi regne, mais il ne gouverne pas, quod si eadem is qua Plato mente dixit, non erat sane cur reprehenderetur. — Sunt autem etiam alia quaedam in hoc Platonis dialogo, quae nostris temporibus scripta videri possint, imprimis de duobus hominum generibus, quibus obsistere regem cavereque oporteat, ne officiant rei publicae. Unum genus eorum est, qui, ut ipse ait[22]), *προσποιοῦνται μὲν εἶναι πολιτικοί, καὶ πείθουσι πολλούς, εἰσὶ δὲ οὐδαμῶς*, h. e. qui administrandae rei publicae scientiam sibi arrogant multosque credulos inveniunt, re vera autem ab illa scientia longe remoti sunt. Sat multos profecto etiam hac aetate et in his, quae nunc sunt, civitatibus videas huius generis politicos falsos et adulterinos, partim libellis quotidie sparsis, partim orationibus non modo in privatorum circulis sed etiam in publicis con-

19) P. 301 E: *Νῦν δέ γε ὁπότε οὐκ ἔστι γιγνόμενος ἐν ταῖς πόλεσι βασιλεύς, οἷος ἐν σμήνεσιν ἐμφύεται, τό τε σῶμα εὐθὺς καὶ τὴν ψυχὴν διαφέρων εἷς, δεῖ δὴ συνελθόντας ξυγγράμματα γράφειν, ὡς ἔοικε, μεταθέοντας τὰ τῆς ἀληθεστάτης πολιτείας ἴχνη.*

20) P. 302 E. 21) P. 305 D.

22) P. 303 C.

ventibus, ad quos imperitae multitudinis suffragiis delegati sunt, ineptissima et saepe etiam perniciosa rei publicae consilia cum insigni confidentia venditantes, *οὐ πολιτικούς*, ut rursus Platonis verbis utar, *ἀλλὰ στασιαστικούς, μεγίστους μὲν ὄντας μιμητὰς καὶ γόητας, μεγίστους δὲ τῶν σοφιστῶν σοφιστάς*. Alterum genus eorum est, qui se rerum non humanarum sed divinarum peritos esse iactant, *οἱ περὶ μαντικήν*, inquit[23]), *ἔχοντές τινος ἐπιστήμης διακόνου μόριον*, et paullo post *τὸ τῶν ἱερέων γένος*. Namque *τὸ τῶν ἱερέων σχῆμα καὶ τὸ τῶν μάντεων εὖ μάλα φρονήματος πληροῦται, καὶ δόξαν σεμνὴν λαμβάνει διὰ τὸ μέγεθος τῶν ἐπιχειρημάτων*. Nimirum in bene constituta civitate etiam rerum divinarum procurationem eam demum bonam esse intelligebat, quae bono publico inserviret, neque diversam esse sacrorum et rei publicae causam, sed quum huius is finis esset eoque omnia instituta tenderent, ut cives boni beatique forent, horum institutorum ea quae ad cultum deorum pertinerent, unam tantum partem, quamvis magnam, non tamen talem esse, ut ceteris, quae et ipsa diversis modis ad excolendos civium animos, formandos mores, disciplinam sanam probamque serendam conservandamque instituta essent, anteferretur. Sed olim hoc insitum fuisse videtur eorum, qui se divini numinis nuntios atque interpretes haberi vellent, animis, ut sese ceteris praeferri cuperent et praecipuum quendam dignitatis locum in civitate affectarent; quamquam, ut historia docet, haud magno in Graecia successu, cuius rei causas cognoscere non difficile est[24]). Melius res apud alios et aliis temporibus successit, unde quantum saepe populis malorum, quantum discordiarum turbarumque civilium, quantum rebus publicis damni ex arrogantia sacerdotum et dominandi cupiditate enatum sit nemo nescit: quae si Plato vidisset, si cognitos habuisset sacerdotes, qui cives se suae civitatis legibusque civilibus subiectos esse recusarent, cum alienis artius quam cum suis coniunctos, adeoque extranei sacerdotis simul et regis primatui subiectos eiusque canones et decreta sanctius quam civitatis suae leges suique regis maiestatem observare paratos, quam vehementer quamque acerbe eum aut populos, talia passos, aut sacerdotes pietatis specie impios obiurgaturum fuisse putamus?

Sed satis de Platone: iam ad Aristotelem nos convertimus, cuius

---

23) P. 290 C.

24) Cf. quae diximus in Antiquitt. gr. tom. II p. 387 sq. [416 ed. 2.]

octo habemus de re publica libros omnium quotquot aetatem tulerunt facile praestantissimos. Nemo enim neque de causis societatis civilis summoque eius fine rectius disseruit, neque varias, quae usque ad ipsius aetatem extiterant rerum publicarum formas, diligentius perscrutatus est, neque quid in quaque boni, quid mali esset acutius perspexit, et quae quibusque conditionibus praeoptanda esset prudentius diiudicavit. Et de regio quidem imperio, quamquam Graecorum ingenio id minus convenire videbat, ipse tamen nihilo minus honorifice iudicat. Vere autem hoc nomine dignum tale unius imperium esse ait, cui propositum sit commune rei publicae bonum: *καλεῖν δὲ εἰώθαμεν τῶν μοναρχιῶν τὴν πρὸς τὸ κοινῇ ἀποβλέπουσαν συμφέρον βασιλείαν* [25]). Eius autem species esse varias, prout illud imperium plus minus circumscriptum sit: unam, qualis fuit apud Spartanos, quorum regum potestatem omnium minimam fuisse constat, quum et bini essent, et non modo senatui sed mox etiam ephoris multis in rebus obnoxii, et vix aliter a summis ceterarum civitatum magistratibus diversi, quam quod perpetuam habebant dignitatem, non annuam aut aliquo temporis spatio definitam, quodque summi erant exercitus ductores; quamquam non omnibus semper exercitibus reges praefuisse, et, si praeessent, ibi quoque ab ephoris non incustoditos fuisse videmus. Alterum genus regni illud esse docet, quod heroica aetate apud Graecos fuisse Homeri carmina tradunt. Id autem tribus maxime rebus constabat, foris ut exercitum reges ductarent, domi ut ius dicerent, et ut sacra quaedam pro populo facerent. Quantopere autem hi quoque in administranda re publica ceterorum principum, qui et ipsi non raro *βασιλῆες* vocantur, auctoritate et consilio partim coerciti partim adiuti sint, non opus est nunc exponi, neque quemquam Homeri lectorem fugit. Tertium genus eorum est, quos nonnunquam Graecorum civitates ipsae sibi imposuerunt intestinis discordiis fessae, ut legibus scribendis ordinandaque re publica pacem et concordiam restituerent et quantum posset in posterum stabilirent: de quibus iam supra a nobis dictum est. Quartum denique genus regni non apud Graecos, sed apud barbaros quosdam usitatum memorat, ubi imperium unius, nulla ipsi opposita potestate coercitum, sed hereditarium atque legitimum sit. Nempe legitimum hoc sensu dicitur, ut moribus institutisque patriis receptum significet, non ut scriptis legibus vel san-

---

25) Polit. III, 5, 2.

citum vel coercitum[26]). Neque igitur huiusmodi regno illud *βασιλείας* nomen recte tribui negat, si quidem etiam sic rei publicae saluti bene consulatur. Officium autem boni regis hoc potissimum esse, ut sit *φύλαξ, ὅπως οἱ μὲν κεκτημένοι τὰς οὐσίας μηθὲν ἄδικον πάσχωσιν, ὁ δὲ δῆμος μὴ ὑβρίζηται μηθέν*[27]), h. e. ut neque nobilibus et locupletibus a plebe iniuria fiat, neque plebs a paucis opprimatur; quod quid est aliud, quam ut suum cuique parti populi ius tutum inviolatumque sit? Ab hoc autem suum cuique tribuendi studio quantopere omnes, quotquot fuerunt, vel oligarchiae vel democratiae in Graecia abfuerint latere profecto Aristotelem non potuit, qui si tamen et paucorum imperium et eam civitatis formam, in qua penes universum populum potestas sit, salubrem rei publicae evadere posse disputat, non sane tales in mente habet, quales ipse videbat, sed quales esse debebant aut quales olim fortasse in una vel altera civitate aliquantisper fuisse acceperat, dum boni mores vigebant, et neque potentia sua optimates, neque libertate populus cum malo publico abutebatur. Nam qui bene morati sunt, hi non crescere ipsi aliosque opprimere studebunt, neque plus sibi arrogabunt, quam decet, sed hoc unum curabunt, ut bene consulatur rei publicae, eiusque administrandae potestatem iis tantum permittent, quos dignos, h. e. bonos ac prudentes cognoverint. Atque haec est aristocratia veri nominis, non ea, quam falso nomine vulgo appellari videmus, paucorum aut nobilium aut divitum praepollens potestas, sed virorum optimorum administratio rei publicae, quae in quacunque est civitatis forma, ibi locum habere concedemus illud Anglici poetae dictum,

on forms of government let fools contest;
the best administrated is the best.

Quod si unus rem publicam in potestate habet, non minus profecto

---

26) Aristoteles quidem enumeratis his quattuor generibus III. 10, 2 etiam quintum addit: *πέμπτον δ' εἶδος βασιλείας, ὅταν ᾖ πάντων κύριος εἷς ὤν —. ὥσπερ γὰρ ἡ οἰκονομικὴ βασιλεία τις οἰκίας ἐστίν, οὕτως ἡ βασιλεία πόλεως καὶ ἔθνους ἑνὸς ἢ πλειόνων οἰκονομία.* Apparet despoticum regnum significari, in quo tanta sit regis potestas, quanta in domo patris familias. Atqui *δεσποτικὴν ἀρχὴν* etiam apud barbaros quosdam regnum esse dixit c. 9, 3, et *παραπλησίαν τυραννικῇ*, ut vix perspicias, quid intersit inter hoc et illud. Certe tam tenui discrimine distare videntur, ut non necesse putaverimus, illius quinti generis separatim mentionem facere, sed coniunxerimus id cum quarto, quod in Aristotelis enumeratione secundum est.

27) Polit. V, 8, 6.

huius, quam aut nobilium aut divitum aut plebis interest, ut bene omnia administrentur: praeficiet igitur eos, quos optimos reique bene gerendae maxime idoneos cognoverit, in eorumque delectu, etsi falli potest, — nam errare humanum esse nemo nescit, — tamen non saepius certe falletur, quam aut optimates illi aut multitudo, in quos illud errare item cadere certissimum est, immo etiam facilius cadere, quo difficilius est in unius boni publici studio multos inter se, quam unum secum ipsum consentire. Ceterum si illam unam regii imperii formam spectamus, quam *παμβασιλείαν* h. e. absolutam monarchiam Aristoteles appellat, non sane dissentiendum ab eo esse fatebimur, qui huius tantam amplitudinem tamque arduum regis officium esse dicat, ut parem ei hominem aut raro aut nunquam ulla aetas viderit [28]). Quod autem Aristoteles in suae aetatis civitatibus vix aliam quam popularem rei publicae formam sive democratiam locum habere posse iudicat, errarunt magnopere qui sic acceperunt, ac si hanc maxime probandam esse diceret [29]), id quod longe ab eius prudentia alienum esse nemo non intelliget, qui hos de re publica libros non obiter tantum inspexerit, sed totos accurate cognoverit. Respicit enim, dum illud scribit, solos Graecos sui temporis, apud quos propter urbium magnitudinem non sperabat aliud genus rei publicae tolerari posse: nam urbanae plebis multitudo nullum libertati suae vel potius licentiae frenum adhiberi sinebat, eratque pariter optimatium auctoritati et unius imperio infensa. Rectius itaque dicemus fatalem potius et inevitabilem, quam bonam et salubrem Graecorum civitatibus democratiam Aristoteli visam esse. Ceterum demonstrat eius disputationis tenor, fuisse etiamtum qui saluberrimum unius imperium dicerent [30]), quibus quod unum ab illo opponitur, non habet regni ipsius reprobationem, sed dubitationem tantum de regno hereditario, in quo fieri posse arguit,

---

28) Cf. III, 10, 4 et 11, 6, 8.

29) In his G. Gervinus esse videtur, Geschichte des neunzehnten Jahrhunderts, IV, p. 15.

30) Nam III, 10, 8 postquam posuit, *ἴσως οὐδὲ ῥᾴδιον ἔτι γίγνεσθαι πολιτείαν ἑτέραν παρὰ δημοκρατίαν*, scilicet propter urbium magnitudinem, *ἐπεὶ μείζους εἶναι συμβέβηκε τὰς πόλεις*, statim subiungit § 9: *εἰ δὲ δή τις ἄριστον θείη τὸ βασιλεύεσθαι ταῖς πόλεσιν*, hisque iam opponit: *πῶς ἕξει τὰ περὶ τῶν τέκνων*; Cf. V, 8, 23. — Ceterum Platonem sine dubio et Platonis sectatores Aristoteles in mente habuit. Cf. Plutarch. de monarch. c. 4: *ὁ πολιτικός — εἰ αἵρεσις αὐτῷ δοθείη, καθάπερ ὀργάνων, τῶν πολιτειῶν, οὐκ ἂν ἄλλην ἕλοιτο πλὴν τὴν μοναρχίαν, Πλάτωνι πειθόμενος.*

ut saepenumero etiam indigni ad regnum perveniant. Et hanc ipsam dubitationem ad illud potissimum genus regni pertinere manifestum est, quod solum hoc loco in mente habet, hoc est ad παμβασιλείαν s. absolutam monarchiam nullis certis legibus adstrictam nec paucorum aut populi iure ac potestate temperatam. Hanc sane, licet non deteriorem quam aut oligarchiam aut democratiam, certe tamen non minus lubricam et corruptioni obnoxiam esse ait: neque in eo quisquam ab eius iudicio dissentiet.

Hoc idem etiam eos sensisse videmus, qui post Aristotelem de optimo genere rei publicae scripserunt, quorum duo praecipue nominandi sunt, Polybius et, qui plane cum eo conspirat, Cicero in libris de re publica. Ac Polybius quidem nec regiam nec oligarchicam nec democraticam civitatis formam per se solam optandam esse dicit, sed eam demum, quae ex his tribus mixta et temperata sit. Ἀρίστην, inquit, ἡγητέον πολιτείαν τὴν ἐκ πάντων τῶν προειρημένων ἰδιωμάτων συνεστῶσαν, idque comprobat argumentis ex historia ductis[31]). Nam posteaquam veram βασιλείαν eam tantum dicendam esse proposuit, quae non per vim parta sed populi voluntate et consensu tradita sit, neque metu et terrore incutiendo, sed consulendo civium saluti et bene faciendo nitatur, aristocraticum porro non quodvis paucorum imperium, sed illud, quod a delectis viris bonis ac sapientibus exerceatur, democratiam denique non eum statum civitatis, in quo omnis multitudinis arbitrium ac libido valeat, sed in quo boni mores deorumque reverentia vigeant sanctaque et infracta sit legum auctoritas, hisque opposuit contraria sed affinia mala, tyrannidem, quo nomine omnem violentam et iniustam unius dominationem intelligit, oligarchiam, ubi a paucis res publica tanquam propria ipsorum tractetur ceterorumque ius ac libertas per superbiam negligatur et proculcetur, ochlocratiam denique, in qua mobilis et temerariae multitudinis libido, non leges dominentur, iam demonstrat historiae exemplis, quam proclivis et prope certa atque inevitabilis in uno quoque de tribus illis

31) Lib. VI, c. 3, 7. — Aristoteles quoque de εὖ κεκραμέναις πολιτείαις loquitur V, 7, 1; neque tamen illam trium generum copulationem significat. Sed Stoicos Diogenes Laert. VII, 131 dixisse ait πολιτείαν ἀρίστην τὴν μικτὴν ἔκ τε δημοκρατίας καὶ βασιλείας καὶ ἀριστοκρατίας, auctorem tamen nullum nominatim laudans. Seneca quidem, de benef. II, 20, optimum civitatis statum sub rege iusto esse ait, negatque Brutum, quum regni odio Caesarem interimeret, ex institutione stoica egisse.

generibus a bono ad malum conversio sit, ut ex regno tyrannis, ex aristocratia oligarchia, e democratia ochlocratia evadat, Hanc ob causam laudat Lycurgum, qui quum intellexisset *ὅτι πᾶν εἶδος πολιτείας ἁπλοῦν καὶ κατὰ μίαν συνεστηκὸς δύναμιν ἐπισφαλὲς γίγνεται διὰ τὸ ταχέως εἰς τὴν οἰκείαν καὶ φύσει παρεπομένην ἐκτρέπεσθαι κακίαν, — οὐχ ἁπλῆν οὐδὲ μονοειδῆ συνεστήσατο τὴν πολιτείαν, ἀλλὰ πάσας ὁμοῦ συνήθροιζε τὰς ἀρετὰς καὶ τὰς ἰδιότητας τῶν ἀρίστων τῶν πολιτευμάτων*[32]), idque deinceps singulatim persequitur, in qua disputatione quam recte Lycurgi constitutionem rei publicae aestimaverit quaerere hoc loco nolumus. Sed his, quae ex Polybio retulimus, plane gemina sunt quae apud Ciceronem leguntur, ubi Scipio, posteaquam item tria illa genera rei publicae commemoravit, quaerenti Laelio, quodnam ex his generibus maxime probet, recte quaeris „respondet" quod *maxime* e tribus, quoniam eorum nullum ipsum per se separatum probo, anteponoque singulis illud, quod conflatum fuerit ex omnibus. Sed „ait" si unum et simplex maxime probandum sit, regium probem atque inprimis laudem[33]). Non diffitetur quidem deinde posse etiam cum una quaque ex illis tribus bonum publicum constare: nam „inquit" vel rex aequus ac sapiens, vel delecti ac principes cives, vel ipse populus — quamquam id est minime probandum, — tamen nullis interiectis iniquitatibus aut cupiditatibus posse videtur aliquo esse non incerto statu[34]); sed quam proclivis sit omnium in deterius mutatio eodem atque Polybius modo exponit. Nullum „inquit" est genus illarum rerum publicarum, quod non habeat iter ad finitimum quoddam malum praeceps ac lubricum, et paullo post: miri sunt orbes et quasi circuitus in rebus publicis commutationum et vicissitudinum, quos quum cognoscere sapientis est, tum vero prospicere impendentes in gubernanda re publica, moderantem cursum atque in sua potestate retinentem, magni cuiusdam civis et divini paene est viri. Itaque quartum quoddam genus rei publicae maxime probandum esse censeo, quod est ex his, quae prima dixi, moderatum et permixtum tribus[35]),

---

32) Lib. VI c. 10.

33) De re publ. 1, 35, 54.

34) Ib. c. 26, 42.

35) Ib. c. 29, 45.

eandemque sententiam mox his verbis repetit: ex tribus primis generibus longe praestat mea sententia regium, regio autem ipsi praestabit id, quod est aequatum et temperatum ex tribus optimis rei publicae modis[36]). Non opus est plura afferre in eandem sententiam disputata; sed unius tamen eorum, qui in his libris de re publica colloquentes inducuntur, Sp. Mummii iudicium praetermittere nolumus, qui vel regnum, h. e. unius imperium, se malle profitetur quam liberum populum sive democratiam: eique Scipio sic assentitur, ut, quamvis populare imperium etiam lenius fortasse quam a Mummio ferri posse moneat, tamen nullum de tribus illis generibus esse concedat, quod sit probandum minus[37]). — Sic igitur veteres illi iudicabant, non homines privati, non scholastici, non umbratici doctores, sed principes suae rei publicae in sole atque pulvere exercitati multoque rerum usu instructi, qui quid quaeque forma rei publicae boni ac mali haberet non praeiudicata quadam nec nisi ex libris hausta opinione statuerent, sed experientia magistra cognovissent. Hosque omnes in eo conspirare videmus, ut, si una simplex rei publicae forma optanda sit, regnum ceteris praeferant, optimam autem civitatis constitutionem eam censeant, in qua regnum sit optimatium auctoritate, populi libertate mixtum et temperatum: cuius quidem temperamenti qui modus ac ratio sit, et rectene an secus Cicero eam rei publicae formam, quae Romae fuit proximis ante Scipionem temporibus, omnium optime temperatam fuisse pronuntiet, magna est quaestio, sed ab hoc loco aliena. Non enim ii sumus, qui illorum, quos modo diximus, umbraticorum doctorum exemplo, idoneam nobis de huiusmodi quaestionibus decernendi facultatem arrogemus, sed audire malumus eos, quorum in hoc genere prudentiam usu rerum partam et experimentis comprobatam viderimus, in quibus quin veteribus illis, quorum sententias commemoravimus, praecipuus quidam locus assignandus sit nemo facile ambigat.

Hoc autem tempore ut eorum admoneremur, factum est Regis unius optimi memoria, quem quum nuper amissum lugeamus, subiit ante omnia earum rerum recordatio, quibus patriae nostrae statum, aliquantisper pravis seditiosorum hominum conatibus labefactatum, erigere et certius ac stabilius in posterum fundare annisus est, ea rei publicae forma condenda, quae ad illam, quam consentiens

36) Ib. c. 45, 69.

37) Ib. III, 34, 46 et 35, 47.

sapientissimorum virorum vox optimam dixit, quam proxime accederet, nec minueret regii imperii vim, et subditorum quoque iuri ac libertati consuleret. Nam quod Tacitus[38]) de optimis imperatoribus Nerva et Traiano praedicat, miscuisse eos res antea dissòciabiles, principatum et libertatem, id nobis non minus vere de nostro Rege praedicare licet, et quam M. Antoninus animo suo infixam fuisse dixit speciem civitatis salubriter unius imperio et populi libertate temperatae, eadem etiam Friderici Guilelmi animo inhaerebat, ad eamque omnia sua consilia, dicta factaque omnia dirigebat, inde ab ineuntis regni auspiciis usque ad illum diem, quum, fractus morbi impetu, gubernaculum rei publicae fratri tradidit, voluntatis consiliorumquo suo rum socio fidelissimo et adiutori. Non nostrum est haec singulatim persequi: facient hoc alii, nec sane deerunt, qui quanta fuerit in his negotiis Regis sapientia, quam rectum et incorruptum de rerum et temporum conditionibus iudicium, prout dignum est praedicent laudentque. Nobis hoc unum sumimus, ut in Fridericum Guilelmum illud Solonis dictum transferamus, qui quum interrogatus esset, num optimas civitati suae leges dedisset, earum quidem, respondit, quarum capax erat, optimas[39]). Et quod idem Atheniensium legislator de semet ipse profitetur[40]),

δήμῳ μὲν γὰρ ἔδωκα τόσον κράτος, ὅσσον ἐπαρκεῖ,
τιμῆς οὔτ᾽ ἀφελὼν οὔτ᾽ ἐπορεξάμενος·
οἳ δ᾽ εἶχον δύναμιν καὶ χρήμασιν ἦσαν ἀγητοί,
καὶ τοῖς ἐφρασάμην μηδὲν ἀεικὲς ἔχειν·
ἔστην δ᾽ ἀμφιβαλὼν κρατερὸν σάκος ἀμφοτέροισιν,
νικᾶν δ᾽ οὐκ εἴασ᾽ οὐδετέρους ἀδίκως,

hoc idem iisdem plane verbis etiam Friderico Guilelmo nostro de se profiteri licuit.

Iam vero postquam de Regis in universam rem publicam meritis pro captu nostro diximus, fert animus ut ea quoque attingamus, quae proprie ad nos nostramque universitatem pertinent. Non semel enim nobis contigit, ut Regem nostrum praesentem inter nos videremus, singularemque Eius non modo comitatem et clementiam, sed etiam ingenii ubertatem artiumque et litterarum scientiam, facundiam denique et

38) Vit. Agric. c. 3.

39) Plutarch. Solon. c. 15: *ἐρωτηθεὶς εἰ τοὺς ἀρίστους Ἀθηναίοις νόμους ἔγραψεν· ὧν ἄν, ἔφη, προσεδέξαντο τοὺς ἀρίστους.*

40) Apud eundem c. 18.

suavitatem oris admirantes veneraremur, neque quisquam erat nostrum, quin Hunc, si non esset regio loco constitutus, etiam privatum, inter quoscunque versaretur, principis ubique loco futurum fuisse agnosceret, nemo, qui non ut Regem tantum ac Dominum veneraretur, sed ut virum optimum, humanissimum, elegantissimum amaret carumque haberet, Eique nascenti Musas profecto affuisse animumque eius omnibus suis dotibus ornasse affirmaret. — Pauci sunt anni, quum universitas nostra, quintum aetatis suae saeculum ingrediens, hoc faustissimum futurae prosperitatis augurium habuit, quod Rex ipse sacra saecularia celebrantibus interesse una cum fratre, quem nunc Regem veneramur, fratrisque filio, futuro regni herede, dignatus est. Verba nos deficiant, si commemorare conemur, quantopere tunc et omnes tres et unus quisque Eorum quum nos universos tum singulos sibi devinxerit quotque modis se nobis bene velle, litteris artibusque, quae a nobis tractantur, favere, florem atque augmentum universitatis cordi habere ostenderint. Praecipue autem Rex ipse hunc suum animum disertis verbis testatus est, quum in festo convivio hanc vetustissimam regni sui academiam semper egregie sibi caram fuisse affirmaret, eique apprecaretur ut, si minus externo splendore, at interna bonitate praeter ceteras excelleret aliisque pro exemplo esset, ac paullo post, quo patefaceret quantopere se a nobis non alienum haberi vellet, eis, qui ex omnis Germaniae universitatibus ad concelebranda saecularia nostra delegati convenerant, nostro nomine gratias ageret eorumque praesentiam non modo huic universitati, sed etiam sibi gratam atque honorificam esse profiteretur: denique, quum post coenam invitaretur, ut, si videretur, in propinquum conclave cum paucioribus sui reficiendi causa secederet, recusavit hoc et remanere inter nos maluit. Nolite, inquit, me seducere: libenter enim inter vos omnes versor, nec possum alibi melius esse.

Iure igitur ac merito huius Regis amissi dolorem non communem tantum nobis cum ceteris, sed etiam proprium ac singularem esse convenit, quumque una cum omnibus patrem patriae, populum suum affectu vere regio, vere paterno amplexum lugeamus, tum nostrum magnum praesidium et dulce decus ereptum nobis deflemus. Nec levari moeror noster ulla unquam consolatione poterit, nisi quod Eos, qui tunc una cum Rege inter nos aderant, fratrem fratrisque filium Illi non solum sanguine sed etiam animo coniunctissimos esse novimus, Eosque, ut regni, sic etiam virtutum regiarum heredes esse scimus:

quorum quum fortitudine et sapientia patriam salvam fore confidimus, tum etiam favorem et clementiam nobis nostraeque universitati non defuturam esse speramus. — Quoniam autem luctus nostri omnes, quotquot sunt in hac civitate, socios habemus, et iuvat quodammodo in luctu etiam communis doloris ac pietatis testificatio, parentalia Regis Optimi Friderici Guilelmi IV., publice in aula academica a. d. VIII. h. m. hor. XI. celebraturi sumus, oratoremque, qui quod omnes sentimus omnium nomine et sermone patrio proloquatur, collegam nostrum constituimus A. Baierum, philosophiae professorem. Ad celebranda igitur haec nobiscum parentalia magistratus regios et urbicos, civiles et militares, omnesque omnium ordinum cives atque hospites qua decet reverentia et observantia invitamus.

P. P. Gryphiswaldiae a. d. VII. m. Februarii MDCCCLXI.

SCHEDIASMA DE THEOGNIDE.

In prooemio theogoniae Hesiodus, sive quis alius fuit huius prooemii compositor, Musas ipsas profitentes inducit, multas a se res non veras, sed fictas et commenticias tradi: quam professionem licet poeta sine dubio ad fabulosas potissimum de dis rebusque divinis narrationes pertinere voluerit, quales in theogonia sunt, nos tamen non immerito etiam latius aliquanto patere dicemus. Nam, si ab unis fortasse mathematicis discesseris scientiae suae certitudine gloriantibus, ceteri quidem omnes, qui in Musarum artibus versamur, veritatis cognitionem nimio saepius multis magnisque difficultatibus nobis obsaeptam esse videmus, sive ipsa rerum natura captum humanum fugiente, sive deficientibus certis notis atque indiciis ad inveniendam cognoscendamque veritatem necessariis. Atque hoc quidem iis potissimum saepenumero querendum est, qui historiae operam dant, in quo studio, ut quisque est veritatis cupidissimus, ita aegerrime eius inveniendae certam viam sibi interclusam esse fert, unde fieri solet, ut ingeniosi homines, quam assequi ipsam nequeant, eius speciem saltem quandam haud improbabilem consectentur. Sic igitur in omni historia permulta opinabilia et commenticia veris et compertis admixta sunt, neque iusto severius eos iudicasse dixerimus, qui non minimam eius partem figmentis constare pronuntiarunt, in quibus acquiescere homines consenserint verbo apud Italos frequentato se consolantes: s e n o n è v e r o, è b e n t r o v a t o.

Huius verbi nos quum alias saepenumero, tum his proximis diebus admoniti sumus, quum ad relegendas Theognidis reliquias variasque de iis virorum doctorum sententias recognoscendas revocaremur. Nam nihil in iis satis certum esse intelleximus, nisi hoc unum, quod Welckerus, vir de interpretando Theognide unus omnium longe meritissimus, prudenter monuit, magnam partem illarum reliquiarum ad

Megarensium rem publicam pertinere, neque intelligi recte posse, nisi cognita eius rei publicae historia, quae quum parum nobis nota sit, etiam pleraque in Theognide prorsus obscura et inexplicabilia esse necesse est. Nam ex ipsis quidem eius versibus nihil ad rerum Megaricarum cognitionem lucramur, praeter hoc unum, quod etiam absque iis non dubitaremus, fuisse Megaris non minus quam in ceteris Graeciae civitatibus identidem inter plebem et optimates vario eventu certatum: nisi quis forte hoc saltem in lucro ponendum esse dicat, quod talia certamina etiam Theognidis aetate fuisse videamus, ipsumque poetam optimatium magis quam plebis partibus favisse. Perincommode autem accidit, ut in hanc farraginem, quae Megarensis poetae nomen praefert, etiam aliorum poetarum versus passim admixti sint, quorum etsi sat multos propter diserta veterum auctorum testimonia a Theognideis secernere liceat, restant tamen non pauci, qui utrum iure an iniuria illi adscribantur incertus haereas. Nimirum omnem hanc collectionem non sana quadam et severa ratione critica confectam esse manifestum est, sed institutam ab aliquo veterum poetarum studioso, qui quidquid ubique Theognideum ferri videret, nullo certo ordine, sed ut quidque occurrisset, fere ad modum eorum qui hodie Alba quae dicuntur sibi conscribunt, in chartas coniiceret, non anxie de singulorum auctoritate sollicitus, neque aliena quaedam, modo ceteris non absimilia, adscribere veritus. Sic natam collectionem alii modo totam modo aliquam eius partem descripserunt pro suo quisque lubitu et consilio. Itaque qui hodie supersunt codices alii alium versuum numerum habent: plurimos quidem omnium codex Mutinensis, quem primus Imm. Bekkerus usurpavit, in quo sunt versus 1389, paucissimos autem unus e Palatinis, in quo haud amplius 64 leguntur. Sed ne Mutinensis quidem eum versuum numerum habet, quem a Suida commemoratum videmus. Nam is apud unum eorum, quos compilavit, auctorum versus 2800, apud alterum, ut videtur, 2806 numeratos invenit[1]). Neque tamen diversi generis illam, quam Suidae auctores

1) Assentior enim Welckero (Prolegg. p. LXXIII sq.), quae Suidas habet: *γνώμας δι' ἐλεγείας εἰς ἔπη βώ, καὶ πρὸς Κύρνον τὸν αὐτοῦ ἐρώμενον γνωμολογίαν δι' ἐλεγείων καὶ ἑτέρας ὑποθήκας παραινετικάς, τὰ πάντα ἐπικῶς*, e diversis auctoribus compilata esse, et ad unam eandemque gnomologiam pertinere. Bernhardyus copulam ante *πρὸς Κύρνον* deleri, postremisque verbis *τὰ πάντα ἐπικῶς* nihil nisi externam speciem carminis significari vult, quemadmodum alibi *δι' ἐπῶν* dicitur. Id certe probabilius, quam quod alii voluerunt *ἐλε-*

noverant, ab hac nostra collectione fuisse satis apparet ex ipsius verbis: παραινέσεις μὲν ἔγραψε Θέογνις, ἀλλ' ἐν μέσῳ τούτων παρεσπαρμέναι εἰσὶ μωρίαι καὶ παιδικοὶ ἔρωτες καὶ ἄλλα ὅσα ὁ ἐνάρετος ἀποστρέφεται βίος, quod iudicium prorsus etiam in hanc nostram collectionem cadere manifestum est. Verum aliam plane diversi generis collectionem olim in manibus hominum fuisse Xenophontis testimonium probare potest ab Ioanne Stobaeo relatum, Florileg. LXXXVII p. 499: οἶτος ὁ ποιητὴς περὶ οὐδενὸς ἄλλου λόγον πεποίηται ἢ περὶ ἀρετῆς καὶ κακίας ἀνθρώπων, καὶ ἔστιν ἡ ποίησις σύγγραμμα περὶ ἀνθρώπων, ὥσπερ εἴ τις ἱππικὸς ὢν συγγράψειεν περὶ ἱππικῆς [2]): atque initium praeceptorum factum esse ait ab his versibus, qui in nostra farragine sunt 183 sqq.:

Κριοὺς μὲν καὶ ὄνους διζήμεθα, Κύρνε, καὶ ἵππους
εὐγενέας, καί τις βούλεται ἐξ ἀγαθῶν
κτήσασθαι κτλ.

Nec absimilem collectionem etiam Dio Chrysostomus significare videtur, or. II in., ubi Alexandrum quaerenti patri, cur unum e poetis Homerum legeret, respondisse ait non omne genus carminum regi conveniens esse, et in his, quae non curaret cognoscere, praeter convivalia carmina et amatoria, eaque, quae ludicrorum certaminum victores celebrarent, aut quae mortuos deflerent, aut quae vel irriderent homines vel conviciis proscinderent, postremo loco etiam ea numerasse, quae δημοτικά essent, h. e. ad privatorum hominum vitam admonitionibus et praeceptis regendam facta, συμβουλεύοντα καὶ παραινοῦντα τοῖς πολλοῖς καὶ ἰδιώταις, καθάπερ, οἶμαι, τὰ Φωκυλίδου καὶ Θεόγνιδος, ἀφ' ὧν τί ἂν ὠφεληθῆναι δύναιτο ἀνὴρ ἡμῖν ὅμοιος; Amatoria igitur certe et convivalia aliaque ludicra ab illis quos Alexander sperneret Theognidis versibus abfuisse conieceris. Denique etiam Iuliani imperatoris aetate gnomologiam quandam Theognideam ab huiusmodi additamentis puram superfuisse suspiceris, siquidem is

γεωργικῶς scribendum esse. Mihi vero illud ἐπικῶς corruptum esse videtur ex ἔπη βιωτικά, et similem coniecturam etiam Ditzenio in mentem venisse Schneidewinus refert, Coniectt. crit. p. 176.

2) Ξενοφῶντος ἐκ τοῦ περὶ Θεόγνιδος haec verba esse dicuntur a Stobaeo, ut videatur singularis de Theognide libellus designari. Heilandus tamen in Diurn. antiqu. (Zeitschrift f. d. Alterthumsw.) ann. 1847 p. 607 de perdito aliquo in Memorabilibus capite cogitari mavult, quippe quae non integra supersint.

Theognidis versiculos Salomonis proverbiis praeferendos pronuntiasse dicitur a Cyrillo, ctr. Iulian. VII p. 224 Spanh.

Sed de huiusmodi testimoniis utut iudicabitur, prisca certe et genuina Theognideorum carminum forma qualis fuerit ex nullo eorum cognosci potest, nec mirabimur propterea admodum varias virorum doctorum hac de re coniecturas esse. Nam quum plerique elegias modo longiores modo breviores, sed refertas omnes praeceptis et admonitionibus vitae vel privatim vel publice recte agendae, ad iuniorem amicum Cyrnum s. Polypaïden variis temporibus a Theognide scriptas esse censeant, aliis contra probabilius visum est, maius quoddam quasi corpus gnomicae sapientiae, sive continuam praeceptorum seriem certo quodam, quamquam liberiore ordine compositam fuisse: nec defuerunt, qui mediam quandam viam inirent, quum „principio quidem poetam carmina elegiaca singula et quae diversa rerum conditione nata modico ambitu absolverentur“ scripsisse statuerent „sed quum paullatim per omnem honestatis campum late vagatus esset, carmina ista ad Cyrnum missa in ordinem quendam coagmentasse continuum[3]).“ Nobis quidem eiusmodi carmen didacticum continuum ab ipso Theognide aut primitus compositum aut postmodo concinnatum esse nullo satis certo argumento probari posse videtur; et si fuerit eiusmodi carmen Xenophontis aetate, id quod ex huius verbis a Stobaeo relatis colligi posse concedimus, nihil tamen obstare putamus, quominus gnomologiam quandam ex variis Theognidis elegiis excerptam iam tum in manibus hominum fuisse, eamque a Xenophonte significari credamus. Constat enim iam illo tempore moris fuisse, ut non integra semper poetarum opera, sed etiam excerpti ex integris carminibus loci insigniores et qui maxime ad animos iuvenum moresque formandos accommodati essent, a praeceptoribus colligerentur et in scholis usurparentur, cuius moris testem Platonem habemus, qui Legg. VII p. 811 A. a multis hanc docendi rationem commendari ait: *ἐκ πάντων*, inquit, *κεφάλαια ἐκλέξαντες καί τινας ὅλας ῥήσεις εἰς ταὐτὸ ξυναγαγόντες ἐκμανθάνειν φασὶ δεῖν.* Rem non inusitatam fuisse etiam Isocrates ostendit, ad Nicocl. § 44., quum de iis loquatur, qui *τὰς καλουμένας γνώμας* e praecipuis poetis selectas iuvenibus proponant: et Aeschines quoque, contr. Ctesiph. p. 525, *τὰς τῶν ποιητῶν γνώμας*, non integra carmina, a pueris disci solere ait. Atque puerilis

3) Schneidewini verba posui, Delect. p. 48.

institutionis causa mox etiam scenicorum poetarum, novae imprimis comoediae, γνώμας excerptas et ordine plerumque alphabetico compositas esse videmus, fuitque omnino hic mos quum apud Graecos tum apud Romanos pervagatus, etiam ea aetate, quum libri longe quam olim paratu faciliores essent[4]). Tanto magis igitur priore aetate, libris rarioribus et carioribus, provideri debuit, ut pueri, nisi prorsus nihil librorum ipsis in manus daretur, — nam id quoque nonnunquam factum esse audimus, — saltem non tota opera, sed excerptos tantum locos et in chrestomathiis quibusdam compositos sibi comparare cogerentur. Et quod in scenicorum sententiis collectis factum videmus, ut versiculi e pluribus excerpti omnes ab unius, qui maiorem numerum praebuisset, nomine Menandri appellarentur[5]), idem etiam in elegiacis factum esse, ut Theognidis dicerentur quorum maior tantum pars ex hoc, non pauci autem loci ex aliis sumpti essent, perquam credibile est. Ad talem igitur gnomologiam illud Xenophontis testimonium pertinere, licet pro certo affirmare nemo ausit, tamen si quis sibi probabile videri dicat, non video quibus argumentis refutari possit. Nam id quidem vix verendum est, ne quis virum antiquum et in civilibus ac militaribus negotiis plus certe quam in otiosis litterarum studiis versatum ad nostrorum grammaticorum et criticorum instar de auctoritate gnomologiae, quam legerat, magnopere sollicitum fuisse et utrum ipsi Theognidi an alii cuipiam ista compositio deberetur curiose quaesivisse contendat. Sed esto: fuerit illa qualem Xenophon legit talis tota ab ipso Theognide quondam edita; illud tamen negamus fieri posse, ut ex hac quae hodie extat farragine, cuius compilatori nullam eiusmodi collectionem praesto fuisse certissimum est, si quis eos versus, qui aut manifesto alieni sunt aut nihil de virtute bonisque moribus praecipiunt, omnes eliminet, ceteros autem probabiliore quodam sententiarum ordine disponat, aliquid veteris illius gnomologiae simile aut non nimis saltem ab eius similitudine abhorrens efficiatur. Nam quamvis multa elimines, restabunt tamen semper plurima, quae quum aut diversa rei publicae tempora aut diversam poetae ipsius aetatem ac conditionem prodant, in carmine continuo et uno tempore edito, qualem olim Theognidis librum fuisse volunt, locum habere nullo modo po-

4) Cf. Galen. de Hippocr. et Plut. dogm. III, 4 tom. V p. 345 Kühn. Iamblich. vit. Pyth. s. 111 p. 238 Kiessl.

5) Vid. Meinek. ad Menandr. fr. praef. p. XII. XIII.

tuerunt. Intellexerunt hoc dudum alii et quid inde consequatur monuerunt, ut actum agere videri possit qui denuo rem tractet. Sed quoniam, ut in proverbio est, duo quum faciunt idem non est idem, neque habemus hoc tempore quod agamus potius, de nonnullis certe huius farraginis partibus quid nobis videatur exponemus.

Primum igitur aliquot versibus eum nobis rei publicae Megarensis statum significari arbitramur, in quo quum optimates ac nobiles plurimum possent, verendum tamen esset, ne populus superbia eorum et insolentia offensus non amplius quiesceret. Huc pertinent v. 39 sqq.:

Κύρνε, κύει πόλις ἥδε, δέδοικα δὲ μὴ τέκῃ ἄνδρα
εὐθυντῆρα κακῆς ὕβριος ἡμετέρης,

in quorum versuum altero utrum *ὑμετέρης* an *ἡμετέρης* legatur, ad rem nihil interest. Nam et Cyrnum, quem poeta alloquitur, et ipsum poetam in nobilibus fuisse satis constat. Scripsimus autem *ἡμετέρης* codicum, ut videtur, omnium auctoritate, et agnoscimus quandam poetae verecundiam, qui quum hominibus sui ordinis *ὕβριν* exprobraret, lenire exprobrationis invidiam communione culpae studuerit [6]). — Proximi duo versus,

ἀστοὶ μὲν γὰρ ἔθ' οἵδε σαόφρονες, ἡγεμόνες δὲ
τετράφαται πολλὴν ἐς κακότητα πεσεῖν,

cives quidem adhuc sibi temperare et violentis consiliis abstinere testantur, sed principes atque magistratus, qui quin ex nobilitate fuerint dubitari non potest, sic se gerere, ut mala omnia ipsis verenda sint. — Porro *ὕβριν* nobilitatis accusant etiam v. 1103. 4.:

Ὕβρις καὶ Μάγνητας ἀπώλεσε καὶ Κολοφῶνα
καὶ Σμύρνην· πάντως, Κύρνε, καὶ ὔμμ' ἀπολεῖ.

Vos, inquit, h. e. nobiles, propter superbiam peribitis, sicut Magnetes, quorum calamitates, *τὰ Μαγνήτων κακά*, in proverbium abierunt: nec immerito suspiceris significari hoc proverbio intestinas discordias, quum plebs optimatium superbiam atque iniurias violenter ulcisceretur [7]). Quamquam res obscura est, neque magis liquet de Colophoniis et Smyrnaeis, nisi quod Colophoniorum luxuriam infamem fuisse

---

6) Similem verecundiam veteres interpretes agnoscunt in Nestoris verbis Il. 1, 260: *ἤδη γάρ ποτ' ἐγὼ καὶ ἀρείοσιν ἠέπερ ἡμῖν ἀνδράσιν ὡμίλησα*, ubi quum a Zenodoto scriptum esset *ἠέπερ ὑμῖν*, repudiarunt hoc Aristarchus eiusque sectatores utpote *ἐφύβριστον*. *Διὰ δὲ τοῦ ἡμῖν*, inquit Aristonicus, *καὶ ἑαυτὸν συγκαταριθμεῖ καὶ πάντας τοὺς καθ' αὑτόν.*

7) Cf. Schneidewin. ad Heraclid. Pont. polit. p. 89.

comperimus [8]), quod crimen magis in nobiles ac divites quam in plebem humiliorem cecidisse consentaneum est. Denique v. 541. 2:

Δειμαίνω μὴ τήνδε πόλιν, Πολυπαΐδη, ὕβρις
ἥπερ Κενταύρους ὠμοφάγους, ὀλέσῃ.

cum Centauris longe aptius homines nobiles equestris ordinis quam tenuiores et plebeios comparari manifestum est.

Non mirum autem in tali rerum statu extitisse etiam homines factiosos, fortasse ex ipso nobilium ordine, qui popularem causam susciperent plebemque adversus nobilitatem excitarent, non tam aequae libertatis amore, quam quo ipsi plebis ope crescerent ac supra ceteros sui ordinis homines sese extollerent, adeoque etiam imperio potirentur. Id igitur, quod in aliis multis civitatibus accidisse historia docet, ne Megaris quoque accidat cavendum esse Theognis monet his versibus, 43 sqq.:

Οὐδεμίαν πω, Κύρν', ἀγαθοὶ πόλιν ὤλεσαν ἄνδρες,
ἀλλ' ὅταν ὑβρίζειν τοῖσι κακοῖσιν ἅδῃ,
δῆμόν τε φθείρωσι, δίκας τ' ἀδίκοισι διδῶσιν
οἰκείων κερδέων εἵνεκα καὶ κράτεος.
ἔλπεο μὴ δηρὸν κείνην πόλιν ἄτρεμ' ἔσεσθαι, [9])
μηδ' εἰ νῦν πολλῇ κεῖται ἐν ἡσυχίῃ,
εὖτ' ἂν τοῖσι κακοῖσι φίλ' ἀνδράσι ταῦτα γένηται,
κέρδεα δημοσίῳ σὺν κακῷ ἐρχόμενα.
ἐκ τῶν γὰρ στάσιές τε καὶ ἔμφυλοι φόνοι ἀνδρῶν·
μούναρχος δὲ πόλει μή ποτε τῇδε ἅδοι.

Κακούς vocat, quicunque convellere statum rei publicae et frangere optimatium potestatem conantur, *ἀγαθούς* contra, qui novari res nolunt, quos hodie conservativos aut etiam invidioso licet reapse haud inhonesto vocabulo reactionarios dicere popularis rei publicae fautores solent. Illi, quum se extollere optimatesque opprimere student, non immerito *ὑβρίζειν* dicuntur, quippe quum insolenter grassentur: iidem quum plebem exagitant, quo ipsi eius favore crescant potentesque fiant, corrumpere, *φθείρειν*, eam dicuntur [10]), verendumque

8) Athenae. XII, 31 p. 526.

9) Sic scribendum suspicor, *ἄτρεμα εἶναι* non minus recte dici potuisse ratus, quam *σῖγα εἶναι* ac similia, ubi adverbium instar praedicati est. Codicum lectionem *ἀτρεμέεσθαι* corruptam esse in aperto est; Bergkium *ἀτρεμιεῖσθαι* coniecisse video.

10) Cf. Eur. Suppl. v. 234.

esse, ne sic turbae seditionesque et certamina intestina exoriantur, in quibus facile fieri possit, ut vir factiosus et gratiosus imperitae multitudinis favore ad imperium evehatur.

Porro alii sunt loci, qui civitatem non amplius quietam, sed factionibus iam discordiisque intestinis perturbatam ostendunt. Monet enim Theognis amicum, ut in his discordiis neutri parti se adiungat, sed mediam viam teneat, v. 331. 2.:

ἥσυχος, ὥσπερ ἐγώ, μέσσην ὁδὸν ἔρχεο ποσσίν,
μηδ' ἑτέροισι διδούς, Κύρνε, τὰ τῶν ἑτέρων.

h. e. noli nec plebis ius ac libertatem ab optimatibus opprimi, nec debitam optimatibus auctoritatem a popularibus eripi. Item v. 220. 1:

μηδὲν ἄγαν ἄσχαλλε ταρασσομένων πολιητέων,
Κύρνε, μέσην δ' ἔρχου τήνδ' ὁδὸν ὥσπερ ἐγώ.

Ad idem tempus pertinere puto etiam hos versus, qui in huiusmodi discordiis nihil optabilius esse aiunt, quam ut unus inveniatur vir probus, cui fides ab omnibus habeatur, 77. 78:

Πιστὸς ἀνὴρ χρυσοῦ τε καὶ ἀργύρου ἀντερύσασθαι
ἄξιος ἐν χαλεπῇ, Κύρνε, διχοστασίῃ.

Nam nihil probabilius est, quam talem designari *πιστὸν ἄνδρα*, cui componendae discordiae restituendaeque pacis negotium ab utraque parte propter parem apud omnes fidem recte committi possit, quemadmodum non diu ante Theognidis aetatem Athenis factum erat, quum distracta diuturnis certaminibus civitate omnium consensu optimum visum est *ἕνα προστάτην ἄνδρα πιστόν*, ut Plutarchus ait, Sol. c. 13, rei publicae praeponere, qui turbarum causas tolleret. Similique consilio etiam in aliis civitatibus compluribus nonnunquam factum esse constat, ut partium consensu uni viro, cuius probitati et sapientiae omnes confiderent, extraordinaria quaedam potestas vel in tempus definitum vel quoad viveret traderetur ad ordinandum corrigendumque rei publicae statum. Et Megaris quidem ipsi nostro Theognidi hoc componendae pacis negotium aliquando commissum fuisse suspiceris propter v. 947. 8:

πατρίδα κοσμήσω, λιπαρὴν πόλιν, οὔτ' ἐπὶ δήμῳ
τρέψας, οὔτ' ἀδίκοις ἀνδράσι πειθόμενος.

Nam verbum *κοσμεῖν* h. l. non de celebranda et laudanda sed de ordinanda civitate dici manifestum est, quo sensu etiam summos magistratus in nonnullis civitatibus *κόσμους* s. *κοσμίους* aut *κοσμοπόλιδας* dictos esse nemo nescit. Agnovit hanc verbi significationem hoc loco

etiam nuperus editor interpresque melior Theognidis quam Aeschyli; sed propter ipsam illam significationem hos versus non Theognidis sed Solonis esse censet: scilicet quia in Solonem eos aptissime convenire apparet, de Theognide autem Megarensium rei publicae praeposito nihil usquam memoriae proditum est. Nobis tamen in tanta rerum Megaricarum obscuritate huiusmodi argumentum e silentio parum ponderis habere videtur, praesertim si statuamus perbrevem fuisse Theognidis procurationem rei publicae et sine effectu. Nimirum quod Soloni accidit, ut sapientissima eius instituta permultis tamen displicerent, idem etiam Theognidi accidisse, quumque consilia eius, seu iure seu immerito, a plerisque et maxime quidem a plebeiis spernerentur, ipse in magnam apud cives invidiam adductus potestatemque post breve tempus deponere coactus esse videtur. Huc pertinere credo v. 233. 4:

Ἀκρόπολις καὶ πύργος ἐὼν κενεόφρονι δήμῳ,
Κύρν', ὀλίγης τιμῆς ἔμμορεν ἐσθλὸς ἀνήρ,

quae verba quominus de semet ipso dixisse statuatur, tertiam, qua usus est, personam non obstare periti intelligent. Et plebem maxime ipsi adversatam esse epitheton *κενεόφρων* persuadere potest. Plerisque autem se displicere etiam alibi passim queritur, velut v. 367 sqq.:

Ἀστῶν οὐ δύναμαι γνῶναι νόον ὅντιν' ἔχουσιν·
οὔτε γὰρ εὖ ἔρδων ἀνδάνω οὔτε κακῶς.
Μωμεῦνται δέ με πολλοὶ ὁμῶς κακοὶ ἠδὲ καὶ ἐσθλοί,
μιμεῖσθαι δ' οὐδεὶς τῶν ἀσόφων δύναται.

eodemque referenda puto etiam quae v. 287. 8 leguntur:

Ἐν γάρ τοι πόλει ὧδε κακοψόγῳ ἀνδάνει οὐδέν,
ὥστε δὲ σῶς εἶναι πολλῷ ἀνολβότερος.

quamquam de horum versuum sententia, propter corruptam in codicibus scripturam alterius, parum liquet. Nos quod ex coniectura posuimus, significare potest civitatem ad vituperandum promptissimam propter hoc ipsum ad sanitatem ac salutem recuperandam maxime inopem esse[11]). Nempe salubria sua consilia Theognis a civibus spreta esse indignatur; fueruntque fortasse hi versus olim statim post 234 positi. Sed utcumque de his iudicabitur, quam curationem rei

---

11) *Ἀνολβότερος* feminino genere dictum non magis quam *σῶς* offendet peritiores. Potest autem etiam *ἀνολβότεροι* cum codd. scribi et *σῶς* pro plurali numero accipi.

publicae nos Theognidi commissam sed mox rursus ademptam fuisse coniecimus, eam alii cuipiam, et maiore cum potestate, permissam esse non temere nobis ex his versibus colligere videmur, qui sunt 847—850:

Λὰξ ἐπίβα δήμῳ κενεόφρονι, τύπτε δὲ κέντρῳ
ὀξέι καὶ ζεύγλην δύσλοφον ἀμφιτίθει·
οὐ γὰρ ἔθ' εὑρήσεις δῆμον φιλοδέσποτον ὧδε
ἀνθρώπων, ὁπόσους ἠέλιος καθορᾷ.

Nimirum iratus plebi, a qua ipse spretus erat, illum, qui nunc rei publicae praepositus est, hortatur ut potestate sibi permissa etiam fortiter utatur ipsamque plebem istam levem atque stolidam violenter coercere ne vereatur, quippe quae tanta ipsi potestate tradita *φιλοδέσποτον* se esse ostenderit. Ad idem tempus pertinere videntur hi versus, 821. 2.:

μήτε τιν' αὔξε τύραννον ἐπ' ἐλπίδι, κέρδεσιν εἴκων,
μήτε κτεῖνε θεῶν ὅρκια συνθέμενος,

quibus admoneri Cyrnum credo, ut, si forte is qui rei publicae praefectus sit tyrannidem affectet, huic se neque adiutorem praebeat sui privatim commodi causa, neque vero ad eum interimendum coniurationem faciat: qualem admonitionem non mirabimur in eo, cui populum tyrannico imperio dignum visum esse supra cognovimus. Non tamen perseveravit in hac sententia: nam alio loco, v. 1203 sqq., acerrimum tyrannidis odium profitetur:

Οὐκ εἶμ', οὐδ' ὑπ' ἐμοῦ κεκλήσεται, οὐδ' ἐπὶ τύμβῳ
οἰμωχθεὶς ὑπὸ γῆν εἶσι τύραννος ἀνήρ.
οὐδ' ἂν ἐκεῖνος ἐμοῦ τεθνηότος οὔτ' ἀνιῷτο,
οὔτε κατὰ βλεφάρων δάκρυα θέρμα βάλοι.

et eum quidem tyrannum, qui immodica tributorum exactione rapinisque populi facultates exhauriat, quavis morte dignum esse clamat v. 1181:

δημοφάγον δὲ τύραννον ὅπως ἐθέλεις κατακλῖναι
οὐ νέμεσις πρὸς θεῶν γίγνεται οὐδεμία,

qui loci non pro documento haberi possunt, extitisse re vera Megaris illo tempore tyrannum, sed hoc tantum ostendunt, eam fuisse civitatis conditionem, quae futurae tyrannidis suspicionem movere Theognidi posset.

Rursus aliud genus locorum est, qui abolitum paucorum imperium, exaequatum plebi cum nobilitate ius, connubia inter ordines promiscua, honores quoque et magistratus plebeiis, locupletioribus

certe, concessos ostendunt: quam rerum conversionem non sine multis magnisque certaminibus effici potuisse credibile est. Non dubitandum igitur, quin per haec certamina multi plebis adversarii aut ipsi novarum rerum taedio solum verterint aut a victoribus expulsi sint. Et Theognidi quidem hanc rerum conversionem summopere displicuisse quum alii loci complures tum maxime versus 53—58 et 1111—12. demonstrant:

Κύρνε, πόλις μὲν ἔθ' ἥδε πόλις, λαοὶ δὲ δὴ ἄλλοι.
οἳ πρόσθ' οὔτε δίκας ᾔδεσαν οὔτε νόμους,
ἀλλ' ἀμφὶ πλευρῇσι δορὰς αἰγῶν κατέτριβον,
ἔξω δ' ὥστ' ἔλαφοι τῆσδ' ἐνέμοντο πόλεος,
τοὶ νῦν εἴσ' ἀγαθοί, Πολυπαΐδη, οἱ δὲ πρὶν ἐσθλοὶ
νῦν δειλοί· τίς κεν ταῦτ' ἀνέχοιτ' ἐσορῶν,
τοὺς ἀγαθοὺς μὲν ἀτιμοτέρους, κακίους δὲ λαχόντας
τιμῆς; μνηστεύει δ' ἐκ κακοῦ ἐσθλὸς ἀνήρ.

Apparet enim plebem designari rusticam, quae quum antea in agris, scorteis vestita, ab urbe negotiisque publicis, iure dicundo, legibus sciscendis longe remota fuisset, nunc summam in re publica dignationem sibi arroget, in ordinem coactis et circumscriptis nobilibus, in quibus sint qui ne connubia quidem cum istis, si modo pecuniosi sint, contrahere dedignentur. Eodem pertinent hi versus, quos in gnomologia Xenophonti nota primos fuisse iam supra commemoravimus,

Κριοὺς μὲν καὶ ὄνους διζήμεθα, Κύρνε, καὶ ἵππους
εὐγενέας, καί τις βούλεται ἐξ ἀγαθῶν
κτήσασθαι· γαμεῖν δὲ κακὴν κακοῦ οὐ μελεδαίνει
ἐσθλὸς ἀνήρ, ἤν οἱ χρήματα πολλὰ διδῷ,
οὐδὲ γυνὴ κακοῦ ἀνδρὸς ἀναίνεται εἶναι ἄκοιτις
πλουσίου, ἀλλ' ἀφνεὸν βούλεται ἀντ' ἀγαθοῦ.
χρήματα γὰρ τιμῶσι, καὶ ἐκ κακοῦ ἐσθλὸς ἔγημε,
καὶ κακὸς ἐξ ἀγαθοῦ, πλοῦτος ἔμιξε γένος.[12]).

Ipsum autem Theognidem, olim, si minus opibus affluentem, certe tamen non angusta re familiari instructum, post illam rei publicae conversionem ad summam paupertatem redactum fuisse multae eius querelae ostendunt, quarum nonnullae etiam causam huius paupertatis, quamquam obscurius, indicant. Nam ab adversariis bona per

12) Consulto praetermisimus eum locum, qui est v. 667—682, quem nuperus editor Hartungus non sine causa a Theognide abiudicasse videtur.

vim et iniuriam sibi erepta esse queritur, Iovemque implorat, ut tandem aliquando eorum ulciscendorum facultatem nanciscatur. Nunc enim, inquit v. 345,

> τίσις οὐ φαίνεται ἡμῖν
> ἀνδρῶν, οἳ τἀμὰ χρήματ᾽ ἔχουσι βίῃ
> συλήσαντες —.

et v. 835 incusat ἀνδρῶν τε βίην καὶ κέρδεα δειλὰ καὶ ὕβριν, quae se πολλῶν ἐξ ἀγαθῶν ἐς κακότητ᾽ ἔβαλον. Alio loco ab iis, quibus fidem habuerit, se deceptum bonisque exutum ait, v. 831:

> πίστει χρήματ᾽ ὄλεσσα, ἀπιστίῃ δ᾽ ἐσάωσα.

h. e. dum diffidebam aliis, bona mea conservabam, quum fidem haberem, perdidi. Et agros quidem se absente ab aliis occupatos esse queritur, quum navigationem quandam suscepisset, v. 1200, longinquae autem peregrinationis, in qua Euboeam, Spartam, Siciliam adierit, non modo ipsius testimonium habemus v. 783, sed etiam hoc documento esse potest, quod Siculi Megarenses eum civem suum fecerunt: sic enim Platonis locum, ubi πολίτης τῶν ἐν Σικελίᾳ Μεγαρέων Theognis dicitur, accipiendum esse nunc quidem, post luculentam Welckeri disputationem, satis constare arbitror. Ambigo autem, utrum fracto a plebe optimatium imperio in exilium Theognidem ab adversariis pulsum esse, an sua voluntate et novarum rerum taedio aliquamdiu peregrinatum esse dicam: nam disertam sui exilii mentionem nusquam ab eo factam video. Rediisse autem in patriam, ibique, reparato paullatim rei familiaris damno, senectutem satis commode nec sine hilaritate transegisse ex aliquot versiculis a seniore scriptis colligo. Nam diversae quoque aetatis indicia in his reliquiis inesse iam supra dictum est. Florentis aetatis sunt versus 567. 8:

> Ἥβῃ τερπόμενος παίζω· δηρὸν γὰρ ἔνερθεν
> γῆς ὀλέσας ψυχὴν κείσομαι ὥστε λίθος.

et 983 sqq.:

> Ἡμεῖς δ᾽ ἐν θαλίῃσι φίλον καταθώμεθα θυμόν,
> ὄφρ᾽ ἔτι τερπωλῆς ἔργ᾽ ἐρατεινὰ φέρῃ.
> αἶψα γὰρ ὥστε νόημα παρέρχεται ἀγλαὸς ἥβη,
> οὐδ᾽ ἵππων ὁρμὴ γίγνεται ὠκυτέρη.

Contra senescentem poetam produnt v. 527. 8:

> ὤ μοι ἐγὼν ἥβης καὶ γήραος οὐλομένοιο,
> τοῦ μὲν ἐπερχομένου, τῆς δ᾽ ἀπονισσομένης

et v. 1131. 2:

ἀλλ' ἥβην ἐρατὴν ὀλοφύρομαι, ἣ μ' ἐπιλείπει,
κλαίω δ' ἀργαλέον γῆρας ἐπερχόμενον.

Etiam in v. 767, ubi precatur poeta ut sibi contingat

κακὰς ἀπὸ κῆρας ἀμύνειν
γῆράς τ' οὐλόμενον καὶ θανάτοιο τέλος,

senioris aut certe senescentis votum agnoscimus. Cohaerent autem hi versus artissime cum praecedentibus v. 763 sq., qui imminentis belli Medorum mentionem habent,

πίνωμεν χαρίεντα μετ' ἀλλήλοισι λέγοντες,
μηδὲν τὸν Μήδων δειδιότες πόλεμον,

eiusdemque belli periculum impendere etiam v. 775 indicat, ubi Apollo invocatur,

αὐτὸς δὲ στρατὸν ὑβριστὴν Μήδων ἀπέρυκε
τῆσδε πόλευς —.

Instare autem id periculum certissime praevideri poterat inde ab eo tempore, quum caduceatores a Dario in Graeciam missi sunt terram et aquam postulantes, negantibusque bellum denuntiantes, h. e. ol. 72, 2. a. Chr. 491; et ante pugnam Marathoniam admodum formidabilem vim Persarum Graecis visam esse Herodotus testatur VI, 112: *τέως δὲ ἦν τοῖσι Ἕλλησι καὶ τὸ οὔνομα τὸ Μήδων φόβος ἀκοῦσαι.* Igitur non errabimus, opinor, si hoc fere tempore versus illos a Theognide scriptos esse statuimus, qui quin tunc iam satis aetate provectus fuerit dubitari non potest. Nam quum floruisse dicatur ol. 59 h. e. a. Chr. 544—541 [13]), circiter ol. 52 (a. Chr. 572—569) natus esse videbitur, ut anno ol. 72, 2 (491) senem 81 aut 78 annorum fuisse consequatur.

Iam vero quum has Theognidis reliquias diversissimis temporibus assignandas esse appareat, tum illud quoque manifestum est, non immerito nos quidquam ex iis de Megarensium historia cognosci negasse, nisi quod vel sic dubium esse nequiverit, scilicet fuisse Megaris pariter atque in ceteris plerisque Graeciae civitatibus inter plebem et optimates certatum, plebemque aliquando superiorem evasisse, nec defuisse

13) Vid. Welcker. prolegg. p. XVI, qui Suidae verba *γεγονὼς ἐν τῇ νθ' Ὀλ.* non de anno natali accipienda esse nobis quidem satis probasse videtur. Ipse Welckerus Theognidem ol. 55, 2 aut 3 natum statuit, quod quamvis haudquaquam incredibile sit, probabilius tamen videtur quod nos posuimus, ne nimis iuvenili aetate clarus fuisse dicatur.

quibus haec certamina aut iacturam rei familiaris aut exilium aut etiam interitum attulerint. Pauca quaedam de Megarensium historia etiam ab aliis tradita sunt; sed nihil, quod ad Theognidis aetatem confidenter referri possit. Tyrannum extitisse audimus Theagenem quendam, Cylonis Atheniensis socerum eiusque conatuum adiutorem; nec dubitari potest, quin is tyrannide potitus sit aliquot certe annis ante quam Cylon, eius auxilio fretus, Athenis imperio potiri conabatur. Id peritissimi chronologi non post ann. 612 factum esse statuunt: Theagenis igitur tyrannidis initium circ. ann. 615 fuisse ponemus. Non diuturnam eius tyrannidem fuisse ex Aristotelis quodam loco intelligitur, Polit. V, 9, 21, ubi posteaquam omnium longissimam Orthagoridarum apud Sicyonios tyrannidem fuisse dixit, quae fuit centum fere annorum, huic proximam Cypselidarum, qui tres et septuaginta annos Corinthi imperarunt, tertiam Pisistrati eiusque filiorum, qui, quamquam non uno tenore, quinque et triginta annos Athenis praefuerunt, ex reliquis, inquit, longissima fuit Hieronis eiusque fratris Gelonis dominatio, qui duodeviginti annos imperarunt; sed pleraeque tyrannides admodum breves fuerunt: *ὀλιγοχρόνιαι πᾶσαι γεγόνασι παντελῶς.* In his igitur *παντελῶς ὀλιγοχρονίαις* etiam Theagenis tyrannidem numerari necesse est, quam non ignoratam esse ab Aristotele alter eiusdem libri locus c. 4, 5 ostendit. Sed ne illiberales videamur, decem ei aut etiam quindecim annos concedamus: expulsum esse consequetur circ. ann. 600 [14]). A quibus expulsus sit non memoratur; sed quum optimatibus infestum fuisse constet, horum potissimum opera id factum esse censebimus. Post eiectum Theagenem, inquit Plutarchus, Quaestt. gr. c. 18, Megarensium res publica paulisper moderate et placide tractabatur, mox autem excitatus a demagogis populus insurgere contra optimates omnique modo iis insultare coepit [15]). Illud pau-

---

14) Dunckerus, Hist. ant. IV p. 57, circa ann. 590 eum expulsum statuit, quumque (p. 54) iam circ. 625 rerum potitum esse dicat, tyrannidem eius annorum 35, itaque multo quam Hieronis et Gelonis longiorem, Pisistrati eiusque filiorum parem facit, quod nobis propter Aristotelis testimonium non videtur concedi posse.

15) Quod Aristoteles memorat, Polit. V, 4, 3: *οἱ γὰρ δημαγωγοί, ἵνα χρήματα ἔχωσι δημεύειν, ἐξέβαλον πολλοὺς τῶν γνωρίμων, ἕως πολλοὺς ἐποίησαν τοὺς φυγάδας· οἱ δὲ κατιόντες ἐνίκησαν μαχόμενοι τὸν δῆμον καὶ κατέστησαν τὴν ὀλιγαρχίαν,* incertum est ad hocine tempus pertineat, an ad illam alteram conversionem rei publicae, quae in Theognidis virilem aetatem incidit.

lisper quam diu fuerit nescimus: non diu fuisse satis apparet. Ponamus viginti aut triginta annos, h. e. hominis aetatem [16]): sic plebis ille motus in idem fere tempus incidit, quo tempore Theognidem natum esse sumpsimus: unde apparet, quae in huius versibus significatur conversio rei publicae non eam esse, de qua Plutarchus loquitur. Et probabile est motum illum plebis exsultantis celeriter oppressum optimatiumque imperium restitutum esse, ad quem statum rei publicae aliquot versus Theognidis virili aetate scripti pertinent, de quibus p. 28 sqq. dictum est. — Non plane certam hanc temporum computationem esse fatemur; sed est tamen haud improbabilis et qua certiorem aliam vix inveniri posse putamus.

De ipso autem Theognide praeter ea, quae iam supra proposuimus [17]), hoc unum nobis ex eius reliquiis satis liquido intelligere videmur, quamvis optimatium potestati faverit, exaequatamque nobilioribus plebem aegre tulerit, tamen illorum quoque imperium sic demum probasse, si superbia et iniuriis abstinerent, mutatamque formam rei publicae propterea potissimum doluisse, quod in ea maiorem pecuniae quam nobilitati aut virtuti honorem haberi videret [18]). Nam a pecuniosis hominibus se suique similes propter paupertatem contemni non semel conqueritur, sed nusquam tam caecus unius nobilitatis admira-

---

Nam admodum frequentes eiusmodi conversiones in Graecorum civitatibus fuisse satis constat.

16) Si Dunckerum audimus, p. 63 coll. 57, inter expulsum Theagenem oppressosque plebis motu optimates ex ipsius calculis 75, ex nostris 85 anni fuerunt, quod tempus Plutarcho ὀλίγον χρόνον visum esse vix credo.

17) Uberrimam nec iniucundam lectu fabulam de omni Theognidis vita ab Anglo quodam erudito, Jo. Hookham Frere, in secessu Melitensi contextam, Melitaeque ao. 1842 editam habemus h. t.: Theognis restitutus. The personal history of the poet Theognis deduced from an analysis of his existing fragments, de qua verissime iudicavit eius popularis (in Quarterly Rev. no. 144 p. 455): „Mr. Frere has shown great ingenuity in working out a consistent story; his fancy has connected the thoughts and sentiments of the poet with the supposed events of his day with wonderful subtlety, and, on the whole, he has given us a very scholar-like and pleasing essay etc.“ Scilicet hoc est, quod Musae apud Hesiodum profitentur, ἴδμεν ψεύδεα πολλὰ λέγειν ἐτύμοισιν ὁμοῖα. Veremur autem magnopere, ne in iis quoque, quae nuper a nostrate historico, viro doctissimo et sollertissimo, de Theognidis et Megarensium rebus perquam diserte narrata legimus, pleraque ὁμοῖα ἐτύμοισιν magis quam ἔτυμα dicenda sint.

18) „Nulla deformior species est civitatis, quam in qua opulentissimi optimi putantur“, inquit Scipio apud Ciceronem de re publ. 1, 34.

tor est, ut nullam nisi in nobilibus virtutem esse censeat, ignobiles autem omnes propter hoc ipsum etiam inhonestos, malos, nullo honore dignos putet, illos solos *ἀγαθούς*, *ἐσθλούς*, alteros *κακούς*, *δειλούς* dicat, hisque epithetis non tam morum quam generis diversitatem designet, quam perversitatem qui Theognidi adscripserunt, calidius nobis quam cautius egisse et gravem iniuriam viro non certe insipienti fecisse videntur. Nam non diversam in istorum vocabulorum usu rationem Theognis observat, quam quae ab omnibus inde ab Homero scriptoribus graecis observari solita est, ut *ἀγαθούς*, *ἐσθλούς* eos dicant, quos virtute quadam supra vulgus ignavum instructos esse videant. Quod quum antiquitus haec virtus militaribus potissimum artibus armorumque tractandorum facultate, deinde civilium rerum prudentia et sollerti administratione censeretur, idque genus virtutis certe multo magis multoque frequentius apud nobiles esset liberaliore quadam disciplina institutos neque victus quaerendi necessitate humiliora et servilia negotia tractare coactos, quae, Graecorum quidem iudicio, animos hominum, totos in sui quaestus cura occupatos, facile etiam illiberales et ad curandam rem publicam parum idoneos redderent, quid mirum, quod universe loquentes iisdem illis vocabulis, quae proprie quidem virtutis praestantiam aut defectum indicarent, aliquoties etiam ad ordinum discrimen designandum usi sunt? non quo nullos viros bonos probosque praeter nobiles, plebeios autem omnes etiam improbos malosque dicerent, sed quod in universum aestimantibus longe plus eius virtutis, qua viri boni et administrandae rei publicae idonei censerentur, apud nobiles quam apud plebeiam multitudinem esse videbatur. Nam a potiori, ut aiunt, fit appellatio. Apud Theognidem autem eorum locorum, ubi vocabula ista civili potius quam morali significatu accipienda esse certum sit, non ita magnus est numerus; plures sunt, de quibus ambigi possit; non pauci autem, qui sanum poetae iudicium prodant, non confundentis morum probitatem cum generis nobilitate, nec diffitentis posse etiam nobiles improbos, ignobiles autem probos et honore dignos esse, pessimum autem rei publicae statum eum esse, in quo pecuniosis hominibus, (argentariis puta, negotiatoribus aliisque id genus), plus quam virtuti honoris et auctoritatis tribuatur. Hac mente Plutum, divitiarum deum, alloquitur cum acerba indignatione, v. 1117. 18:

Πλοῦτε, θεῶν κάλλιστε καὶ ἱμεροέστατε πάντων,
σὺν σοὶ καὶ κακὸς ὢν γίγνεται ἐσθλὸς ἀνήρ.

increpatque vulgi imperitiam divitias maxime honorantem v. 621. 2:

Πᾶς τις πλούσιον ἄνδρα τίει, ἀτίει δὲ πενιχρόν.
πᾶσιν δ᾽ ἀνθρώποις αὐτὸς ἔνεστι νόος.

Et quam longe absit ab eorum perversitate, qui viros bonos nullos nisi aut divites aut generosos haberi velint, disertissime testatur v. 148. 9:

Ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ᾽ ἀρετή ᾽στιν,
πᾶς δέ τ᾽ ἀνὴρ ἀγαθός, Κύρνε, δίκαιος ἐών.

Recte igitur Theognidem non tam oligarchiae fautorem fuisse dicemus quam aristocratiae, si quidem Aristotelis exemplo oligarchiam vocamus eum civitatis statum, ubi pauci nobiles aut pecuniosi rem publicam tanquam suam tractant neglecta boni publici cura, aristocratiam contra, ubi delectis quibusdam propter probitatem et prudentiam viris rei publicae administratio permissa est. Et Theognis quidem tales viros, quos non multos in omni populo esse intelligebat, plures tamen inter nobiles quam apud plebem inveniri credidit, eamque ob causam exaequari plane utriusque ordinis iura noluit: in quo verumne viderit an erraverit non opus est hoc loco disputari. Neque enim disceptatoris aut arbitri sed interpretis personam suscepimus. Hoc tamen profiteri libet, non magis nos quam quemquam mediocriter modo historiae peritum latere, quam raro quum apud alios tum apud Graecos vera illa aristocratia existere et, si quando extitisset, conservari diu potuerit. Nam quod post regnum abolitum ubique successit paucorum imperium, quamvis initio iustum et rei publicae salubre, mox tamen degenerasse et in oligarchiam intolerabilem abiise videmus, quae quum eversa esset populique libertas vindicata, haec quoque, licet aliquando verae aristocratiae faveret, nimis tamen cito corrupta et in licentiam conversa est, ut ex democratia ochlocratia existeret. Intellectum autem etiam a Graecis, non quidem ab omnibus, sed ab iis certe, qui plus quam vulgus saperent, conversionibus illis et corruptionibus rerum publicarum, quibus nullo non tempore civitates suas turbari et lacerari videbant, remedium sperari non posse nisi si esset in iis maior quaedam potestas regalis, quae vel paucorum superbiam et insolentiam vel multitudinis temeritatem et lasciviam coerceret, et suum cuique tribuendo ius omnium ac libertatem tueretur: qualem potestatem quum respueret Graecorum ingenium, non modo libertatem sed mox ne speciem quidem libertatis conservare potuerunt.

Praedicanda igitur est eorum populorum fortuna, quibus contigit ut libertatem haberent boni ac iusti regis potestate tutam atque munitam: gratulandum etiam nostro populo, cui boni ac iusti reges neque superiore tempore neque hac nostra aetate defuerunt, et in quo nunc ipsum optimo Regi, patri patriae, cuius nuper mortem deflevimus, successisse fratrem videmus non minore virtute regia ornatum, veritatis et iustitiae amantem, sincerae pietatis cultorem, fucatae simulationis inimicum, et iam dudum sub fratris regno non minus sapientia quam fortitudine in multarum magnarumque rerum vel civilium vel militarium administratione egregie spectatum. Tempus autem huius gratulationis non modo privatim a singulis sed publice ab omnibus peragendae nullum aptius habemus, quam diem Regis natalem, quo die sacra eius natalicia, prima post novi regni initium, universitas nostra sollemni ritu celebratura est.

Igitur ad haec Regis Augustissimi Guilelmi I. sacra natalicia die crastino, d. XXII. h. m., hora XI pie celebranda omnes, quicunque pariter nobiscum animati sunt, magistratus regios et urbicos, civiles et militares, omnesque omnium ordinum cives atque hospites qua decet observantia et reverentia invitamus.

Dabamus Gryphiswaldiae d. XXI. Mart. MDCCCLXI.

SCHOLIA IN EURIPIDIS IONEM. PART. 1.

In Euripidis fabula Ione Mercurius, cui prologi partes poeta demandavit, ante quam argumentum fabulae exponat, ipse quis sit spectatoribus aperit. Id. I. H. Vossius, Epist. mythol. I. p. 116, propterea fieri debuisse suspicatur, quod, quo tempore haec Ionis fabula in scenam producta sit, nondum moris fuerit, certa quaedam insignia, petasum, caduceum, talaria pinnata gestantem Mercurium inducere, quae si gestasset, agnosci statim a spectatoribus potuisset. Talarium certe nullum disertum testimonium extare ante Aves Aristophanis, quam comoediam ol. XC, 2 actam esse constat, brevi post Ionem tempore: siquidem recte hanc Hermannus, praef. p. XXXII, argumento ex numeris versuum ducto, non diu ante ol. LXXXIX actam esse probavit. Nam quae Boeckhius [1]), Fixius [2]), Hartungus [3]) sibi indicia invenire visi sunt, unde certius tempus definiretur, haec omnia nimis incerta partimque manifesto falsa esse, facillime, si res posceret, demonstrari posset. Neque certius est quod Zirndorferus [4]) indicium repetiit ex oeconomia fabulae cum exitu felici, quod genus compositionis ab Euripide non ante ol. XCI usurpatum esse autumat. Nam quum de plurimis Euripidis fabulis — numerabantur enim aut nonaginta duae aut minimum quinque et septuaginta — tam paucae superstites sint, quarum duodecim temporis incerti, in hac paucitate fabularum temporumque incertitudine quis tandem sibi persuaderi patietur, Euripidem certis temporibus certa tantum compositionis genera sic unice probasse, ut nunquam variaret? Igitur si tenemus quod obtineri potest, non diu ante ol. LXXXIX Ionem actam esse, h. e. paucis

---

1) Tragoed. graec. princ. p. 192.
2) Praefat. ad. Eur. (Paris. 1841.) p. X.
3) Eurip. restit. 1 p. 448.
4) Chronologia fabul. Eurip. Marburg. 1839.

annis ante Aristophanis Aves, aut concedendum erit Vossio non insignitum in Ione Mercurium pinnatis talaribus fuisse, quae ab Aristophane, Av. v. 572, ei tribui videmus, aut, si fuerit, non tamen ineptum poetae visum esse, ut etiam sic, quis esset, disertis verbis spectatores edoceret. Scilicet, ut in proverbio est, superflua non nocent. Atque sic Euripidem iudicasse etiam hinc manifestum fieri dicas, quod non satis habet eius Mercurius nomen suum simpliciter profiteri, sed originem quoque ab avo materno Atlante repetit, id quod haudquaquam necesse fuisse omnes profecto consentient. Exorditur autem his versibus:

Ἄτλας, ὁ χαλκέοισι νώτοις οὐρανὸν
θεῶν παλαιὸν οἶκον ἐκτρίβων, θεῶν
μιᾶς ἔφυσε Μαῖαν, ἣ 'μ' ἐγείνατο
Ἑρμῆν μεγίστῳ Ζηνί, δαιμόνων λάτριν.

Atlantem igitur nobis proponit coelum humeris sustinentem et, quemadmodum mox apparebit, etiam contorquentem: quumque in coelo deorum domicilium esse dicatur, una cum coelo etiam deos ab Atlante portari circumtorquerique necesse est, pariter ut in Herc. fur. v. 403, ubi Hercules, Atlantis aliquantisper vicarius, ἀστερώπους θεῶν οἴκους sustinuisse dicitur. Negari autem non potest, sic confusas esse diversas diversarum aetatum opiniones. Scilicet antiquiores illi, qui coelum ab Atlante portari finxerunt, cuius opinionis primum testem Hesiodum habemus, theog. v. 517, — nam de Homeri loco, Od. 1, 55, non satis liquet [5]), — deos non in eodem coelo habitare unaque cum eo circumagi, sed alios in monte Olympo, alios in aliqua parte orbis terrarum versari crediderunt; posteriores autem, quum deorum domicilium et nomen quoque Olympi de monte in coelum translatum esset, si hoc coelum nihilo minus tamen una cum diis incolentibus sustentari ab Atlante et contorqueri voluerunt, absurditatis culpam contraxisse dicendi sunt, meritoque propterea a Luciano, Contempl. c. 4, irridentur. Neque tamen omnes id voluisse crediderim, sed fuisse etiam, qui coelestem illum orbem, in quo dii habitarent, totius mundi extimum semperque immotum, hunc autem, quem Atlas portaret et torqueret, infra illum eoque circumdatum esse statuerent; esse autem portas duas in iis coeli partibus, ubi lacteus circulus zodiacum secaret, per quas in superiorem illum orbem ascensus aut ex eo

---

5) Cf. schol. ad. h. l. Hermann. opusc. VII. p. 254. J. J. Wagener, Kleine Schr. III. p. 29. Naegelsbach. Theol. Hom. p. 82.

descensus esset, alteram diis, alteram humanis animis in coelum evectatis destinam[6]).

De numeris versus primi in creticum post spondeum desinentis quum ab Hermanno aliisque disputatum sit, nihil nunc dici opus est. Hoc unum tangam, quod Hermannus transpositionem verborum ad corrigendos numeros ab Elmsleio commendatam, *Ἄτλας ὁ νώτοις χαλκέοισιν οὐρανόν*, propter postpositum substantivo adiectivum improbat, non satis considerate mihi factum videri. Potuit enim sine dubio pariter utrovis modo dici. Nam sententiam ab eodem Hermanno alibi propositam, quum anteponi adiectivum vult, ubi oppositioni, postponi autem, ubi ampliori descriptioni inserviat, exemplis haudquaquam comprobari Geelius demonstravit ad Eur. Phoen. v. 927 p. 161. Equidem illud potius dici debuisse arbitror, anteponi adiectivum solere ubi accuratius tantum definiendae substantivi notioni inserviat, postponi autem ubi vis eius ad praedicatum quodammodo pertineat et quasi causalis aut conditionalis aut etiam concessivae enuntiationis instar haberi possit, velut hoc loco si dicas *νώτοις ἅτε χαλκέοις οὖσι*. Verum tamen ne hanc quidem legem ubique religiose a poetis observatam esse fatendum est.

De verbo *ἐκτρίβειν*, quo sensu hoc loco accipiendum sit, non consentiunt interpretes. Nam Sanderus quidem[7]) praepositionis hanc vim esse vult, ut dicatur Atlas coelum terendo a terra distinere (*von der Erde wegreiben und entfernt halten*); in quo, licet de praepositione fallatur, hoc tamen certe probandum, quod ipsi verbo *τρίβειν* significationem suam reliquit. Sed hanc quoque nuperus interpres Hartungus ab hoc pariter atque a latino verbo tero abiudicavit. Esse enim *τρίβειν* et terere non quod nos vernacule dicimus *reiben*, sed illud potius, quod dicimus *führen* (vel manu, addit, vel in corpore,) ideoque etiam multo usu consumere, *durch vielfältigen Gebrauch abführen*. Equidem nec quid hoc sit, et quinam inter Germanos illo verbo *abführen* sic utantur, me nosse profiteor, neque de vera ac genuina significatione verborum *τρίβω* et tero a quoquam dubitari posse confido, qui modo exempla eorum in lexicis congesta paullo diligentius

---

6) Haec colligi possunt ex Ovid. Metam. 1, 169 squ. coll. Macrob. in Somn. Scip. 1, 12. p. 64. Zeun. Cf. etiam J. H. Voss. sched. crit. II p. 208.

7) Beiträge zur Erklärung des Sophocles und Euripides. Hildesheim 1837 p. 41 sq.

consideraverit. Nam quamvis varie transferatur utriusque verbi usus, facile tamen omnia a primitiva significatione derivari possunt, quae quidem sic fere definienda est, ut sit i. q. rem aliquam tangendo vel stringendo, fricando, radendo vel etiam tundendo ita tractare, ut, si hoc satis diu aut vehementer fiat, ea res imminui atque aliquid de substantia sua amittere possit. Hinc apparet, quo iure et viam terere et *ὁδὸν τρίβειν* dicatur: itemque translata viae similitudine etiam tempus terere, *χρόνον τρίβειν*, aut etiam *βίον τρίβειν*. Compositum autem *ἐκτρίβειν* Hermannus in hoc Ionis versu sic dictum esse credit, ut in aeternum significetur: nam particulam ad finem referri, qui Atlantis labori nullus sit. Sic etiam *ἐκτρίβειν βίον* accipiendum esse apud Sophoclem Oed. R. v. 248. Id mihi secus videtur. Praepositionem illam in compositis nonnunquam continuationem significare scio, dicique de actione, quae non intermittatur ante quam ad finem perducta sit; de aeterna autem actione, quippe cuius finis nullus sit, qua ratione dici possit, mihi non liquere fateor. Neque apud Sophoclem, ubi legimus *κατεύχομαι δὲ — κακὸν κακῶς νιν ἄμορον ἐκτρῖψαι βίον*, de aeterna vita cogitari posse apparet. Assentior itaque Seidlero, qui apud Herm. in praef. p. IV, deterendi potius significationem huic loco aptam esse censet. Eadem significatio est e. c. apud auctorem libelli de puerorum educatione, qui in Plutarcheis legitur, cap. 4: *σίδηρος καὶ χαλκὸς ταῖς ἐπαφαῖς τῶν χειρῶν ἐκτρίβεται*. Itaque Atlas quum coeli orbem humeris suis aeneis impositum verset, ut est in Ennii versu apud Macrob. Sat. VI, 1, aut torqueat, ut Vergilius ait Aen. VIII, 136, fieri non potest quin eum, utpote et ipsum ad aeris aut ferri instar durum, quamobrem etiam *σιδήρεος* aut *πολύχαλκος* dicitur, nonnihil paullatim deterat. Non absimiliter verbum *ἐκτρίβειν* etiam de iis usurpatur, qui ianuas potentiorum frequenter adeundo quodammodo deterunt: hi enim *τὰς θύρας ἐκτρίβειν* dicuntur teste Eustathio ad Od. XVII, 221, unde idem Eustathius, epist. 8. ad Comnenum, Opusc. p. 318, 87, huiusmodi frequentes aditiones etiam *θυρῶν ἐκτριβάς* dixit. Nolo autem dissimulare istum verbi usum mihi tragici sermonis personaeque divinae dignitati non satis accomodatum videri, mallemque Euripidem eo abstinuisse [8]). Nec minus displicet verbum *θεῶν* in eiusdem versus et principio et exitu positum, cuius generis

8) Sic etiam Wakefieldus sensisse videtur, qui propterea *ἐνερείδων* reponi voluit, quemadmodum Atlas *οὐρανὸν ὤμοις ἐρείδων* est apud Aeschylum Prom. v. 349.

plane geminum exemplum me alibi legere non memini. Quamquam non multum diversa videntur, ubi duo versus continui eodem vocabulo finiuntur, velut apud Sophoclem Oed. R. 1280. 81:

τάδ' ἐκ δυοῖν ἔρρωγεν οὐ μόνῳ κακά,
ἀλλ' ἀνδρὶ καὶ γυναικὶ συμμιγῆ κακά.

ubi tamen recte Schneidewinus animadvertit, repetito vocabulo notionem malorum gravius quodammodo inculcari. Nec multum differt v. 777. 8 eiusdem fabulae:

θαυμάσαι μὲν ἄξια,
σπουδῆς γε μέντοι τῆς ἐμῆς οὐκ ἄξια.

ubi oppositio repetitionem flagitabat. Etiam apud Euripidem Heraclid. v. 947. 8:

παῖδ' ἠξίωσας, ὦ πανοῦργ', ἐφυβρίσαι.
τί γὰρ σὺ κεῖνον οὐκ ἔτλης καθυβρίσαι;

repetitio similis vocabuli laudanda potius quam vituperanda videtur. Item Troad. v. 85. 6:

ὡς ἂν τὸ λοιπὸν τἄμ' ἀνάκτορ' εὐσεβεῖν
εἰδῶσ' Ἀχαιοὶ θεούς τε τοὺς ἄλλους σέβειν.

Alibi, quum idem vocabulum sit, declinationes tamen diversae sunt, ut apud Sophoclem Oed Col. v. 1354. 55:

σκῆπτρα καὶ θρόνους ἔχων,
ἃ νῦν ὁ σὰς ξύναιμος ἐν Θήβαις ἔχει.

Eurip. Hecub. v. 601. 2:

τοῦτο δ' ἤν τις εὖ μάθῃ,
οἶδεν τό γ' αἰσχρόν, κανόνι τοῦ καλοῦ μαθών.

Heraclid. v. 223. 4:

σοὶ γὰρ τόδ' αἶσχος χωρὶς ἐν πόλει κακόν,
ἱκέτας ἀλήτας συγγενεῖς — οἴμοι κακῶν —.

Ion. v. 1288. 89:

ἄρδην ἂν ἐξέπεμψας εἰς Ἅιδου δόμους.
ἀλλ' οὔτε βωμὸς οὔτ' Ἀπόλλωνος δόμος —

ubi etiam interpunctionis intervallum accedit. Minus placet quod v. 591. 2. legimus:

εἰς τὰς Ἀθήνας στεῖχε κοινόφρων πατρί,
οὗ σ' ὄλβιον μὲν σκῆπτρον ἀναμένει πατρός.

ubi potuerat *κοινόφρων ἐμοί* scribi. Item Suppl. v. 244. 5:

τριῶν δὲ μοιρῶν ἡ 'ν μέσῳ σώζει πόλεις,
τάξιν φυλάττουσ', ἥντιν' ἂν τάξῃ πόλις.

Potuit τάξῃ νόμος dici. — Sed de universo hoc genere repetitionum conferri possunt quae a Reisigio dicta sunt Comm. crit. ad Sophocl. Oed. Col. p. 186, et a Geelio ad Eurip. Phoeniss. v. 21. p. 80. et v. 700 p. 141.

In tertio versu cur recentiores editores ἥ 'μ' ἐγείνατο quam ἥ μ' ἐγείνατο scribere maluerint ratio manifesta est. Vid. Apollon. de constr. II, 14 p. 121, 13. Schol. Ven. ad Il, 1, 20. Priores autem in huiusmodi minutiis non raro similiter peccarunt, velut Hippolyt. 345 pro eo quod olim scriptum fuit,

πῶς ἂν σύ μοι λέξειας ἅ μ' ἐχρῆν λέγειν,

veram scripturam ἃ 'μὲ (aut ἁμὲ) χρή recentiores demum reposuerunt; itemque Iphig. Aul. v. 728:

μητρὸς τί χωρὶς δράσεθ', ἃ 'μὲ δρᾶν χρεών;

pro eo quod olim erat, ἅ με —. Et his quidem locis vitium etiam metro violato arguebatur. In Ionis autem versu et similibus dubitari non potest, quin non solum relativi pronominis accentus in pronuntiando sopitus, sed etiam personalis pronominis vis paullo significantius quam sola litterula μ notata sit: quamquam veram pronuntiationem scriptura indicare non possumus.

Denique versum quartum qui commate post Ἑρμῆν posito interpunxerunt, sequentia verba sic acceperunt, ut Mercurius se Iovi, summo deo, famulum esse diceret: id quod recte fieri potuisse manifestum est. Verum sic Mercurius quo patre procreatus sit commemorare supersedet, quod etiamsi, ut notum spectatoribus, praetermitti potuisse dicas, certe tamen veri similius videtur, ab eo, qui avum et matrem modo commemoraverit, etiam patrem nominatum esse. Itaque rectius fecisse Kirchhoffium et A. Nauckium iudico, qui comma transposuerunt post Ζηνὶ μεγίστῳ, ut construatur hic dativus cum ἐγείνατο, ac dein sequatur muneris significatio, δαιμόνων λάτριν. Nam Mercurius, licet praecipue Iovi ministret, tamen etiam aliis diis simile officium praestare non recusat. Magni Iovis et deorum nuntium nemo non ex Horatio novit.

Iam posteaquam quis sit exposuit, sequitur ut ubi sit et cur eo venerit indicet:

Ἥκω δὲ Δελφῶν τήνδε γῆν, ἵν' ὀμφαλὸν
μέσον καθίζων Φοῖβος ὑμνῳδεῖ βροτοῖς
τά τ' ὄντα καὶ μέλλοντα θεσπίζων ἀεί.

Ὀμφαλοῦ sive Umbilici Delphici fama nemini inaudita. Fuisse eum

constat ex albo lapide forma ovata in adyto templi collocatum, iuxta tripodem cavernae superstructum, cui insidens Pythia et vapore ex caverna exhalato incitata vaticinabatur. Nam quod nonnulli propter Pausaniae quemdam locum non satis perspicuum, X, 16, 2, umbilicum huius scriptoris aetate extra aedem fuisse crediderunt, non sine causa ab aliis in dubium vocatum est [9]): certe Strabo eum suo tempore *ἐν τῷ ναῷ* monstratum esse docet IX p. 419 extr. Ceterum eiusmodi umbilicos etiam in aliis locis fuisse quum scriptorum testimoniis tum artis operibus, vasorum picturis et nummorum signis testatum est [10]). Nomen ideo inditum videtur, quod fere in meditullio locorum, sicut umbilicus in corpore, collocati essent. Et Delphicum quidem illum etiam in totius orbis terrarum meditullio esse fabulabantur. Dubitari autem vix potest, quin initio, sicut alii passim lapides [11]) sic etiam hi umbilici pro numinis alicuius symbolis habiti fuerint, alii fortasse aliorum. Delphicum fuerunt qui Iovis fuisse crederent, utpote summi vaticiniorum auctoris, cuius Apollo nuntius et minister esset: unde Iovem *Πανομφαῖον* dixerunt; adeoque etiam *ὀμφαλοῦ* nomen nonnulli ab eo quod est *ὀμφή* factum esse opinati sunt [12]). Probabilius Wieselerus Vestae symbolum fuisse statuit: Bachofenius [13]) nuper pro Vesta Tellurem praeoptavit. Meminisse autem debemus haec duo numina, quamvis saepe discreta, non raro tamen etiam confusa esse, ut eadem et Vesta et Tellus esse perhiberetur [14]): quae confusio in religionibus populorum quatenus aut spreta aut adoptata fuerit, definiri a nobis non potest. — Quod autem nunc apud Euripidem Apollo ipse umbilico insidens vaticinari dicitur, comparari potest cum Platonis loco, de Republ. IV, 5 p. 427 C.: *οὗτος γὰρ δήπου ὁ θεὸς — ἐν μέσῳ τῆς γῆς ἐπὶ τοῦ ὀμφαλοῦ καθήμενος ἐξηγεῖται.* Scilicet deus ipse in templi adyto, quamvis haud aspectabilis, praesens tamen assidere Pythiae credebatur eique quid dicendum esset praecipere. *Μαντεύομαι γὰρ ὡς ἂν ἡγῆται θεός*, inquit Pythia apud Aeschylum, Eum. v. 34,

9) Vid. accuratissimam Wieseleri disputationem, Intorno all' omfalo Delfico, in Annal. institut. archaeolog. XXIX. p. 173.

10) Cf. Pausan. II, 13, 7. Hesych. s. v. *γῆς ὀμφαλός*. Wieseler. l. l. p. 166. sq.

11) Cf. librum nostrum de antiquitt. Gr. tom. II p. 171 sq. ed. 2. et Welcker. Theolog. Gr. 1 p. 220.

12) Cornut. de nat. deor. c. 32 p. 196. Os. Schol. Eurip. Orest. v. 331.

13) Versuch über die Gräbersymbolik der Alten (Basel) 1859 p. 418.

14) Cf. Preller. Mythol. 1 p. 266.

et in hac Ionis fabula v. 91: θάσσει γυνὴ τρίποδα ζάθεον Δελφὶς ἀείδουσ' Ἕλλησι βοὰς ἃς ἂν Ἀπόλλων κελαδήσῃ. Et ad significandam dei praesentiam in adyto, ἐν τοῦ ναοῦ τῷ ἐσωτάτω, quo paucis aditus erat, aureum Apollinis signum positum fuisse Pausanias memorat X, 24, 5. — De verbo ὑμνῳδεῖ, quo Euripides de Apolline vaticinante utitur, monuit iam Eustathius ad Dionys. v. 1181, etiam ab Hermanno citatus, poetam paullo liberius eo usum esse, non servata propria significatione. Nam ὕμνοι certe vaticinia non erant. Itaque nihil hoc loco ὑμνῳδεῖν nisi ἐμμέτρως ᾄδειν significat, quemadmodum etiam infra v. 696 ὑμνῳδία dicitur. Potuit Euripides χρησμῳδεῖν et χρησμῳδίαν dicere, si versus pateretur.

Pergit deinceps Mercurius causam, cur Delphos venerit, exponere. Aliquando, ait, Athenis Erechthei regis filia Creusa ab Apolline per vim compressa est:

παῖδ' Ἐρεχθέως Φοῖβος ἔζευξεν γάμοις
βίᾳ Κρέουσαν.

Γάμον non solum de legitimo matrimonio contrahendo, sed etiam de omni amatoria consuetudine et concubitu dici tam in vulgus notum esse debet, ut exempla afferre putidum sit: neque aliter etiam nuptias nonnunquam a Latinis dici Burmannus monuit ad Petron. c. 25. Restituendum igitur illud vocabulum Aeschylo est, Agam. v. 1166, ubi chorus Cassandram, amatam se ab Apolline professam, interrogat:

ἦ καὶ τέκνων εἰς ἔργον ἤλθετον γάμῳ;

Nam quod vulgo scribitur νόμῳ, nimis profecto ineptum est, siquidem νόμῳ ad liberorum procreationem accessisse ii demum dici possunt, qui iusto matrimonio iuncti sunt. Νόμος enim rem significat moribus, legibus, institutis probatam usuque receptam: deorum autem isti amores et cum mortalibus concubitus, etiamsi non admodum rari, moribus tamen aut legibus recepti atque usitati nullo modo dici potuerunt. Ac mirarer equidem illam emendationem dudum a me propositam (Opusc. III p. 150), a recentioribus fabulae Aeschyleae editoribus spretam esse, nisi meminissem, quam difficile multis sit, eorum praesertim, qui se criticos κατ' ἐξοχὴν haberi volunt, alias quam suas ipsorum emendationes probare. Nam quod illud νόμῳ apud Aeschylum tueri conantur Homeri exemplo, ubi viri cum mulieribus concumbere dicuntur ἣ θέμις ἀνθρώπων πέλει, ἀνδρῶν ἠδὲ γυναικῶν: hoc si serio et ex animi sententia agunt, nescio sane mirandumne an miserandum dicam.

Locus, ubi Creusam Apollo compresserit, indicatur his verbis:

ἔνθα προσβόῤῥους πέτρας
Παλλάδος ὑπ' ὄχθῳ τῆς Ἀθηναίων χθονὸς
Μακρὰς καλοῦσι γῆς ἄνακτες Ἀττικῆς,

quae verba si sana sunt, rupes ipsas in septentrionali arcis latere *Μακρὰς* appellatas esse docent. Atque sic et aliis visum est, et uni diligentissimo Athenarum, quas ipse identidem visitavit, periegetae, W. Martino Leakio, Topogr. Athen. p. 129 vers. Bait. et Saupp. Dissentit tamen qui et ipse loca illa adiit Goettlingius noster [15]), duabus de causis: primum, quod perspici nequeat, qua ratione illi lateri hoc *Μακρῶν* nomen prae ceteris inditum fuerit, quum neque longius porrigatur meridionali, neque, si quis altitudinem potius isto vocabulo designari credat, illo magis excelsum sit; deinde quod ex aliis huius ipsius fabulae locis appareat, *Μακρῶν* nomine specum appellari, in quo Creusam Apollo compresserit. Itaque non *προσβόῤῥους πέτρας*, sed *προσβόῤῥοις πέτραις* legi vult, cum codice quodam Parisino. Nam dativum solum, sine praepositione *ἐν*, non modo propriorum nominum, sed nonnunquam etiam appellativorum, sic usurpari satis constat. Vid. Matthiaei gramm. § 406. Voss. ad Hymn. in Cer. v. 99 p. 34. Hartung. de casibus p. 74. Et sane specum illum ab Euripide *Μακρῶν* nomine designari videmus v. 952:

οἶσθα Κεκροπίας πέτρας
πρόσβοῤῥον ἄντρον, ἃς Μακρὰς κικλήσκομεν. [16])

itemque v. 1415, ubi Creusa se puerulum exposuisse quondam ait

Κέκροπος ἐς ἄντρα καὶ Μακρὰς πετρηρεφεῖς.

Nescio tamen an defendi etiam vulgata nostri loci scriptura possit. Codicis illius Parisini auctoritatem non magnam esse in confesso est: de facie autem locorum, et qua ratione septentrionale illud arcis latus vel l o n g u m vel a r d u u m appellari potuerit, quidquam pro certo pronuntiari vix potest, siquidem nescitur, idemne qui nunc aspectus est etiam olim fuerit. Fieri enim potuit, propter aedificia arcem circumdantia, ut latus eius septentrionale meridionali aut longius aut altius, si non esset, esse tamen videretur. Denique nomen plurale toti illi lateri haud

15) Gesamm. Abhandl. a. d. Alterth. 1 p. 101 sq.

16) Fuerunt qui propter stichomythiam hunc versum eiici vellent. Sed recte A. Schmidtius in N. Mus. Rhen. XXV p. 173 omnes quattuor versus, 950—953, Creusae tribuendos esse iudicavit. Deesse versus 953 propter eum, qui proxime sequitur, vix potuit. Tantum in v. 951 pro *γ'* scribendum erit *σ'*.

dubie aptius, quam uni antro. Neque improbabile puto, proprium huic antro nomen nullum fuisse, atque hanc Euripidi causam fuisse, ut non alio illud quam totius eius partis, in qua situm erat, nomine designaret. Nam quemadmodum antrum in rupe *κοίλῃ πέτρᾳ* dicitur v. 31, sic etiam *κοῖλαι Μακραὶ* dici potuit. Et non proprium aliquod eius nomen fuisse etiam hinc fortasse colligas, quod v. 1415 *Κέκροπος ἄντρον* dicitur, non aliam ob causam, opinor, quam quod in rupe Cecropiae fuit.

In versu 14, ubi de Creusae graviditate dicitur,

ἀγνὼς δὲ πατρί· τῷ θεῷ γὰρ ἦν φίλον·
γαστρὸς διήνεγκ᾽ ὄγκον,

si me nonnihil offendi dixero, ridebunt sine dubio aut indignabuntur qui codicum et librariorum auctoritatem venerari solent. Neque tamen hos ipsos negaturos esse credo, patrem de puellae graviditate celari etiam sine ope divina haud difficile fuisse, quippe qui filiam non nisi vestibus velatam videre soleret. Aliquanto difficilius mater celari potuit, quam quidem etiamtum superstitem fuisse Creusae verba v. 907 et 912 demonstrant. Neque tamen verendum, ne quis *ἀγνὼς δὲ μητρί* repositurus sit. Sed *ἀγνὼς δὲ πᾶσι*, si non scriptum ab Euripide, certe melius esse, quam quod nunc legimus, haud facile quisquam diffitebitur.*) — Quod autem porro Mercurius narrat,

ὡς δ᾽ ἦλθεν χρόνος,
τεκοῦσ᾽ ἐν οἴκοις παῖδ᾽ ἀπήνεγκεν βρέφος
εἰς ταὐτὸν ἄντρον οὗπερ ηὐνάσθη θεῷ,

pugnat hoc cum ipsius Creusae professione, quae v. 965 non domi se, sed in eodem illo antro, in quo ab Apolline compressa esset, puerum enixam esse ait. Quid igitur? Dicemusne Mercurio rem non satis accurate notam fuisse? Eandem igitur excusationem etiam v. 18 adhibere debebimus, ubi Mercurius Creusam puerulum ut periturum, *ὡς θανούμενον*, exposuisse dicitur, h. e. sic ut eum periturum esse praesagiret, id quod repetitur etiam v. 27. Ipsa autem hoc negat. Nam v. 982 roganti paedagogo

σοὶ δ᾽ ἐς τί δόξ᾽ εἰσῆλθεν ἐκβαλεῖν τέκνον;

respondet:

ὡς τὸν θεὸν σώσοντα τόν γ᾽ αὑτοῦ γόνον,

*) Melius, inquam, nec tamen propterea utique reponendum: nam etiam v. 354 Creusa *λάθρᾳ πατρὸς* peperisse dicitur, qui locus omnem mutationem respuit.

graviterque Apollinem increpat (v. 911 sqq.), quod hanc spem suam fefellerit puerumque perire siverit. — Equidem hanc discrepantiam non Mercurii ignorationi, sed ipsius poetae incuriae imputandam puto, quem in elaboranda hac fabula, quamvis ingeniose inventa, paullo tamen festinantius versatum esse etiam alia indicia demonstrant.

Exposuit Creusa infantem (v. 19),

κοίλης ἐν ἀντίπηγος εὐτρόχῳ κύκλῳ*)

eademque ἀντίπηγος appellatio repetitur v. 40 et 1406. Alias eam in Atticorum sermone minus usitatam fuisse non modo Homeri scholiastis credimus ad Il. XVI, 221 et XVIII, 413, qui eam aut Doriensibus aut Mitylenaeis assignant, sed etiam inde colligimus, quod Iulius Pollux neque eo loco, ubi vasorum nomina apud Atticos usitata percenset, neque alibi eius mentionem facit. Creusae ἀντίπηγα viminibus contextam fuisse v. 37 docet, ubi πλεκτὸν κύτος vocatur: rotunditatem v. 19 et 1406 demonstrant. Nomen ἀντίπηξ fiscellam designare videtur cum pari operculo, quo imposito clauderetur ad modum capsarum, quas hodie scatulas dicunt. — Addit Creusa puerulo torquem aureum duorum anguium forma, ex more Atheniensibus patrio, qui huiusmodi monilia appendere infantibus solebant in memoriam Erichthonii, quem olim Vulcani semine in terram effuso procreatum Minerva sustulisse et cistae inclusum draconibusque duobus in tutelam additis Cecropis et Agrauli filiabus custodiendum tradidisse perhibebatur. Fabula notissima, cuius testes citare supervacaneum est. Sed aureos illos angues, in quibus Attici puerulos enutrire soliti esse dicuntur v. 25, ὄφεσιν ἐν χρυσηλάτοις τρέφειν τέκνα, fuerunt qui etiam cunarum ornamentum fuisse putarent[17]), nullo, quod quidem ego meminerim, vetere auctore. Euripides δέραια tantum h. e. monilia fuisse docet v. 1443—46, ubi item verbum ἐντρέφειν usurpatur. — Sed de lectione versus 24, ὅθεν Ἀθηναίοις ἐκεῖ νόμος τις ἐστιν — non immerito dubitatur. Nam quod Hermannus ait, posse illud ἐκεῖ sic a Mercurio dictum videri, ut indicet rem nunc agi in remoto Athenis loco: Delphis, non Athenis nunc rem agi satis, opinor, spectatores didicerant e versu quinto, nec verendum erat, ne id obliti essent. Supervacaneam igitur admonitionem esse nemo

*) Elegantissima est Nauckii coniectura (Stud. Eurip. II, p. 156) εὐκύκλῳ κύτει. Necessariam dicere equidem non ausim.

17) O. Mueller, Minerv. Poliad. sacr. p. 29. Lobeck. Aglaoph. p. 582.

facile negaverit: quamquam si quis tamen non statim propterea damnandam esse contendat, illudque, quod nos ipsi paullo ante posuimus, superflua non semper nocere Euripidi visa esse nobis obiiciat, revinci certa demonstratione non poterit. Mallem tamen hoc loco illud *ἐκεῖ* abesse: et potuit sane aut *ἀεί* scribi cum Elmsleio (ad Med. v. 1041), quod cur Hermannus magis etiam quam *ἐκεῖ* supervacaneum esse dicat, non satis intelligo, quum et *δεῦρο ἀεί* et *ἐς τόδε ἀεί* ac similia non raro dici meminerim, aut etiam *ἔτι*, quod a Barnesio suppeditatum Nauckius recepit, aut denique *Ἐρεχθείδαισι καὶ* — quod Bothius scripsit, Hermanno ipso haud improbante. Nam *καί*, etiam, ad sequentem versum pertinens non magis offendere debebit, quam copulativum *καί* in fine versus positum, velut apud Sophoclem Antig. v. 171:

καθ' ἡμέραν ὤλοντο παίσαντές τε καὶ
πληγέντες.

Oed. R. v. 1234:

ὁ μὲν τάχιστος τῶν λόγων εἰπεῖν τε καὶ
μαθεῖν.

Philoct. v. 312:

ἔτος τόδ' ἤδη δέκατον ἐν λίμῳ τε καὶ
κακοῖσιν.

Nec diversi generis est, quum praepositiones ad sequentem versum pertinentes in fine collocantur, de quo genere dixit Wieselerus, Coniectt. ad Aesch. Eum. p. 53, aut coniunctiones, ut *ἵνα, ὡς, ὅπως* ac similia, quorum exempla non rara sunt. Minus placet quod Fixius praef. p. LII proposuit, *Ἐρεχθείδαισι δή*, aut quod Hartungus scripsit, *Ἐρεχθείδαις νόμος τοιοῦτός ἐστιν*, quod in istum modum corrumpi potuisse non credibile est. — Ceterum Mercurius, qui Creusam pueri interitum praesagivisse crederet, monilia illa non tanquam *γνωρίσματα* quaedam addita credere potuit, ut alias in expositione infantum fieri solitum, sed hoc tantum ab ea spectatum esse, ne ille prorsus expers esset bonorum familiarium; quemadmodum apud Terentium Sostratam de se ipsam profitentem audimus, Heaut. IV, I, 37:

ut stultae et miserae omnes sumus
religiosae, quum exponendum do illi, de digito annulum
detraho et eum dico ut una cum puella exponeret,
si moreretur ne expers esset partis de nostris bonis.

Narrat porro Mercurius expositum puerum Apollinis rogatu a se sublatum Delphosque transportatum esse. Sed in primo huius narrationis versu

καί μ᾽ ὢν ἀδελφὸς Φοῖβος αἰτεῖται τάδε,

duo sunt offendicula. Primum pro enclitico pronomine altera forma κἄμ᾽, h. e. καὶ ἐμέ, reponenda erit, siquidem in hoc contextu personam non sic tanquam obiter indicari, sed expressius demonstrari conveniebat. Deinde nescio an pro ὢν ἀδελφός aptius sit ὄντ᾽ ἀδελφόν: me utpote fratrem, eoque ad praestandum officium promptiorem, Phoebus rogavit: quo pertinet etiam quod in sequente versu Apollo Mercurium ut fratrem compellat: ὦ σύγγονε.*) Vulgata lectio etiam Nauckio displicuit, qui scribendum suasit: χἠμῶν ἀδελφὸς Φοῖβος αἰτεῖται τάδε. Idem in versu 33 merito probavit elegantem Reiskii emendationem

ἔνεγκε Δελφῶν τἀμὰ πρὸς χρηστήρια,

pro librorum lectione ἔνεγκ᾽ ἀδελφῷ, quae nullos praeter Hülsemannum et Sanderum patronos invenit. Quam saepe illa duo vocabula a librariis permutata sint Boisonnadius ad h. l. et Ungerus Theban. paradox. p. 448 aliquot exemplis ostenderunt.

Puer Delphos delatus et in templi crepidine iuxta fores collocatus mox a Pythia invenitur, mane templum intrante, ἅμ᾽ ἱππεύοντος Ἡλίου κύκλῳ: sic enim v. 41 recte a Musgravio emendata est codicum scriptura ἀνιππεύοντος, in qua dativus κύκλῳ non habet unde pendeat. Cf. v. 123: ἅμ᾽ Ἁλίου πτέρυγι θοᾷ. Verbum ἱππεύειν etiam de iis dici, qui curru vehuntur, notum est. Nam equitantem Solem nemo neque poeta neque artifex finxit, quamquam sororem eius Lunam non raro sic repraesentatam videmus. Cf. O. Jahn, Symbol. archaeol. p. 57.

Sublatus a Pythia puer in templo educatur, dumque parvulus est, ἀμφὶ βωμίους τροφὰς ἠλᾶτ᾽ ἀθύρων, quemadmodum v. 52 recte scriptum legimus. Nam de corrigenda hac scriptura neque Hermanno assentior, qui, cum Elmsleio ad Herc. fur. v. 984, ἀμφιβωμίους re-

---

*) Criticus quidam censor verba mea sic accepisse videtur, quasi illud ὢν ἀδελφὸς scribi ab Euripide non potuisse crederem. Atqui non is sum, qui nihil usquam, nisi quod optimum sit, a veteribus scriptum esse opiner. Quid autem differat inter utramque dicendi formulam non obscurum esse puto. Utra hoc loco aptior sit, alia est quaestio.

γάμων Κρεούσης ἀξίωμ᾽ ἐδέξατο,

h. e., ut Pausanias scribit, VII, 1, 1: *θυγατέρα Ἐρεχθέως ἠξιώθη λαβεῖν.* Nam *ἀξίωμα ἐδέξατο*, dignationem accepit, nihil aliud est, quam nactus est ut dignus iudicaretur: quemadmodum Tantalus, deorum epulis dignatus, Orest. v. 9 dicitur *κοινῆς τραπέζης ἀξίωμ᾽ ἔχων ἴσον.* Neque aliter accipiendum, quod in Troad. v. 485 legimus: *ἃς δ᾽ ἔθρεψα παρθένους εἰς ἀξίωμα νυμφίων ἐξαίρετον*: filiae quas educavi ad praecipuam dignationem sponsorum, h. e. ut sponsis nobilibus dignae forent; ubi potuit etiam *ἐξαιρέτων* dici. Sed haec hypallage epitheti nihil offensionis habet, siquidem, quae praecipuis sponsis dignae sunt, earum etiam dignationem praecipuam esse necesse est. Honor autem Xutho habitus tanto insignior videri debuit, quod is non indigena, *οὐκ ἐγγενὴς ὤν*, v. 63, sed Achaeus, advena igitur et tanquam inquilinus urbis Athenarum fuit, *οὐκ ἀστός, ἀλλ᾽ ἐπακτὸς ἐξ ἄλλης χθονός*, v. 303. Sed quamvis advena, claro tamen genere ortus fuit, Aeoli filius, Iovis nepos. Hos enim Euripides ei parentes dedit, contra vulgarem fabulam Hesiodeo carmine traditam, quae Xuthum Aeoli non filium sed fratrem perhibebat, patrem autem horum Hellenem, Deucalionis et Pyrrhae filium [19]). Et Hellenis Aeolum filium etiam ipse Euripides alibi fecit, Hellenis autem patrem Iovem [20]). Scilicet in his fabulosis genealogiis, quas nulla certa rerum fide tradi prudentes intelligebant, magnam sibi aut fingendi aut, si diversa traderentur, id quod ipsis ubique aptissimum videretur eligendi libertatem poetae suo iure usurpabant. Aeoli cur maluerit Euripides quam Hellenis filium Xuthum facere, licet pro certo dici nequeat, non improbabile tamen videtur propterea factum esse, ne, si Hellenis filium peregrinum et advenam faceret, Athenienses ab Hellenis stirpe alieni esse viderentur. Eandem ob causam non Hellenicae sed Achaicae gentis Xuthum esse dixit, licet in extrema fabula v. 1612 etiam Xuthi quendam filium Achaeum nominet. Scilicet ab hoc Xuthi filio eos, qui in Peloponneso Achaei dicebantur, nomen accepisse; illi alteri, quorum de gente Xuthus erat, in Thessalia sedem ha-

19) Vid. Tzetz. ad Lycophr. v. 284 et Schol. Apoll. Rhod. III, 1086 a Marckscheffelio, Hes. fragm. p. 275, emendatum. — Ceterum a mythologis etiam alius quidam Xuthus memorabatur, Aeoli Hippotadae filius, quem in Sicilia circa Leontinos regnasse perhibebant. Diod. V, 8. Schol. Il. 1, 2. De hoc quaerere nunc nihil attinet. Cf. Cluver. Sicil. ant. p. 29. 129 sq. et Klausen de Aenea et Penat. 448.

20) Fragm. Aeoli no. 24 et Melanipp. no. 2.

bebant, nihilque aliud Euripides significare voluit, quam e Thessalia Xuthum in Atticam migrasse. Re vera autem priscam Atticorum gentem ab iis, qui primi ac proprie Hellenes dicebantur Thessaliaeque partem habitabant, satis constat diversam fuisse. Nomen gentis, si aut a Pelasgorum obscura et prorsus incerta appellatione, aut a Cranais, Actaeis aliisque fabulosis discesseris, nullum antiquius quam Ionum invenimus, commune Atticis cum aliis partim in continente Graecia, partim in maris Aegaei insulis maximeque in Asia habitantibus. Sed prisci illi Attici, quum in terram eorum etiam Hellenicae stirpis populi immigrassent et cum iis coaluissent, mox et ipsi Hellenibus adnumerari coepti sunt. Hos autem advenas, quorum ducem alii Amphictyonem, plerique autem Xuthum dixerunt, falluntur magnopere qui Iones fuisse ab iisque hoc nomen Atticis impositum esse opinantur propterea, quod Ionem a mythologis Xuthi filium dici vident. Nam Ionum gens nomenque dubitari non potest, quin longe illa migratione antiquius lateque olim sparsum fuerit; Ionis autem istius Xuthi filii fabula recentioris originis est, neque conficta ante illud tempus, quum priscorum in Graecia Ionum obscurata memoria, nomenque hoc Asianis tantum et insulanis quibusdam proprium esset, qui quod colonis ex Attica aucti erant, credebanturque omnes hinc oriundi esse, etiam eponymus iis ex Attica datus est Ion, *κτίστωρ Ἀσιάδος χθονός* (v. 74), isque Xuthi filius dictus propterea, quod post Xuthi sive Hellenum adventum auctamque hinc hominum multitudinem colonos illos ex Attica migrasse constabat [21]).

Narrat porro Mercurius, quum diu sterile esset Xuthi et Creusae matrimonium, hos remedium huic malo quaerentes Apollinis oraculum adiisse:

ὧν οὕνεκα
ἥκουσι πρὸς μαντεῖ' Ἀπόλλωνος τάδε,

legimus v. 65, neque dubium est, quin illud *οὕνεκα* etiam in codicibus

21) Accuratius haec omnia demonstrata sunt in Opusc. ac. 1 p. 151 sqq. et 328., quae si quis refutare cupiat, firmioribus certe argumentis uti debebit, quam censor nescio quis, qui priscos Atticos Iones haberi posse primum propterea negat, quia autochthones esse crederentur: sic enim fore, ut Arcades quoque, qui et ipsi autochthones putabantur, Iones evaderent; deinde autem quia Attici illi ab Herodoto in Pelasgis numerentur, de quibus scilicet, quinam et quales proprie fuerint, censor ille aliquid certi sibi compertum esse opinatur. Eiusdem generis est, quod Ionis fabulam sibi non recentioris sed pervetustae originis speciem prae se ferre videri affirmat.

Iam perfunctus prologi officio Mercurius de scena discedit; sed quonam discedat non satis certum est. Nam quod ait v. 76:

ἀλλ' εἰς δαφνώδη γύαλα βήσομαι τάδε,

quaeri potest, quaenam sint haec *δαφνώδη γύαλα*. Alii enim Parnassi convalles intellexerunt templo propinquas, eaque vocabuli significatio sane frequentissima est neminique ignota; alii templum ipsum illo *γυάλων* nomine designari volunt, quippe quod potuerit etiam de quovis loco undique saepto et contecto dici, quemadmodum thesauri h. e. aedificia donariis servandis destinata *χρυσοῦ γέμοντα γύαλα* dicuntur Androm. 1070 (1093),[24]) et in hac ipsa fabula v. 225, *γυάλων ὑπερβῆναι λευκῷ ποδὶ* [*βαλόν*], v. 243: *μεθεῖσαν δεσπόται με θεοῦ γύαλα τάδ' εἰσιδεῖν*, et v. 257: *οὐ πάντες ἄλλοι γύαλα λεύσσοντες θεοῦ χαίρουσιν*, dubitari nequit, quin templum, non convalles intelligi debeant. Quodsi quis tamen Euripidem ambigue loquutum esse criminetur, spectatores quidem certe, quum viderent, quonam Mercurius abiret, de significatione verborum errare non potuerunt.

Etiam in v. 79:

ὁρῶ γὰρ ἐκβαίνοντα Λοξίου γόνον,

quaeri nunc quidem a legentibus potest, unde Ion exire putandus sit, ex templone, quod nonnullis visum est, an ex aliquo habitaculo propinquo, an e convalle vicina; sed spectatoribus locum disertius indicari non opus erat. Nobis quid videatur, alio tempore explicabimus, ubi de proximo cantico Ionis disseremus: nam consilium est etiam reliquas fabulae partes carptim huiusmodi scriptiunculis, quarum nobis necessitas imposita est, pertractare. Nunc autem eo praevertemur, cuius causa hoc programma scribendum fuit.

Indicimus igitur Regis Augustissimi natalicia die crastini hor. XII in auditorio maximo ab universitate nostra celebranda, omnesque, quicunque rebus nostris favent, magistratus regios et urbicos, civiles et militares, omnesque omnium ordinum cives atque hospites ut coetui nostro frequentes adesse velint qua decet observantia et reverentia invitamus.

Dabamus Gryphiswaldiae prid. Id. Octob. MDCCCLIX.

---

24) Sic recte Müllerus statuit, Archaeol. § 291, 6; quamquam dissentire video doctissimum Wieselerum in Annal. phil. et paed. vol 75 (1857) p. 676.

SCHOLIA IN EURIPIDIS IONEM. PART. II.

In programmate anni superioris, quum scholia nostra in Euripideae Ionis prologum exhiberemus, etiam reliquas eiusdem fabulae partes carptim huiusmodi scriptionibus nos tractaturos esse professi sumus, quippe non abhorrere arbitrati ab hoc genere libellorum academicorum, si qualia in scholis a praeceptoribus tradi solerent, talia subinde etiam publice cognoscenda proponerentur. Igitur in hoc programmate canticum Ionis illud interpretabimur, quod est a v. 83 ad 183.

Procedit Ion summo mane neocori officio functurus, quemadmodum in prologo Mercurius praedixerat v. 78:

Ὁρῶ γὰρ ἐκβαίνοντα Λοξίου γόνον
τόνδ', ὡς πρὸ ναοῦ λαμπρὰ θῇ πυλώματα
δάφνης κλάδοισιν.

sed unde procedat non satis liquet; hoc tamen manifestum esse videtur, *ἐκβαίνοντα* dici non potuisse, nisi aut ex ipso templo aut ex aliquo vicino habitaculo exiret, qualia in *περιβόλοις* s. consaeptis templorum sacerdotibus ac ministris destinata fuisse constat [1]). Nam si ex convalle propinqua, ubi lauri ramos ad verrendam ornandamque aream decerpserit, in scenam prodeuntem Mercurius conspexisset, dubitari non potest quin alio quam *ἐκβαίνειν* verbo usurus fuisset. Nihil autem obstat, quo minus e templo prodeuntem cogitemus, sive in eo pernoctaverit, sive, quod veri similius videtur, ante quam aream verreret, ipsi templo verrendo atque exornando operam dederit. Ramos autem, quibus utitur, itidem ut aquam e Castaliae fonte haustam, qua mox aream conspergit, nihil opus erat ipsum ex propinqua convalle petere: erant sine dubio aliquot inferioris ordinis ministri, qui eiusmodi labore fungerentur.

---

1) Cf. Gies. de re sacerdotali Graec. p. 44 et nostr. Antiquitt.gr. II. p. 413.

scriptum sit. Est enim hoc vitium plane pervagatum, adeoque nunc omnibus de veritate eius formae, *οὕνεκα* pro *ἕνεκα*, persuasum est, ut si quis dissentiat in temeritatis aut imperitiae crimen incurrere videatur. Interim, si a codicum auctoritate discesseris, quae quam levis sit in huiusmodi quaestione neminem latet, nec rationem huius usus ullam probabilem, nec testes eius idoneos esse videas. Nam Ioannem Characem, in Bekkeri Anecd. III p. 1154, et si qui sunt huius similes, nemo locupletes esse dicet: nihil enim aliud, nisi receptam iam sua aetate falsam opinionem fuisse ostendunt. Et perantiquum illud vitium esse etiam Ammonius demonstrat, quum quid differat inter *οὕνεκα* et *ἕνεκα* lectores suos admonendos esse duxerit. Quod autem Ellendtius, vir doctissimus, Lex. Soph. II p. 437, Apollonium istius opinionis participem habere videtur, in errore versatur manifesto. Nam Apollonius de coniunct. p. 502, 30 nullam aliam particulae *οὕνεκα* significationem agnoscit, nisi ut sit i. q. *ὅτι* quia, quod. Igitur ubicunque non hoc, sed propter significandum est, non dubito quin aut *ἕνεκα* aut, si versus poscat, *εἵνεκα* (*εἵνεκεν*) scribendum sit. Et reperitur haec forma saepenumero etiam in optimis Atticorum poetarum codicibus, velut in Ravennate Aristophanis [22]): neque propriam eam Ionicae aut poeticae dialecto fuisse inscriptiones docent [23]), in quibus alteram illam *οὕνεκα* pro *ἕνεκα* nunquam inveniri credo.

Ut autem illi propter matrimonii sterilitatem oraculum adire compellerentur, Apollinis consilio Mercurius factum esse ait v. 67:

Λοξίας δὲ τὴν τύχην
εἰς τοῦτ' ἐλαύνει, κοὐ λέληθεν, ὡς δοκεῖ.

Sed quo sensu hoc *οὐ λέληθεν* accipiendum sit, non liquet. Plerique interpretantur nec oblitus est, Fixius: neque non animadvertit, Bothius in versione vernacula, *des Sohnes nicht vergessend*, Hartungus: *der es nicht vergass*: similiterque alii. Sed hanc obliviscendi aut non animadvertendi significationem activae verbi *λανθάνω* formae apud Atticos certe scriptores nunquam habent, qui hoc sensu passivas tantum formas usurpant, unumque eius exemplum apud Pindarum inventum memini Ol. XI (X) 4: *γλυκὺ γάρ αὐτῷ μέλος ὀφείλων ἐπιλέλαθα*: dulce carmen ei me debere oblitus sum.*) Itaque

22) Vid. Inverniz. ad Arist. Plut. v. 329. Nub. v. 511. Lysistr. 74. 501. Fritzsch. ad Ran. p. 123.

23) Vid. Keil. Analect. epigr. p. 98.

*) Quid autem? si cum Leop. Schmidtio, Pindar. p. 98, Pindarum hoc dicere

aut statuendum erit Euripidem hoc loco a ceterorum Atticorum usu deflexisse, aut alia via tentanda. Atque illud alterum vel propterea displicet, quod non indicatum est, cuiusnam rei oblitus sit, aut quid non animadverterit Apollo. Nam *τῆς τύχης* e versu superiore subaudiri vix potest; filius autem, quem nonnulli subaudiverunt, in decem versibus superioribus plane non memoratus est. His causis permotus Sanderus sensum verborum hunc esse statuit, ut Mercurius non latere, non obscurum sibi videri dicat, quin Apollo rem huc deduxerit: in qua interpretatione illud quidem mihi probatur, quod verbi *λέληθεν* usitatam significationem servavit, sed pro *ὡς δοκεῖ* Mercurium, si id quod Sanderus credit, dicere voluisset, *ὡς δοκῶ* potius dicturum fuisse censeo, neque omissurum fortasse, quinam essent, quos Apollinis consilium non latere putaret. Nam sic indefinite dictum *οὐ λέληθεν* significare videtur, neminem id latere, quod dici a Mercurio non potuisse manifestum est. Scripsisse igitur Euripidem credo *κοὐ λέληθέ μ', ὡς δοκεῖ*: non me latet, ut putat. Conferri potest Rhes. v. 937, ubi Musa Minervae exprobrans, quod eius consilio Rhesus ab Ulixe et Diomede interfectus sit, *μὴ δόκει λεληθέναι*, ait, noli credere hoc latere. Scilicet pudebat Apollinem facti sui, id quod etiam Ionem non fugit, v. 381, *αἰσχύνεται τὸ πρᾶγμα*, profiteturque Minerva v. 1577, quum re patefacta verecundatum illum esse dicit, quominus ipse in aspectum Creusae filiique sui prodiret, *μὴ τῶν πάροιθε μέμψις εἰς μέσον μόλῃ*. Itaque illud quidem Mercurio aperuerat, puerum, quem huic Delphos deportandum mandabat, suum esse sibique curae fore; sed reliqua omnia, ut per vim Creusam compressisset quidve consilii cepisset, quo puer tandem aliquando miserae matri redderetur, reticuerat. Haec igitur Mercurius, quem consentaneum est pueruli a se servati sortem futuram non sine aliquo miserationis et favoris affectu expectasse, partim ipse indagavit, partim coniectura divinavit, atque hoc est quod dicit, *κοὐ λέληθέ μ' ὡς δοκεῖ*. Ceterum non plane tamen omnia sic ut Mercurius suspicatur evenire videmus. Non enim Athenis demum, quemadmodum v. 71 ait, sed iam Delphis puer a matre agnoscitur, compressamque ab Apolline Creusam esse, id quod v. 72. 73. hunc celari velle ait, neque Ionem neque Atticas mulieres Creusae comites neque eius senem paedagogum, sed unum fortasse Xuthum latet.

---

statuimus, se quasi imprudentem et non advertentem debitorem factum esse. Utut est, ab Euripide *λεληθέναι* pro *λελῆσθαι* dictum esse perquam incredibile est.

Iam perfunctus prologi officio Mercurius de scena discedit; sed quonam discedat non satis certum est. Nam quod ait v. 76:

ἀλλ' εἰς δαφνώδη γύαλη βήσομαι τάδε,

quaeri potest, quaenam sint haec δαφνώδη γύαλα. Alii enim Parnassi convalles intellexerunt templo propinquas, eaque vocabuli significatio sane frequentissima est neminique ignota; alii templum ipsum illo γυάλων nomine designari volunt, quippe quod potuerit etiam de quovis loco undique saepto et contecto dici, quemadmodum thesauri h. e. aedificia donariis servandis destinata χρυσοῦ γέμοντα γύαλα dicuntur Androm. 1070 (1093),[24]) et in hac ipsa fabula v. 225, γυάλων ὑπερβῆναι λευκῷ ποδὶ [βαλόν], v. 243: μεθεῖσαν δεσπόται με θεοῦ γύαλα τάδ' εἰσιδεῖν, et v. 257: οὐ πάντες ἄλλοι γύαλα λεύσσοντες θεοῦ χαίρουσιν, dubitari nequit, quin templum, non convalles intelligi debeant. Quodsi quis tamen Euripidem ambigue loquutum esse criminetur, spectatores quidem certe, quum viderent, quonam Mercurius abiret, de significatione verborum errare non potuerunt.

Etiam in v. 79:

ὁρῶ γὰρ ἐκβαίνοντα Λοξίου γόνον,

quaeri nunc quidem a legentibus potest, unde Ion exire putandus sit, ex templone, quod nonnullis visum est, an ex aliquo habitaculo propinquo, an e convalle vicina; sed spectatoribus locum disertius indicari non opus erat. Nobis quid videatur, alio tempore explicabimus, ubi de proximo cantico Ionis disseremus: nam consilium est etiam reliquas fabulae partes carptim huiusmodi scriptiunculis, quarum nobis necessitas imposita est, pertractare. Nunc autem eo praevertemur, cuius causa hoc programma scribendum fuit.

Indicimus igitur Regis Augustissimi natalicia die crastini hor. XII in auditorio maximo ab universitate nostra celebranda, omnesque, quicunque rebus nostris favent, magistratus regios et urbicos, civiles et militares, omnesque omnium ordinum cives atque hospites ut coetui nostro frequentes adesse velint qua decet observantia et reverentia invitamus.

Dabamus Gryphiswaldiae prid. Id. Octob. MDCCCLIX.

---

24) Sic recte Müllerus statuit, Archaeol. § 291, 6; quamquam dissentire video doctissimum Wieselerum in Annal. phil. et paed. vol 75 (1857) p. 676.

SCHOLIA IN EURIPIDIS IONEM. PART. II.

In programmate anni superioris, quum scholia nostra in Euripideae Ionis prologum exhiberemus, etiam reliquas eiusdem fabulae partes carptim huiusmodi scriptionibus nos tractaturos esse professi sumus, quippe non abhorrere arbitrati ab hoc genere libellorum academicorum, si qualia in scholis a praeceptoribus tradi solerent, talia subinde etiam publice cognoscenda proponerentur. Igitur in hoc programmate canticum Ionis illud interpretabimur, quod est a v. 83 ad 183.

Procedit Ion summo mane neocori officio functurus, quemadmodum in prologo Mercurius praedixerat v. 78:

Ὁρῶ γὰρ ἐκβαίνοντα Λοξίου γόνον
τόνδ', ὡς πρὸ ναοῦ λαμπρὰ θῇ πυλώματα
δάφνης κλάδοισιν.

sed unde procedat non satis liquet; hoc tamen manifestum esse videtur, *ἐκβαίνοντα* dici non potuisse, nisi aut ex ipso templo aut ex aliquo vicino habitaculo exiret, qualia in *περιβόλοις* s. consaeptis templorum sacerdotibus ac ministris destinata fuisse constat [1]). Nam si ex convalle propinqua, ubi lauri ramos ad verrendam ornandamque aream decerpserit, in scenam prodeuntem Mercurius conspexisset, dubitari non potest quin alio quam *ἐκβαίνειν* verbo usurus fuisset. Nihil autem obstat, quo minus e templo prodeuntem cogitemus, sive in eo pernoctaverit, sive, quod veri similius videtur, ante quam aream verreret, ipsi templo verrendo atque exornando operam dederit. Ramos autem, quibus utitur, itidem ut aquam e Castaliae fonte haustam, qua mox aream conspergit, nihil opus erat ipsum ex propinqua convalle petere: erant sine dubio aliquot inferioris ordinis ministri, qui eiusmodi labore fungerentur.

---

1) Cf. Gies. de re sacerdotali Graec. p. 44 et nostr. Antiquitt.gr. II. p. 413.

Procedens igitur in scenam solem conspicit modo exortum radiisque suis summa iam montium cacumina collustrantem:

Ἅρματα μὲν τάδε λαμπρὰ τεθρίππων
Ἥλιος ἤδη λάμπει κατὰ γῆν.

Sol quadrigarum suarum splendorem in terram effundit s. efficit ut quadrigae splendore suo terram collustrent. Λάμπειν enim etiam sensu transitivo dicitur de eo, qui efficit ut res aliqua splendida appareat conspicuaque fiat, quemadmodum fere in Helen. v. 1142 Nauplius fallacem ignem in Euboea accendens, quo classem Graecorum decipiat, δόλιον ἀστέρα λάμψας dicitur, ac de eodem etiam audacius Lycophron dicit, Cass. v. 345, ὅταν λάμψῃ κακὸν φρυκτωρόν. Nostro autem loco, quum Sol ἅρματα λαμπρὰ λάμπειν dicatur, haec constructio eo minus offensionis habet, quod ipsum illud adiectivum nomini additum non tam ipsum per se currum, quam currus splendorem cogitandum esse docet[2]). Non erat igitur, quod Nauckius cum Musgravio κάμπτει scribi mallet: immo vix aptum h. l. κάμπτει esse iudicamus, siquidem hoc verbum de eo tantum recte dici videtur, qui de cursu, quem adhuc tenuerat, deflectit, non de eo, qui, ut Sol, nunc ipsum currere incipit. — Sequitur v. 86:

Παρνησιάδες δ' ἄβατοι κορυφαὶ
καταλαμπόμεναι τὴν ἡμερίαν
ἁψῖδα βροτοῖσι δέχονται.

Sic enim, τὴν ἡμερίαν, recte Canterus correxit codicum scripturam τὴν ἡμέραν, quam nec metro nec sententiae aptam esse apparet. Nam quod Lobeckius, Paralipom. p. 359, etiam adiectivi ἥμερος formam femininam fuisse ait, apud Atticos certe eius formae exempla nulla extare videntur, neque, ut de metro taceam, hoc epitheton orbitae Solis aptum esse arbitror, non magis quam πρᾳεῖαν, quod Matthiaeus et Lachmannus, de chor. system. p. 31, e margine unius codicis receperunt, addita metri fulciendi causa particula γέ. Aptius

2) Non absimilis ratio est aliorum locorum, ubi pro obiecto verbi λάμπειν res ponitur, quae ipsa aliquid splendoris aut quandam splendoris similitudinem habet, ut ἄνθος καλόν in epigrammate Anthol. Palat. XII, 55: ᾧ καλὸν ἁβροκόμης ἄνθος ἔλαμψεν Ἔρως, h. e. splendorem pulchritudinis, aut ἄταν in Biantis versu apud Diog. L. I, 85: αὐθάδης δὲ τρόπος βλαβερὰν ἐξέλαμψεν ἄταν, h. e. λαμπράν, insignem et conspicuam perniciem. Habet hos locos Lobeckius ad S. Ai. p. 89 ed. sec., ubi de omni hoc genere verborum, quae ex intransitivis transitiva aut, ut ipse ait, factitiva fiunt, copiose exponit.

fuerit si quis pro ἀψῖδα reponat ἀκτῖνα, quam coniecturam nonnemini in mentem venisse memini, qui compararet etiam Phoen. v. 5, ubi Solem alloquens Iocasta ὡς δυστυχῆ, inquit, Θήβαισι τῇ τόθ' ἡμέρᾳ ἀκτῖν' ἐφῆκας. Sed omni mutatione abstinendum est: orbitam Solis accipere montium cacumina non inepte dicuntur propterea, quod Sol oriens primum in his cacuminibus quasi insistens conspicitur, unde paullatim altius evehitur.

Iam oriente Sole adolentur thura in honorem Apollinis:

σμύρνης δ' ἀνύδρου καπνὸς εἰς ὀρόφους
Φοίβου πέτεται.

Codicum scripturam *πέταται*, ab editoribus Musgravii exemplo in *πέτεται* mutatam, Hermannus ita tueri conatus est, ut non volandi sed pandendi significationem huic verbo assereret, eamque etiam aptiorem hoc loco esse contenderet, siquidem qui volaret, relinqueret locum ex quo attolleretur, thuribula vero perpetuum fumum mitterent. Atqui, opinor, qui perpetuo mittitur, propter id ipsum etiam perpetuo attolli e thuribulo atque evolare videtur. *Πέτασθαι* autem eodem sensu quo *πετάννυσθαι* dictum esse nullo nec testimonio nec exemplo probari potest: contra pro *πέτομαι* recentiores etiam *πέταμαι* dicere solitos esse satis constat grammaticorum hanc formam improbantium testimoniis, neque mirum a librariis eam saepenumero pro altera substitutam esse. — Quod sequitur v. 91:

Θάσσει δὲ γυνὴ τρίποδα ζάθεον
Δελφὶς ἀείδουσ' Ἕλλησι βοάς,
ἃς ἂν Ἀπόλλων κελαδήσῃ,

non sic accipiendum est, ac si iam nunc sacerdos Pythia tripodi insidens vaticinia edat, sed ut parata esse dicatur ad conscendendum tripodem edendaque oracula, si qui sint qui rite consulere deum velint: quemadmodum ipsam Aeschylus profitentem facit in prologo Eumenidum v. 31:

κεἰ πάρ' Ἑλλήνων τινές,
ἴτων πάλῳ λαχόντες, ὡς νομίζεται·
μαντεύομαι γὰρ ὡς ἂν ἡγῆται θεός.

ubi item praesenti verbi tempore indicatur res paullo post futura. Significant igitur Ionis verba hunc diem unum ex iis esse, in quibus conscendere tripodem Pythiae fas sit, quod non quotidie fieri potuisse constat. Et antiquissimis quidem temporibus semel tantum quotannis, die VII. mensis Bysii, qui natalis Apollinis esse dicebatur, Pythiam va-

ticinatam esse Plutarchus memorat, quod ut verum sit, non tamen propterea hunc diem etiam in hac fabula intelligi necesse est: nam aut ignota res Euripidi esse, aut, si nota fuerit, impune negligi potuit. Aderant autem Pythiae vaticinanti aliquot, ut Ion ipse ait v. 416,

Δελφῶν ἀριστῆς, οὓς ἐκλήρωσεν πάλος,

aliorumque testimoniis non modo prophetam adstitisse novimus, qui voces eius exciperet, sed Hosiorum quoque unum atque alterum aut in eodem penetrali aut in proximo versatos esse. Praeterea etiam ministros complures fuisse credimus, qui consultores oraculi acciperent et quid faciendum esset ante quam admitterentur praemonstrarent, quali officio etiam semet ipsum Ion fungi declarat, quum interroganti Xutho, *τίς προφητεύει θεοῦ;* respondet v. 414,

ἡμεῖς τά γ' ἔξω· τῶν ἔσω δ' ἄλλοις μέλει.

Apparet enim *προφητεύειν* hoc loco latiore sensu accipiendum esse, non de oraculis edendis, sed de illo genere praeceptorum atque admonitionum; nam haec quoque dei nomine et ut eius iussa edebantur.

Hi omnes igitur vel sacerdotes vel ministri etiam in proximis Ionis verbis intelligi poterunt, quibus *οἱ Φοίβου Δελφοὶ θέραπες*, ante quam templum adeant officiisque suis fungantur, lustrari iubentur *καθαραῖς δρόσοις*, rore puro Castaliae. *Δρόσον*, ut rorem, a poetis sensu generali de aquis etiam fontium dici tralaticium est. Cf. infr. v. 118 et 450. Valcken. et Monk. ad Eur. Hippol. v. 126. Intt. ad Horat. III od. 4, 61. *Θέραπες* pro *θεράποντες* ab Euripide etiam in Suppl. v. 762 dicuntur: reliqui duo tragici hanc vocabuli formam non habent.

Proximi versus, 98—101, in codicibus sic scripti sunt:

στόμα τ' εὔφημον φρουρεῖτ' ἀγαθόν,
φήμας τ' ἀγαθὰς τοῖς ἐθέλουσιν
μαντεύεσθε
γλώσσης ἰδίας ἀποφαίνειν.

in quibus hunc infinitivum neque pro imperativo accipi neque ullo modo cum reliqua oratione construi posse apparet. Non minus absona est locutio *φήμας ἀγαθὰς μαντεύεσθε*: nam vaticinatur, *μαντεύεται*, una Pythia, neque omnino qui bona verba edunt, unde aliquid fausti ominis capi possit, propterea ipsi quoque *μαντεύεσθαι* dici possunt. Itaque infinitivum *μαντεύεσθαι* ab *ἐθέλουσι* pendentem rescribi debere iam Scaliger intellexit, quam emendationem codices postea collati comprobarunt. Significari apparet oraculi consultores: nam de

his non minus quam de vaticinantibus verbum illud *μαντεύεσθαι* usurpari notum est. Iam vero si infinitivus *ἀποφαίνειν* imperativi instar habendus sit, mirabimur orationis inconcinnitatem, quum paullo ante imperativus sit, *φρουρεῖτε*. Sustulit eam L. Dindorfius, *φρουρεῖν* rescribens: quamquam is, nisi fallor, non pro imperativis hos duos infinitivos haberi, sed ab *ἀγαθόν*, scil. *ἐστί*, pendere voluit. Sic sane et structura verborum recte procedit, nec sententia absurda est; merito tamen Hermannus frigidam orationem evadere autumat. Nam est profecto frigidum, sententiam huiusmodi generalem proponere, non quid faciendum sit iis ipsis, qui id facere debeant, praecipere. Longe certe aptior oratio fit, si cum Hermanno copulam *τέ* post *φήμας* delemus et pro *ἀγαθόν* reponimus *ἀγαθῶν*. Nihil in codicibus hac permutatione frequentius est; quumque semel *ἀγαθόν* scriptum esset, copula post *φήμας* ab aliquo correctore addita esse videtur, qui *ἀγαθὸν* pro altero epitheto substantivi *στόμα* haberet, infinitivum autem *ἀποφαίνειν* pro imperativo positum esse crederet. Itaque recte locum ab Hermanno emendatum esse iudicamus, receperuntque emendationem etiam Fixius et Hartungus. *Φῆμαι ἀγαθαὶ ἀγαθῶν* sunt bona verba tanquam boni eventus omina et praesagia. Talia Ion edi vult, ut eorum, qui oraculum consulturi sint, animi spe laeta et fiducia erigantur: quod autem addit *ἰδίας γλώσσης*, opponit horum verba Pythiae sacerdotis voci, quippe quae non tam ipsius propria sit, quam divinae mentis instrumentum. Nam, ut ait Plut. de orac. def. p. 414 E. credebant *τὸν θεὸν αὐτὸν — ἐνδυόμενον εἰς τὰ σώματα τῶν προφητῶν ὑποφθέγγεσθαι*. Denique infinitivus *ἀποφαίνειν* qua ratione post *στόμα εὔφημον φρουρεῖτε* adiunctus sit, nemo sibi exponi postulabit.

Iam ad opus suum Ion aggreditur, ut aream templi verrat atque exornet, avesque advolantes abigat. Quamquam enim ipse verrendae tantum, non etiam ornandae areae disertis verbis mentionem facit — *ἐσόδους Φοίβου καθαρὰς θήσομεν*, inquit v. 105, neque addit *καὶ κοσμήσομεν*, — apparet tamen *στέφεσιν ἱεροῖς*, quae eodem versu appellantur, non verri aream, sed ornari tantum postes columnasque potuisse. Sed in praecedentibus verbis, v. 102.,

ἡμεῖς δὲ πόνους, οὓς ἐκ παιδὸς
μοχθοῦμεν ἀεί —

accusativus *πόνους* non habet unde pendeat. Nam nullum sequitur verbum transitivum nisi *θήσομεν* (*ἐσόδους καθαράς*). Fuerunt

igitur qui commate ante *πόνους* posito *πόνους οὓς* pro *οὓς πόνους* accipi vellent, ut esset haec enuntiatio pro appositione sequenti membro praemissa: aream templi verremus — quod ministerium inde a pueris praestare soliti sumus. Scilicet non advertisse videntur propriam graeci sermonis breviloquentiam, ut pro verbo generalioris significationis, quale h. l. foret *πονήσομεν*, statim rei antea universe significatae, ut est h. l. *πόνους*, propria et singularis demonstratio ponatur. Potuit plenius dici *πόνους — πονοῦντες ἐσόδους καθαρὰς θήσομεν*, quemadmodum e. c. apud Isaeum, or. IX, 10 pro eo, quod dictum est, *μαρτυρίαν, ἣν οἱ ἀναγκαῖοι ἐκείνου περὶ τῶν μεγίστων μή φασι παραγενέσθαι*, plenius dici potuit *ἣν μαρτυροῦντες — μή φασι παραγενέσθαι*. Dictum est de hoc genere breviloquentiae a nobis in comm. ad Isaeum p. 412, ab Hermanno Opusc. 1 p. 200 et a Krügero ad Thucyd. 1, 32, 4. — In vers. 106. 108

πτηνῶν τ' ἀγέλας
τόξοισιν ἐμοῖς φυγάδας θήσομεν,

non silentio praetermittenda est incongruentia numeri: nam congruenter aut *ἡμετέροις* aut *θήσω* dicendum fuit. Sed nihil hac incongruentia in prima persona frequentius est, ut, quum unus de semet ipse loquens plurali verbi numero utitur, alia sic adiungat, ac si singulari usus sit. Huc pertinent in hac ipsa fabula v. 391: *κωλυόμεσθα μὴ μαθεῖν ἃ βούλομαι*, et v. 1250: *διωκόμεσθα Πυθίᾳ ψήφῳ κρατηθεῖσα*. Iphig. Taur. v. 566: *ἥκομεν — σπεύδουσ' ἅμα*. Troad. v. 900: *οὐ δικαίως ἢν θάνω θανούμεθα* Electr. v. 604: *ποίαν ὁδὸν τραπώμεθ' εἰς ἐχθροὺς ἐμούς*; Androm. v. 143: *δεσποτῶν δ' ἐμῶν φόβῳ ἡσυχίαν ἄγομεν*. Herc. fur. v. 1267: *γοργωποὺς ὄφεις ἐπεισέφρησε σπαργάνοισι τοῖς ἐμοῖς — ὡς ὀλοίμεθα*. Notarunt hanc incongruentiam passim veteres grammatici, velut schol. A. ad Il. XII, 257, auctor de soloecism. in Museo phil. Cant. II. p. 112 et Boissonad. Anecd. III p. 239, plurimaque eius exempla a recentioribus studiose congesta sunt, quos enumerare nihil attinet[3]). Quod autem praeterea in nostro loco Euripides commisit, ut simillimas formulas *καθαρὰς θήσομεν* et *φυγάδας θήσομεν* brevissimo trium versuum intervallo usurparet, v. 105 et 108, dubitari

---

3) Isocrates huius generis exempla nuperrime contulit O. Schneiderus noster, ad Panegyr. § 14.

non potest quin delicatioribus quibusdam criticis vix ferendum videatur, ei quidem certe, qui in Iahn. Annal. philol. vol. LXXV p. 471 versus 613 clausulam εἰσορᾷ πικρῶς propter similem clausulam versus 610 οἴσει πικρῶς emendando removere conatus est. Nos quidem huiusmodi negligentiam, in hac praesertim fabula, patienter toleramus.

Sequuntur versus glyconici in stropham et antistrophum descripti, 112—143, quibus cantandis Ion verrendi laborem consolatur.

Ἄγ' ὦ νεηθαλὲς ὦ
καλλίστας προπόλευμα δάφνας,
ἃ τὰν Φοίβου θυμέλαν
σαίρεις ὑπὸ ναοῖς
κήπων ἐξ ἀθανάτων —

Laurum tanquam ministram alloquitur: nam προπόλευμα δάφνας nihil aliud est quam δάφνα προπολεύουσα aut πρόπολε, ut solent saepenumero abstracta pro concretis poni, δούλευμα pro δοῦλαι v. 761: γυναῖκες ἱστῶν τῶν ἐμῶν καὶ κερκίδος δούλευμα πιστόν. — λάτρευμα pro λάτριν, Troad. 1105: Ἰλιόθεν ὅτι με πολυδάκρυτον Ἑλλάδι λάτρευμα γᾶθεν ἐξορίζει. — κήδευμα pro κηδεστά, Orest. v. 477: ὦ χαῖρε καὶ σύ, Μενέλεως, κήδευμ' ἐμόν, aliaque eius generis plurima. Genitivum autem δάφνας recte definitivum aut explicativum dixeris, quippe qui definiat προπολεύματος notionem indicanda ea re, quae illo vocabulo denotetur. Sic Κάστορος ἄγαλμα πατρίδος in Helen. v. 207 nihil aliud est quam ἄγαλμα πατρίδος Κάστωρ aut Κάστωρ πατρίδα ἀγάλλων, et Soph. Electr. v. 672. κλεινὸν Ἑλλάδος πρόσχημ' ἀγῶνος certamen Pythium dicitur, quod Graeciae decori est, ἀγὼν πρόσχημα ὤν: quorum rationem qui recte perspexerit, non diversam esse intelliget a formulis frequentissimis τέλος θανάτοιο, ὅπλισμα κορύνης, ἀσπίδος ἔρυμα, σκέπας μελάθρου, δράκοντος δεινοῖο πέλωρ ac similibus, quarum exempla ubivis extant. Itaque quum προπόλευμα δάφνας idem significet atque δάφνα πρόπολε vel προπολεύουσα, non mirum in proximo versu pronomen relativum ad δάφνας potius quam ad προπόλευμα accommodatum esse. Dicitur autem haec laurus κήπων ἐξ ἀθανάτων, scilicet decerpta aut ablata, quod quum sua sponte pateat, non opus fuit addito participio, velut δρεφθεῖσα, quod Badhamus, in Philologo vol. VII p. 277[4]) requirebat,

4) Badhami editionem huius fabulae, quae Londini ann. MDCCCLIII prodiit, usurpare quum haec scriberem non potui.

disertius indicari. Sed κῆποι illi ἀθάνατοι quinam sint ambigitur. Nam Wieselerus, vir subtilissimus, in Iahn. annal. philol. vol. LXXV p. 684, ipsum templi adytum intelligi vult, in quo non unam sed multas lauros fuisse statuit; δρόσους autem ἱεράς, versu 117, de Cassotide accipit, cuius aquam subterraneo meatu in adytum derivatam esse Pausanias refert X. 24 extr. Nobis neque κήπων nomen de adyto, etiamsi complures ibi arbores fuisse sumamus, usurpari potuisse videtur, neque causam esse arbitramur, cur alium fontem designari credamus, quam illum, unde aquam ad lustrandum petitam esse ipse Ion. v. 148 indicat, lustarique templi sacerdotes ac ministros iussit versu 95, h. e. fontem Castalium in propinqua convalle, quam lauris densis consitam fuisse constat, unde laurus ipsa Castalia arbor dicitur a Propertio III, 2, 13, et Castalia umbra a Tibullo III, 1, 16. Hos igitur esse iudicamus κήπους ἀθανάτους. In proximis autem versibus

ἵνα δρόσοι τέγγουσ' ἱεραὶ
τὰν ἀέναον παγὰν
ἐκπροϊεῖσαι
μυρσίνας ἱερὰν φόβαν,
ᾇ σαίρω δάπεδον θεοῖ,

in quibus apparet verbi τέγγουσι obiectum esse μυρσίνας ἱερὰν φόβαν, offendit non iniuria multos, quod nunc myrtis se aream verrere Ion dicit, qui paullo ante laurum appellaverit. Badhamus quidem l. l.: „μυρσίνας“ inquit „idem est quod δάφνας“, et mirificae huius interpretationis auctorem citat Donatum ad Terent. Andr. IV, 3, 11, quem si quis inspexerit nihil aliud docentem videbit, quam verbenae nomen apud Romanos generale esse, et de lauris quoque, olivis ac myrtis usurpari posse: nihil interesse autem inter laurum et myrtum nemini unquam nisi Badhamo in mentem venit. Non meliore defensione utitur Schenklius p. 481. nam quum v. 104 Ion dixerit se πτόρθοισι δάφνης στέφεσιν θ' ἱεροῖς usurum, his στέφεσιν ἱεροῖς verricula e myrtis indicata esse censet. Prudentius Wieselerus l. l. pro μυρσίνας reponi μυρίαν voluit: vereor tamen ne sic Euripidem potius ipsum quam librarios correxisse dicendus sit. Nam mihi quidem huiusmodi negligentia in hoc poeta et in hac fabula, quam festinantius compositam esse aliis indiciis non paucis intelligitur, haudquaquam incredibilis esse videtur, ut, quum Ionem scopis ex lauri et myrti ramis coniunctis utentem fingeret, posteaquam primum lauri tantum mentionem fecit,

deinde myrtum sic tanquam obiter adderet. Negligentiam quandam etiam in hoc aliquis criminetur, quod post ἃ σαίρεις v. 115 de lauro dictum, nunc de myrto v. 121 ᾇ σαίρω dicitur: sed calidius tamen quam prudentius eos egisse arbitror, qui talia tolerari non posse rati criticam suam facultatem in emendando loco exercere conati sunt. Ac Badhamus quidem, ut prius illud σαίρεις tolleretur, quod comicum sibi videri ait, sic scribi voluit: ἁ τᾶν Φοίβου θυμελᾶν δρεφθεῖσ' ὑπὸ ναοῖς κήπων ἐξ ἀθανάτων, quae ipse convertit: decerpta prope templa sacellorum Phoebi ex immortalibus hortis. Haec vix digna sunt quae refutentur. Nam ne de mirificis illis ναοῖς θυμελᾶν, sacellorum templis, dicam, quid faciemus hoc nominativo ἁ — δρεφθεῖσα? nam constructio certe genitivum τᾶς δρεφθείσας postulabat. Alius quidam criticus, in Annal. philol. LXXV p. 470, hanc emendationem proposuit: ἄγ' ὦ νεηθαλές, ὦ καλλίστας προπόλευμα δάφνας ἁγνᾶν Φοίβου θυμελᾶν, κείρω σ' ὑπὸ ναοῖς, ἵνα δρόσος τέγγει σ' ἱερὰ ῥυτὰν ἀενάου παγὰν ἐκπροιεῖσα —; sequentibus autem verbis μυρσίνας ἱερὰν φόβαν quid fieri et unde hunc accusativum pendere vellet, dicere supersedit. Mihi omnia in hoc loco, licet non probanda, certe tamen sana esse persuasum est, praeter unum versiculum 118 τὰν αένναον παγάν: nam hanc adiectivi formam αένναον, pro αέναον, utique damnandam esse Hermannus ad h. l. et Fixius in H. Steph. thesaur. I p. 760 ed. Didot. planissime demonstrarunt. Hermannus igitur γᾶς τὰν αέναον παγάν scribendum suasit; Fixius, ut solent fere critici ad suas quisque coniecturas periclitandas, quam ad probandas alienas promptiores esse, ῥυτάν pro γᾶς τὰν — scribi maluit, obsequentemque habuit Hartungum. Ego Hermanno assentiri malo vel propter verbum ἐκπροϊεῖσαι, quod sic aptissime cum γᾶς construi apparet. Γαίας παγάν etiam paullo infra dici v. 147 ipse Hermannus monuit, contulitque praeterea ὄμβρον χθονός apud Sophoclem Oed. Col. v. 687. Ῥυτάν per se quidem non ineptum; sed duo haec epitheta ῥυτὰν αέναον cur coniungeret Euripides nulla causa erat, atque ille ipse versus 122 ex Hippolyto, quem Fixius citat, πέτρα — ῥυτὰν παγὰν προϊεῖσα κρημνῶν, Hermannianam lectionem γᾶς — ἐκπροϊεῖσα commendare potest. — Proxima verba, quae in codicibus sic scripta sunt,

παναμέριος ἅμ' ἡελίου πτέρυγι θοῇ,

a Matthiaeo et G. Dindorfio (Metr. Aesch. Soph. Eur. p. 215) pro trimetro iambico habentur, quod si probatur, in quarta sede anapaestus

pro tribracho, quem antistrophus v. 138 habet, positus esse dicendus erit. Sed facile iambus restitui potest ἠελίου in ἡλίου, aut potius in ἁλίου mutato, quandoquidem vix credi potest poetam, qui initio versus doricam formam usurpaverit, hanc in proximo nomine sprevisse: eandemque ob causam etiam θοᾷ pro θοῇ scribendum videtur. Utrumque Hermannus fecit, simulque glyconicum metrum, ut in superiore strophae parte, sic etiam in hac servatum esse iudicavit. Assenserunt Hermanno Fixius, Bothius, Kirchhoffius, Nauckius, Hartungus, a quorum consensu equidem dissentire nolo. Παναμέριος quum alibi significet toto die, hoc loco ita accipi non posse res ipsa declarat: videtur quotidie significare. Nam quod Hartungus cum Matthiaeo ad Hippol. v. 362 πανημέριον etiam ἐν τῇδε τῇ ἡμέρᾳ significare autumat, id quum ipsum per se parum credibile sit, tum exemplis haudquaquam satis comprobatur. In Hippolyti quidem loco, τίς σε παναμέριος ὅδε χρόνος μένει, si vera est lectio, ὅδε χρόνος significare dixerim hoc tempus quod nunc instat, idque tempus addito adiectivo παναμέριος non hunc unum sed omnes insecuturos dies duraturum esse indicari: quamquam haud scio an vera sit Musgravii coniectura πόνος pro χρόνος. In Sophoclis Trachin. v. 600, ὅθεν μόλοι πανάμερος, scholiastes quidem significari opinatur τὴν σήμερον ἡμέραν: sed rectius haud dubie coniungitur πανάμερος cum συγκραθείς in versu proximo, ut dicatur in omne tempus conciliatus, quemadmodum Hermannus, qui olim aliter senserat, in editione tertia statuit. Erfurdtius quidem πανάμερος omnino non de tempore sed de moribus, ut ab ἥμερος factum, acceperat, quemadmodum iam ante eum alii, fueruntque etiam qui πανίμερος scribi mallent. Denique Hesychius nihil aliud docet, nisi πανημέριος etiam sic dici, ut non integer dies ab ortu ad occasum, sed diei iam inchoati omne reliquum tempus intelligatur, id quod satis notum atque etiam ab Homeri scholiastis ad Il. I, 472 observatum est. Igitur nostro loco Ionis verba sic interpretamur, ut dicat se quotidie diurnis ministeriis fungi, h. e. quotidie perficere quae quoque die perficienda sint. Τὸ κατ' ἦμαρ est i. q. τὸ καθημέρινον, scilicet λάτρευμα. Incipit autem haec facere statim oriente Sole, ἅμ' ἁλίου πτέρυγι θοᾷ, in qua locutione πτέρυγα, alam, de curru Solis alato aut alatis equis vecto interpretabimur cum I. H. Vossio, Epist. myth. II, p. 62. Eadem ratione λευκόπτερος ἡμέρα dicitur Troad. v. 826. Schwarzius (Sonne, Mond und Sterne p. 106) solem ipsum alatum cogitare mavult. cf.

p. 115, ubi citat. Orph. hymn. 32: *Ἀέλλει χρυσέῃσιν ἀειρόμενε πτερύγεσσιν.*

Concluditur stropha hoc epiphthegmate, v. 125—127:

ὦ Παιάν, ὦ Παιάν,
εὐαίων, εὐαίων
εἴης, ὦ Λατοῦς παῖ

in qua invocatione *εὐαίων* non, ut plerisque visum, beatum significare credo — nam dis natura sua beatis beatitudinem ab hominibus optari vereor ne absonum sit, — sed activo sensu de eo dictum arbitror, qui beatam hominibus vitam impertiat. Atque sic etiam Ellendtium statuere video, Lex. Soph. I, p. 698.

In antistropho Ion munus suum, quamvis humile, tamen, quoniam deo praestetur, carum sibi sanctumque esse testatur, quum praesertim Apollinem, in cuius templo et tutela educatus sit, patris instar colat. De versibus 131—135:

κλεινὸς δ' ὁ πόνος μοι
θεοῖσιν δούλαν χέρ' ἔχειν
οὐ θνατοῖς ἀλλ' ἀθανάτοις
εὐφάμοις πόνοις μοχθεῖν
οὐκ ἀποκάμνω.

dissentiunt interpretes, quomodo interpungendi sint. Nam quum in veteribus editionibus punctum finale (*στιγμὴ τελεία*) post *ἔχειν* positum sit, ut nova deinceps enuntiatio incipiat a verbis *οὐ θνατοῖς*, e recentioribus alii post *οὐ θνατοῖς* colon posuerunt, ut Hermannus, alii post *ἀθανάτοις*, ut Fixius, Hartungus, Nauckius, Kirchhoffius. Atque hi quidem etiam particulam *δέ* inseruerunt post *εὐφάμοις*, scilicet ut exaequaretur hic versus strophico *γᾶς τὰν* (aut *ῥυτάν*) *ἀέναον παγάν*, de quo supra dictum est, neve *ἀσύνδετος* oratio esset: quae causa etiam veteres quosdam correctores permovisse videtur, ut particulam adderent: nam extat ea in uno certe codice Palatino. Mihi autem veterum editionum interpunctio servanda videtur. Languet enim, meo quidem iudicio, magnopere oratio, si statim post *θεοῖσιν* illud *οὐ θνατοῖς ἀλλ' ἀθανάτοις* additur, quasi immortalitatis potissimum notio extollenda sit, quo susceptus deorum causa labor honestior videatur. Neque melior evadit oratio, si cum Hermanno *οὐ θνατοῖς* tantum priori membro adiungas, ut novum membrum ab *ἀλλ' ἀθανάτοις* incipiat, quam interpunctionem vel numerorum tenor

improbabilem facere videtur [5]). Longe melius sententia modo breviter indicata statim paullumque mutatis verbis repetitur, in quali repetitione *ἀσύνδετον* orationem aptissimam esse, si minus suus quemque sensus docet, Dissenius docere poterit, qui de hoc asyndeti genere dixit in excursu II ad Pindar. p. 274 ed. Goth. Nam illud certe non verendum, ne quem dativi diversae significationis compositi offendant. Porsonum quidem Monkius ad Eur. Hippol. v. 301 accusativum *εὐφάμους πόνους* scribi voluisse refert, quomodo interpungi verba voluerit non commemorans; sed nimirum non ista dativorum compositio Porsonum movebat, sed quod alibi istam accusativi structuram frequentissimam esse meminerat, velut in illo Hippolyti versu, *ἄλλως τούσδε μοχθοῦμεν πόνους*, et in hac ipsa fabula v. 101: *πόνους οὓς ἐκ παιδὸς μοχθοῦμεν ἀεί.* Attamen dativum quoque in hoc genere loquendi non inauditum esse Lobeckius demonstrare poterit, Paralip. p. 524, utque *νόσῳ νοσεῖν* Aeschylus (Prometh. v. 392) et Sophocles (Trachin. v. 545) dixerunt, sic etiam *πόνοις πονεῖν* aut *μοχθεῖν* dici potuisse apertum est. Ad restituendam autem huius versus cum strophico aequabilitatem non opus est inserta particula, sed scribendum cum Hermanno *εὐφάμοισι.* Sed pro infinitivo *μοχθεῖν* nescio an praestet participium *μοχθῶν.* Nimirum qui *ἀποκάμνω* cum infinitivo dicit, negat se labore ac fatigatione impediri, quo minus id quod infinitivo significatur agat, quemadmodum est apud Platonem de Republ. IV, 445 B: *ὅσον οἷόντε σαφέστατα κατιδεῖν ὅτι ταῦτα οὕτως ἔχει οὐ χρὴ ἀποκάμνειν:* [6]) qui autem rei, quam agat, se non taedere neque eam propter laboris molestiam a se intermitti significat, is participio potius utetur. Atque haec sententia dubitari non potest quin Ionis personae magis conveniat. — Proximi versus sic a plerisque editoribus scribuntur:

τὸ δ' ὠφέλιμον ἐμοὶ πατέρος
ὄνομα λέγω
Φοίβου τοῦ κατὰ ναόν.

---

5) Quod Hartungus ait, debuisse sic etiam *μὴ θνατοῖς* scribi, iusto calidius dictum est. Potuit utrumvis scribi, quamquam sensu non plane eodem. Qui generalem sententiam pronuntiat, honestum sibi videri si quis dis, non mortalibus serviat, is *μὴ θνατοῖς* dicet. Ion autem honestum sibi videri dicens quod dis, non mortalibus serviat, recte *οὐ θνατοῖς* dicet.

6) Non recte Platonis locum interpretatur Stallbaumius, infinitivum non cum *ἀποκάμνειν* construens, sed tanquam epexegesin superiorum verborum *ἐπείπερ ἐνταῦθα ἐληλύθαμεν* additum existimans.

in quibus τό pro τόν, quod in codicibus est, Musgravius posuit, adoptaruntque correctionem Matthiaeus, Hermannus, alii. Et Musgravius quidem, quocum Seidlerus (apud Hermann. in praef. p. VI.), Fixius, Hartungus consentiunt, τὸ ὠφέλιμον de beneficiis accipiunt Ioni ab Apolline tributis, quibus quod πατέρος ὄνομα inditur, hoc nihil aliud esse, quam paterna ea beneficia appellari. Artificiosius Hermannus, qui posteaquam πατέρος ὄνομα pro πατέρα dictum esse ideoque τὸ ὠφέλιμον cum ὄνομα construendum fuisse statuit, genitivum Φοίβου per attractionis, ut ait, figuram ad πατέρος accommodatum esse autumat. Mihi haec attractio non Euripidi sed librariis imputanda videtur praecedente genitivo inductis, quod genus erroris quam frequens sit periti sciunt. Tenendum igitur censeo τὸν δ' ὠφέλιμον, pro Φοίβου τοῦ autem Φοῖβον τὸν — scribendum. Atque sic etiam Kirchhoffium iudicasse video.

Verrendi fine facto Ion aqua lustrali ex Castalio fonte conspergere aream aggreditur. In verbis v. 144:

Ἀλλ' ἐκπαύσω γὰρ μόχθους δάφνας ὁλκοῖς

vix opus est monere dativum non cum ἐκπαύσω construendum esse tanquam dativum commodi, qui a grammaticis dicitur, sed cum μόχθους. Nam μόχθοι ὅλκοις δάφνας sunt labores trahenda lauro perfecti, ut dativum instrumentalem dicere liceat: neque rara sunt huius dativi exempla nominibus substantivis, tam quae actionem quam quae actorem significant, adiuncti. Sic apud Platonem Legg. I. p. 633 B. legimus: ἐν ταῖς πρὸς ἀλλήλους ταῖς χερσὶ μάχαις. et ibid. paullo post: κινήσεις τῷ σώματι. Legg. IV p. 77 A: ἡ τοῖς βέλεσιν ἔφεσις. VII, 824 A: ἡ τῶν τετραπόδων ἵπποις καὶ κυσὶ θήρα. Republ. III p. 397 A: διὰ μιμήσεως φωναῖς τε καὶ σχήμασιν. Legg. X p. 898 B: φαῦλοι δημιουργοὶ λόγῳ καλῶν εἰκόνων. Pindar. Pyth. 1, 185 (95:) τὸν ταύρῳ χαλκέῳ καυτῆρα. Aeschyl. Choeph. v. 277: νόσους ἐπεμβατῆρας ἀγρίαις γνάθοις. Cf. Heindorf. ad Plat. Cratyl. p. 131. Stallbaum. ad Legg. 1 p. 50. — Mox v. 147 aqua ab Ione γαίας παγά dicitur,

ἂν ἀποχεύονται Κασταλίας δῖναι,

pro ἀποχέονται, quam formam metrum usurpari vetabat. Constat enim versus duobus dochmiis. Potuit autem etiam activum poni ἀποχεύουσιν: sed medium quam rationem habeat, apertum est. — Denique quum sese v. 150 ὅσιον ἀπ' εὐνᾶς esse Ion dicit, nihil aliud

quam, ut Persii verbis utar II, 16, noctem se flumine purgasse, h. e. quidquid fortasse sordium in lecto contraxisset abluisse significat.

Iam vero advolantes avium greges non modo voce ac minis, sed, si opus sit, etiam sagittis repellere aggreditur. Pertinet ad hunc locum observatio scriptoris de elocutione, qui vulgo Demetrius Phalereus esse perhibetur, § 199: *ἔστι δὲ καὶ ἄλλα θεωρήματα ὑποκριτικά· οἷον ὁ παρ' Εὐριπίδῃ Ἴων, ὁ τόξα ἁρπάζων καὶ τῷ κύκνῳ ἀπειλῶν τῷ ὄρνιθι ἀποπατοῦντι κατὰ τῶν ἀγαλμάτων. καὶ γὰρ κινήσεις πολλὰς παρέχει τῷ ὑποκριτῇ ὁ ἐπὶ τὰ τόξα δρόμος καὶ ἡ πρὸς τὸν ἀέρα ἀνάβλεψις τοῦ προσώπου διαλεγομένου τῷ κύκνῳ, καὶ ἡ λοιπὴ πᾶσα διαμόρφωσις πρὸς τὸν ὑποκριτὴν πεποιημένη.* Ceterum advolantes hos avium greges non ingenio tantum poetae fictos, sed ex vero ductos esse testantur, qui nostra aetate loca illa visitarunt [7]). Nam hodieque innumerabilem multitudinem aquilarum, vulturum, corvorum circa Parnasi rupes versari in iisque nidulari memorant: olim etiam plures fuisse easque sacrificiorum nidore allectas crebro ad aream potissimum templi convolare solitas esse consentaneum est, neque illud dubitandum, quin ministris templi iniunctum fuerit, ut eas arcerent neque conspurcari loca sacra aut laedi ab iis sinerent. Quamquam minorum avium genera, praesertim columbas, ut alibi veteres in ipsis aedibus sacris nidulari patiebantur iisque tanquam numinum tutelae commendatis religiose parcebant [8]), sic eandem religionem erga columbas certe etiam Delphis observatam esse quum Euripides in hac ipsa fabula v. 1196sqq., tum Diodorus XVI, 27 testatur. — Sed revertimur ad Ionem, in cuius verbis v. 156. 7:

αὐδῶ μὴ χρίμπτειν θριγκοῖς,
μηδ' εἰς χρυσήρεις οἴκους

notanda est verbi *χρίμπτειν* duplex constructio, cum dativo, quemadmodum vulgo construi solet, et cum praepositione *εἰς*, cuius alterum

---

7) Vid. Ulrichs Reisen u. Forsch. in Gr. p. 110: In den unzugänglichen Phaedriadischen Felswänden nisten unzählige Vögel. Adler, Geier und Raben schweben unablässig über dem Thale. Einst mochte der Geruch des Opferfleisches sie noch zahlreicher heranlocken, so dass Ion bei Euripides, um seine Morgenarbeit zu verrichten, mit Pfeil und Bogen gerüstet auftritt, um die schädlichen Gäste abzuwehren. Et p. 116. Die Felsen über Kastri sind voll Löcher, in denen die Raubvögel nisten. Dies sind die *κοῖται* des Euripides v. 155.

8) Cf. Porphyr. de abst. II, 19 p. 249 et Wesseling. ad Herodot. I, 159.

exemplum frustra quaeras. Nimirum usus est Euripides zeugmatis s. syllepseos figura, ut „duabus diversis rebus unum daret verbum minus utrique conveniens“, ut ait Iulius Rufinianus p. 228 Ruhnk. Itaque quemadmodum apud Homerum Il. 1, 532, *ἡ μὲν ἔπειτα εἰς ἅλα ἆλτο βαθεῖαν ἀπ' αἰγλήεντος Ὀλύμπου, Ζεὺς δὲ ἑὸν πρὸς δῶμα,* non *ἆλτο* repetendum sed *ἀπέβη* subaudiendum est, et Il. VIII, 505, *ἐκ πόλιος δ' ἄξεσθε* (sic enim scribendum) *βόας καὶ ἴφια μῆλα καρπαλίμως, οἶνον δὲ μελίφρονα οἰνίζεσθε. σῖτον δ' ἐκ μεγάρων,* in postremo membro neque *ἄξεσθε* neque *οἰνίζεσθε*, sed aut *φέρετε* aut *οἴσετε* cogitandum esse vetus interpres ad Il. X, 167 monuit, ubi de universo hoc genere exponit, similiter etiam hoc loco aut *πέτεσθαι* aut tale quid subaudiemus. — *Χρυσήρεις* ut hoc loco *οἴκους*, sic *θριγκοὺς* templi dici videmus in Iphig. Taur. v. 129. *Θριγκοί* autem pinnae sunt vel tectorum prominentiae, sub quibus aves nidulari solent, quemadmodum paullo infra v. 172 Ion ostendit. Alia vocabuli significatio est v. 1321: *θριγκοῦ τοῦδ' ὑπερβάλλω πόδα*, de qua suo loco dicendum erit. — In versu 160:

μάρψω σ' αὖ τόξοις ὦ Ζηνὸς
κῆρυξ, ὀρνίθων γαμφηλαῖς
ἰσχὺν νικῶν,

aquilam significari manifestum est. Adverbium indicare videtur, Ionem iam prius aliquando sagittis usum esse ad abigendas aquilas.

Post aquilam autem cygnum advolare videmus v. 161:

ὅδε πρὸς θυμέλας ἄλλος ἐρέσσει
κύκνος —

qui quod *ἐρέσσειν* dicitur, vix opus est monere nihil hoc verbi usu, ut de volatu dicatur, frequentius esse. Vid. Blomfield. gloss. ad Aesch. Ag. v. 51. Paullo post, v. 164:

οὐδέν σ' ἁ φόρμιγξ ἁ Φοίβου
σύμμολπος τόξων ῥύσαιτ' ἄν,

φόρμιγξ dicitur non Phoebi, sed ipsius cygni vox canora multis veterum scriptorum locis celebrata, quae quam apte illo vocabulo appelletur intelligent, quicunque aliquando cygnos musicos — sic enim nunc in historia naturali dicuntur — in nostris littoribus canentes audiverint. Est enim vox eorum haud absimilis fidium graviter simul et suaviter sonantium [9]). Haec igitur cygni phorminx Phoebi *σύμμολπος* dicitur:

9) Conf. quae ab amico meo — *εἴ ποτ' ἔην γε* — Hornschuchio scripta sunt,

nam dilectam deo avem etiam canenti accinere consentaneum est; eandemque ob causam Delum potissimum abire iubetur, natalem dei insulam:

λίμνας ἐπίβα τᾶς Δηλιάδος,

h. e. lacum illum adi, celebratum in fabulis, *τροχόεσσαν* s. *τροχοειδέα λίμνην* (vid. Spanhem. ad Callim. h. in Del. v. 261. Stanley. ad Aesch. Eum. v. 9.), quem lacum cygnis maxime frequentari etiam in Iphig. Taur. v. 1077 legimus: *λίμναν εἱλίσσουσαν ὕδωρ κύκλιον, ἔνθα κύκνος μελῳδὸς Μούσας θεραπεύει.* Et pariter cum Apolline etiam cygnus *Δήλιος καὶ Πύθιος* dicitur ab Aristophane Av. v. 869.

In proximis verbis, v. 168:

αἱμάξεις, εἰ μὴ πείσει,
τὰς καλλιφθόγγους ᾠδάς

multi haeserunt, fueruntque adeo qui correctionem abhibere conarentur. Musgravius quidem *αἱμάξω σ' εἰ μὴ πείσει* scribi et parenthetice haec dici voluit, ut coniungerentur verba *ἐπίβα τὰς καλλιφθόγγους ᾠδάς*, transitiva scilicet verbi *ἐπίβα* significatione, ut esset, quemadmodum ipse vertit, ingredi facito. Hanc opinionem, licet etiam Bothio probatam, refutare non opus est. Qui autem *αἱμάξω σ' εἰ μὴ παύσεις τὰς καλλιφθόγγους ᾠδάς* scribi voluit, Kirchhoffius credidisse videtur cantum maxime cygni molestum Ioni fuisse, id quod absonum esse censor illius recte monuit, in Jahn. Annal. philol. LXXV p. 464. Quod autem is ipse coniecit, *αἰάξεις — τὰς καλλ. ᾠδάς*, etsi non ineptum, certe tamen supervacaneum est. Licebat profecto poetae etiam *αἱμάξεις* usurpare, ut cygnum cantus suos sanguine mixtos editurum significaret, quum praesertim pervagata apud veteres opinio sit, cygnos moribundos potissimum cantare solere. Itaque qui vulneratus ac moriens una cum cantu etiam sanguinem gutture fundit, potuit haud dubie cruentare cantum et sanguine miscere dici, neque id magis mire dictum est, quam quod apud Ovidium legimus de Heliadibus in arbores mutatis, quibus dum loquuntur „cortex in verba novissima venit", Metam. II, 363, aut de Proteo, qui inter loquendum fluctibus mergitur „admittitque suos in verba novissima fluctus." Met. XI, 256. Neque admodum dissimile est *αἱμάσσειν πέσεα*, casus cruentare, de Oedipi filiis, qui invicem

Greifsw. Akad. Zeitschr. vol. I (1822) p. 49. Add. Oken Naturgesch. VII, 482. Lenz. Zoolog. p. 385.

cadendo et caedendo cruorem fundunt, Phoen. v. 1301, quem locum cum hoc nostro etiam ab Hartungo comparari video, ad Iphig. Taur. v. 214. — Idem Hartungus in v. 174:

μῶν ὑπὸ θριγκοὺς εὐναίας
καρφηρὰς θήσων τέκνοις,

rectius *καρφυράς* scripsisse videtur. Certe altera vocabuli forma nusquam adhuc reperta est; alteram cum $\bar{υ}$ in penultima, Hesychius saltem testatur, apud quem, quum vulgo *καρφυλαί* scriptum sit, idque apud Euripidem in Ione extare dicatur, litterarum ordinem postulare ut *καρφυραί* scribatur, iam Hermannus monuit. Significari Hesychius ait *τὰς ἐκ τῶν ξηρῶν ξύλων γινομένας κοίτας*, et paullo ante: *καρφύραι* (hoc accentu), *νοσσιαὶ θάμνοι* (scr. *νεοσσιαὶ θάμνων*), apparetque vocabulum a *κάρφος* ductum esse, ut ab *ἄγκος ἄγκυρα*, a *κέρκος κέρκυρα*, ad quorum exemplum etiam *κάρφυρα*, non *καρφύρα* aut *καρφυρά*, scribendum esse coniicias. Sunt quidem etiam adiectiva in $\overline{υ}ρος$ oxytona, sed horum pleraque cum brevi penultima, potuitque fieri, ut a poeta aliquo etiam *καρφυρός* fingeretur de pullis avium in *κάρφεσι* nutritis: quo pertinet fortasse Hesychii glossa *κάρφυροι* (*καρφυροί*?) *νεοσσοί*, nisi *καρφύριοι* scriptum fuit. Ceterum ad analogiam non minus etiam *καρφηρός* formari potuisse manifestum est; sed, ut dixi, nullum huius formae exemplum aut testimonium extat. — In proximo versu 173,

ψαλμοί σ' εἴρξουσι τόξων,

notanda est vocabuli significatio minus frequens. Eadem comparet in Herc. fur. v. 1064: *τοξήρει ψαλμῷ τοξεύσας*, verbum *ψάλλειν* autem Bacch. v. 783: *τόξων χερὶ ψάλλουσι νευράς*, et in fragmento Melanippes, *ψάλλει κενὸν τόξευμα*, de quo dixit Hermannus Opusc. V, p. 203, Welckeri coniecturam, *ἰάλλει*, redarguens. — In sequentibus versibus 174—176

οὐ πείσει; χωρῶν ἐν δίναις
ταῖς Ἀλφειοῦ παιδούργει
ἢ νάπος Ἴσθμιον.

offendit nonnullos hiatus in fine versus secundi, quem ut tollerent *παιδουργήσεις* scribi maluerunt. Atqui in huiusmodi systematis liberioribus hiatum non minus quam syllabam ancipitem in fine versuum licitum esse satis constat. Iustior offensio est in accusativis *νάπος Ἴσθμιον*, qui unde pendeant non habent. Hermannus quidem „nisi aliquid excidit“ inquit „hi accusativi construendi sunt cum par-

ticipio *χωρῶν*. Similis ratio v. 158 (156)." Sed mihi ratio haudquaquam similis esse videtur, quippe quum illo loco syllepsis agnoscenda sit, hoc autem loco non subaudiri aliud verbum e participio *χωρῶν*, sed hoc ipsum semel absolute positum, — nam *ἐν δίναις* cum *παιδούργει* cohaerere apparet, — mox autem cum accusativo constructum putare iubeamur. Id Euripidem voluisse non adducar ut credam. Kirchhoffius ex uno codice *δίναις* scripsit sine praepositione, sed constructione pariter improbabili. Nauckius *δίνας τὰς Ἀλφειοῦ*, structura quidem expeditissima, sed nulla codicum auctoritate. Quid igitur, si quis, ceteris ut vulgata sunt servatis, in postremo versu duabus litterulis additis *ἢ νάπος ἀν' Ἴσθμιον* scribendum dicat? Hoc enim non minus recte quam *ἐν δίναις* cum *παιδούργει* construi posse apparet[10]). Versiculus huius mensurae ‿́‿ ‿– ‿‿́ aptusne sit his numeris an alienus, certo diiudicari tum demum poterit, si de universa huius cantici compositione rhythmica, inde a v. 154, satis constiterit, de qua alios aliter iudicare video et posthac quoque iudicaturos esse scio. Illud quidem neminem fugit, versuum aliquot similium paribus intervallis repetitionem facile strophicae descriptionis suspicionem movere posse, et Hartungus, ut est vir fortis, facillimo negotio partim additis partim deletis partim mutatis paucis quibusdam vocabulis tolerabilem quandam responsionem strophicam effecit[11]). Qui autem minus forti animo sunt, audire fortasse malent prudentem Hermanni de huiusmodi locis admonitionem, Elem. doctr. metr. p. 747. Et eos quoque, qui paucis abhinc annis librum haud sane contemnendum de Graecorum arte metrica scripserunt, Rossbachium et Westphalium p. 124, de antistrophica huius partis compositione dubitare video.

Haec hactenus. Iam vero id agamus, cuius causa hoc programma nobis scribendum fuit.

---

10) Conf. Pindar. Isthm. VII (VIII), 135 (63): *ὃς Ἴσθμιον ἂν νάπος Δωρίων ἔλαχε σελίνων*. Eadem praepositio restituenda videtur Pyth. V, 107 (76), ubi pro eo quod vulgo scribitur: *Ἄπολλον τεᾷ, | Καρνῆϊ', ἐν δαιτὶ σεβίζομεν | Κυράνας ἀγακτιμέναν πόλιν*, scribendum conficio: *Ἄπολλον, τεὰ | Καρνῆϊ' ἐν δαιτὶ σεβίζομεν | Κυράνας ἀν' εὐκτιμέναν πόλιν*. Rectius festum dei epulis religiose celebrari (*σεβίζεσθαι*) dicitur, quam urbs, neque *ἀγακτίμενος* epitheton aut alibi usurpatum aut ipsum per se valde probabile est. Brevem dochmii exitum (*τεά*) tuebitur eiusdem carminis versus 35.

11) Turbatum in his versibus metrum etiam antiquioribus quibusdam criticis visum esse annotationes demonstrant in codd. adscriptae, apud Fixium.

Indicimus igitur Regis Augustissimi natalicia die crastino hora XI in auditorio maximo ab universitate nostra celebranda, omnesque, quicunque rebus nostris favent, magistratus regios et urbicos, civiles et militares, omnesque omnium ordinum cives atque hospites ut coetui nostro frequentes adesse velint qua decet observantia invitamus.

Dabamus Gryphiswaldiae prid. Id. Octob. MDCCCLX.

SCHOLIA IN EURIPIDIS IONEM. PART. III.

Enarrationem Ionis Euripideae duabus superiorum annorum scriptionibus inchoatam persequi hoc tempore placuit, quumque de prologo et de cantico primo dixerimus, sequitur iam ut chori parodum interpretemur, quae est a v. 187 ad v. 247. — Componitur autem chorus ancillis Creusae aut duodecim aut quindecim — nam de numero non constat — heram Delphos comitatis eiusque permissu ad visendum templum ante ipsam progressis. Peragrata igitur aliqua urbis parte, conspectisque ibi et aedibus aliquot sacris et aris vialibus, nunc, quum in magni templi consaeptum pervenerint, et huius aspectu motae et eorum quae inter eundum passim viderant recordatae, haec omnia illis, quae in patria urbe Athenis essent, pulchritudine et splendore haudquaquam inferiora sibi visa esse profitentur.

Οὐκ ἐν ταῖς ζαθέαις Ἀθή-
ναις εὐκίονες ἦσαν αὐ-
λαὶ θεῶν μόνον οὐδ' ἀγυι-
άτιδες θεραπεῖαι,
ἀλλὰ καὶ παρὰ Λοξίᾳ
τῷ Λατοῦς διδύμων προσώ-
πων καλλιβλέφαρον φῶς.

In priore membro praecipuam vim esse in epitheto *εὐκίονες* neminem fallere potest: neque enim id memorabile his mulieribus videri potuit, quod aedes deorum, ut Athenis, sic etiam Delphis essent, sed hoc tantum, quod pulchritudinem aedium non minorem esse viderent. Quamquam hanc ipsam pulchritudinis commemorationem convenientiorem aliquis dixerit ei tempori, quo fabulam docuit Euripides, quam quo res gesta esse fingitur, siquidem prisco illo saeculo neque Athenis

neque alibi in Graecia ullam memorabilem templorum pulchritudinem fuisse certissimum est. Sed datur nimirum haec venia poetis, ut tempora confundant et summae antiquitatis imaginem ad quandam suae aetatis similitudinem componant. — Ἀγυιάτιδας θεραπείας veteres interpretes, hunc ipsum locum respicientes, aras viales esse aiunt Apollini ἀγυιεῖ consecratas, τοὺς πρὸ τῶν θυρῶν βωμούς, οἳ πρὸς χάριν ἀγυιέως Ἀπόλλωνος ἵδρυντο [1]), quales aras, ut Athenis, sic etiam Delphis passim positas et a mulieribus, dum ad templum Apollinis pergunt, conspectas fuisse consentaneum est. Dissentire tamen videtur Welckerus [2]), qui, si recte mentem viri praestantissimi assequor, ἀγυιάτιδας θεραπείας non de his aris vialibus, sed de imaginibus intelligi vult in templi fastigio conspicuis. „Agyieo" inquit, „introitus deo honor habetur omni introitus ornamento: imagines autem in fastigio supra introitum positae magnum honorem indicant." Atqui non intelligo tamen, qua ratione illae imagines ἀγυιάτιδες dici potuerint, quae, licet conspici fortasse de via possent, non tamen ipsae in via erant, et, si quis forte illud epitheton propterea positum dicat, quod Apollo, cuius in templi fastigio hae imagines conspicerentur, etiam Ἀγυιεύς esset, permirum profecto et prorsus incredibile est, ab hoc eius cognomine nunc Delphici templi imagines appellari, quod nullo modo ad tutelare viarum numen, sed ad fatidicum oraculi praesidem pertinebat. Huc accedit, quod in hac parte orationis chorus nondum de Delphis, sed de Athenis tantum loquitur. An igitur Athenis quoque ἀγυιάτιδες θεραπεῖαι erant imagines in fastigio templi Apollinis? — Apparet, opinor, non deserendam fuisse veterum interpretum auctoritatem; sed offendat tamen fortasse aliquem, quod sic deesse aliquid ad concinnitatem comparationis videat. Nam quum in priore membro, ubi de Athenis sermo est, duo genera sacrorum commemorentur, templa deorum columnis ornata et arae viales, in altero, ubi cum Athenis Delphi comparantur, non item duo sunt, sed unum modo διδύμων προσώπων καλλιβλέφαρον φῶς, quae verba quamvis aliquid luminis designent, hoc ipsum tamen quid sit non satis elucet. Nam recentissimus quidem interpres Hartungus Apollinem eiusque sororem Dianam significari autu-

1) Eustath. ad. Il. II, 12 p. 166, 24. Hesych. s. v. ἀγυιάτιδες. Lex. Seguer. p. 340. 20.

2) Alte Denkmale 1 p. 166.

mat, quorum imagines pro foribus aedium alteram dextram alteram sinistram fuisse statuit, scilicet ut sic illud καλλιβλέφαρον φῶς apud Delphos respondeat quodammodo Athenarum ἀγυιάτισι θεραπείαις. Atqui has quidem omnes unius Apollinis fuisse testantur, neque simulacra dei, sed columellas tantum [3]) pro foribus collocatas fuisse docent, in quas illud καλλιβλέφαρον φῶς nullo modo quadrare apparet. Neque ulla causa est, cur Delphis rem se aliter habuisse, statuasque non modo Apollinis sed etiam Dianae Agyiatidis pro foribus aedium positas fuisse credamus. Nihilo probabilior est Hermanni opinio, qui item statuas intelligi vult, quarum unam Latonae fuisse coniicit propter v. 434, de altera nihil pronuntiat. Sed quaecunque fuisse statuatur, ineptissimam hanc comparationem esse fatebimur, quae quum ex altera parte templa deorum et aras viales posuerit, his ex altera nihil praeter duarum dearum simulacra opponat. Verissime dudum Musgravius eumque secutus Matthiaeus binas templorum facies designari censuerunt, sive bina fastigia imaginibus ornata, quam interpretationem Welckerus, Fixius aliique merito probarunt. Nam quum πρόσωπον de cuiusvis rei facie dicatur, quae adspectui prima offertur, (velut apud Pindarum Pyth. VI, 16 etiam carminis introitus πρόσωπον est), aptissime aedium frontispicium, ut hodie loquimur, sic appellari posse apparet, appellaturque a Pindaro, Ol. VI, 4, ubi, posteaquam carminis compositionem cum aedificii structura comparavit, πρόσωπον, inquit, χρὴ θέμεν τηλαυγές. Simili translatione navium proras πρόσωπα dici Eustathius observavit ad Il. II, 637 p. 308, 21, nec diversi generis est quum etiam μέτωπον de aedificiorum facie dicitur, velut apud Herod. II, 124 de pyramidibus. Delphis autem non modo magni templi Apollinis, de quo Pausaniam testem habemus, sed aliorum quoque bina fastigia imaginibus varie ornata fuisse credibile est: nam illius quidem utrumque fastigium a choro conspici non potuisse ex iis quae mox dicentur manifestum fiet; alia autem inter eundum viderat, unde etiam de illo, cuius nunc faciem conspicit, coniecturam facere licebat. — Sic igitur de sensu verborum dubitari non potest, nec praetermissas in altero comparationis membro aras viales, quarum in priore mentio facta est, quemquam aut miraturum magnopere aut aegre laturum speramus. De lectione hoc unum adnotamus, in codicibus scriptum esse ἀλλά γε καὶ παρὰ Λοξίᾳ, cum basi dactylica, quae licet ferri possit, hoc ta-

3) Cf. Wieseler in Annal. dell' instit. di corr. arch. 30 (1858) p. 222 ff.

men loco minus probabilis videtur, non modo propter antistrophum v. 202, sed etiam propter insolitam collocationem particulae expletivae, quam alias semper uno aut pluribus vocabulis interpositis ab ἀλλά diremptam videas. Nam quod unum diversi generis exemplum ab Hartungo, de part. 1 p. 411, affertur, Theocr. V, 22: ἀλλά γέ τοι διαείσομαι, dubitari non potest quin ἀλλ' ἄγε scribendum sit cum codice Vaticano. Nostro autem loco particulam, utpote a metrico minus perito additam, Hermannus merito delevit, eumque ceteri editores secuti sunt. Ceterum ne illud quidem silentio praetermittendum videtur, quod in priore membro οὐκ — ἦσαν dicitur non addita particula ἄρα, quam in huiusmodi enuntiationibus vulgo addi solere notissimum est. Vis particulae haec est, ut colligi rem et intelligi designet praesenti experientia: eaque res si est eiusmodi, quam non nunc primum existere, sed fuisse iam ante quam cognosceretur appareat, recte praeterito verbi tempore designatur, ut iure mireris Barnesium εἰσίν hoc loco pro ἦσαν proponentem.

Sequitur deinceps imaginum, quae maxime oculos mulierum in se converterunt, designatio; ubinam autem hae imagines et quales fuisse putandae sint, non liquet. Musgravius quidem cum Tyrwhitto picturas fuisse vult non in templo sed in porticu propinqua: idque etiam eo probari censet, „quod mox mulieres Ionem alloquentes, v. 224, τὸν παρὰ ναόν dicunt, tanquam oculos prius non in templo contemplando, sed in alio aliquo spectaculo occupatos habuerint.“ Admonet praeterea eius porticus, quam Athenienses circa initium belli Peloponnesiaci devictis a Phormione Lacedaemoniis, quod accidit Ol. 87, 4, Delphis dedicarunt. „Eam igitur porticum“, inquit, „quidni Euripides per prolepsin depinxerit?“ De porticu etiam Boeckhius cogitavit in iuvenili quidem sed Boeckhii iuvenis opere de graecae tragoediae principibus p. 191; quamquam quod ibi rem agi in porticu, idque ex v. 184, ubi εὐκίονες αὐλαί sunt, manifestum fieri ait, non assequor. Eandem porticum Herrmannus describi credit, imagines autem vel pictas fuisse in parietibus tabulas, vel figuras scalpendo in lapide expressas. Hartungus denique, cui item porticus olim placuerat, Eurip. restit. I p. 80 sq., in editione fabulae mutavit sententiam: nam de tribus quae designantur imaginibus duas in fastigio templi ex lapide sculptas, unam in pariete post columnas pronai pictam fuisse vult, quod cur incredibile sit non opus est exponere. Neque magis Genellium morabimur,

cui textiles picturae fuisse videbantur in hyposcenio suspensae[4], scilicet quo commodius propiusque a mulieribus in orchestra versantibus spectari possent. Sed plurimum apud nos valet Welckeri auctoritas, imagines illas in metopis templi fuisse iudicantis: quam sententiam etiam O. Müllero quondam placuisse[5]) aliisque compluribus probatam esse videmus. Non diffitemur tamen re accuratius perpensa nonnihil dubitationis nobis iniectum esse. Primum enim si quaerimus, cur in metopis potius quam in fastigio, loco magis conspicuo et qui multo prius spectantium oculos advertere debuisse videatur, imagines illas collocatas fuisse dicant, Pausaniae testimonium proferunt, qui in fastigiis templi Delphici alias quasdam ab his quas Euripides designavit plane diversas imagines fuisse docet, Atticorum artificum, Praxiae et Androsthenis Euripidis aequalium opera. Scilicet non licuisse poetae diversam ab hac, quae ipsius tempore erat, faciem antiquo illi fabulosae aetatis templo tribuere. Hanc igitur ob causam, quum fastigium templi aliis imaginibus occupatum videant, his Euripideis locum in metopis liberum assignarunt, in quibus fuerintne imagines et quaenam fuerint, neque Pausanias neque alius quisquam memoriae prodidit. Sed istam causam equidem iusto leviorem esse puto. Quamvis enim potuisse fieri concedam, ut poeta auditores imaginum ipsis non ignotarum commemoratione delectare vellet, tamen neque necessario sic eum fecisse consequitur, et, si maxime fecerit, rursus haudquaquam necessario illas tantum imagines ab eo commemorari debuisse arbitror, quae in templo extarent, et in metopis quidem templi, hoc est in intertigniis, quae minus certe quam fastigium eminerent, ut miretur aliquis, harum prius quam illius imagines a spectantibus animadversas esse, quum praesertim de iis tantum metopis cogitari posse videatur, quae in anteriore templi parte ideoque sub ipso fastigio essent, cuius aspectus quin multo insignior fuerit haud facile quisquam dubitet. Fuerunt quidem, qui in scena, quum ageretur haec fabula, non rectam sed obliquam aut semiobliquam templi faciem repraesentatam esse vellent[6]), quo minus scilicet fastigii aspectus metopis officeret, et imaginibus, iis praesertim, quae ad pugnam gigantum pertinerent, aliquanto plus spatii daretur. Nempe hi pro certo acceperunt, id quod incertissimum est, non posse

4) Das Theater zu Athen p. 71.
5) In censura editionis Hermannianae. Vid. Kleine Schr. I p. 264.
6) Schönborn, Die Skene der Alten p. 177 sq.

de aliis quam metoparum imaginibus cogitari, quum ne hoc quidem satis constet, fuisse omnino Delphici templi metopas hoc genere imaginum ornatas. Nam Pausanias de fastigiis tantum refert, metoparum nullam mentionem facit. Me autem quo minus de metopis cogitandum putem etiam haec chori verba dehortantur, quae sunt v. 209, πάντᾳ τοι βλέφαρον διώκω. Nam in omnes partes oculos convertere is demum recte dici posse videtur, qui res diversis locis positas intuiturus oculos modo in hanc modo in aliam partem dirigere debet; metoparum autem imagines una serie positas contemplantem oculos quoque in eandem regionem intendere, non in diversas partes circumferre necesse est. Iam vero si quis me demonstrare postulet, ubinam imagines illae fuerint, plus postulet, quam in huiusmodi re et in hac scenicarum antiquitatum obscuritate et incertitudine praestari aut a me aut a quoquam potest. Sed si hariolari libeat, ad porticus fortasse aliquis confugiat, alteram in dextra, alteram in sinistra proscenii parte repraesentatam, quales utrum re vera prope Delphicum templum fuerint an a poeta tantum ibi collocatae sint, supervacaneum est quaerere: nisi quis forte licuisse poetis neget, quum res fabulosas proponerent, locorum quoque faciem, eam certe quam non eandem omni tempore fuisse constaret, ad fabulae cuiusque argumentum et consilium accomodare. Ceterum in hac Ionis fabula eam quidem loci speciem, quam ipsa natura, non hominum manus effecerant, etiam in scena quantum fieri potuerit repraesentatam esse non dubito; sed illud quantum potuerit iis definiendum relinquo, qui in hoc rerum genere plus quam sciri a nobis potest, sese tamen scire opinantur. Ego quidem ea tantum proponam, quae partim ex nota theatri structura partim ex aliquot in hac fabula indiciis satis certo colligi posse videntur, dudumque etiam ab aliis proposita sunt [7]). Igitur in scena proprie dicta pronaus templi repraesentatus erat cum columnis et aëtomate; num quid aliud praeter pronaum, nescio: nam qui obliquum aut semiobliquum templi aspectum fuisse volunt, ut latus quoque spectantibus offerretur, nihil nisi praeiudicatam de metopis opinionem sequuntur, qui autem etiam convalles quasdam atque laureta addiderunt, praeter necessitatem liberales sunt. Sed in parasceniis — si licet hoc nomine uti de duabus proscenii parietibus, in quibus periactae erant, — aut porticus duas aut alia quae-

7) Cf. Wieseler, in Annal. phil. et paed. vol. 75 (1857) p. 676. et Geppert, d. altgriech. Bühne p. 147.

dam aedificia imaginibus ornata fuisse, atque has a choro spectatas esse, licet pro certo affirmare nolim, perquam tamen probabile arbitror. Ipsius autem proscenii pars interior aut unam aut etiam plures aras habebat eratque fortasse etiam cancellis saepta, quos transgredi nisi sacrificantibus non licebat. Exterior proscenii pars orchestrae imminens, pulpitum sive λογεῖον, etiam aliis patebat, in eaque mox Creusam cum Ione colloquentem videbimus. Chorum quoque huc ascendere nihil opus erat: nam conspicere vel templum vel porticus templo propinquas etiam ex orchestra poterat, quae licet aliquot pedes infra pulpitum depressa, tantum tamen elevata esse debebat, ut neque colloquendi cum personis in pulpito versantibus neque videndi quidquid in proscenio esset facultas choro adimeretur.

Progressus in orchestram chorus et ad proscenium conversus primam conspicit imaginem Herculis hydram Lernaeam interimentis. Ἰδού, inquit una mulierum

Ἰδού, τάνδ᾽ ἄθρησον·
Λερναῖον ὕδραν ἐναίρει
χρυσέαις ἅρπαις ὁ Διὸς παῖς·
Φίλα, πρόσιδ᾽ ὄσσοις.

Fabulam hanc de Herculis cum hydra certamine in iis argumentis fuisse, quae aut in porticu Delphis ab Atheniensibus consecrata extarent, aut in peplo Minervae pingi aut intexi solerent, eamque eius commemorandae hoc loco causam Euripidi fuisse, quod Boeckhio visum est, de gr. trag. princ. p. 201, nec negare nobis nec affirmare in animo est: idemque etiam de ceteris imaginibus dictum volumus, quae mox designantur. Sed Λερναῖον cur hydram, non Λερναίαν mulieres dicant, causa aperta est, dixeruntque de omni hoc genere formarum masculinarum pro femininis vel propter euphoniam vel propter numeros a poetis usurpartarum Lobeckius ad Soph. Aiac. v. 224 p. 174 aliique complures, quibus nunc quidem nihil addi opus est. Propter similem causam autem etiam paullo post χρυσέαις ἅρπαις, plurali numero pro singulari, poetam dixisse apparet, quemadmodum Sophocles Aiacem pecudes κελαινοῖς ξίφεσιν, non κελαινῷ ξίφει, obtruncasse dicit, aliisque locis non paucis hanc numeri enallagen, praesertim in armorum et instrumentorum nominibus, a poetis usurpari videmus, sive fortuito sive occulta quadam ratione, ut Lobeckius ait ad S. Aiac. v. 231. Atque in illo quidem Sophoclis versiculo pluralem aliquis non modo propter metri necessitatem ascitum suspicetur, sed etiam ad

significandam ictuum crebritatem, qua unus ensis quasi multiplicatus videri posset; vereor tamen magnopere, nec haec ratio argutior quam verior dicenda sit. Nostro certe loco eam adhiberi non posse manifestum est, quum in imagine crebritas ictuum monstrari nullo modo potuerit. — Aureum ensem, in humanis proeliis inutilem, nunc divino heroi tributum non magis mirabimur, quam aureum Iovis bidentem, Apollinis et Dianae arcum et sagittas, aliasque res deorum plurimas, quas non inauratas aut ornatas tantum auro cogitari fas est, sed totas ex auro factas, divino illo quidem et ab hoc, quo nos mortales utimur, non minus quam ipsos deos immortales ab hominibus diverso. Harpe autem (nam utuntur hoc nomine etiam latini poetae) qua forma fuerit, planissime docet Achilles Tatius III, 7, ubi Perseus describitur belluam marinam, cui Andromeda exposita fuerat, obtruncans: *ὥπλισται τὴν δεξιὰν διφυεῖ σιδήρῳ εἰς δρέπανον καὶ ξίφος ἐσχισμένῳ· ἄρχεται μὲν γὰρ ἡ κώπη κάτωθεν ἀμφοῖν ἐκ μιᾶς, καί ἐστιν ἐφ᾽ ἡμίσει τοῦ σιδήρου ξίφος, ἐντεῦθεν δὲ ἀπορραγὲν τὸ μὲν ὀξύνεται, τὸ δὲ ἐπικάμπτεται· καὶ τὸ μὲν ἀπωξυσμένον μένει ξίφος ὡς ἤρξατο, τὸ δὲ καμπτόμενον δρέπανον γίνεται, ἵνα μιᾷ πληγῇ τὸ μὲν ἐρείδῃ τὴν σφαγήν, τὸ δὲ κρατῇ τὴν τομήν.* Erat igitur harpe ensis falcatus, h. e. bifida lamina instructus, partim directa, partim in falcis modum incurva, unde non mirum in theogonia promiscue *ἅρπην* et *δρέπανον* dici, v. 162. 175. 179; usumque eius magis apud barbaros quam apud Graecos frequentatum fuisse constat: nam apud hos vix memoratur praeterquam in fabulis de Saturno Caelum patrem castrante, de Iove Typhoeum debellante [8]), de Mercurio Argum interimente, de Perseo Medusam belluamque marinam, cui Andromeda exposita fuerat, interimente, denique de Hercule in hoc cum hydra certamine, quae res documento esse potest, quo tempore hae fabulae nascerentur non infrequentem harpae usum apud Graecos fuisse adhuc fortasse in Asia habitantes necdum in Graeciam transgressos et a cognatis Asianis discretos. Nam haud exiguam fabularis historiae partem origines habere hac Graecorum in Europam migratione priores neminem fugere potest: nec mirabimur propterea tam multa in iis communia Graecis cum populis Asianis esse, quae omnia qui posteriore demum aetate ex oriente in Graeciam translata putant, minus circumspecte iudicare videntur. Sed de his disputare non est huius loci: de

8) Apud Appollodor. I, 6, 3, 7.

harpe tantum dicimus, nomen eius licet eiusdem stirpis esse videatur, cuius sunt ἁρπάζω et ἅρπυια, comparari tamen posse etiam cum semitica voce chereb v. hereb, qua ensem apud Hebraeos designari Ahlwardtus noster me admonuit. Macedones γόρπην dixisse perhibentur [9]). — Ceterum in vulgata horum versiculorum lectione offendit nonnullos pronomen τάνδε, quippe quum Herculem potius quam hydram demonstrandum fuisse iudicarent: nam Barnesium γραφήν subaudiri posse ratum quis audiet? Nobis tamen non nimis incredibile videtur, hydrae speciem, utpote maxime insolitam et terribilem, mulierum oculos primum advertisse. Bothius τᾷδε scribendum suasit; atqui nullum huius formae, localis adverbii sensu pro τῇδε usurpatae, apud tragicos exemplum extare arbitror, et ne apud Theocritum quidem τᾷδε sed τεῖδε verum videtur. Cf. Ahrens. de dial. dor. p. 362. De constructione verborum dubitari potest, quum duo sint imperativi, ab utro eorum accusativus τάνδε pendeat. Ego quid sentiam interpunctione indicavi: qui aliter sentiunt, non certe ἰδού, sed ἰδοῦ scribere debebant, si quidem technicorum praecepto fides habenda est. Vid. Arcad. p. 183, 25.

Contemplantes imaginem mulieres etiam Iolaum animadvertunt Herculis in illo cum hydra certamine socium. Hinc una:

Ὁρῶ· καὶ πέλας ἄλλος αὐ-
τοῦ πανὸν πυρίφλεκτον αἴ-
ρει τις· ἆρ᾽ ὃς ἐμαῖσι μυ-
θεύεται παρὰ πήναις,
ἀσπιστὰς Ἰόλαος, ὃς
κοινοὺς αἰρόμενος πόνους
Δίῳ παιδὶ συναντλεῖ;

Facem Iolaus gestat truncata hydrae colla exusturus: nam quum multa essent monstri capita, — numerantur enim aut novem aut quinquaginta aut centum, — quumque pro singulis ab Hercule excisis bina renascerentur, sisti hoc malum illa una ratione poterat. De significatione notissimae fabulae dici hoc loco nihil opus est; quod autem Musgravius, ad v. 218 (221), ardentem facem itidem ut auream harpen, et mox v. 205 Chimaerae igneos halitus Iovisque fulmen coruscum v. 215 in sculptis imaginibus exprimi potuisse negat, ideoque de picturis tantum cogitari voluit: fugiebat scilicet virum doctissimum apud veteres

9) Cf. Christ, gr. Lautlehre p. 87. Ceterum cf. Kühn in KZ. IV, 22. et impr. Corssen, Beitr. p. 32.

etiam sculptorum opera non raro colorum varietate distincta fuisse, de quo more archaeologi nostri quantum satis erat disputarunt. De vocabulo *πανός* dixit Athenaeus XV, 60 p. 70, proprie sic *τὸ διακεκομμένον ξύλον καὶ συνδεδεμένον* appellari docens, scilicet quo accenso pro face utebantur. Alios Blomfieldus citat in gloss. ad Aesch. Ag. v. 275: apud Athenaeum praeter alios poetarum locos etiam hunc Euripidis versiculum laudatum fuisse videmus: nam in his quae nunc leguntur: *πρότερος δὲ τούτων Αἰσχύλος ἐν Ἀγαμέμνονι μέμνηται τοῦ πανοῦ — — — ἐν Ἴωνι*, excidisse Euripidis nomen apparet. — Non ignotum sibi Iolaum mulieres esse significant, quum dicunt *ἆρ' ὃς ἐμαῖσι μυθεύεται παρὰ πήναις*, h. e. de quo inter texendum confabulari solemus. Nam quum fila — haec enim sunt *πῆναι* — texendo conserantur, potuit *παρὰ πήναις* pro *παρ' ὑφάσμασι* dici, similique metonymia infra v. 521 *ἐπὶ κερκίσι* dicitur, instrumenti nomine ad ipsum opus translato. In opere faciendo autem mulierculas olim non minus quam hodie confabulari inter se solitas esse nemo testimoniis sibi demonstrari postulabit, nec mirabitur argumenta confabulationis ex heroum et deorum rebus gestis petita, qualia significantur etiam in epigrammate, Corp. inscr. no. 2236 et Anthol. Palat. append. no. 137, ubi vetulae Coae textricis verba sunt *ὦ γλυκὺς ὄρθρος, πρὸς λύχνον ᾧ μύθους ᾔδομεν ἡμιθέων*. Has autem Atticas mulieres inter texendum de hoc genere fabularum aut colloquentes aut canentes eo minus mirabimur, si eas in peplo Minervae apparando occupatas fuisse sumimus. Nam in peplo panathenaico multa fabularum argumenta intexi solita esse constat, in quibus etiam Herculis cum hydra certamen fuisse facile Boeckhio l. l. p. 201 credimus. Neque illud incredibile est, quamvis pepli illius textrices, quae *ἐργαστῖναι* dicebantur, itidem ut *ἀρρηφόρους*, quae initium operis faciebant, ex nobilioribus tantum mulieribus sumptas esse consentaneum sit, tamen etiam ancillas, regias praesertim, operi admotas esse. Certe apud Euripidem etiam in Hecuba v. 466 Troianae captivae si forte Athenas in servitutem deducantur, fore praesagiunt ut peplo Minervae texendo adhibeantur.

Sequitur iam v. 205 alterius imaginis contemplatio.

Καὶ μὰν τόνδ' ἄθρησον
πτεροῦντος ἔφεδρον ἵππου·
τὰν πῦρ πνέουσαν ἐναίρει
τρισώματον ἀλκάν.

Bellerophontem designari videmus Pegaso insidentem, quem aut a dis, praesertim a Minerva, commodatum accepisse aut ipse domuisse perhibebatur. Huic igitur insidens Chimaeram obtruncat tricorporem, πρόσθε λέοντ' ὄπιθεν δὲ δράκοντα μέσσην δὲ χίμαιραν, ut est apud Homerum et in Theogonia. Ad locutionem apte Musgravius comparavit Herc. fur. v. 179, ubi Centauri τετρασκελὲς ὕβρισμα vocantur. In eadem fabula v. 423 τρισώματος βοτὴρ Geryoneus dicitur propter tria corpora, sed v. 1271 τρισώματοι Τυφῶνες ab Hercule domiti quinam intelligendi sint quaerere hoc loco nihil attinet.

De proximis verbis, παντᾷ τοι βλέφαρον διώκω, iam supra dictum est, colligi ex iis posse imaginum loca non propinqua inter se sed satis diversa fuisse. Διώκειν de celeri motu, ut nunc oculorum sic alibi pedum dicitur, velut Orest. v. 1344: ἰδοὺ διώκω τὸν ἐμὸν ἐς δόμους πόδα. Cf. Aesch. Eum. v. 381. Sept. v. 90 et 367. — Conversis igitur in aliam partem oculis gigantum pugnam mulieres conspiciunt: κλόνον ἐν τείχεσι λαΐνοισι Γιγάντων. Sed hoc ἐν τείχεσι non modo propter mensuram sed etiam propter significationem scribi ab Euripide non potuit: nam nec templorum nec porticuum aliorumve aedificiorum parietes τείχη dicuntur. Musgravius ἐν πτυχαῖσι coniecit, eamque coniecturam quum alii probarunt, tum nuperi duo editores Hartungus et Badhamus, quorum alter etiam Hesychium, iam a Musgravio citatum, sic legisse vult, qui quum scripserit πτυχαί· στοαί, περιβολαί, hunc ipsum Euripidis locum respexisse videatur. Atqui hoc ipsum περιβολαί vix dubitari sinit, quin στολαί, non στοαί, legendum sit: significantur scilicet vestes sinuosae. Quae autem praeterea a Musgravio afferuntur, partim plane nihil ad rem pertinent, partim non satis certe ad persuadendum apta sunt. Nam apud Euripidem in Iph. Taur. v. 9, ubi sunt Αὐλίδος πτυχαί, rectius convallem aut sinum ac recessum quam, quod ille voluit, περίβολον designari dicemus, itemque apud Homerum XI, 78, κατὰ πτύχας Οὐλύμποιο, et XX, 22, πτυχὶ Οὐλύμποιο, de vallibus et recessibus montis interpretabimur, unde etiam πολύπτυχος dicitur. Et est omnino haec vocis πτύξ aut πτυχή significatio non infrequens neque dubia, utpote a propria significatione, qua plicam designat — ut πτύσσειν plicare — facile traducta. Plicandi autem et plectendi notiones quam affines sint vel vocum sonus monere potest, exposuitque Doederlinus, Synonym. IV p. 279. Ita quum περιπτύσσειν sit amplecti, hinc factum nomen περιπτυχαί etiam muros, qui oppida, parietes, qui

domos aliaque aedificia amplectuntur, designare potest, ut apud Eurip. Phoen. v. 1361 et Aristoph. Av. v. 1341. Sed eodem sensu etiam simplex *πτυχάς* dici potuisse non consequitur. Nam in Eurip. fragm. ap. Clement. Alex. Strom. V p. 691 Pott.:

ποῖος δ' ἂν οἶκος τεκτόνων πλασθεὶς ὕπο
δέμας τὸ θεῖον περιβάλοι τοίχων πτυχαῖς;

sensum vocabuli praeter genitivum *τοίχων* etiam verbum *περιβάλοι* explanat, ut *πτυχὰς τοίχων* propterea dici appareat, quod ea, quae intus sunt, complectuntur et includunt, poteruntque, quae sic includuntur et circumdantur parietibus, *ἐν πτυχαῖς* esse dici, si quales *πτυχαί* intelligendae sint aut ex addito genitivo, velut *τοίχων*, aut ex universo contextu patet: imagines autem non circumdatae et inclusae parietibus, sed in parietibus ad spectandum expositae, non video qua ratione *ἐν πτυχαῖς* esse dicantur. Assentior igitur Hermanno Musgravii coniecturam repudianti; quod autem ab ipso propositum est, *ἐν τυκαῖσι*, licet a multis probatum videam, perquam tamen lubricum esse iudico vocem inauditam et nullo testimonio firmatam asciscere. Alios *ἐν τύποισι* coniecisse video, ad rem non male, minus tamen probabiliter, siquidem vix credibile est illam vocem a librariis in *τείχεσι* corrumpi potuisse. Facilius *τοίχοισι* sic mutari potuit, quod quo minus asciscendum suadeam nihil obstat nisi quod in antistrophico versu 225 iambus, non spondeus choriambum excipit. Quamquam huiusmodi inaequalitate, in hac praesertim fabula, quam paullo negligentius scriptam esse etiam aliis multis indiciis patet, equidem me non nimis offendi fateor. — Magis offendit inaequalitas in proximo versiculo *ὧδε δερκόμεθ' ὦ φίλαι*, qui antistrophico, 228, *οὐδ' ἂν ἐκ σέθεν ἂν πυθοίμαν*, una syllaba brevior est. Nec tamen scio, an haec quoque toleranda sit non minus quam interpellata per Ionis verba continuitas antistrophae. Quod a nonnullis post *ὦ φίλαι* additur, *δή*, per se ipsum quidem non ineptum est: poterant enim demonstrativa particula mulieres uti, quo id quod iussae erant sese iam facere ostenderent; insolita autem est collocatio post vocativum, quum vis particulae non ad hunc, sed ad *ὧδε* aut ad *δερκόμεθα* pertineat. Igitur si versiculus utique antistrophico exaequandus est, vide ne scribi possit *ὦ φίλισται*. Ipsa haec rarior superlativi forma mutandi causam praebere potuit. Sed ut comparativus *φιλίων* apud Homerum, Od. XIX, 351. XXIV, 267, sic apud Sophoclem Aj. v. 841, superlativus ille legitur:

πρὸς τῶν φιλίστων ἐκγόνων ὀλοίατο. qui versus, licet fortasse non sine causa a criticis quibusdam in suspicionem vocatus, sine dubio tamen a vetere quodam non indocto interpolatore insertus videri debebit. Et afferunt eum veteres quidam grammatici, superlativi forma non offensi. Vid. Lobeck. comm. p. 371.

In gigantum pugna mulieres primum Minervam animadvertunt Encelado imminentem.

Λεύσσεις οὖν ἐπ' Ἐγκελάδῳ
γωργωπὸν πάλλουσαν ἴτυν;

Sic enim in codicibus legitur, non *γοργῶπιν*, quod cur a Nauckio scriptum sit nescio. Nam subiectum quidem participii non facile quisquam in hoc loco desideraverit. An movit eum, quod *γοργωπὸν* Minervae scutum in gigantomachia tribui non posse credidit, quoniam in hac ipsa demum pugna Gorgonem Minerva interfecisse eiusque pellem detractam non scuto sed thoraci indidisse dicitur v. 1008. 1012? Atqui *γοργωπὸν* scutum dici potuit etiamsi nullum in eo erat Gorgonium, generali significatione vocabuli, cuius exempla ubivis extant. Et si maxime quis de Gorgonio cogitandum esse contendat, discrepare quidem hunc locum cum altero fatebimur, sed incredibilem hanc discrepantiam esse negabimus, memores alterius paullo insignioris, de qua in schol. ad prolog. p. 50 dictum est. — *Ἴτυν* hoc loco aegidem esse apparet, qua concussa terrorem adversariis iniici ex Homero notum est. Vid. Il. IV, 167. XV, 230. 321. Formam eius artifices rotundi scuti similem fingere solebant. Cf. Heyn. ad Il. II, 448, et qui nuper accurate de aegide dixerunt Lud. Stephani, de Apolline boëdromio p. 33. 36., et Frid. Wieseler. d. Apoll. Stroganoff. p. 39 sq. Enceladum autem in gigantomachia Minervae adversarium fuisse plerique tradiderunt. Vid. Boeckh. l. l. p. 196.

Iam aliam gigantomachiae partem intuentes mulieres exclamant:

τί γάρ, κεραυνὸν
ἀμφίπυρον ὄβριμον ἐν Διὸς
ἐκηβόλοισι χερσίν.

Sic enim commodissime hi versiculi, quos alii aliter ordinarunt, a Nauckio et Kirchhoffio discripti videntur, rhythmo iambico, ut primus sit monometer hyperc., alter dimeter acat., tertius dimeter catalecticus. *Ἀμφίπυρον κεραυνόν* dicit, ut *φλογμὸν ἀμφίπυρον* in Hecuba v. 474, et *βρόνταν ἀμφίπυρον*, Orest. v. 559. — Agnoscunt autem mulieres etiam adversarium Iovis fulmine prostratum:

Ὁρῶ, τὸν δάιον
Μίμαντα πυρὶ καταιθαλοῖ.

Quamquam apud Apollonium Rhod. III, 1227, itemque apud Sidonium Apoll. XV, 25 et Claudianum in Gigantom. v. 85 sqq. Mimantem non Iupiter sed Mars domuisse dicitur: quod genus dissensionis in fabulosa historia frequens, nec sane mirum est. Euripides sine dubio antiquiores auctores secutus est: nam quod nomen Mimantis apud nullum superstitem hodie scriptorem Euripide priorem legitur, id quod Wieselerus monuit in doctissima dissertatione de Gigantibus, non difficilem explicatum habet. *Καταιθαλοῖ*, pro *καταφλέγει*, praesertim de fulmine, cuius solemne epitheton *αἰθαλόεις*.

Tertio loco Dionysus est:

Καὶ Βρόμιος ἄλλον ἀπολέμοι-
σι κισσίνοισι βάκτροις
ἐναίρει γᾶς τέκνων ὁ Βακχεύς.

Huius enim perinsignes in gigantomachia partes fuisse poetae memorant, unde et *γιγαντολέτης*, *γιγαντοφόνος* dicitur, et apud Euripidem (in Cyclope v. 5.) Silenus se in hac pugna eius comitem et *παρασπιστὴν* fuisse adeoque Enceladum, quem supra a Minerva debellatum vidimus, a sese interemptum gloriatur. Cognomina Dionysi *Βρόμιος*, *Βάκχος*, *Βάκχιος*, *Βακχεύς* unde ducta sint exponere non necesse est. Quam antiquus eorum usus in Graecia fuerit non liquido constat. *Βρόμιον* quidem qui dixerit ante Pindarum et Aeschylum neminem invenimus. *Βακχεῖον Διόνυσον* dixit auctor hymni in Panem, qui inter Homericos est no. XIX, v. 46; sed hunc duobus illis non certe antiquiorem haberi licet. Et inscriptio quoque arae, in Corp. Inscr. no. 38, ubi *Βρόμιος* et *Βακχεύτωρ* Dionysus appellatur, quamvis litteris vetustae formae exarata, fabricae tamen recentioris esse non immerito iudicatur. Verum tamen Aeschyli et Pindari aetate haec cognomina non iam inusitata in Graecia fuisse vel Baccharum commemoratio docet in Eumenid. v. 25: et maiorem etiam antiquitatem prodit Bacchiadarum nomen, gentis apud Corinthios nobilissimae, cuius progenitor Bacchis v. Bacchias quin a dei nomine appellatus sit, nemo facile dubitabit. Apud Naxios denique *Βακχέα Διόνυσον* a *Μειλιχίῳ* discretum, hunc ficuum, illum vini datorem habitum esse Athenaeus refert III, 14, p. 78 c.; quamquam utrum diversos hos deos an personas tantum unius dei duas esse voluerint, incertum est. Quod autem nostro loco *ἀπολέμοισι κισσίνοισι βάκτροις* gigantes pro-

strati dicuntur, apparet non mediocriter sic illustrari Bacchi virtutem, qui telis quamvis imbellibus tantum tamen valuerit. *Κίσσινα βέλη* thyrsi dicuntur in Bacch. v. 709. —

Nunc demum contemplatis his imaginibus chorus Ionem apud templum versantem conspicit appellatque:

Σέ τοι τὸν παρὰ ναὸν αὐ-
δῶ· θέμις γυάλων ὑπερ-
βῆναι λευκῷ ποδί γ' - - -;

Consentaneum est Ionem post v. 183 non eodem loco moratum, sed in alias partes digressum fingi, ut ibi quoque aves arceret. Sic igitur non mirabimur eum non prius conspectum a mulieribus, neque uti hoc argumento Musgravium debuisse fatebimur, quo probaret oculos earum adhuc plane non ad templum conversos fuisse. Nihilo minus tamen imagines, quas contemplatae sunt, utrum in templo an alibi fuerint prorsus incertum manet. — *Γύαλα*, licet alibi de significatione ambigas, velut v. 76, hoc tamen loco itidem ut v. 243 et 257 de templo accipienda esse manifestum est. Cf. schol. in prolog p. 60. Ceterum lectionem corruptam esse non modo metrum sed etiam constructio verborum arguit. Et metro quidem consulatur, si quis, inserto pronomine *μοι* verbisque transpositis, aut cum Hartungo scribat: *γυάλων ὕπερ λευκῷ μοι ποδί βῆναι*, aut etiam *γυάλων ὑπερβῆναί μοι ποδὶ λευκῷ*, quemadmodum olim ab Hermanno factum est, Elem. doctr. metr. p. 553. Sed is postea hanc mutationem ipse sprevit, intelligens, opinor, *ὑπερβῆναι*, aut etiam *βῆναι ὑπέρ*, cum genitivo eius loci, quem quis ingrediatur, construi nullo modo posse. Nam quod Fixius huius structurae exemplum attulit, Suppl. v. 1049: *τίνος χάριν δόμων ὑπερβᾶσ' ἤλθες ἐς τήνδε χθόνα;* hoc plane diversi generis esse ipse animadvertit; egressa enim, non ingressa domum mulier dicitur. Et magis etiam diversum est quod in nostra fabula v. 1321 legitur: *θριγκοῦ τοῦδ' ὑπερβάλλω ποδί*, quo praeter Fixium etiam Wieselerum usum esse miror, in Annal. philol. ann. 1857 p. 676. Nam ibi quoque non ingredi se Pythia, sed transgredi saeptum et egredi ait; *ποδί* an *πόδα* scribendum sit, nihil refert. Igitur nostro loco requiri aliquod vocabulum apparet, unde genitivus *γυάλων* pendeat. Schoenius ad Med. v. 379 scripsit *γυάλων ὑπερβῆναι εἴσω*: voluit, opinor, *ὑπερβῆναι λευκῷ ποδί μ' εἴσω*, quod utrum ipse excogitaverit an aliunde acceperit nescio. Hermannus propter litteram *γ*,

quae in codicibus post ποδί extare videtur, γραμμήν addi posse suspicabatur, non alienum id ab Euripidis tenuitate videri professus. Ego vero quid significare hoc loco γραμμή possit me non assequi fateor. Nauckius βαλόν posuit; etiam μ' οὐδόν fortasse alicui placeat propter Homeri locum Od. VIII, 80, quamquam alibi hoc vocabulum apud tragicos non usurpatum est. Denique ne μ' ἕρκος quidem ineptum dixeris, quod vocabulum apud Sophoclem Trach. v. 606 de saepto arae circumdato legitur; nec dubitari potest quin proxima templi area, in qua αἱ θυμέλαι, saepto quodam cincta fuerit, idque ipsum θριγκοῦ nomine a Pythia v. 1321 designari puto. De littera μ', quam facile cum γ' permutari potuerit, non opus est dicere. Λευκῷ ποδί non esse de nudis pedibus accipiendum recte Hermannus monuit. Est illud epitheton ex eorum numero, quibus poetae ad ornandam orationem, nulla sententiae necessitate, uti solent, quemadmodum infr. v. 905 λευκοῖς δ' ἐμφὺς καρποῖς χερῶν, Orest. 961. τιθεῖσα λευκὸν ὄνυχα διὰ παρηΐδων, ib. 1466 λευκὸν ἐμβαλοῦσα πῆχυν στέρνοις, aliisque locis plurimis.

Edoctus ab Ione chorus non licere sibi vel saeptam areae partem vel templum ipsum ingredi, quaerere pergit:

Οὐδ' ἂν ἐκ σέθεν ἂν πυθοίμαν;

in qua interrogatione repetitam particulam vix quemquem aegre laturum esse putamus praeter Hartungum.

Idem proxima Ionis verba sic conformavit:

Αὐδὰν τίνα τήνδε θέλεις;

in quibus etiamsi quis pronomen demonstrativum non ineptum esse concedat, — et posuerat id etiam Musgravius, — ipsa tamen locutio τίν' αὐδὰν θέλεις vereor ut probari possit. Nam minus late patere videtur nominis αὐδά quam verbi αὐδᾶν significatio, neque unquam αὐδάν dici arbitror eiusmodi sermonem, qualem hoc loco mulieres expetunt accuratius se de certis quibusdam rebus edoceri cupientes, sed tantum aut vocem in universum, qua quis animi sui sensa eloquatur, aut famam et rumorem de aliqua re pervagatum, ut Soph. Oed. Col. v. 240: ἔργων ἀκόντων ἀΐοντες αὐδάν. Hanc ob causam etiam veterem huius loci lectionem, οὐδ' ἂν ἐκ σέθεν ἂν πυθοίμαν αὐδάν; iure displicuisse Nauckio et Kirchhoffio censeo, qui proinde imperativum potius, αὔδα, scripserunt eumque sequentibus Ionis verbis praeposuerunt. In his ipsis autem τίνα, numero plurali pro τί

positum, constans usus loquendi respuit, et credibile est qui sic scripserunt accusativum singularis numeri esse voluisse, referendum scilicet ad αὐδάν, quod vocabulum cur ferri non possit modo exposui. Possit aliquis verum putare αὔδα, τί δὲ θέλεις; ut dochmius sit huius formae, – ⏑́ ⏑́ ⏑ ⏑ –, superiori οὐ θέμις, ὦ ξέναι – ⏑́ ⏑ ⏑́ ⏑ – respondens: nec repugnabo tamen, si quis cum Nauckio et Kirchhoffio etiam δέ particulam deleat, ut anapaesticus evadat monometer, modo ne etiam superiori illi versiculo anapaesticum rhythmum vindicet, id quod iis tantum placere potest, qui versuum numeros digitis potius quam auribus metiri consuerunt. Atque hoc idem magis etiam de v. 224 dictum volo, quo Ion mulieribus de umbilico quaerentibus, quem in templo Apollinis esse audierant, re vera eum ibi esse respondet

στέμμασί γ' ἔνδυτον· ἀμφὶ δὲ γοργόνες.

Ceterum de umbilico s. ὀμφαλῷ Delphico satis dictum est in schol. ad Prolog. p. 47; sed quaenam sint circa eum quae γοργόνες dicuntur, difficilis est quaestio Hermannum, easdem designari opinantem, quae in Pindari quodam versiculo apud Pausaniam X, 5 κηληδόνες appellantur, nec diversas has ab iis esse, quae a Strabone IX, 3, p. 419 αἱ εἰκόνες τοῦ μύθου dicuntur, dudum alii refutarunt. Hartungum autem easdem has εἰκόνας, quas ipse columbarum fuisse ait, quum aquilarum fuisse constet, ab Euripide nunc pro Gorgonum imaginibus habitas esse hariolantem, refutare supervacaneum est. Neque magis Hülsemannus audiendus est, cui γοργόνες nihil aliud nisi „in parietibus circumcirca sinuatae figurae serpentum“ videntur, aut Völkerus [10]), qui nullas omnino figuras intelligi vult, sed sacrum quendam horrorem, quo perfunderentur qui adytum adirent, scilicet tanquam Gorgonum aspectu perculsi. Subtilissimam autem rei explicationem iam ante aliquot annos a se propositam nuper Wieselerus repetiit in dissertatione de Omphalo Delphico [11]), γοργόνας hoc loco non fabulosa illa monstra esse censens, sed nihil nisi rete quoddam s velum reticulatum, quo umbilicus circumdaretur. Huiusmodi retia αἰγίδας dicta esse Harpocrationis aliorumque grammaticorum testimoniis probatur, quumque Hesychius et Zonaras γοργόνας quoque αἰγίδας appellatas esse doceant, non aegides vulgo dictas h. e. scuta cum Gorgonio, sed eadem illa retia intelligenda esse, licet pro certo affirmari nequeat

10) Geogr. myth. p. 30.

11) Annali dell' instit. di corrisp. archeol. vol. XXIX p. 175 sqq.

saltem non incredibile est. Et Wieselerus quidem etiam nomen γοργών eiusdem atque γέρρον, γέργαθος, γοργύρη stirpis esse vult, quo magis scilicet illam significationem probabilem esse evincat. Ego vero non intercedam, si quis forte eiusmodi reticulo, quo umbilicus velabatur, etiam Gorgonia intexta fuisse sumat, ad arcendos et deterrendos impios, atque hinc γοργόνων nomen repetat.

Proxima Ionis verba, quae in codicibus sic scripta sunt,

εἰ μὲν ἐθύσατε πέλανον πρὸ δόμων
καί τι πυθέσθαι χρήζετε Φοίβου,
πάριτ᾽ εἰς θυμέλας· ἐπὶ δ᾽ ἀσφάκτοις
μήλοισι δόμων μὴ πάριτ᾽ εἰς μυχόν.

non mediocrem interpreti difficultatem obiiciunt. Quid enim? accedere ad thymelas sive intrare saeptum, in quo arae sunt, ea conditione mulieres iubentur, si iam liba sacrificaverint? Ubinam igitur liba offerenda fuisse putabimus, nisi in ipsis illis aris, ad quas mulieres nondum accessisse apertum est? An alias quasdam extra saeptum aras fuisse dicemus, in quibus liba offerenda essent, thymelas autem hostiis tantum destinatas? Arriperemus hoc, licet nec aliunde compertum nec ipsum per se satis veri simile, nisi obstare videretur additum illud πρὸ δόμων, quod quum vix aliter quam de loco templi foribus subiecto accipi possit, quo loco etiam thymelas fuisse constat, quis non miretur nunc tamen diversum a thymelis locum isto modo designatum? Nam illud quidem non verendum, ne multis Musgravius persuadeat thymelas ab Ione non aras dici pro foribus collocatas, sed ipsa templi penetralia, idem igitur quod mox δόμων μυχόν, quo quum intrare mulieribus nisi mactatis hostiis non concedatur, etiam aliam non minus incredibilem interpretationem excogitavit, ne pugnaret scilicet hoc intrandi templi interdictum cum concessa paullo ante intrandi thymelas venia. Hanc ob causam πέλανον non de libo, sed de hostia intelligi vult, idque eiusmodi locis comprobari posse putat, ubi πέλανος de sanguine dicitur. At nunquam sic dicitur, nisi aut addito aliquo epitheto ad ambiguitatem tollendam apto, aut in eiusmodi contextu, ubi de significatione dubitari nullo modo possit, quod hoc loco secus esse apparet. Neque assenserunt Musgravio posteriores editores praeter Bothium et Badhamum, quos si pro nullis habendos dixerim, neminem contra dicturum esse spero. Hülsemannus, qui de πελάνῳ se dissentire ostendit, reliquam difficultatem non attigit: Hermannus to-

tum locum silentio praetermisit: Hartungus denique — nam plures nunc inspicere non vacat, — quum locum sic convertat:

Wenn ihr Opfer gebracht in dem Vorhof erst,
und zu forschen ein Ding von Apollon begehrt,
dann tretet hinein; doch ohne das Blut
von Lämmern gelangt ihr in's Heilige nicht.

celasse potius difficultatem quam aperuisse sententiam dicendus est: nam neque qualia sacrificia in primo versiculo intelligi, neque quo pertinere illud hinein in tertio velit perspici potest. — Quid multa? locum corruptum recte interpretari frustra coneris. Non potuisse Ionem dicere quod librarii eum dicentem fecerunt, manifestum est; quid, si non debuerit, at potuerit saltem dicere, satis apertum, nempe hoc: sacrificandi libi causa, si consulturae deum essent, licere mulieribus intra thymelas ingredi: templum ipsum intrari non posse, nisi hostiis ante mactatis [12]). Hinc apparet pro *ἐθύσατε* aut *θύσετε* aut fortasse *θῦσαι* scribendum esse. Ad locutionem *ἐπ' ἀσφάκτοις μήλοις*, quae significat i. q. *μήλων μὴ σφαγέντων*, comparari potest Soph. Antig. v. 556: *ἐπ' ἀῤῥήτοισι τοῖς ἐμοῖς λόγοις*, h. e. *μὴ ῥηθέντων τῶν ἐμῶν λόγων*. Nec raro sic poetae compositis cum ᾰ privativo vocabulis utuntur, ubi aliter conformata oratione verbum aut participium cum negatione aut *μή* aut *οὔ* ponendum foret. Apud Eurip. Helen. v. 1332 *βωμοῖς ἄφλεκτοι πέλανοι* est i. q. *ἐν βωμοῖς οὐ φλέγονται πέλανοι*, et in Hippol. v. 145 *ἀνίερος ἀθύτων πελάνων* i. q. *οὐχ ἱερεύσασα, οὐ θύσασα πελάνους*. Etiam in Aeschyl. Agam. v. 70 prudentiores interpretes intellexerunt *ὀργὰς ἀπύρων ἱερῶν* esse *ὀργὰς ἱερῶν μὴ πυρωθέντων*: alii, reconditiorem scilicet sententiam requirentes, longe a vero aberrarunt.

Edoctae ab Ione mulieres, quum non sint libum oblaturae, thymelis temploque sibi abstinendum esse intelligunt. Remanent igitur in quo constiterant loco, eorum quae hinc conspici possint aspectu se contentas fore dicentes: idque approbat ille his verbis:

πάντα θεᾶσθ' ὅ τι καὶ θέμις ὄμμασιν,

de quorum rhythmo non aliter quam de v. 224 statuendum est, de

12) Intellexit hoc etiam Thierschius, qui in diss. de topogr. Delph., Act. acad. Monac. philol. III, 1 (1840) p. 32 sententiam his verbis expressit: Wollen sie aber von dem Gotte etwas erfragen, so sollen sie vor dem Hause die Kuchen opfern, indem sie sich zu dem Altar wenden; aber ohne Schafe geschlachtet zu haben in das Innere des Heiligthums nicht eingehn.

structura autem, *πάντα ὅ τι*, ne quis forte pronomen singularis numeri ad pluralem *πάντα* relatum miretur, satis est Matthiaei grammaticam citare § 475. Neque in proximis versibus quidquam est, quod morari lectorem possit, praeterquam in v. 245, ubi quaerenti Ioni

δμωαὶ δὲ τίνων κλῄζεσθε δόμων;

respondet una:

Παλλάδος ἔνοικα τρόφιμα μέλαθρα τῶν ἐμῶν τυράννων.

Nonnullos certe vocabulum *ἔνοικα* passivo sensu accipiendum de domo a Pallade inhabitata adeo offendit, ut aut *Παλλάδος ἐν οἴκῳ* aut *Παλλάδι σύνοικα* scribendum esse censerent. Nobis passiva significatio, licet alterum eius exemplum non in promptu sit, non tamen incredibilis videtur: et proximum quoque adiectivum, *τρόφιμος*, ex eorum numero est, quae modo activo, modo passivo significatu dicuntur: nam et altorem significat et alumnum. Altricem autem regiae domus aedem Minervae propterea dicere chorus potuit, quod progenitorem Erechtheum in aede Minervae enutritum esse fabulae ferebant (cf. Il. II, 549), nec absimile vero est, omne illud templum Poliadis, quod etiam *τὸ Ἐρεχθεῖον*, (*δόμος Ἐρεχθῆος* ab Hom. Od. VII, 81) appellatur, pro domicilio priscorum Erechthidarum, ut Thierschio visum est,[13]) a veteribus Atheniensibus habitum esse.

Scrib. Gryphiswaldiae d. VI. Iul. MDCCCLXI.

---

13) Act. acad. Monac. vol. VIII p. 333 et 388 sqq. Cf. vol. V p. 168. De hac controversia cf. Bursian, Geogr. v. Gr. I p. 316.

SCHOLIA IN EURIPIDIS IONEM. PART. IV.

Quum ante aliquot annos scholia nostra in Euripidis Ionem publicare institueremus, consilium erat per occasionem scriptionum academicarum, quae ternae quotannis nobis edendae sunt, omnem illam fabulam deinceps pertractare; sed, ut fieri solet, inter alia varii atque diversi generis studia mox etiam alia se nobis argumenta obtulerunt huiusmodi scriptiunculis apta, unde factum est, ut incohatam Euripideae fabulae enarrationem aliquantisper seponeremus. Nunc autem quoniam nihil in promptu est, quod aut magis nos teneat aut commodius tractari possit, ad Ionem revertimur; quumque postremo loco parodum eius fabulae enarraverimus, nunc ad primum episodium progredimur, quod constat Ionis cum Creusa moxque horum duorum cum Xutho diverbiis.

Advenientem Creusam conspicatus Ion his verbis alloquitur, v. 248:

Γενναιότης σοι, καὶ τρόπων τεκμήριον
τὸ σχῆμ' ἔχεις τόδ', ἥτις εἶ ποτ', ὦ γύναι.

in qua allocutione aliquid offensionis habent statim haec prima verba *γενναιότης σοι*, quae subaudiri verbum substantivum postulant. Id non desideraretur, si scriptum esset *Γενναῖος εἶ τις*, quemadmodum Dobraeus suasit: nam eos quidem, qui *γενναία τίς συ* aut *γενναία τοί συ* proposuerunt, refutare non opus est. *Γενναῖος* genere feminino habet Euripides etiam in Hecub. v. 592: *ἀγγελθεῖσά μοι γενναῖος*. Boissonadius *γενναιότητος* reponi voluit, idque Badhamus ascivit, atque insuper etiam pro *καὶ τρόπων* scripsit *τῶν τρόπων*. Atqui articuli quidem inferendi non satis gravem causam fuisse dicemus: potuit enim *γενναιότητος καὶ τρόπων* per figuram dici, quam hendiadyn grammatici vocant, qua aliquid quod ad notionem vocabuli accuratius definiendam pertinet, ideoque per genitivum, quem defini-

tivum dixeris, adiungi poterat, per coniunctionem potius copulativam additur, cuius figurae exempla, quum multa passim extent, subtilius in sua genera dispescuit Lobeckius ad Soph. Ai. v. 145 p. 135. Nec sane inepte Ion, posteaquam γενναιότητα, generositatem, dixit, statim quasi explicandi causa, qualem γενναιότητα dicat, illud καὶ τρόπων addiderit: eam scilicet generositatem, quae non stirpis tantum splendore constaret, sed animi morumque praestantia. Nam generosa stirpe Creusam procreatam esse iam ex ancillarum verbis v. 245 colligere potuerat: de animo et moribus nunc ex ipsius aspectu coniecturam facit. — Legitur quidem γενναιότης σοι etiam in Phoenss. v. 1680 (1691), sed sequitur ibi continuo μωρία δ' ἔνεστί τις, unde dissimilem loci rationem esse apparet. Itaque placere mihi Boissonadii emendationem fateor.

Iam propius accedens Ion non sine consternatione Creusam lacrimare videt:

ἀλλ' ἐξέπληξάς μ', inquit, ὄμμα συγκλήσασα σόν,
δακρύοις θ' ὑγράνασ' εὐγενῆ παρηΐδα.

in quibus epitheton genis additum nihil nisi formae honestatem designare apparet, ut εὐγενῆ δέρην est in Helena v. 135, aliaque similia apud Baumeisterum ad hymn. Hom. p. 270. In proximis autem versibus,

οὐ πάντες ἄλλοι γύαλα λεύσσοντες θεοῦ
χαίρουσιν, ἐνταῦθ' ὄμμα σὸν δακρυρροεῖ.

γύαλα non, ut nonnullis placuit, de convallibus templo propinquis, sed de ipso templo accipiendum videri iam in schol. ad prolog. v. 76 exposui.

Respondet Creusa v. 259:

Ὦ ξένε, τὸ μὲν σὸν οὐκ ἀπαιδεύτως ἔχει
εἰς θαύματ' ἐλθεῖν δακρύων ἐμῶν πέρι.

in quibus verbis quum olim, etiam ab Hermanno, participium ἐλθόν scriberetur, infinitivum ἐλθεῖν ex compluribus codicibus recentiores praeoptarunt; et recte quidem. Nam licet saepenumero τὸ σόν, τὸ ἐμόν ac similia dicantur, ubi potuit simpliciter σύ aut ἐγώ dici, apparet tamen sic non tam ipsas solum personas, sed quod earum personarum est, statum, habitum, condicionem, consilium, affectum, factum designari, quamobrem consentaneum est, sicut praedicati verbum nunquam non in tertia persona ponitur, sic etiam, si quod nomen aut participium additur, id non debere nisi neutri generis esse. Itaque ἐλθόν

non spernendum foret: sed tamen propter codicum auctoritatem ἐλθεῖν mihi quoque tenendum videtur. Profitetur autem Creusa se non offensam esse Ionis verbis, utpote quae humanitatis sensum prodant. Nam εὐπαίδευτος, οὐκ ἀπαίδευτος is est, qui ut liberaliter educatum hominem decet se gerit. Itaque etiam causam lacrimarum Creusa non recusat Ioni hactenus saltem aperire, ut commotam se templi aspectu veterem quandam memoriam apud animum suum repetiise dicat, v. 262:

ἐγὼ δ' ἰδοῦσα τούσδ' Ἀπόλλωνος δόμους
μνήμην παλαιὰν ἀνεμετρησάμην τινά.

Remensa sum, inquit, veterem quandam memoriam. Nam sicut simplex verbum μετρεῖν aut μετρεῖσθαι, lat. metiri, emetiri, de via dicitur qua quis pergit, sic ἀναμετρεῖσθαι remetiri de via, quam quis repetit, atque hinc translata significatione etiam de reminiscentia, h. e. repetita rei memoria, ut in Orest. v. 14: τί τἄρρητ' ἀναμετρήσασθαί με δεῖ; Rem autem, cuius reminiscatur, domi suae gestam esse significat versu proximo:

οἴκοι δὲ τὸν νοῦν ἔσχον ἐνθάδ' οὖσά περ.

Sic enim sine dubio legendum est, ἔσχον cum H. Stephano, non ἔχομεν, quod Hermannus e cod. Flor. posuit pro ceterorum codicum lectione ἔσχομεν, quae quam facile existere potuerit librariorum errore repetitis duabus litteris εν in aperto est. Numeri quidem incongruentiam, ἔχομεν — οὖσα, defendat aliquis multis exemplis similibus, velut in hac ipsa fabula v. 1264 διωκόμεσθα — κρατηθεῖσα [1]): sed aoristum praeferendum esse praesenti vel praecedens ἀνεμετρησάμην persuadere potest. Mox autem pro ἐνθάδ' οὖσά περ, quemadmodum Hermannus ex coniectura scripsit, nemo, opinor, praeoptabit codicum lectionem ἐνθάδ' οὖσά που, siquidem, ut ille verissime monuit, hoc adverbium — sive quis cum veteribus grammaticis coniunctionem dicere malit expletivam, — sic demum recte usurpatur, ubi incertitudo quaedam et coniectura significanda est, id quod in hunc locum non convenire apparet. Proxima verba Creusae,

ὦ τολμήματα
θεῶν· τί δῆτα; ποῖ δίκην ἀνοίσομεν,
εἰ τῶν κρατούντων ἀδικίαις ὀλούμεθα;

rem illam, cuius recordatio lacrimas sibi expresserit, a deo aliquo

1) Cf. Schol. nostra ad v. 108.

effectam esse indicant, talemque esse, quae cum bonitate deorum et iustitia conciliari nequeat. *Ποῖ δίκην ἀνοίσομεν*, ad quemnam referemus ius? idem est atque quemnam iuris auctorem et vindicem appellare poterimus? Non absimiliter infra v. 841 *ἀνέφερ' ἐς τὸν δαίμονα* dicitur de eo, qui rem ad dei cuiusdam auctoritatem referebat. Nostro autem loco *ἀνοίσομεν* debetur Musgravii coniecturae merito ab omnibus receptae: nam quod in codicibus legitur, *ἀνήσομεν*, aptum sensum nullum habet. Nec minus recte *ὀλούμεθα* pro *ὀλοίμεθα* ab omnibus repositum. Optativus enim rem dubitanter eloqueretur, ut quam quis forte fieri posse sumeret; indicativus autem futuri rem sine dubitatione expectandam designat. Quippe si iniusti dii sunt, fiet profecto saepenumero, ut male faciant hominibus.

At, inquit Ion, quid laboras et te adflictas rerum inexploratarum cura? Sic enim interpretanda sunt eius verba, v. 267:

Τί χρῆμα δ' ἀνερεύνητα δυσθυμεῖ, γύναι;

Nimirum *ἀνερεύνητα* dicit deorum facta et consilia, quae qualia sint, iustane an iniusta, a mortalibus certo explorari et discerni non potest, nec proficitur quidquam hominum cura et aegritudine. Falluntur qui *ἀνερεύνητα* nunc de ipsius Creusae aegritudine dici volunt, ut sensus sit: quid est quod aegritudine inexplorabili angeris? Nam nihil adhuc erat, unde Ion illam moestitiae suae causam explorari nolle coniiceret, id quod postea demum v. 269 Creusa ostendit: *τἀπὶ τῷδε δὲ ἐγώ τε σιγῶ, καὶ σὺ μὴ φρόντιζ' ἔτι*: et si forte *δυσθυμεῖσθαι* cum accusativo *ἀνερεύνητα* non aliter construi potuisse putarunt, quam ut is accusativus interni obiecti instar sit, quasi dicas *ἀνερεύνητον δυσθυμίαν δυσθυμεῖ*, non reputasse videntur saepenumero etiam intransitivorum verborum significationem sic quasi dilatari, ut transitivorum vim et naturam induant ac proinde etiam externi s. transitivi obiecti casum adiunctum habeant, idque maxime fieri in verbis affectuum, quorum exempla vel apud Matthiaeum, gr. gr. § 414 vel apud Hermannum, de ellipsi et pleonasmo p. 123 tractantur. Ex hoc genere est quod in hac fabula v. 555 dicitur *τερφθεὶς τοῦτο κεῖν' οὐκ ἠρόμην* — et apud Thucydidem V, 91 *ἀθυμεῖν τὴν τελευτὴν τοῦ πολέμου*. Repudianda igitur etiam Nauckii coniectura, *τί χρῆμ' ἀνερμήνευτα δυσθυμεῖ*, cuius si forte commendationem aliquam inde petat, quod in codicibus *τί χρῆμ' ἀνερεύνητα*, non *τί χρῆμα δ' ἀνερ.*, scriptum est, hoc quidem nullius momenti est, quum nihil facilius fieri potuerit, quam ut litterae duae *ΑΔ* propter sequen-

tium *ΔN* similitudinem a librariis omitterentur. Fuisse memini, qui τί χρήματ' ἀνερεύνητα scribi vellet. Sed τί χρῆμα, pro διὰ τί χρῆμα, dici solere quis nescit? Interrogat autem sic, qui quam ob causam alter aliquid faciat requirit, eaque causa aut aliqua re facta constare potest, qua ille impellatur, ut in Alcest. v. 528: τί χρῆμα κουρᾷ τῇδε πενθίμῳ πρέπεις; aut voluntate quam expleri cupiat rei alicuius consequendae, ut in Hecub. v. 977: τί χρῆμ' ἐπέμψω τὸν ἐμὸν ἐκ δόμων πόδα; ubi latine dicimus: quid tibi vis, quod —?

In Creusae responso, v. 269, non coniungenda esse verba οὐδὲν μεθῆκα τόξα, quemadmodum Hermannus putavit, vertitque: temere haec verba ieci, ab omnibus, nisi fallor, intellectum est. Nam sane nunquam μεθιέναι τόξα significat tela emittere, sed potius condere aut reponere in pharetra, quemadmodum etiam de gladio dicitur in vagina reponendo, Phoeniss. v. 276: φέρ' ἐς σκοτεινὰς περιβολὰς μεθῶ ξίφος. Induxerunt Hermannum eiusmodi exempla, ubi illud verbum de condito in adversarii corpus telo dicitur, velut in eo quem ipse citavit loco, Orest. v. 1133: εἰ μὲν γὰρ εἰς γυναῖκα σωφρονεστέραν ξίφος μεθεῖμεν[2]), itemque in Electr. v. 1223: φάσγανον ματέρος ἔσω δέρας μεθείς, in quibus diserte additum est, ubinam telum condatur; solum autem verbum μεθιέναι absque huiusmodi additamento simpliciter est reponere, deponere, quemadmodum etiam translate dicitur χόλον, ὀργήν, ἀγῶνα, λῆμα φρενῶν μεθιέναι, ut Heraclid. v. 160. Med. v. 177. Errat igitur etiam Hartungus h. l. convertens: Mein Pfeil verschossen. Ceterum de ipsa hac comparatione orationis cum telo non opus est dicere: est enim pervagata, plurimaque exempla congesserunt Wyttenbach. ad Plutarch. tom. I p. 56 ed. Lips. Pflugk. ad Eur. Hecub. v. 603 aliique. Nec minus frequens est illud οὐδέν, omisso verbo ἐστί, ubi quis respondere quod rogatus est recusat. Simillimus nostri locus est Med. v. 64: οὐδέν· μετέγνων καὶ τὰ πρόσθ' εἰρημένα. Eodem sensu οὐδέν est in nostra fabula v. 301, neque aliter accipiendum apud Aristoph. Nub. v. 694 οὐδέν, μὰ Δία, quem locum a multis minus recte intellectum video.

---

2) Aptius citare potuisset Soph. Phil. v. 1301 (1281): ἃ μηδαμῶς, μή, πρὸς θεῶν, μεθῇς βέλος, ubi Schneidewinus μεθεῖναι βέλος interpretatur: sagittam quasi gestientem evolare sinere. Fortasse recte: nescio tamen an scribendum sit: μή, πρὸς θεῶν· μέθες βέλος.

Admonitus a Creusa Ion, ne de re ingrata quaerendo molestus sit, alio orationem deflectit v. 270:

τίς δ' εἶ; πόθεν γῆς ἦλθες· ἐκ ποίου πατρὸς
πέφυκας; ὄνομα τί σε καλεῖν ἡμᾶς χρεών;

Codicum lectio ἐκ ποίας πάτρας Hermanno non-sollicitanda videbatur „in poeta patriae commemorandae studioso"; aliis merito displicuit, non tam propter ταυτολογίαν, quae similibus aliquot exemplis allatis a Fixio praef. p. LIII defensa est, neque, ut opinor, propterea, quod πεφυκέναι ἐκ πάτρας absurde dici putarent, quae Kayseri opinio fuit, sed propter Creusae responsum, quo non solum unde venerit et quo nomine sit, sed etiam quo patre prognata sit indicat. Seidlerus ποίας saltem tuendum esse ratus pro πάτρας coniecit σπορᾶς. Atqui si semel πατρός a librariis in πάτρας corruptum fuit, proclive correctori fuit etiam ποίας pro ποίου substituere. Nam id quidem nemini in mentem venturum esse arbitror, ut πάτραν etiam de gente ac familia accipi posse dicat. Pindari enim hic usus est, a tragicorum sermone alienus.

Edoctus de Creusae patria et stirpe Ion exclamat v. 274:

Ὦ κλεινὸν οἰκοῦσ' ἄστυ γενναίων τ' ἄπο
τραφεῖσα πατέρων, ὥς σε θαυμάζω, γύναι·

in quo θαυμάζειν non tam admirandi quam venerandi significationem habet, ut in Med. v. 1113: δέσποινα δ' ἣν νῦν ἀντὶ σοῦ θαυμάζομεν. ad quem locum plura eiusdem significationis exempla Elmsleius attulit. Cf. et Buttman. ad Demosth. Mid. p. 174. Et apud Aristophanem Nub. v. 1147 etiam de honorario praeceptori oblato dicitur χρὴ γὰρ ἐπιθαυμάζειν τι τὸν διδάσκαλον. Pro praepositione ἀπό miror Schaeferum, Melett. p. 83, ὑπό requirentem. Nam ὑπὸ γενναίων πατέρων τραφῆναι is demum dici potest, quem ab ipsis parentibus enutritum dicere volumus; ἀπὸ γενναίων πατέρων τραφῆναι autem, qui nobili genere natus est, etiam si forte non ab ipsis parentibus sed ab aliis enutritus sit. Sic infra v. 693: ἄλλων τραφεὶς ἀφ' αἱμάτων. Et apud Sophoclem, Ai. v. 1229, τραφεὶς ἂν μητρὸς εὐγενοῦς ἄπο legitur sine varietate. Nempe verbum hoc τραφῆναι saepenumero obscurata significatione propria nihil aliud quam ortum esse significat, diciturque etiam absque praepositione, ut apud Soph. Philoct. v. 3: ὦ τοῦ κρατίστου πατρὸς Ἑλλήνων τραφείς, de Neoptolemo, quem profecto pater Achilles non enutriverat.

In Creusae responso, v. 276,

τοσαῦτα κεὐτυχοῦμεν, ὦ ξέν', οὐ πέρα,

notanda est vis coniunctionis καί, quam qui asseverativam dicunt, ut sit vere, certe, nostr. ja, velut Doederlin. ad Soph. Oed. Col. p. 265, Ellendt. Lex. Soph. I p. 889, non falluntur quidem, sed addere debebant, genus hoc asseverationis semper in eo constare, ut iis quae ante dicta, aut nonnunquam ne dicta quidem diserte sed subintelligenda sunt, aliquid tanquam coniunctum addatur, ut hoc loco, quum Ion se venerari Creusae nobilitatem dixerit, illa sese etiam beatam hactenus esse profitetur. Recte rem significavit Baeumlinus de partic. p. 152.

Mox v. 277 Ionem de patre Creusae cunctantius fortasse quaerentem illa ut libere quid velit sciscitari pergat hortatur:

τί χρῆμ' ἐρωτᾷς, ὦ ξέν', ἐκμαθεῖν θέλων;

Sic enim, θέλων, non sine causa Badhamum scripsisse censeo. In codicibus est θέλω, planissima quidem, sed, ut arbitror, minus apta sententia, siquidem ἐκμαθεῖν multo rectius de eo dici videtur, qui de aliqua re se edoceri cupiat, quam de eo, qui nihil nisi paratum se esse ostendat ad respondendum quod alter interrogaverit. — Interrogat autem Ion primum de proavi Creusae ortu, v. 279:

ἐκ γῆς πατρός σου πρόγονος ἔβλαστεν πατήρ;

Patrem Creusae Erechtheum fuisse ipsa v. 272 aperuerat. Erechtheum autem fabularis historia, quam Euripides in hac tragoedia secutus est, filium fecit Pandionis, nepotem Erichthonii terra editi ex Vulcani semine effuso. Apollod. III, 14, 6 sqq. Est igitur πρόγονος πατήρ h. l. idem qui πατροπάτωρ s. πάππος. Alias πρόγονος indefinitae significationis est, diciturque etiam de avi patre, προπάππῳ, ut apud Demosthenem in Macart. p. 1056, et plurali potissimum numero de maioribus universe. Varias autem de Erichthonio et Erechtheo fabulas admodum inter se dissidentes et a veteribus mythologis aliis aliter concinnatas et in quandam historiae speciem adornatas accuratius excutere ab huius scriptionis consilio alienum est. De omni hoc genere quomodo statuendum sit monui in Opusc. acad. I p. 328—331.

Erichthonium igitur terra editum verene Minerva sustulerit quaerenti Ioni Creusa v. 282 respondet:

εἰς παρθένους γε χεῖρας, οὐ τεκοῦσά νιν.

Itaque rem, de qua ille quaesiverat, sic se habere affirmans addit simul aliquid accuratioris designationis: in quo genere responsionum egitimus est particulae γέ usus, cuius exemplum etiam in v. 280 est,

paulloque post, v. 284, aliaque multa v. 311. 559 et sqq. Hoc autem loco quod additur a Creusa eo pertinet, ut Minervam sustulisse quidem Erichthonium, haudquaquam autem peperisse affirmet, utpote virginem deam. *Παρθένους χεῖρας*, manus virgines, pro virgineis, dicit, ut in Phoen. v. 839 est *παρθένῳ χερί*, in Hippol. v. 1006 *παρθένος ψυχή*, omninoque frequens apud poetas huiùs vocabuli usus adiectivus.

Pergit Ion interrogando, v. 283:

δίδωσι δ' ὥσπερ ἐν γραφαῖς νομίζεται —

hoc est: *ὥσπερ γράφεσθαι νομίζεται*, ut in picturis repraesentari solet, usitatum scilicet hoc picturae argumentum esse significans. Nam *νομίζεσθαι* dicuntur, quae vulgo usurpari solent, neque erat igitur quod Musgravius hoc loco *ῥυθμίζεται* scribi mallet. Cf. Aristoph. Nub. v. 428: *γυμνοὺς εἰσιέναι νομίζεται.* — De Cecropis filiabus, quibus Minerva sublatum a se Erichthonium tradiderit, v. 284, dixit etiam Mercurius in prologo v. 23. 24, ubi illae Agraulides vocantur. His dea puerum tradidit in cista conditum, interdixitque ne aperire eam et inspicere vellent, quod interdictum quum tamen puellae curiosae neglexissent aperta cista conspectisque draconibus puero appositis in furorem conversae de rupe se praecipitarunt.

Satisfactum sibi de Erichthonio indicans Ion, v. 287, *εἶεν*, inquit, iamque ad alius rei memoriam transit:

τί δαὶ τόδ'; ἆρ' ἀληθὲς ἢ μάτην λόγος;

Novum est Badhami iudicium, qui *εἶεν* illud non separatim pronuntiari potuisse ratus, ut versus mensura constet *λόγος* deleri iubet. „Ubicunque" inquit „*εἶεν ἔξω μέτρου* legitur, illud librariorum aut histrionum additamentum esse credo. Idem dicendum de *ἰδού* et *ναί*. Quidni enim Euripides in his vocibus eandem normam semper sequeretur"? Ludi magistri hanc orationem esse credo, non critici; veteres autem poetas id fecisse, quod quoque loco aut sententiae aut metro conveniens esset, ut in interiectionibus, velut *ἔα* (v. 155. 252), *φεῦ* (v. 969. 1316. 1521), *αἰαῖ* (1483), *ἰώ* (1507), sic in his vocibus, quae et ipsae quodammodo instar interiectionum sunt. Et de *ἰδού* quidem, quod veteres grammatici non inepte *δεικτικὸν* dixerunt, dicendum erit infra ad v. 752; *εἶεν* autem, quod Badhamus in Troad. v. 944 deleri vult, tantum abest ut otiosum eo loco esse concedam, ut longe aptissimum esse nec sine damno abesse posse iudicem. Quod enim vir doctus notionem eius in ipsis verbis sequentibus inesse contendit, *οὐ σ' ἀλλ' ἐμαυτὴν τοὐπὶ τῷδ' ἐρήσομαι*, mihi res longe aliter se ha-

here videtur. Nam εἶεν nihil ibi nisi omitti priorem sermonem et ad alium transiri significat, plane ut nostro loco. Ἔστι γάρ, inquit Lex. Seguer. p. 243, 24, ἐπίρρημα ἀφοριστικόν [3]). ἐπὶ γὰρ τοῖς ἤδη εἰρημένοις ἐπιλεγόμενον ἀφορίζει αὐτά, nec male cum Schaefero, App. crit. ad Demosth. I p. 346. Reisigio ad Oed. Col. enarr. p. CLVIII aliisque εἶεν eodem fere sensu accipiendum dicas, quo Latinorum Haec hactenus. In nostro autem loco si λόγος deleatur, quemadmodum Badhamus voluit, vereor ut ferri possit adverbium μάτην sic solum positum, ut neque verbo neque nomini accommodetur. Nam ut τόδ' ἐστὶ μάτην dici liceat pro τόδ' ἐστὶ μάταιον, non tamen hinc consequitur etiam τόδε μάτην, omisso verbo ἐστί, recte dici. Contra μάτην λόγος est i. q. μάτην λεγόμενον, sicut aliis quoque nominibus verbalibus eadem quae verbis aptae sunt adverbia accommodantur. Nam ut μέγα ἀνάσσειν dicitur, sic μέγ' ἄναξ est in Theogonia Hes. v. 486 (cf. Opusc. ac. II p. 436 et 447.), ut θηρία συστάδην ἀναιρεῖν, sic θηρίων συστάδην ἀναίρεσις (vid. Lobeck. Paralip. p. 151 not. 2.) ut φανερῶς προδιδόναι, sic etiam οἱ φανερῶς προδόται apud Xenophontem Hell. VII, 3, 7, quem locum Cobetus, Nov. Lect. p. 316, immerito sollicitavit item ut alterum II, 3, 38: τοὺς ὁμολογουμένως συκοφάντας. Ac si quis forte cum articulo quidem sic adverbia substantivis apponi posse putat, absque articulo non item, hunc veriora docere possunt Hermannus, Opusc. II p. 232. Stallbaum ad Plat. Leg. I p. 639 B. Classen. ad Thucyd. I, 122, 15. Krueger. gr. gr. § 50, 8, 19. Denique nostrum locum non male H. Steinius comparavit cum Herodot. VII, 103, ubi μάτην κόμπος dicitur, h. e. μάταιος. Quod autem Elmsleius ad Heraclid. v. 965 scripsit ἢ μάτην λέγεις, pro λόγος, perversissimum est, quandoquidem sic μάτην ad λέγεις pertineret, quasi de Creusae quadam narratione, non de pervulgata fama Ion quaereret. — Pro τί δαί in initio versus maluerit

3) Περιγραφικὸν dicit schol. Dionys. Thr. p. 919, 3, sensu non diverso. — Ceterum dixit nuper de hac vocula G Uhligius in N Mus. rhen. XIX p 31, monuitque veteribus gammaticis eam cum interaspiratione pronuntiandam, neque a verbo substantivo, quemadmodum recentiores plerique statuunt, derivatam sed ex duabus vocibus conflatam visam esse. Hoc excutere longum est: equidem semper εἶεν cum εἶα interiectione cognatum iudicavi, quae etiam εἶα pronuntiabatur, ut a Latinis non solum eia sed etiam heia dicitur. Certe ab εἶα non longius εἶεν quam ἕνεκεν ab ἕνεκα distat. De εἶα (sic) cf. Etym. M. p. 294, 45. Schol. Ven. Il. I, 262. Lehrs. Arist. p. 340.

fortasse aliquis τί δή. quandoquidem alterius particulae usum Porsonus eiusque sectatores a tragicorum sermone excludunt. Sed recte oblocuti sunt Fixius ad Electr. v. 972, Pflugk. ad Helen. v. 1246. Ab Euripide certe, cuius tragoediae plerumque ad pedestris orationis habitum multo propius quam ceterorum accedunt, δαί non abiudicari potest. Cf et Hermann ad Viger. p. 346.

Ante quam Ion interrogationem suam totam protulit inseritur Creusae compellatio, ut quid sit de quo se edoceri cupiat eloquatur, itidem ut supra v. 277 factum videmus. Nec sane dubitari potest, quin id a poeta stichomythiae potissimum causa sic institutum sit; sed tamen hoc loco non minus quam illo altero haesitationem quandam adolescentuli significari dicemus, verentis scilicet, ne interrogando reginae molestus sit eamque ob causam paullo tardius loquentis, in tali praesertim re, cuius mentionem minus gratam illi fore praesumeret. Omnino autem non semper tam rigide stichomythiae legem ab Euripide observatam credo, ut nunquam ab ea discedere auderet[4]); ideoque nescio an sine causa in v. 267, ubi ad unum Ionis versiculum Creusa duobus respondet, alterum illius versum Kirchhoffius excidisse suspicetur. Nam ad sententiam certe nihil ibi desiderari apparet.

In Creusae verbis, v. 288,

τί χρῆμ' ἐρωτᾷς; καὶ γάρ οὐ κάμνω σχολῇ.

haec postrema perperam a multis accepta esse video. Convertunt enim Non moleste fero hoc otium Brodaeus, Bothius, Fixius, et σχολήν Bothius „colloquium per otium habitum" significare autumat. Atqui etiamsi nonnunquam σχολή de sermonibus dici solet, quales vel rhetores vel philosophi in consessibus habent (vid. Wyttenbach. ad Plutarch. I p. 306. Baehr. ad Philopoem. p. 9. nos ad Cleom. p. 261), tamen hic usus recentioris demum aetatis est, et ne tum quidem quisquam huiusmodi colloquium, quale hoc est inter Ionem et Creusam, σχολὴν dixisset. Quodsi quis hanc quidem interpretationem respuat et σχολὴν accipiat pro tempore vacuo, ut Creusa dicat non aegre se ferre quod otium ad confabulandum sibi suppetat ideoque libenter Ionem audituram, — verbum κάμνειν non aegre ferendi sed laborandi potius significationem habere monebimus. Rectius igitur ii, qui verterunt: non laboro otio, idque non laboro interpretantur esse i. q. abundo. Poterant etiam non laboro ab otio,

---

4) Sic iudicat etiam Kvíçala, Zeitschr. f. d. Oesterreich. Gymn. IX. p 607 ff.

quemadmodum est laborare a re frumentaria apud Caesarem B. G. VII, 10, i. q. laborare quod attinet ad rem frumentariam. Cf. Barth. Advers. XXV, 5. Itaque non laborat ab otio cui non deest otium, potuitque pro *οὐ κάμνω σχολῇ* etiam dici *οὐ κάμνω ἀσχολίᾳ*, non laboro otii defectu: ut habendum sit hoc exemplum in eorum numero, in quibus, ut grammatici aiunt, res dicitur pro defectu rei. Nimirum fit hoc ibi demum, ubi reliqua enuntiatio dubitare non sinit, quo modo res se habeat. Velut in Iliad. X. 89, *καμάτῳ ἀδδηκότες ἠδὲ καὶ ὕπνῳ*, scholiastae pro *ὕπνῳ* etiam *ἀγρυπνίᾳ* dici potuisse observant, itemque in Od. VI, 2, ubi est *ὕπνῳ καὶ καμάτῳ ἀρημένος*, ad quod exemplum etiam Horatius Od. III, 14, 11 somno fatigatumque ludo dixit, nempe somno, quia desiderabatur, ludo, quia lassitudinem effecerat. Apud Euripidem, Phoeniss. V. 1668: *τάφῳ τὴν δίκην παρασχέτω*, de Polynice dictum, apparet de sepultura denegata accipiendum esse; quumque in Hippolyto v. 1402 Venus Hippolyto mala struxisse dicitur, quia *τιμῆς ἐμέμφθη*, quis non intelligit deam propter honorem sibi non habitum Hippolyto infensam dici, non aliter quam in Iliad, I, 65 de Apolline, *εἴτ' ἄρ' ὅγ' εὐχωλῆς ἐπιμέμφεται εἴθ' ἑκατόμβης*, ob vota non persoluta, sacrificia non oblata, aut XIII, 166 de Merione, *χώσατο δ' αἰνῶς ἀμφότερον νίκης τε καὶ ἔγχεος ὃ ξυνέαξε*, ob victoriam non reportatam, hastam autem diffractam.

Quaerit iam Ion v. 289 de Creusae sororibus a patre Erechtheo sacrificatis in bello Eleusinio, quam fabulam aliter ab aliis referri nemo mirabitur. Euripides ipse in tragoedia Erechtheo unam modo regis filiam sacrificatam dixit (vid. Lycurg. or. in Leocr. c. 24.), nec plures Apollodorus, III, 15, 4, 8, sed quum minima natu immolata esset, eius sorores ipsas se interfecisse memorat: coniuravisse enim puellas inter se, omnes una perituras esse. Numerantur autem ab eodem Apollodoro filiae Erechthei quattuor, Procris, Creusa, Chthonia, Orithyia: harum unam, Orithyiam, Boreas rapuit, Procrin maritus Cephalus imprudens iaculo interemit: neutram igitur sacrificatam esse consequitur. Restant Creusa et Chthonia: illam ipse Apollodorus et l. l. et 1, 7, 32 Xutho nupsisse et Ionem atque Achaeum peperisse tradit, Chthoniam autem a patruo Bute in matrimonium ductam esse, unde ortum genus Eteobutadarum. Igitur ne Chthoniam quidem sacrificatum esse credemus[5]). Quodsi cui tamen argutari placeat, eo confugere poterit,

5) Credidit hoc tamen Pinzgerus ad Lycurg. p. 225.

ut etiam plures Erechthei filias fuisse sumat a nullo nominatas, harumque unam sacrificatam esse, reliquas sua manu interemptas. Et Phanodemus quidem (apud Suid. s. v. *Παρθένοι*. C. Mueller. fragm. hist. I p. 366) sex fuisse memorat, quattuor illis, quas modo nominavimus, Protogeniam et Pandoram addens, hasque duas ultro se pro patria immolandas obtulisse: nec tamen id in bello Eleusinio factum esse, sed quum Boeotorum exercitus Atticam invasisset. Philochorus quum de Erechthei bello Eleusinio referret, de sacrificata regis filia nihil prodidisse videtur, sed Agraulum, unam de Cecropis filiabus etiamtum superstitibus, quum oraculum victoriam Atheniensibus praedixisset, si quis pro patria se morti offerret, sua sponte se de arce praecipitasse, unde postea locum illum ei consecratum et *τέμενος* conditum esse. Vid. schol. Demosth. de f. l. C. Mueller. fr. hist. I p. 386. — Sed manum de tabula, ne ineptire dicamur hoc genus fabularum curiosius quam natura earum patitur scrutando. Laudabimus tantum viri prudentissimi Lobeckii iudicium de hoc virginum sacrificio fabuloso, in Aglaoph. p. 210 sq. Neque in proximis versibus quidquam notatu dignum est. Nam *πρὸ γαίας* v. 290 pro *ὑπὲρ γαίας* dictum ne tirones quidem, quibus haec scholia scribimus, offendet; est enim frequentissimi usus, dixitque sic de hac ipsa re Euripides (*πρὸ πάντων*) in fr. Erechthei v. 18 ap. Lycurg. l. l., aliaque exempla habent grammaticorum libri, velut Matthiae. §. 575. Quod autem v. 293 Creusa se propterea non una cum sororibus immolatam esse ait, quod recens nata fuerit,

βρέφος νεογνὸν μητρὸς ἦν ἐν ἀγκάλαις,

pertinet hoc sine dubio ad id genus superstitionum, quo *τέλεια* tantum sacrificia dis grata esse putabantur: quamquam qua aetate hostiae quaeque *τέλειοι* essent, non una in omnibus et ubivis observatio erat. Vid. Antiquitt. graec. II p. 226.

Sequitur v. 296 Ionis interrogatio de Macris, h. e. de rupis, in qua arx fuit, eo latere, cui illud nomen fuisse iam ad prolog. v. 13 dictum est. Nec mirum huius loci mentione Creusae animum commoveri, v. 297, quippe in quo illud antrum esset, ubi ab Apolline quondam compressa fuit. Causam autem, cur de eo quaesierit, Ion hanc se habere dicit, quod is locus apud Apollinem Delphosque in aliquo honore sit, v. 298:

τιμᾷ σφε Πύθιος ἀστραπαί τε Πύθιαι.

Quaenam sint ἀστραπαὶ Πύθιαι dudum alii docuerunt e Strabone, IX p. 404. Pythaistae enim, ante quam Delphos abirent sacra facturi aut oraculum consulturi, de caelo servabant, ad Harma spectantes, qui locus fuit prope Phylen Atticae oppidum, nec ante abibant quam fulgure ibi conspecto. Ἐτήρουν δέ, inquit Strabo, ἐπὶ τρεῖς μῆνας, καθ' ἕκαστον μῆνα ἐπὶ τρεῖς ἡμέρας καὶ νύκτας, ἀπὸ τῆς ἐσχάρας τοῦ Ἀστραπαίου Διός· ἔστι δ' αὕτη ἐν τῷ τείχει μεταξὺ τοῦ Πυθίου καὶ τοῦ Ὀλυμπίου. Eadem repetit Eustath. ad Il. II, 4 sq Macrarum in his nullam mentionem fieri videmus, nec aliunde quidquam compertum est de observatione fulgurum hinc fieri solita. Nam quod Goettlingius in sylloge commentationum (Gesammelte Abh. a. d. Alterthum I p. 113) suspicatur ἐν τῷ τείχει non de urbis moenibus, sed de munimento arcis accipiendum esse, fieri vix potest propter additam situs definitionem μεταξὺ τοῦ Πυθίου καὶ τοῦ Ὀλυμπίου, siquidem haec duo templa urbis quidem moenibus propinqua, ab arce autem longius remota erant, neque igitur ad huiusmodi designationem idonea: ut taceam Macras ad septentrionem, Pythium autem et Olympium ad orientem spectasse. Nisi quis forte etiam hoc Goettlingio credat, duo fuisse in arce observatoria, alterum in Macris, alterum prope aram Iovis Astrapaei. Mihi quidem non persuasit vir praestantissimus, nec pudet profiteri nescire me quid rei sit et quaenam inter Macras et fulgurum Pythiorum observationem intercesserit coniunctio. — Est autem alia in hoc versu offensiuncula ex nomine Πύθιος. quod si τρισυλλάβως pronuntietur, duabus postremis syllabis cum prima sequentis vocabuli coniunctis, anapaestus evadat illicitus, sin δισυλλάβως, synizesis vocalium statuenda sit, qualem Hermannus, licet in elementis doctr. metr. p. 54 defenderit, tamen, cum Matthiaeo, in tragico poeta minus ferendam esse iudicat. Scripsit igitur Πυθώ τ', probabilius certe, quam quod Matthiaeo in mentem venit, Φοῖβος, alterum nomen a librariis substitutum credenti, longe etiam probabilius, quam quod Badhamus, sese quoque criticum praestare cupiens, confidentius quam consideratius proposuit, Πυθών, de auctoritate huius nominativi in urbis nomine parum sollicitus: nam ex obliquis casibus non tuto etiam de nominativi forma coniecturam capi posse quis nescit? An forte non urbem intelligi voluit, sed serpentem ab Apolline interfectum? Equidem codicum scripturam sollicitare nolim, nec offendor, in hac praesertim fabula, multa alia negli-

gentioris compositionis indicia offerente, vocalium synizesi, quamvis rara, haudquaquam tamen inaudita.

Proxima Creusae verba, v. 298,

τιμᾷ; τιμᾷ; ὡς μήποτ' ὤφελόν σ' ἰδεῖν,

quorum corruptelam et metrum et sententia arguit, certatim editores emendarunt. Et de σφ' ἰδεῖν quidem pro σ' ἰδεῖν reponendo dubitari nequit; in principio autem mihi nihil probabilius videtur, quam τιμᾷ; τί μήν; quod Matthiaeo quoque placuisse video. Cum acerba indignatione Creusa locum illum, propter iniuriae suae memoriam sibi exosum, ab Apolline diligi audiens, diligitne? inquit, et quidni diligat? scilicet propter expletam ibi olim voluptatem [6]. — In sequentibus autem Ionis verbis

τί δὲ στυγεῖς σὺ τοῦ θεοῦ τὰ φίλτατα;

non multum quidem refert, utrum interrogationis signo etiam post τί δέ posito Ionem mirari tantum faciamus Creusae odium, an continuata verborum serie de causa huius odii quaerentem. Praestat tamen, opinor, hoc alterum propter illius responsionem:

οὐδέν· ξύνοιδ' ἄντροισιν αἰσχύνην τινά.

Nam οὐδέν quum dicit, satis declarat nolle se odii sui causam aperire: satis esse quod aliquid turpitudinis illi loco inhaerere sciat. Et Ion hanc eius mentem recte percipiens non instat quaerendo, sed ad coniugium Creusae sermonem deflectit. Illa maritum suum Xuthum Aeoli filium, Iovis nepotem esse respondet: quem quidem pervulgatior fabula, cuius antiquissimum auctorem habemus Hesiodum vel quisquis fuit Catalogorum compositor, Aeoli non filium sed fratrem, nepotem non Iovis sed Hellenis esse perhibebat: eamque fabulam etiam ipse Euripides in Aeolo secutus est. Nunc autem cur eam spreverit aliamque aut adoptare aut ipse fortasse fingere maluerit, licet pro certo dici nequeat, haud improbabili saltem ratione mihi explicasse videor in schol. ad Prolog. v. 63. — Miratur Ion qui factum sit, ut regis filia peregrino in matrimonium daretur, scilicet quia iure Graecorum legitimum inter cives tantum connubium esse solebat exclusis peregrinis, excepto si quando aut totis civitatibus per pactionem, aut privatis per privilegium ἐπιγαμία concessa esset. Hanc igitur sive consuetudinem sive legem poeta nunc etiam heroicae aetati tribuit, qua aetate nihil

6) Etiam in Aesch. Agam. v. 14 τί μήν pro ἐμήν ab Hermanno repositum longe ceterorum coniecturis praestare censeo.

frequentius quam civium cum peregrinis nuptias in fabulis commemorari videmus. Sed novimus etiam, poetarum morem esse, ut sui temporis instituta in priscam aetatem transferre nunquam dubitent. Ceterum animadvertenda est liberior pronominis collocatio in verbis Ionis v. 306:

καὶ πῶς ξένος σ' ὢν ἔσχεν οὖσαν ἐγγενῆ;

pro *ξένος ὢν σ' ἔσχεν* aut *ἔσχε σ' οὖσαν ἐγγενῆ*, quorum neutrum metro conveniens erat. Simile exemplum legitur in hac ipsa fabula paullo infra, v. 337, *τάλαινά σ' ἡ τεκοῦσα*, quamquam ibi non certam lectionem esse videbimus. Sed certa est v. 685, *ἐκ τῶν Ἀθηνῶν μ' ἡ τεκοῦσ' εἴη γυνή*. Cf. Electr. v. 264: *μήτηρ δέ σ' ἡ τεκοῦσα ταῦτ' ἠνέσχετο*. Fragm. Belleroph. XVII, 1: *εἰ νοῦν εἶχέ μ' ὁ σπείρας*. Soph. Oed. R. v. 991: *εἰ ἦν πατήρ σ' ὁ κτείνας*. Aristoph. Nub. v. 257: *ὥσπερ με τὸν Ἀθάμανθ' ὅπως μὴ θύσετε*. Vesp. v. 382: *ὥσπερ με γαλῆν κρέα κλέψασαν τηροῦσιν*. Alia vid. ap. Fritzsch. ad Ran. p. 217. Wunder. ad Soph. Oed. R. l. l. Naek. ad Callimach. Hecal. p. 71. Funkhaenel ad Demosth. or. in Androt. p. 24.

Proximum versum

Εὔβοι' Ἀθήναις ἔστι τις γείτων πόλις

iam Hermannus monuit a Strabone VIII p. 356 citari, ut ostenda *πόλιν* etiam regionem dici, quem usum vocabuli, praesertim de insulis, alii non pauci exemplis comprobarunt, ex quibus Wesselingium ad Anton. Itiner. p. 523, Bernhardium ad Dionys. p. 660. Bergkium de reliq. com. Att. p. 241 citare satis est. Videtur autem *πόλις*, utpote ab eadem qua *πέλω*, *πέλομαι* radice ortum, primitus nihil aliud nisi locum designare, ubi hominum multitudo versatur habitatque.

Euboeam Xuthus, v. 309, dicitur debellasse s o c i a t i s c u m C e c r o p i d i s a r m i s, *Κεκροπίδαις κοινῷ δορί*, quemadmodum est in Soph. Aiac. 178: *μομφὰν ἔχων ξυνοῦ δορός*. Sic igitur dativus *Κεκροπίδαις* cum adiectivo *κοινῷ* coniungendus est, non pro dativo commodi habendus ad verbum *ἔπερσε* pertinente. — Ion autem, mercenarium fortasse Xuthum fuisse suspicans, tanto magis Creusam ei in matrimonium datam esse miratur v. 310:

ἐπίκουρος ἐλθών, κᾆτα σὸν γαμεῖ λέχος;

Nam *ἐπίκουροι* Euripidis quidem aetate erant fere mercede conducti, *μισθοφόροι*, unde etiam infra, v. 1313, non sine quodam contemptu hoc vocabulum usurpari videmus: *ἐπίκουρος οἰκήτωρ γ' ἂν οὐκ εἴη*

χθονός: quamquam non propriam hanc significationem esse apparet. Hoc autem loco etiam quod sequitur κᾆτα σὸν γαμεῖ λέχος insolitam certe rem Ioni videri ostendit, siquidem εἶτα, et saepius etiam κᾆτα, licet proprie temporis adverbium, saepenumero adversativae coniunctionis vim induere nemini ignotum est, fueruntque adeo, qui in coniunctionibus potius quam in adverbiis id numerandum putarent. Vid. Apollon. de adv. p. 496, 20. Et est sane ex coniunctione et adverbio conflatum. — Γαμεῖν λέχος aut λέκτρα aliquoties Euripides dixit, velut Med. v. 594. Iphig. Taur. v. 538. Troad. v. 44. Electr. v. 936, nec minus frequens quum apud ipsum tum apud alios est γαμεῖν γάμον, unde crediderit fortasse aliquis eandem esse utriusque locutionis rationem. Et potuit profecto, ubicunque λέχος vel λέκτρα dictum est, etiam γάμον dici; ratio tamen diversa est. Nam γάμον quidem verbo γαμεῖν additum nemo non videt per etymologicam figuram, ut cum Lobeckio loquar, dici, vel, ut meo modo loquar, γάμον esse internum verbi γαμεῖν obiectum[7]). Λέκτρα autem, quamvis per synecdochen de coniugio dici possit, tamen propter propriam significationem pro interno verbi γαμεῖν obiecto haberi nullo modo potest. Dicitur potius per quandam breviloquentiam λέκτρα γαμεῖν eodem fere modo, quo e. c. στέφανον νικᾶν, τρίποδα νικᾶν h. e. vincendo coronam, tripodem nancisci. (Vid. loc. ap. Dissen. ad Pindar. Nem. V, 5.) Sic igitur γαμεῖν λέχος est uxorem ducendo lecti eius compotem fieri. Latissime autem patet hoc genus breviloquentiae, ut verbo praeter nativam suam significationem etiam aliqua adsignificatio tribuatur alterius actionis cum illa quam verbum proprie significat coniuncta ac proin facile subintellecta. Sic τὸ σὸν λέχος συνῆλθον apud Sophoclem Ai. v. 491, ubi non loci accusativus est, quemadmodum dicitur Τροίην ἦλθον, sed breviter dictum est pro συνελθοῦσά (σοι) τὸ σὸν λέχος ἔσχον, ut Hermannus et Schneidewinus intellexerunt, rectius quam Lobeckius p. 272. Nec quod idem vir doctissimus eodem loco tractat εὐνὴν συναλλαχθῆναί τινι (v. 493), aliter explicandum fuerit, quam συναλλαχθέντα εὐνὴν σχεῖν, nisi quis in Sophoclis versu pro εὐνῆς τε τῆς σῆς ἧς συνηλλάχθης ἐμοί, ubi apparet ἧς per attractionem, quam vocant, pro ἥν accipiendum esse,

7) Primus enim, nisi fallor, ego hanc interni obiecti appellationem usurpavi non solum in scholis grammaticis, sed etiam in commentariis ad Isaeum ante quadraginta fere annos editis. Postea ab aliis quoque eam adoptatam video: nec longe diversa est quam Kruegerus usurpat, Accusativus des Inhaltes.

praeferat alteram lectionem ἢ συνηλλάχθης ἐμοί. Neque aliter apud Thucydidem I, 3, στρατείαν ξυνέρχεσθαι aut ξυνεξέρχεσθαι explicandum est, quam ut dictum sit pro ξυνελθόντας aut ξυνεξελθόντας στρατείαν ποιεῖσθαι, itemque cap. 15, ἐκδήμους στρατείας ἐξιέναι i. q. ἐξιόντας ποιεῖσθαι, (ut κοινὰς στρατείας ποιεῖσθαι est in eodem capite,)[8] et πρεσβείαν αἵρεσθαι, apud Demosth. de fals. leg. p. 392, i. q. ἀραμένους πρεσβείαν ποιεῖσθαι, quemadmodum etiam ἀγγελίην ἐλθεῖν apud Homerum Il. XI, 140 nihil aliud est quam ἐλθόντα ἀγγελίην ποιεῖσθαι aut φέρειν, ἀγγέλλειν. Nam quod veteribus quibusdam placuit, ἀγγελίην esse i. q. ἄγγελον, a nominativo ἀγγελίης, hodie quidem nemo credet. Tetigit hoc genus brachylogiae — sive quis praegnans genus loquendi appellare malit — etiam Bernhardius, Syntax. p. 108, sed, ut saepiuscule in opere illo iuvenili, nonnulla diversi generis miscens.

In proximo versu 310

φερνάς γε πολέμου καὶ δορὸς λαβὼν γέρας

nemo non intellegit φερνάς et γέρας commode tanquam praedicata vel epitheta accipi posse vocis λέχος in versu superiore, ut licuerit poetae his accusativis uti etiam si non addidisset participium λαβών, e. c. si posuisset καὶ δορὸς κοινοῦ γέρας. Neque erat igitur cur post φερνάς γε πολέμου comma poneretur, id quod ab Hermanno aliisque factum est, quasi non eandem utriusque accusativi constructionem esse putaverint. Ceterum φερνάς, non alio nunc quam dotis, προικός, significatione dictum, accurate explicavit Westermannus ad Plutarch. Sol. c. 20. Additus genitivus πολέμου dotem illam propter bellum datam esse significat.

Quaerenti deinde Ioni solane an una cum marito Delphos venerit Creusa respondet v. 312:

σὺν ἀνδρί· σηκοῖς δ' ἐνστρέφει Τροφωνίου.

Sic enim ex emendatione Scaligeri scripserunt Kirchhoffius et Nauckius, quum in codicibus aut σηκὸς δ' εὖ στρέφει aut σηκοὺς δ' εὐστρέφει scriptum sit: quamquam ἐνστρέφει iam in Aldina est ex apogr. cod. Par. Verbum ἐνστρέφειν aut ἐνστρέφεσθαι licet alibi fortasse sic usurpatum non inveniatur, satis tamen munitum arbitror verbo ἐνστρωφᾶσθαι et simplici στρωφᾶσθαι de eo qui alicubi versatur, ut ap. Aesch. Agam. v. 1224 λέοντ' ἄναλκιν ἐν λέχει στρωφώμενον.

---

8) Cf. comment. ad Plutarch. Cleom. p. 194.

Nec activam formam pro passiva nimis mirabimur, si meminerimus etiam ἐπίστρεφε pro ἐπιστρέφου dici ab Aristophane Vesp. v. 420, ἀλλ' ἅπας ἐπίστρεφε δεῦρο, porro ἀναστρέφειν aliquoties pro ἀναστρέφεσθαι ap. Xenophontem aliosque, omninoque haud rara esse verborum motum aliquem significantium exempla, quae formam activam cum significatione reciproca vel, ut nunc dici solet, reflexiva exhibeant, de quibus cf. Matthiae. gr. gr. § 496 et Apitz. ad Soph. Trach. p. 106 [9]). Non moror igitur Badhamum „pessimae", ut ait, „coniecturae pessimam interpretationem" superciliose respuentem. Ipse unicam loci emendationem in litteris *ΕΥΣΤΡΕΦΕΙ* quaerendam esse autumans, qualem hanc esse putet in annotatione editionis non eloquitur. Memini autem alibi eum proposuisse σηκοὺς δ' ἐστράφη. Ceterum Matthiaeus recepto verbo ἐνστρέφει accusativum tamen σηκούς retinendum esse censuit, provocans ad exempla a sese in gr. gr. § 425 (426 ed. sec.) allata, in quibus ἐμβατεύειν, ἐμβῆσαι, ἐμπίπτειν cum accusativo constructa sunt, quorum tamen rationem nonnihil diversam esse dixerim. Non enim, ut in hoc versu ἐνστρέφει, de morantibus alicubi, sed de petentibus aliquam rem illa verba usurpata videmus. Nisi quis etiam hoc loco ἐνστρέφει i. q. d e v e r t e r e esse dicat, et praesens pro praeterito positum accipiat. — De Trophonii oraculo in caverna apud Lebadeam satis dictum est in Antiquitt. gr. tom. II p. 322 sqq. Causam, cur maritus eo deverterit, Creusa indicat v. 315:

Κείνου τε Φοίβου θ' ἓν θέλων μαθεῖν ἔπος.

Nempe sperabat Xuthus idem et Trophonium et Apollinem responsurum esse, quo facto certior etiam spes foret eventus. Nec raro id a veteribus factum, ut plures de una re deos consulerent, velut a Croeso, de quo vid. Herodot. I, 64. — In proximo Ionis versu 316:

καρπῶν δ' ὑπὲρ γῆς ἥκετ' ἢ παίδων πέρι;

verbo saltem notandum putamus utriusque praepositionis discrimen, quod attigi quidem in comm. ad Isaeum p. 234, nec tamen plane exhausi. Hoc autem loco dixerim ὑπὲρ παίδων ita demum dici potuisse, si esse quosdam Creusae et Xuthi liberos Ion praesumeret, quorum causa oraculum adirent; nunc autem, quum id in incerto sit, περὶ

9) Apud Thucyd. I, 61, quod in codicibus scriptum est, κἀκεῖθεν ἐπιστρέψαντες — ἐπορεύοντο κατὰ γῆν πρὸς τὴν Ποτίδαιαν, ubi ἐπιστρέψαντες pro ἐπιστραφέντες dictum putabatur, nunc remotum est certissima Pluygersii emendatione ἐπὶ Στρέψαν.

tantum dicere potuit, h. e. de liberis sive iam editis sive expetitis. De frugibus vero, quae quin essent dubitari non potuit, recte ὑπέρ dicit, si consuli oraculum arbitratur de laeto earum proventu.

Iam Creusa, quum Ion interrogandi finem faciat, ipsa pueri ingenuitate capta matremque eius beatam praedicans, quis sit interrogat, quumque se dei servum esse respondeat, rursus quaerit v. 323:

ἀνάθημα πόλεως ἤ τινος πραθεὶς ὕπο;

h. e. dedicatusne ab aliqua civitate an venum datus? Nempe ἱερόδουλοι, qualem se Ion professus erat, his duobus modis fieri solebant. Ἀνάθημα vulgo de rebus sacro dicatis, raro de hominibus dicitur, nec alterum huius usus exemplum nunc quidem in promptu habeo. A christianis ἀνάθεμα dici notum est de hominibus, sed sensu diverso. Significantur enim ei, quorum nomina cum exsecratione in tabulis proscribebantur, παρὰ τὸ ἐν τῇ στήλῃ ἀνατίθεσθαι, inquit Etym. M. p. 96, 28. De conditione autem eorum, qui ἱερόδουλοι dicebantur, satis dixi in Antiquitt. gr. tom. I p. 143 et II p. 210, quae nunc repetere non opus est.

Ion quum se nec de parentibus suis nec quo modo in hanc conditionem redactus sit quidquam compertum habere respondit, miserata eius sortem Creusa v. 325

ἡμεῖς σ' ἄρ' αὖθις, inquit, ὦ ξέν', ἀντοικτείρομεν,

respiciens scilicet ad Ionis verba, v. 319, quibus ille ipsam miseratus erat. Quaerit deinde, ubi habitet:

ναοῖσι δ' οἰκεῖς τοισίδ' ἢ κατὰ στέγας;

Sic enim corruptam codicum scripturam, ναοῖσι δ' οἰκεῖς τοῖσδέ γ', post Wakefieldum omnes emendarunt. Et sane ineptum est γέ, non quo nullus huius particulae in interrogando locus sit, sed quod ea addita sic loqueretur Creusa, ac si Ionem in hac quidem certe aede habitare putaret, id quod absurdum esse apparet. Miretur autem fortasse aliquis ipsum illud ναοῖσι, siquidem ναόν proprie cellam esse constat, in qua quum dei simulacrum positum esset, homines quoque habitare potuisse nemo facile credat. Removebitur tamen haec offensio, si reputaveris plurali numero ναοῖσι non solum ipsam cellam, quae proprie ναός dicebatur, sed templum universum significari potuisse, in cuius aliqua parte minus sacra et religiosa non improbabile est perpetuae ac diligentioris custodiae causa unum aut alterum ex ministrorum numero etiam habitare solitum esse. Plerumque tamen sacerdotibus aliisque sacrorum ministris seiuncta a templo habitacula in eius con-

saepto fuisse novimus (cf. Antiquitt. gr. tom. II p. 413), nec dubitari potest, quin haec sint, quae *στέγαι* a Creusa dicuntur et *ναοῖς* opponuntur. Nam *στέγαι*, licet nihil obstet quo minus etiam templa sic dicantur, ut apud Euripidem in Hec. v. 1008, *οἶσθ' οὖν Ἀθάνας Ἰλίας ἵνα στέγαι*, vulgo tamen de humanis potissimum aedibus dici solet. Nescio autem an vera scriptura haec olim fuerit: *ναοῖσι δ' οἰκεῖς ἢ τίνας κατὰ στέγας*; quumque pronomen *τίνας* excidisset versus explendi causa illud *τοῖσδέ γ'* ab aliquo correctore insertum sit.

Respondet Ion v. 328:

ἅπαν θεοῦ μοι δῶμ' ἵν' ἂν λάβῃ μ' ὕπνος,

certum igitur se habitaculum habere negat, sed in quacunque dei domo somnus se occupaverit, tanquam in sua pernoctare. Musgravii coniecturam a Badhamo adoptatam *ἁπανταχοῦ* pro *ἅπαν θεοῦ* admodum speciosam esse fatemur, necessariam esse non credimus. Potest enim codicum scriptura sic defendi, ut *δῶμα*, licet semel positum, bis cogitandum esse dicamus, *ἅπαν θεοῦ δῶμά μοι δῶμά ἐστι*, cum Matthiaeo et, quem hic citavit, Hermanno ad Soph. Philoct. v. 81. Nec multum differt quod in prologi exitu legimus, *Παλλάδος ἔνοικα τρόφιμα μέλαθρα τῶν ἐμῶν τυράννων*, h. e. *Παλλάδος ἔνοικα μέλαθρα τρόφιμα μέλαθρά ἐστι τῶν ἐμῶν τυράννων*: quamquam praestat ibi fortasse *Παλλάδι σύνοικα* scribi. — Seidleri coniectura *ἅπαν τὸ θεοῦ*, quam Hermannus sibi non displicere professus est, mihi minus probanda videtur. Diceret enim sic Ion, non quamlibet domum, quae dei esset, sed totum templum sibi pro domicilio esse. Atqui illud saltem longe convenientius arbitror, siquidem *δῶμα θεοῦ* dici potuit una quaeque habitatio in templi consaepto sacerdotibus ac ministris destinata, neque unquam in omni templo sed tantum in aliqua parte Ion cubare potuit. Qui autem ab Hartungo ad commendandam Seidleri coniecturam affertur versus Euripidis (e Plutarch. de exil. p. 600 et Stobaei Floril. t. LX) *ἅπας μοι πύργος Ἑλλήνων πάτρις*, non video quid ad rem faciat. Nam abest ibi articulus, quem Seidlerus nostro versui inseri voluit, nec tota aliqua turris significatur, sed quaevis.

Narrat porro Ion se puerulum in templum delatum ne nutricem quidem suam nosse, sed Pythiam sacerdotem, quae se educaverit, matris instar habere:

ἡ δ' ἔθρεψέ με —
Φοίβου προφῆτις, μητέρ' ὥς νομίζομεν.

De subaudiendo accusativo pronominis *ταύτην*, referendo illo ad praegressum relativum *ἥ*, non opus est dicere. Nam Matthiaeo hanc orationis structuram reprobanti nec assensit quisquam neque, ut opinor, assensurus est. Mira autem narrat Hartungus, Pythiam vulgo pro vera Ionis matre habitam esse, idque patere ex ipsius verbis, v. 1339, ubi ad Ionis allocutionem,

χαῖρ' ὦ φίλη μοι μῆτερ, οὐ τεκοῦσά περ,

ipsa respondet,

ἀλλ' οὖν λεγόμεθα γ'· ἡ φάτις δ' οὔ μοι πικρά.

Atqui nihil mihi in his Pythiae verbis inesse videtur, nisi non aegre ipsam ferre, quod Ionis, ut nunc ab ipso, sic etiam ab aliis mater appelletur. Nempe mater, ut apud nos, sic etiam apud Graecos, non solum quae peperit, sed etiam quae materno affectu aliquem amplectitur ab eoque colitur, dici solebat. Quodsi aliter de Pythia Delphi iudicassent, exuere eam sacerdotio debuissent, quo virgines tantum fungi fas erat. Vid. Antiquitt. gr. tom. II p. 301. — Interpellata autem est Ionis oratio Creusae verbis

τίς, ὦ ταλαίπωρ'; ὡς νοσοῦσ' ηὗρον νόσους.

h. e. *αὐτὴ νοσοῦσα καὶ σὲ εὗρον ὁμοίως νοσοῦντα.* Nam *νοσεῖν* dicitur quisquis aliquo malo laborat et dolore afficitur, ut infr. v. 634. 768. 822. Ac de rebus quoque male se habentibus idem verbum usurpari videbimus v. 378.

In proxima Creusae interrogatione v. 335:

εἰς δ' ἄνδρ' ἀφίκου τίνα τροφὴν κεκτημένος;

hoc *εἰς ἄνδρα* sensu quidem haud differt ab eo quod est *εἰς ἀνδρὸς ἡλικίαν*, notandus autem numerus singularis, pro quo pluralem potius *εἰς ἄνδρας* aliquis expectaverit. Latine certe nemo dixerit in virum pervenisti. In recentioribus tamen linguis verba, quae proprie veniendi significationem habent, ut hoc ipsum venire apud Italos, dévenir apud Gallos, become apud Anglos, etiam pro eo usurpantur, quod est fieri, nostrum werden, cuius translatae significationis rariora quaedam exempla ne in Graecorum quidem et Latinorum sermone desunt. Velut apud Sophoclem in Oedip. R. v. 1358, *οὔκουν πατρός γ' ἂν φονεὺς ἦλθον* est i. q. *φονεὺς ἐγενόμην* et ib. v. 1084 pro *τοιόσδε δ' ἐκφὺς οὐκ ἂν ἐξέλθοιμ' ἔτι ποτ' ἄλλος* potuit etiam *οὐκ ἂν γενοίμην ποτ' ἄλλος* dici; apud Iuvenalem II, 8 nemo repente venit turpissimus potuit dici nemo repente fit turpissimus, et apud Propert. III, 3, 5 pro Seres et Auso-

nilis venient provincia virgis quid est aliud quam Seres fient provincia? Sic igitur potuit etiam Euripides dicere ἀνὴρ δ᾽ ἀφίκου: nunc autem quum εἰς ἄνδρα dicat, comparari hoc potest cum nostro sermone vernaculo, quo non solum du bist Mann geworden dicimus, sed etiam du bist zum Manne geworden. Et induxit Euripidem fortasse etiam hoc, quod vulgo ἐκ παιδός, ἐκ μειρακίου dici solet pro inde a pueritia, ab adolescentia, quemadmodum etiam latine a puero dicitur, ut ap. Ciceronem ad Famil. XIII, 16: Doctum hominem cognovi, idque a puero.

De Ionis verbis v. 336:

βωμοί μ᾽ ἔφερβον οὑπιών τ᾽ ἀεὶ ξένος

dictum est in schol. ad prolog. v. 52, ubi puerulus nutritus esse dicebatur ἀμφὶ βωμίους τροφὰς ἀλώμενος, quodque mox v. 340 de vestitu ait, τοῖς τοῦ θεοῦ κοσμούμεθ᾽, ᾧ δουλεύομεν, facilem habet explicationem. Quippe ministris templi et neocoris, quo munere Ionem fungi vidimus ad v. 54, ex templi aerario victum cultumque corporis praeberi consentaneum fuit.

De versu 337,

τάλαινά σ᾽ ἡ τεκοῦσ᾽ ἥτις ποτ᾽ ἦν ἄρα,'

monuimus iam supra, ad v. 305, lectionem incertam esse. Nam etiams collocationem pronominis facile defendas similibus exemplis, quorum ibi mentionem fecimus, spondeum tamen in pede quarto librariorum non poetae culpa admissum esse certissimum est. Neque probanda est Iodrelli coniectura ab Hermanno adoptata, τάλαινα σ᾽ ἡ τεκοῦσα· τίς ποτ᾽ ἦν ἄρα; Nam neque ἥτις pro τίς aut librariis aut correctori deberi veri simile est, neque, si τίς reponatur, aptum videri potest nunc iterum quaerere Creusam, quaenam mater sit Ionis, de qua nihil huic compertum esse iam ante, v. 331, audiverat. Causa corrumpendi versus orta videtur ex omissione particulae ἄρα, quae quum in margine adscripta esset, a correctore non eo quo debebat loco, post τάλαινα, sed in extremo versu reposita, hiatus autem vitandi causa pronomen, quod post τεκοῦσα fuit, inter τάλαινα et ἡ insertum, et quae praeterea metrum mutari flagitabat mutata sunt. Recto igitur verborum ordine restituto versus evadit hic:

τάλαιν᾽ ἄρ᾽ ἡ τεκοῦσά σ᾽, ἥτις ἦν ποτε·

quemadmodum Dobraeus, Dindorfius, Hartungus, Badhamus scripserunt. Et sic etiam aptior fit Ionis responsio v. 337:

ἀδίκημά του γυναικὸς ἐγενόμην ἴσως·

quippe quae non ad interrogationem τίς ἦν, sed ad commiserationem τάλαιν' ἄρα respiciat. Recte miseram dicis, inquit: nam violata ab aliquo, ut arbitror, me peperit. Ἀδίκημα pariter ut latine iniuria modo activo sensu dicitur, eius qui facit, modo passivo, eius qui patitur, ideoque genitivus, qui adiungitur, modo subiectivus modo obiectivus est. Sic ἀδικήματα νόμων apud Demosthenem Mid. p. 586, sunt facta quibus leges violantur. Non erat igitur quod Badhamus versum corrigere conaretur coniectura futilissima, ἀδίκημα τοῦ φύσαντος. Notandum autem, quod ἀδίκημα nunc etiam semet ipsum dicit, utpote ex iniuria stupro matri illato prognatum, non absimili translatione, quam qua liberi, cum dolore matris nati, ipsi quoque ὠδῖνες dicuntur, quasi ὠδίνων proventus, quemadmodum in prologo v. 45, εἴ τις Δελφίδων τλαίη κόρη λαθραῖον ὠδῖν' εἰς θεοῦ ῥῖψαι δόμον, apud Aeschylum Agam. v. 1392 Iphigeniam Clytaemnestra φιλτάτην ὠδῖνα dicit, et apud Pindarum Ol. VI, 30 de Euadna legimus κρύψε παρθενίαν ὠδῖνα κόλποις.

Haec hactenus: reliquam episodii partem proxima scriptione post paucos dies edenda pertractabimus.

Scr. Gryph. a. d. V. Calend. Mart. MDCCCLXIV.

SCHOLIA IN EURIPIDIS IONEM. PART. V.

Apud Ciceronem de orat. II, 18 a Catulo, uno eorum qui ibi colloquentes inducuntur, narratiuncula quaedam inserta est huiusmodi: Hannibalem Carthagine expulsum, quum Ephesum venisset, invitatum esse ab hospitibus, ut Phormionem audiret, philosophiae professorem haud ignobilem: quumque ille se non nolle dixisset, locutum esse Phormionem, hominem copiosum, aliquot horas de imperatoris officio et de omni re militari. Tum, quum ceteri qui illum audivissent vehementer essent delectati quaererentque ab Hannibale, quidnam ipse de illo philosopho iudicaret, Poenum non optime graece sed tamen libere respondisse, multos se deliros senes saepe vidisse, sed qui magis quam Phormio deliraret vidisse neminem. Neque mehercule iniuria, inquit Catulus. Quid enim aut arrogantius aut loquacius fieri potuit, quam Hannibali, qui tot annos de imperio cum populo Romano certasset, graecum hominem, qui nunquam hostem, nunquam castra vidisset, nunquam denique minimam partem ullius publici muneris attigisset, praecepta de re militari dare? — Me autem nunc huius narratiunculae commonefecerunt aliquot nostrorum hominum exempla Phormionis arrogantiam non modo aemulantium sed longe etiam superantium. Nam ille quidem nihil nisi versatile ingenium et facundiam quandam scholasticam et innoxiam ostentare Hannibali voluit, hi autem aliquid amplius affectant neque in privatorum circulis se continent, ubi ad calices et fumum diserti χαύνωσιν ἀναπειστηρίαν exerceant, sed publicorum adeo consiliorum auctores sese et rectores fieri gestiunt. Sic nimis multos videmus consultores vitio creatos, qui non solum de re militari, sed de omni re publica quid aut debeat fieri aut non debeat summa cum confidentia decernant aut decernere saltem cupiant, quum-

que plerique vitam omnem ab administratione rei publicae longe remotam habuerint, sibi tamen summam rerum permitti suaque iudicia, aut opiniones potius et cupiditates plus valere postulent, quam probatorum virorum consilia, quos regis providentia administros sibi elegit gubernaculisque admovit, rerum usu et experientia istis certe popularis aurae captatoribus aliquanto melius instructos. Quotus enim quisque istorum est, qui non ante quam promoveretur hominum sui similium suffragiis totus quaestui suo intentus, aut in arte qualicunque factitanda aut in mercatura negotiisque lucrosis aut in minutis causis forensibus agendis et disceptandis versatus, rei publicae causas et rationes aut plane non attigerit, aut certe non aliunde quam partim ex libris ab umbraticis doctoribus in alicuius scholae angulo compositis, partim — quod peius est — e vilissimis schedulis, quales ab hominibus aut improbis aut imperitis quotidie sparguntur, cognitas habuerit, si cognitas dicere licet res male relatas maleque acceptas. Non mirum igitur in talium hominum conciliis ut quisque audacissime loquax est rerumque ignoratarum peritum se esse iactat, ita maximo in honore esse apud auditores, bonos fortasse viros — quis enim hoc negabit? — sed parum tamen peritos et minus etiam quam istos declamatores rerum gnaros, multosque insuper etiam morbo quodam affectos nimis hodie pervagato, quem nescio quonam aptiore quam vertiginis progressivae nomine appellem. Is morbus qualis sit, quo progredi, quem exitum habere soleat, ex historia populorum simili malo affectorum disci a prudentibus potest dictumque dudum est a Platone, de re publ. VIII p. 562 c., quem locum, a Cicerone de re publ. I c. 14 latine conversum, legendum relegendumque omnibus commendaverim, qui non turpe sibi existimant a Platone doceri. Neque alienum fuerit etiam fabellae cuiusdam Aesopiae meminisse de serpente, cuius quum cauda capiti obedire et obsequi recusaret pervicissetque tandem ut regimen sibi permitteretur, temere et stolide grassans una cum capite semet ipsa pessumdedit[1]). Tam ancipiti igitur morbo qui obsistit eumque coercere et reprimere medicina, si potest, leni, sin haec parum proficiat, vehementiori studet, hunc ego non male de re publica mereri arbitror, nihilque magis optandum puto quam ut contemptis aegrotorum, qui se sanari nolunt, vociferationibus et conviciis in exsequendis consiliis salutaribus

1) Rettulit hanc fabellam Plutarchus in vita Agidis c. 2: nam in collectione fabularum Aesopiarum non legitur. Cf. etiam comm. nostr. in Plut. p. 84.

constanter perseveret, memor veteris verbi: *Βασιλικόν ἐστι καλῶς ποιοῦντα κακῶς ἀκούειν.*[2]).

Sed nolo plura dicere, ne, si plane eloquar quod sentio, gravius multos quam opus est offendam. Hanc ob causam aliud programmatis argumentum sumere placuit, quumque nuper scholia mea in Ionis Euripideae primum episodium usque ad v. 337 ediderim, nunc reliquam eius episodii partem pertractabo. — Abrupi autem enarrationem in eo loco, ubi Ion suspicari se professus est matri suae iniuriam ab aliquo factam stuprumque illatum esse. Hinc iam Creusa suae sortis admonita, quippe quum et ipsa simili quondam iniuria violata fuerit, commodum ad suam causam agendam transitum arripit, sic tamen ut, celata sua persona, quae sibi acciderant in fictam amicae cuiusdam personam transferat.

Πέπονθε τῇ σῇ μητρὶ ταὐτά τις γυνή,

inquit v. 345. — In proximo versu, quum codices Ionem dicentem faciant

τίς; εἶπον· εἴ μοι ξυλλάβοι χαίροιμεν ἄν,

inusitatam veteribus Atticis imperativi formam felicissima emendatione removit Ferdinandus Yxem, *τίς; εἰ πόνου μοι ξυλλάβοι* — quam merito Hermannus ceterique post hunc editores omnes receperunt. — De amica igitur sua clandestinum vaticinium Creusa se petituram esse ait v. 348, h. e. clam viro suo, ut patet ex v. 409. sqq. Ion autem ei hac in re operam suam pollicetur, v. 349,

λέγοις ἄν· ἡμεῖς τἄλλα προξενήσομεν.

Sic enim saepenumero, etiam in pedestri sermone, *προξενεῖν* minus proprie dicitur, non de iis qui aliquo *προξενίας*, h. e. publici hospitii munere funguntur, sed de quibusvis, qui similem quandam alteri operam praestant, quam quae a *προξένοις* proprie dictis civitatium, quarum *προξενίαν* susceperant, praestanda civibus erat. Cf. Helen. v. 146: *ξυμπροξένησον, ὡς τύχω μαντευμάτων.* Soph. Oed. Col. v. 425: *ὡς νῦν πᾶν τελοῦντι προξένει.* Plutarch. Sol. c. 14: *προσέκειντο τῷ Σόλωνι τυραννίδα προξενοῦντες.* Plura exempla vel e lexicis peti possunt vel ex Ulrici libro de proxenia p. 46.

Incohatam rei expositionem quum Creusa abrumpat, pudore se praepediri dicens, Ion v. 351

2) Vid. Diog. Laert. in vita Antisthenis, VI, 3, et quae ad h. l. a Menagio citantur. Add. Marc. Antonin. VII, 36.

οὐ τἄρα, inquit, *πράξεις οὐδέν· ἀργὸς ἡ θεός*.

Nempe ἡ *αἰδώς*, quod nomen ex verbo *αἰδούμεθα*, quo illa usa erat, intelligitur. *Αἰδοῦς* aram Athenis fuisse Musgravius admonuit, eamque admonitionem Badhamus sibi repetendam putavit, ratus fortasse hanc Euripidi causam fuisse ut *αἰδῶ* deam diceret. Poterat autem etiam ad Hesiodum provocare, qui O. et D. v. 200 *Αἰδῶ* et *Νέμεσιν* coniungit. Verum etiam si nusquam illa consecrata esset, nihil tamen obstabat poetae, quo minus divinitatis personam ei indueret, sicut aliis quibusvis affectibus, qui quum vehementius hominum, saepe etiam invitorum, animum commoveant, vis eorum quasi extra homines esse et divino quodam numine in animos ingruere videbatur. Sic *ἀναίδειαν θεόν* dixit Menander (Mein. fr. com. IV p. 144,) itemque *τόλμαν, θεὸν ἐπιφανεστάτην* (ib. p. 289), porro *βίαν*, violentiam pudori contrariam, Euripides in Herc. fur. v. 555. *φιλοτιμίαν, κακίστην δαιμόνων* et *ἄδικον θεόν*, in Phoeniss. v. 532, *λύπην, δεινὴν θεόν, ἀλλ' ὅμως ἰάσιμον*, in Orest. v. 399. *φρόνησιν ἀγαθὴν θεόν*, Sophocl. fr. 662, non alio sensu, quam quo Aeschylus, *θεοῦ μέγιστον δῶρόν ἐστιν εὖ φρονεῖν*. Sed non opus est plura afferre: nam neminem ignorare putamus, quam late hoc genus apud poetas praesertim pateat. Conferri possunt quae Klausenius habet in Theologumenis Aeschyli p. 134, Boissonad. ad Psellum de operat. daemonum p. 292. nos in Antiquitt. gr. II p. 145. — Pro *οὐ τἄρα* Nauckius *οὔ τἄρα*, Kirchhoffius autem *οὔτἄρα* scripsit: nobis neutrum probatur. Nam coalescere quidem *τοί* non rarius cum *οὐ* quam cum *ἄρα* videmus; qua ratione autem cum utroque simul coaluisse statuatur, non satis perspicimus. Quodsi cum *ἄρα* coaluit, non videtur accentus tamen in praecedentem negationem hanc vim exercere potuisse, ut ea acuenda esset, quod Nauckio visum esse eius scriptura ostendit: *τἄρα* an *τἆρα* rectius sit, ambigi potest: nam plerique etiam *τἄλλα* malunt quam *τἆλλα* scribere. Nos quidem Buttmannum sequimur, gr. gr. mai. § 29; nec Goettlingius noster, de accent. p. 385, aliter iudicat.

In proximo versu, 352,

Φοίβῳ μιγῆναι φησί τις φίλων ἐμῶν,

improbaverit aliquis Atticista severior verbum *μιγῆναι* de muliere usurpatum. *Μίγνυται*, inquit Thomas Magister p. 616, *ὁ ἀνὴρ τῇ γυναικί, οὐχ ἡ γυνὴ τῷ ἀνδρί*. Attamen huic praecepto non solum poetarum sed etiam pedestrium scriptorum nonnulla exempla re-

pugnant. Cf. Baehr. ad Herod. I, 5 p. 13 ed. sec. In Ionis autem responsione, v. 352,

Φοίβῳ γυνὴ γεγῶσα; μὴ λέγ', ὦ ξένη,

multo magis Euripidis eiusque similium, quam priscae aetatis iudicium agnoscas. Et ne Euripidis quidem aetate deorum cum mortalibus concubitus prorsus incredibiles vulgo visos esse exempla quaedam demonstrant, qualia in Antiquitt. graec. II. p. 148 commemoravimus. Creusa autem quum dicit, v. 354,

καὶ παῖδά γ' ἔτεκε τῷ θεῷ λάθρᾳ πατρός·

non affirmat solum quod ante dixerat per *γέ* particulam, cuius propriam vim rectius asseverativam, fere ut nostrae ja, quam, ut multi volunt, restrictivam (wenigstens) dicendam esse arbitror; sed addit simul per *καί* aliquid amplius: quin (v. immo) etiam puerum peperit —, quo modo *καί — γέ* non raro dici Blomfieldius ostendit ad Aeschyl. Pers. v. 266. cf. Pflugk. ad Eur. Hec. v. 976. De *λάθρᾳ* autem altera syllaba producta monui iam ad Isaeum p. 412, dativum esse adiectivi obsoleti *λάθρος*, quam ob causam *ι* subscribendum est. Neglexit hoc Badhamus alteram formam scribens, quae pro accusativo plur. neutr. eiusdem adiectivi habenda est, nec admittenda in versu, nisi si metrum alteram syllabam corripi aut postulat aut patitur.

Rursus Ion fidem se Creusae verbis habere negans, *οὐκ ἔστιν*, inquit v. 355, non est ut dicis; rem incredibilem et quae fieri non potuerit sibi videri significans. Sic enim plerumque haec formula usurpatur, quo sensu latine dixeris nullo modo. Cf. Soph. Ant. v. 289: *ἢ τοὺς κακοὺς τιμῶντας εἰσορᾷς θεούς; οὐκ ἔστιν.* Eur. Med. v. 388: *τίς γῆν ἄσυλον καὶ δόμους ἐχεγγύους ξένος παρασχὼν ῥύσεται τοὐμὸν δέμας; οὐκ ἔστιν.* Electr. v. 1059: *ἆρα κλύουσα, μῆτερ, εἶτ' ἔρξεις κακῶς; οὐκ ἔστιν.* In proximis autem verbis, *ἀνδρὸς ἀδικίαν αἰσχύνεται*, accusativo rem significari videmus, quam turpem sibi et pudendam illa existimet, quo sensu alias dativus aut solus aut cum praepositione *ἐπί* poni solet. Sed accusativus eodem modo usurpatur infra v. 381: *αἰσχύνεται τὸ πρᾶγμα.* Aristoph. Plut. v. 774: *αἰσχύνομαι δὲ τὰς ἐμαυτοῦ συμφοράς*, et alibi saepius. Est igitur in huiusmodi exemplis *αἰσχύνεσθαι* i. q. *αἰσχρὸν ἡγεῖσθαι*: contra ubi cum accusativo personae construitur, ut v. 1089: *αἰσχύνομαι τὸν πολύυμνον θεόν*, pudor cum verecundia coniunctus significatur.

In proximo versu Creusae

οὔ φησιν αὐτή· καὶ πέπονθεν ἄθλια,

hoc *οὔ φησιν* pro eo, quod codices habent, *ὅ φησιν*, scribendum esse plerique consentiunt. Nam quod Matthiaeus ait *ὅ φησι* iungendum esse cum versu superiore, h. e. subaudiendum esse ex illo verbum *αἰσχίνεται*, non magis probandum est, quam quod Doederlinus voluit, ut subaudiatur *φημι*, h. e. ut sensus sit quod ipsa aitaio, aut quod nescio cui in mentem venisse memini, *ὅ φησιν αὐτή, καὶ πέπονθεν, ἀθλία*: quod ipsa ait, scil. se passam esse, etiam vere passa est mulier misera. Refutantur haec omnia proximis Ionis verbis, quippe quae demonstrent, Creusam praeter stuprationem etiam alia quaedam mala amicae significasse. Hinc ille interrogat:

τί χρῆμα δράσασ', εἰ θεῷ ξυνεζύγη;

Δράσασα in hoc contextu idem fere quod *παθοῦσα* esse manifestum est, pro quo etiam *πράξασα* dici potuit, ut in Oreste v. 535 de Clytaemnestra iure interfecta Tyndareus dicit *θυγατηρ ἐμὴ θανοῦσ' ἔπραξεν ἔνδικα*. Eodem igitur modo, licet rarius, etiam *δρᾶν* dicitur, neque tamen, ut puto, aliter, quam ubi praecessit aliquod verbum, ut h. l. *πέπονθεν*, cuius significationem illud quodammodo repetit, quemadmodum etiam *ποιεῖν* non raro praecedentis verbi notionis repetendae vim habet. Cf. Heindorf. ad Plat. Soph. p. 403 et quae notavimus ad Isaeum p. 372. Et sane etiam qui patitur aliquid, eo ipso quod patitur etiam agere aliquid videri potest. — Refert deinde Creusa puerum a matre expositum esse, v. 358,

τὸν παῖδ' ὃν ἔτεκεν ἐξέθηκε δωμάτων,

in quo illud *ἐξέθηκε δωμάτων* non plane ad veritatem dictum esse nemo mirabitur. Re vera enim puer ille in eodem antro, in quo matrem Apollo compresserat, et editus et expositus fuit. Sed id nunc a Creusa commemorari non opus fuit. Ne Mercurius quidem, quod magis fortasse mireris, in prologo v. 16 rem plane sic ut gesta erat rettulit. Quaerenti autem Ioni, quid factum sit puero exposito, illa id ignorari respondet, eamque ob causam nunc oraculum a se consuli, v. 360:

οὐκ οἶδεν οὐδείς· ταῦτα καὶ μαντεύομαι,

h. e. *ταῦτα καὶ ἐρωτῶ τὸ μαντεῖον*. Monendum hoc putavi propter eos, qui forte in huiusmodi structura de ellipsi praepositionis *διά* cogitent, qui error, licet dudum a peritioribus explosus, passim tamen etiam a viris alias non contemnendis repetitur, velut in hoc ipso loco

quem comparatum ab aliquo memini cum v. 572 (580 Herm.), in quo est *τοῦτο κἄμ' ἔχει πόθος*, cuius longe diversa ratio est. Nam *πόθος ἔχει τινὰ τοῦτο ἢ ἐκεῖνο* dicitur propter similitudinem significationis cum eo quod est *ποθεῖ τις τοῦτο ἢ ἐκεῖνο*, quemadmodum apud Sophoclem Oed.Col.v. 223: *δέος ἴσχετε μηδὲν ὅσ' αὐδῶ*, quia *δέος ἴσχειν* idem est quod *δεδιέναι*. Dictum est de universo hoc genere constructionis in Opusc. ac. III p. 201 sqq. Sed *μαντεύεσθαί τι* non aliter dicitur, quam cetera verba interrogandi, quae legitime accusativum rei, quam quis sciscitatur ab altero, asciscunt.

Mox, quum Creusa dixerit puerum a feris discerptum periisse credi, Ion quam dudum ille perierit interrogat v. 367,

χρόνος δὲ τίς τῷ παιδὶ διαπεπραγμένῳ;

h. e. *χρόνος δὲ τίς, ἀφ' οὗ ὁ παῖς διαπέπρακται*, qua forma loquendi, in latino nostroque sermone usitata, Graeci aut raro aut nunquam uti solent, sed praeferunt participium praeteriti dativo casu positum. Nimirum si quid ante aliquod tempus factum est, hoc tempus ei personae aut rei, de qua sermo est, praeteriit: hinc igitur ea dativo casu ponitur, additurque aut participium actionis praeteritae, aut nonnunquam etiam verbum finitum cum praepositione et relativo *ἀφ' οὗ*, *τίς χρόνος τῷ παιδὶ διαπεπραγμένῳ* aut *τίς χρόνος τῷ παιδὶ ἀφ' οὗ διαπέπρακται*. Utriusque generis exempla in grammaticorum libris extant, velut apud Matthiaeum § 388 c. Verbi autem *διαπράττεσθαι* hoc sensu ut sit i. q. *διαφθείρεσθαι* exempla congessit Blomfield in glossar. ad Aeschyli Pers. v. 265.

Respondet Creusa v. 368:

σοὶ ταὐτὸν ἥβης, εἴπερ ἦν, εἶχ' ἂν μέτρον.

itaque *ἔφηβον* eum, si viveret, fore dicit pari fere cum Ione aetate. Nam *ἥβης μέτρον* apud Homerum aliosque poetas haud raro dicitur de adulta aetate, cuius initium fere a quarto decimo aut, ut apud Athenienses, a sexto decimo anno numerari solebat; quamquam terminos *ἥβης* non semper certo ac definito annorum numero constitutos esse nemo mirabitur [3]). Hanc igitur aetatem qui ingressi sunt *ἥβης μέ-*

3) Vid. satis accuratam de variis aetatis gradibus eorumque appellationibus disputationem Nauckii in Aristophanis Byz. fragm. p. 91 sqq. De Atheniensibus dubitari non debet, quin initium *ἥβης* annum XVI numeraverint; ad militaria autem tirocinia et *περιπόλων* munus vocabantur adolescentes anno XVIII, quo pertinet locutio *ἐπὶ διετὲς ἡβῆσαι*. Non satis circumspecte hanc quaestionem nuper tractavit Hauptius in Ephemerid. gymnas. (Zeitschrift f. d. Gymnasialwesen) 1862 p. 217.

τρον ἱκέσθαι dicuntur, Hom. Il. XI, 225. Od. XI, 317. XVIII, 216. XIX, 532. Hesiod. O. et D. 132, quique in ea versantur, ἥβης μέτρον ἔχειν, ut apud Theognidem v. 1115: ἥβης μέτρον ἔχοιμι φιλοῖ δέ με Φοῖβος Ἀπόλλων. Itaque qui ταὐτὸν ἥβης μέτρον cum altero habet, is in eodem cum altero gradu adolescentiae esse dicitur. — Offendit autem Elmsleium elisio terminationis in εἶχ' ἄν, cuius generis quae alibi extant exempla omnia corrigendo removere studet*). Nempe pleraque eiusmodi sunt, ut facili negotio mutari possint, eaque causa fuit ut manum iis admoveret. Nam etiamsi forte delicatioribus auribus eam elisionem displicere potuisse concesseris, adeo tamen intolerabilem visam esse, ut nunquam admitteretur, ego quidem haudquaquam affirmari posse credo. Quodsi quis tamen corrigendum nostrum locum putet, probabilius certe cum Elmsleio scribamus σοὶ ταὔτ' ἂν ἥβης, εἴπερ ἦν, εἶχεν μέτρα, quam, quod Hermanno in mentem venit, σοὶ ταὐτὸν ἥβης εἴπερ ἦν ἔχων μέτρον. Pluralem μέτρα Elmsleius posuit, quia ταὐτό, singulari numero, ab usu tragicorum alienum esse putabat: et poterit sane ille pluralis, μέτρα pro μέτρον, uno aut altero exemplo comprobari, velut in epigrammate apud Rossium, Inscript. fasc. II no. 118, εἰς μέτρα δ' ἥβης ὡς ἀνηρχόμην: sed in hoc tamen Creusae versiculo nihil obstat quo minus μέτρον scribatur, siquidem illam de ταὐτό inusitato opinionem iustis finibus coercendam esse ne ipsum quidem Elmsleium fugisse videtur. Cf. Ellendt. Lex. Soph. I p. 269. In Hermanni autem coniectura, in qua ἔχων non de puero intelligi, de quo εἴπερ ἦν dictum est, sed ad χρόνος, in versu superiore, referri vult, magnopere me praeter structurae duritiem offendit ipsius locutionis insolentia. Nam χρόνος ἥβης μέτρον ἔχων, etiamsi quis forte haud absurde dici potuisse defendat, vix tamen a quoquam dictum esse arbitror. Et retractavit ipse Hermannus istam coniecturam in praefatione p. IX, sed aliam nihilo probabiliorem commentus est, σοὶ ταὐτὸν ἥβης, εἴπερ, εἶχεν ἂν μέτρον, quam quidem, licet aliquid perversitatis habere videri concedat, quoniam proprie intelligendum esset εἴπερ εἶχε ταὐτὸν ἥβης μέτρον, sic tamen defendere conatur, ut dicat, proprium id habere ellipsin, ut saepe, quod omissum sit, minus explicate cogitetur, ac proinde etiam in ista, quam proposuit, conformatione orationis recte illud, quod caput rei sit, intelligi posse: si pervenisset ille ad hoc aetatis. Nempe hoc, opinor, volebat, ad

*) Assentitur Elmsleio Nauck. Eurip. Stud. I p. 22. et II, 182.

εἴπερ sola verba *μέτρον ἥβης εἶχεν*, non autem *ταὐτόν* neque *ἄν* subintelligendum esse, quippe quae verba ad apodosin tantum pertinerent, ut plena oratio haec foret: *εἴπερ μέτρον ἥβης εἶχεν, σοὶ ταὐτὸν ἂν εἶχεν*. Merito has argutias sprevit Hartungus: miror autem quod ipse scripsit *σοὶ ταὐτὸν ἥβης, εἴπερ ἔστ', ἔχει μέτρον*, adeoque ne ferri quidem posse *εἴπερ ἦν* affirmat, quippe quod nunquam significare possit si superesset (wenn er wäre). Scilicet corrigendi studium tantopere nonnunquam virorum etiam doctissimorum mentem obnubilat, ut vel notissimarum rerum immemores fiant. Et quo magis mireris, Hartungus secum ipse pugnat, quum in conversione vernacula scripserit: Er hätte, lebt' er, gleichen Altersgrad mit dir.

De proximorum versuum distributione ambigitur. Nam quum vulgo v. 369

ἀδικεῖ νιν ὁ θεός, ἡ τεκοῦσα δ' ἀθλία

Ioni tribuatur, eumque excipiat Creusae versus

οὔκουν ἔτ' ἄλλον ὕστερον τίκτει γόνον,

Hermannus hos versus transposuit, hunc alterum Ioni tribuens, ut is interroget, nonne alium postea partum illa mulier ediderit, altero autem versu, in quo *οὐ τεκοῦσα* pro *ἡ τεκοῦσα* scribi vult, Creusa id non factum esse respondeat. Mihi is ordo, quem codices habent, servari posse videtur. Nam quod Hermannus ait, non debuisse Ionem, si dei iniustitiam vituperare vellet, ad acceptam modo aetatis notationem respondere, quippe quae nihil ad facti iniquitatem pertineat, hoc argumentum sic tantum valeret, si tantummodo de aetate, non etiam de interitu pueri quum a Creusa (v. 368 *εἴπερ ἦν*), tum ab ipso Ione (v. 367 *διαπεπραγμένῳ*) dictum esset. Nunc igitur de interitu cogitans non sane inepte Ion dei iniquitatem, qui puerum interire passus sit, accusat. *Ἀδικεῖν* enim, praesenti tempore, non de iis solum dicitur, qui hoc ipso tempore iniuriam faciunt, sed est saepenumero idem quod *ἄδικον εἶναι*, ut possit pro eo etiam *ἠδικηκέναι, ἀδικῆσαι* dici, id quod Heindorf. et Bonitz. ad Plat. Protag. § 4. Krüger. ad Dionys. Hal. historiogr. p. 304 aliique multi observarunt. Minus etiam de altero versu assentior Hermanno, quum aptum esse negat sic Creusam loqui, quae non tam novam prolem, quam quem pepererit filium quaerat. Quaerit sane; sed non minus etiam novam prolem exoptat, nunc autem, de amica sua loquens, sortem eius tanto miseriorem esse ait, quod ne alio quidem puero post prioris interitum edito aliquod

saltem doloris solatium habuerit. Quod autem Hermannus insuper addit, frigidum esse illud ὕστερον a Creusa dictum, vereor ne in idem vir summus vitium inciderit, quod in aliis non raro ab ipso reprehensum memini, si quis, qui certis argumentis pugnare nequiret, ad sensum suum nescio quem provocaret et frigoris aut languoris criminatione iacta satis se dixisse crederet. Cur autem in ore Creusae ὕστερον frigeret, nec Hermannus dixit neque a quoquam perspici posse arbitror. Denique negat verba Creusae recte adnexa esse: debuisse enim eam sic potius dicere: ἥ γ' οὐδ' ἔτ' ἄλλον ὕστερον τίκτει γόνον. Potuisse eam sic dicere, ut ἥ referretur ad superiora verba, ἡ τεκοῦσα δ' ἀθλία, nemo negabit; debuisse autem sic, quis demum affirmare ausit? Immo si disertius verba distinguuntur, οὐκ οὖν, aptissimum est οὖν, quo significat Creusa assentiri se Ionis verbis, simulque aliud addit quo magis illud vere dictum esse probet: Misera sane est: ideo ne postea quidem alium peperit, nempe tam vere misera est, ut ne hoc quidem solatium ei contigerit. Potuisset etiam γέ addi, quo magis res extolleretur, et facile γ' inter ἄλλον et ὕστερον excidere potuisse manifestum est. Non improbo igitur Badhamum particulam inserentem: necessariam tamen esse non puto. Adversus Hermannum autem etiam hoc fortasse argumento uti licebit, quod, si versus sic ut ille voluit transponantur, Creusa, οὐ τεκοῦσα δ' ἀθλία dicens, videbitur Apollinem non solum propter pueri interitum, sed etiam propterea accusare, quod illa amica sua ne postea quidem pepererit: quasi Apollo etiam fertilitatis aut sterilitatis mulierum auctor et dispensator esset, quod munus ab eius numine alienum esse equidem credo. Quae enim pro contraria sententia aliquis affere possit, haec quo modo accipienda videantur, in scholiis ad v. 437 aut 484 dicam. Nunc quidem vulgatum versuum ordinem satis defendisse videor[4]).

Subit mox Ionis animum haec cogitatio, minus tamen fortasse iniquum Apollinem fuisse quam Creusae videatur. Quid, inquit, si puerum non perire siverit, sed servaverit et in occulto educaverit? — At, reponit Creusa, sic quoque iniustus dici debet v. 372:

τὰ κοινὰ χαίρων οὐ δίκαια δρᾷ μόνος,

h. e. si communi gaudio solus perfruitur non recte facit.

---

4) Nuper etiam Bellius, Graecus non indoctus, in Philistore I p. 261, eandem quam Hermannus transpositionem versuum commendavit, servans tamen ἡ τεκοῦσα, quum H. οὐ τεκοῦσα vellet.

Τὰ κοινὰ (*χάρματα*) dici apparet ea quae communia utrique parenti esse deberent, quibus qui solus excluso altero fruitur, profecto iniustus est. Haec quin esset sententia non debebat a Badhamo dubitari, cuius ipsius interpretatio „qui palam impune peccat non clam iuste facit“ perquam absurda est. Omitto quaerere, quam apta sententia sit, sed verba tantum spectabo. *Τὰ κοινὰ* igitur significare vult i. q. palam, subaudiendum sine dubio *οὐ δίκαια δρῶν* ratus, *χαίρων* autem i. q. impune, inductus scilicet eiusmodi exemplis, ubi qui aliquid non impune facit *οὐ χαίρων ποιεῖν* dicitur: denique *μόνος* esse i. q. clam. Talia refutare piget. Ceterum fatendum est collocationem adiectivi *μόνος* aliquid offensionis habere. Nam vim eius ad *χαίρων* potius quam ad *δρᾷ* pertinere manifestum est. Mallem scriptum *τὰ κοινὰ χαίρων μοῦνος οὐ δίκαια δρᾷ*. Nam hanc adiectivi formam etiam in iambicis non respui a tragicis certum est.

Ion quum non habeat quod contra dicat, orationem alio convertens suam conditionem non absimilem eorum esse ait, quae Creusa de amica sua narraverit; verum quum Creusa etiam plura in hanc sententiam dictura videatur, huic intercedit v. 375:

μή δή μ' ἐπ' οἶκτον ἔξαγ' οὗ λελήσμεθα,

Sic enim non improbabiliter ab Hartungo correctam arbitror codicum scripturam *καὶ μή γ' ἐπ' οἰκτόν μ' ἔξαγ'* —, in qua *καί* librariorum errore invectum esse e versu superiore, *καί σ', ὦ ξέν', οἶμαι μητέρ' ἀθλίαν ποθεῖν*, perquam credibile videtur*). Hoc vitio sublato reliquum versum alii aliter refinxerunt: ego, ut dixi, Hartungo assentior. Quod autem idem cum Dobraeo, quem etiam Badhamus secutus est, *'λελήσμεθα* scripsit, ut esset plusquamperfectum, praeter necessitatem factum puto.

Obtemperans Creusa Ionis intercessioni non amplius de huius sorte verba facit**), sed revertitur ad amicae illius causam, de qua se oraculum consulturam esse v. 346 professa erat, Ionemque rogat, ut quid faciendum sit porro se doceat. Ion autem rem factu difficilem esse ostendit v. 377.

οἶσθ' οὖν, inquit, *ὃ κάμνει τοῦ λόγου μάλιστά σοι*;

Κάμνειν fere ut *νοσεῖν* de rebus pariter atque de hominibus dicitur male se habentibus et difficultate aliqua laborantibus. Cf. Med. v. 768:

*) Alii *ἃ μή* aut *μή μή*. vid. Usener. N. Mus. Rh. XXIII p. 154.

**) Pro *πέραινε* v. 376 Usener. l. l. vult *'πέρανα*. P. Schmidt autem, hoc repudians, *ὧν μ' ἀνιστορεῖς πέρι* legendum putat.

οὗτος γὰρ ἀνήρ — ᾗ μάλιστ' ἐκάμνομεν — λιμὴν πέφανται τοῖς ἐμοῖς βουλεύμασιν. — *Λόγον* autem h. l. de consilio Creusae accipiendum esse patet, ut in Med. v. 588: καλῶς γ' ἂν οὖν σὺ τῷδ' ὑπηρέτεις λόγῳ. Difficultas autem in eo constat, quod nec Apollo de re, quam ipse celatam voluerit, responsurus, nec de ministris eius quisquam divinare ausurus sit. Quippe, inquit, si in suo ipsius templo Apollo improbitatem suam revelatam viderit, dubitari non potest quin eum, qui huiusmodi vaticinium ediderit, graviter ulturus sit. Igitur desiste de consilio tuo:

ἀπαλλάσσου, γύναι·
τῷ γὰρ θεῷ τἀναντί' οὐ μαντευτέον.

In his dativum τῷ θεῷ non a μαντευτέον sed a τἀναντία pendere vix opus est dicere. Sunt autem τἀναντία τῷ θεῷ non modo quae voluntati, sed etiam quae dignitati atque honori eius contraria sunt; μαντευτέον autem, quod vel de edendo vel de consulendo oraculo dicitur, ut verbum μαντεύεσθαι, hoc quidem loco ambiguam significationem habet, quum non solum de iis, qui responsa petant, sed non minus etiam de iis, qui responsa edunt, accipiendum sit. Nempe fuerunt qui aut incantationibus aut aliis quibusdam artificiis deos etiam invitos cogi posse opinarentur, ut res occultas hominibus aperirent, quam opinionem, posterioribus temporibus pervagatam, etiam Euripidis aetate non defuisse videmus. Cf. Antiquitt. gr. II, p. 332. Huc enim pertinent quae sequuntur v. 383:

εἰς γὰρ τοσοῦτον ἀμαθίας ἔλθοιμεν ἄν,
εἰ τοὺς θεοὺς ἄκοντας ἐκπονήσομεν
φράζειν ἃ μὴ θέλουσιν ἢ προβωμίοις
σφαγαῖσι μήλων ἢ δι' οἰωνῶν πτεροῖς.

De constructione non supervacaneum fuerit monere ἐκπονήσομεν cum nudo accusativo τοὺς θεούς construi nullo modo potuisse, sed tantum cum infinitivo φράζειν, ut accusativus ille pro subiecto potius infinitivi quam pro obiecto verbi ἐκπονήσομεν haberi debeat. Deinde δι' οἰωνῶν πτεροῖς, si sic a poeta scriptum credimus, non aliter explicari potest, nisi ut dativum πτεροῖς tanquam pro epexegemate additum esse dicamus. Displicuit hoc non iniuria Heathio, qui πτεροῖν, et Reiskio, qui paullo audacius μήλων σφαγαῖς ἤ, νὴ Δί', οἰωνῶν πτεροῖς scribi voluit. Equidem nec dualem probo, pro quo pluralem πτερῶν positum mallem, nec transpositionem Reiskianam interpositamque obtestationem; non magis tamen illud epexegema ab Euripidis

manu esse credo, sed imputandum correctori, versus defectum male supplenti. Scriptum olim fuit ἢ δὲ οἰωνισμάτων, quod quum propter compendium scripturae aut alio casu in οἰωνῶν mutatum esset, ut mensuram versus expleret, ineptum illud πτεροῖς additum est. Aptum certe illud alterum esse nemo diffitebitur. Putabantur autem dii aut extorum aut auguriorum signis, si minus aperire res occultas, indicia tamen dare, quorum ope eo perveniri posset. Et Delphis quoque non solum Pythiam Apollinis instinctu vaticinatam, sed extispicia etiam et auguria usurpari solita esse constat. Vid. Antiqu. gr. II, p. 317. 18. — In primo versu Badhamus pro εἰς γὰρ τοσοῦτον reposuit εἰς τοὔσχατον γάρ, supervacanea non minus quam improbabili coniectura[5]). Epiphonema enim est εἰς γὰρ τοσοῦτον, quemadmodum haud raro demonstrativa aut pronomina aut adverbia usurpantur. Sic οὕτω in hac ipsa fabula v. 414. τοῖον γάρ, Hom. Il. XXIII, 16. cf. IV, 390. X, 145. XXIII, 280. Od. IV, 206. τοσοῦτον apud Lucian. Toxar. c. 30. τοιάδε. Eur. Med. 716. tantum, Cic. d. n. d. I, 5, 10. 33, 93. adeo Liv. II, 43, 10 ibiq. Drakenb. Cf. Hand. Tursell. I, p. 152.

In versu 393 Hermannus ex Wakefieldi et Matthiaei coniectura scripsit

οὐκ ὄντα κεκτήμεσθα τἀγάθ', ὦ γύναι.

eumque secuti sunt Hartungus et Badhamus. Stephanus ἀνόητα coniecerat, id quod ex codicum scriptura ἄκοντα non minus facile, immo facilius fortasse quam illud alterum refingi potest. Placuit hoc etiam Reiskio receptumque est a Nauckio.

Sequitur chori sententia v. 395:

πολλαί γε πολλοῖς εἰσὶ ξυμφοραὶ βροτοῖς,
μορφαὶ δὲ διαφέρουσιν· ἓν δ' ἂν εὐτυχὲς
μόλις ποτ' ἐξεύροι τις ἀνθρώπων βίῳ.

multis variisque incommodis vitam hominum conflictari, quae vix unquam uno commodo compensentur. Similis sententia est apud Pindarum, Pyth. III, 81: ἓν παρ' ἐσλὸν πήματα σύνδυο δαίονται βροτοῖς ἀθάνατοι: nisi quod chorus mala aliquanto plura pro portione bonorum hominibus evenire queritur. Ἓν εὐτυχές ut cum Hermanno non modo unum sed etiam continuum bonum significare putemus, nullam causam video. Multo minus probari potest

5) Probavit eam tamen Schenklius in Philolog. XX. p. 330. O. Goram in N. Mus. Rhen. XX (1865) p. 465 conj. εἰς γάρ τ' ἄατον μωρίας, quod nemini facile probabitur.

Hartungi emendatio *πάντα δ' εὐτυχῆ — ἐξεύροις ἄν*, cui equidem, si omnino emendatione opus esset, praeferrem Grotii coniecturam *ἕνα δ' ἂν εὐτυχῆ — βίον*, quam Valckenario quoque placuisse video, Diatr. p. 229.

Creusa autem, licet tolerandum sibi videat quod mutari non possit, exprobrat saltem Apollini iniustitiam. Iniustum, inquit, et hic et illic te praestas erga absentem illam, quae nunc meo ore quasi praesens loquitur: *ἧς πάρεισιν οἱ λόγοι.* In proximo versu Hermannus scripsit

σύ τ' οὐκ ἔσωσας τὸν σὸν ὃν σῶσαί σ' ἐχρῆν,
οὔϑ' ἱστορούσῃ μητρὶ μάντις ὢν ἐρεῖς,

quum in codicibus aut *σὺ δ' οὐκ* sit aut *σύ γ' οὐκ*, quorum si alterum utrum praeoptandum sit, praestet haud dubie *σύγ' οὐκ*, quemadmodum Hartungus scripsit. Nam *γέ* saepissime idem fere esse quod *γάρ* nemo nescit (cf. Buttmann. ad Soph. Phil. v. 456. ad Demosth. Mid. p. 46, Schaefer. appar. crit. ad Demosth. I, p. 784), neque id mirabitur qui hoc ipsum *γάρ* nihil nisi *γὲ ἄρ* esse meminerit, et primitivam illius voculae vim asseverativam esse agnoscat, fere ut nostrae particulae ja, quae et ipsa non raro usurpatur ubi eorum quae ante dicta sunt ratio redditur, id quod non sine quadam asseveratione fieri consentaneum est. Cf. quae diximus in libro de partt. or. p. 196 et Curt. Etymol. gr. II, p. 103. Pronomen *σύ* in initio collocatum sic explicaveris, ut cum emphasi quadam efferri dei personam dicas: tu, qui deus es ac proin facile servare filium poteras, tamen eum non servasti. Et emphasin etiam Hermannus agnovisse videtur, quum convertat: nec tu fecisti officium tuum, nec matrem suum ut facere possit adiuvabis. Mallem tamen, inquit, liber aliquis praeberet *ὅς οὔτ'*, et Dobraeus quoque *ὅς γ' οὔτ'* suasit, quam coniecturam Badhamus elegantissimam dicit. Non intercedo: miror tamen nemini in mentem venisse *οὔτ' οὖν*. Nam si semel a librariis *σύγ'* pro *οὔτ'* scriptum esse sumas, necesse fuit etiam sequens *οὖν* in *οὐκ* mutari. Aptissimum certe in hoc contextu *οὔτ' οὖν* fuisse nemo diffitebitur. Cf. Hom. Il. XVII, 20: *οὐ μὲν καλὸν ὑπέρβιον εὐχετάασϑαι· οὔτ' οὖν παρδάλιος τόσσον μένος οὔτε λέοντος.* Eur. Andr. v. 327: *καὶ γυναικὶ δυστυχεῖ δούλῃ κατέστης εἰς ἀγῶν'· οὐκ ἀξιῶ οὔτ' οὖν σὲ Τροίας οὔτε σοῦ Τροίην ἔτι.* Et sic de octo sibilantibus, quarum cumulationem Euripidi a comicis exprobrari solitam legimus (vid. Elmslei. ad Med. v. 463. Monk. ad

Hippol. v. 1162. Apitz. ad Soph. Trach. p. 333.) unam saltem detraxerimus. — Mox in versu 402,

ὡς, εἰ μὲν οὐκέτ' ἔστιν, ὀγκωθῇ τάφῳ,

notandum est verbum, quod, quum alibi de tumulo struendo dicatur, ut ab Alexandro Aet. apud Parthenium c. 14, v. 33: ἠρίον ὀγκώσει τὸ μεμορμένον· unde ὀγκωθεὶς τάφος in Anthol. Palat. app. no. 127, 4: ὀστέα δ' ὀγκωθεὶς οὗτος ἔδεκτο τάφος· et ὀγκωτός in Anth. Palat. IX, 117, 2: ἤνυσεν ὀγκωτοῦ Πύρρος ὕπερθε τάφου. — nunc, si vera lectio est, de sepeliendo homine dictum est. Et dicitur sane sic etiam in Orest. v. 402: ἐν ᾗ τάλαιναν μητέρ' ἐξώγκουν τάφῳ, et fortasse alibi; recte tamen de eo tantum dici potest, cuius corpus ad humandum praesto est. Puer autem dudum, ut quidem Creusa credebat, a feris interemptus et devoratus humari et tumulo condi iam profecto non poterat, sed tantum cenotaphium in eius honorem et memoriam erigi. Itaque nisi perquam negligenter et improprie Euripidem scripsisse credamus, pro τάφῳ rescribendum dicemus τάφος. Cf. Anthol. Pal. VII. 651, 6, ubi cenotaphium ipsum loquitur, ἡ κενεὴ χθὼν ὠγκώθην Δρυόπων διψάσιν ἐν βοτάναις.

Pergit Creusa v. 400:

ἀλλ' οὖν ἐᾶν γε χρὴ τάδ', εἰ πρὸς τοῦ θεοῦ
κωλυόμεσθα μὴ μαθεῖν ἃ βούλομαι.

Sic enim Hermannus in primo versu non improbabiliter explevit codicum scripturam ἀλλ' ἐᾶν χρή. — Nam οὖν ante ἐᾶν, γέ inter hoc et sequens χρή, quam facile omitti a librariis potuerit in aperto est. Immerito autem Badhamus hanc emendationem improbans particulas οὖν — γέ ibi demum usurpari posse autumat, ubi quis alterum refutans aliquid afferat, quod sibi vel ab adversario concessum iri arbitretur. Nam profecto si in refutando altero οὖν — γέ dici concedit, quam ob causam easdem particulas etiam ab eo, qui semet ipse reprehendit, quaeque modo dixerat, aliquo modo corrigit aut reprobat, usurpari posse neget non perspicio. Utroque enim modo eadem est earum vis, alterius quidem ut indicet, quae nunc dicantur, propter ea quae modo vel ab altero vel ab ipso dicta sint, dici, ita quidem, ut eorum aut causa et ratio, aut consequentia, aut etiam correctio quaedam et reprehensio subiungatur, quod ubi fit, ἀλλά praemitti solet. Cf. Soph. Oed. Col. v. 1891 ubi Oedipus post facinorum confessionem, quasi corrigendi causa adiungit ἀλλ' ἓν γὰρ οὖν ξύνοιδα κτλ. Γέ autem tantum abest, ut in refutando tantum dici possit, ut in omni oratione

adhibeatur, in qua asseverationi locus sit. Hanc enim genuinam eius vim esse iam supra monuinus. Ceterum quum probabilem Hermanni emendationem diximus, plane certam esse haudquaquam contendimus. Reiskius, quem Hartungus sequitur, ἀλλ' οὖν ἐὰν γάρ scripsit, quod minimo discrimine ab illa distare apparet. Alii graviorem corruptelam subesse rati, aut ἄλλως ἄρ' ἦν χρηστήρι', εἰ πρὸς τῶν θεῶν coniecerunt, aut ἄλλως ἕδη δὴ χρῇ τάδ' εἰ — in quo quid ἕδη esse voluerint, templumne an statuam, et quo exemplo de altero utro verbum χρᾶν usurpari potuisse credant, nolo quaerere. Seidlerus fortasse ὦ τλῆμον in initio excidisse suspicabatur: denique Sanderus in libello animadversionum (Beiträge zur Kritik u. Erkl. des Soph. u. Eur.) Hildesiae a. 1837 impresso, non autem a librariis divulgato sed tantum cum amicis communicato, p. 45, ab Euripide nihil nisi εἰ δ' ἔστιν — ἀλλ' ἐὰν χρὴ τάδε κτλ. scriptum, illa autem ἔλθῃ μητρὸς εἰς ὄψιν ποτέ ab interpolatore quopiam addita esse censebat. Hoc est hariolari: ego vero Hermannum sequi malo.

Mox Xuthum advenientem Creusa conspiciens petit ab Ione, ut de sermone inter ipsos habito adversus illum taceat, verita scilicet ne sibi vitio vertatur, quod clandestinam amicae operam dederit, neve quae dixerit, si evulgata fuerint, secus accipiantur,

καὶ προβῇ λόγος
οὐχ ᾗπερ ἡμεῖς αὐτὸν ἐξειλίσσομεν.

Nauckius scripsit κἀποβῇ λόγος, quia apud Stobaeum Flor. LXXIV, 29 pro καὶ προβῇ a prima manu κἀμ' ὀλῇ, a secunda καὶ μόλῃ scriptum est. Vix autem tanti aestimanda est Stobaei aut eius librariorum auctoritas, ut ad corrigendam vulgatam lectionem satis causae sit: et nescio an, si ἀποβῇ Euripides scripsisset, etiam οἷον potius quam ᾗ scripturus fuerit. Non absimili autem quam Creusa sensu dicit aliquis apud Plautum, Pers. III, 1, 23: inimici famam non ita ut nata est ferunt. Ἐξελίσσειν i. q. alibi ἀναπτύσσειν.

Iam Xuthus accedens primum omnium, ut par erat, deum, cuius aedem aditurus est, salutat, v. 415:

πρῶτον μὲν ὁ θεὸς τῶν ἐμῶν προσφθεγμάτων
λαβὼν ἀπαρχὰς χαιρέτω.

fere ut Agamemnon ap. Aeschylum Ag. v. 810: πρῶτον μὲν Ἄργος καὶ θεοὺς ἐγχωρίους δίκη προσειπεῖν. De ἀπαρχαῖς, primitiis, nunc de prima appellatione dictis non opus est dicere. Deinde ad uxorem conversus:

μῶν χρόνιος ἐλθών σ' ἐξέπληξ' ὀρρωδίᾳ;

cui quum Creusa respondeat:

οὐδέν γ'· ἀφίκου δ' εἰς μέριμναν,

apparet minus esse μέριμναν quam ὀρρωδίαν. Hoc enim gravem timorem atque anxietatem animi significat, alterum autem curam tantum et sollicitudinem. Ἀφικέσθαι εἰς μέριμναν in hoc contextu nihil aliud esse potest, quam advenisti in illud tempus, quum iam sollicita esse coepi de longa tua mora; neque id adeo durum esse puto, ut de corruptela suspicandum sit cum Badhamo, qui ἀφίγμην pro ἀφίκου scripsit. — Quaerit deinde Creusa, quid responsi Xuthus a Trophonio tulerit, v. 419:

λέξον, τί θέσπισμ' ἐκ Τροφωνίου φέρεις,
παίδων ὅπως νῷν σπέρμα συγκραθήσεται;

Sic enim recte haud dubie librorum scriptura συγκαθήσεται a Wakefieldio emendata est. Παίδων σπέρμα est σπέρμα παιδογόνον, semen ad liberos procreandos idoneum, quale ab utroque sexu emitti e misceri oportet ut prolificus existat coitus; et hoc est συγκραθῆναι. Noluit, inquit ille, dei responsa occupare, v. 421:

οὐκ ἠξίωσε τοῦ θεοῦ προλαμβάνειν
μαντεύμαθ' —

De verbo προλαμβάνειν plane eodem sensu quo lat. occupare vid. exempla ab Heldio collecta ad Plutarch Timol. p. 382. Noluit autem Trophonius, utpote non deus sed heros tantum, praeripere quae Apollo certius et maiore cum auctoritate responsurus esset. Creusa vero bonum rei eventum exoptans non Apollinem nunc sed matrem eius Latonam invocat: quippe muliebris et materni doloris illam, et ipsam mulierem et matrem, magis misserituram et apud filium pro se intercessuram confisa. Quae autem addit,

ἅ τε νῷν συμβόλαια πρόσθεν ἦν
ἐς παῖδα τὸν σόν, μεταπέσοι βελτίονα,

non mirum est aliter ab aliis intellecta esse: nam consulto haud dubie Creusa obscurius loquitur. Συμβόλαια quum proprie de contractis cum altero negotiis dicatur, nunc quidem dilatata significatione dici apparet de commercio qualicunque: potuit igitur fortasse etiam de eo genere commercii intelligi, quod inter deos hominesque intercedit precibus votisque eos adeuntes, non minus autem etiam de quovis inter homines commercio et communione, qui aliquam rem communiter agunt. Itaque quum νῷν pronomen manifestum sit ipsam et Xuthum designare, horum duorum συμβόλαια εἰς Ἀπόλλωνα erunt com-

munes preces votaque, quibus eum iam prius licet frustra invocasse videntur, sed contraxerunt tamen iam aliquid cum deo commercii. Nam sic haec construenda esse, *συμβόλαια εἰς παῖδα τὸν σόν*, non, ut nonnulli putarunt, *εἰς παῖδα τὸν σὸν μεταπέσοι βελτίονα*, recte intellectum est a plerisque editoribus, qui haec interpungendo seiunxerunt. Loqui igitur Creusa videri poterat de suis et Xuthi precibus communibus, et meliorem quam antea successum earum optare: atque sic verba eius a Xutho accepta esse huius responsio ostendit, *ἔσται τάδε*: tacita mente autem Creusam de stupro ab Apolline sibi illato cogitare neminem nostrum fallet; neque obstare dicemus pronomen *νῷν*, una cum Creusa etiam Xuthum designans. Nam profecto Creusa illud *συμβόλαιον* inter se et Apollinem stupro contractum etiam ad maritum suum, licet ignarum, pertinere tamen non mediocriter censebat: neque ut arbitror, iniuria. Erravit magnopere Musgravius, quum pronomine isto Creusam et Latonam significari vellet. Quid enim his duabus commune erga Apollinem fuisse dicemus, quod nunc Creusa in melius mutari optaret? Nec minus perversa est Badhami interpretatio, qui prorsus contra disertam Creusae orationem non Latonam ab ea sed Apollinem invocari vult, ut *νῷν* sit mihi tibique, et *παῖδα σόν* filium quem tibi peperi. Denique Heathii commentum, qui *συμβόλαια εἰς παῖδα τὸν σόν* de Trophonii responso, quo Xuthus ad Apollinem remissus sit, accipi voluit, refutari vix quisquam postulabit. — De *μεταπέσοι βελτίονα*, in quo *προληπτικόν* s. anticipatum adiectivi usum nemo non agnoscit, dici non opus est.

Interroganti autem Xutho, v. 427:

ἀλλὰ τίς προφητεύει θεοῦ;

quum Ion respondeat

ἡμεῖς τά γ' ἔξω, τῶν ἔσω δ' ἄλλοις μέλει,

apparet *προφητεύειν* h. l. non de promendis vaticiniis accipiendum esse, id quod ab Ionis officio alienum erat, sed significari illo verbo etiam monita ac praecepta a templi ministris edita, qui quid faciendum esset consultoribus ante quam admitterentur praemonstrarent. Cf. quae diximus ad canticum primum p. 64. De *ἔσω*, ubi *ἔνδον* potius dicendum fuisse videatur, praeter Lobeckium ad Phryn. p. 128 et Lehrsium de Aristarch. stud. Hom. p. 140 non inutile fuerit etiam Krügerum audire de attractione l. lat. p. 309, cui quae opponuntur ab Ellendtio Lex. Soph. I p. 544, non omnia certe satis valida sunt. Hoc quidem loco non inepte aliquam attractionem subesse dixeris, ut de-

signentur quae intromissis facienda sint. — Porro quinam sint illi *Δελφῶν ἀριστῆς*, quibus interna templi curae esse Ion v. 430 dicit, non satis liquet. Vid. Antiquitt. gr. II p. 303. Hoc tantum apparet, antistites quosdam nobiliores designari. Ex Plutarchi autem narratione, de orac. def. c. 51, constat vaticinanti de tripode Pythiae praeter prophetam etiam ex Hosiis quosdam affuisse. — Miretur autem fortasse aliquis Xuthum, quasi nihil amplius observandum sit, statim templum ingredientem [6]). Nam quod dicit v. 432

καὶ γάρ ὡς ἐγὼ κλύω
χρηστήριον πέπτωκε τοῖς ἐπήλυσιν
κοινὸν πρὸ ναοῦ,

ostendit huic sacrificio — hoc enim esse h. l. *χρηστήριον* recte Hermannus demonstravit, — ipsum non interfuisse. Pertinebat igitur, ut videtur, hoc *χρηστήριον* eo tantum, ut exploraretur fasne esset hoc die oraculum consulere responsaque Pythiae petere. Cf. Antiquitt. gr. II p. 302. Et hoc est quod Xuthus dicit *αἰσίαν ἡμέραν* esse, v. 435. Sacrificium autem iam summo mane peractum esse conieceris ex Ionis cantico, v. 91, ubi Pythia iam consedisse in tripode dicta est. Sitne hoc verum, itemque omnibusne, quicunque oraculum consulere vellent, an iis tantum, qui sacrificii illius participes fuissent, aditus ad oraculum dari solitus sit, dubitari potest. Neque enim, opinor, necesse fuit poetae in huiusmodi rebus minoris momenti singula quaeque plane ad veritatem componere. — Abiens Xuthus uxorem iubet ramis supplicibus sumptis deos invocare, ut *εὔτεκνοι χρησμοὶ* sibi contingant, h. e. fausta de liberorum procreatione responsa. Sic enim saepissime Graeci, poetae praesertim, apposito adiectivo utuntur, ubi etiam genitivus substantivi abstracti, si quod suppetat, poni possit, ad significandum scilicet, quo quaeque res pertineat, qualis sit, quamve causam habeat, velut in Soph. Electr. v. 858 *ἐλπίδες κοινοτόκοι εὐπατρίδαι* sunt spes communium liberorum et nobilitatis, apud Pindarum Nem. X, 37 *εὐάγων τιμά* gloria felicium certaminum, apud Soph. Oed. Col. v. 711 *αἶνος εὔιππος, εὔπωλος* laus propter egregios equos, apud Aeschylum Eum. v. 688 *προστροπαὶ πρωτοκτόνοι* supplicationes propter primum homicidium, apud Eur. Med. v. 557 *ἅμιλλα πολύτεκνος* concertatio ob liberorum multitudinem, aliaque

6) In v. 431 sq. *ἔχω δὴ πάνθ' ὅσων ἐχρῄζομεν· στείχοιμ' ἂν εἴσω*, nihil facilius fuit quam *ἔχων* scribi, id quod Badhamus suasit, probante Schenklio in Philol. XX p. 330; mihi supervacaneum videtur.

huius generis plurima, qualia congesserunt Lobeck. ad S. Aiac. p. 101. Schwenk. ad A. Eum. p. 126. Fix. ad Eur. Herc. fur. v. 782 et Matthiaeus gr. gr. § 446 not. 3, c. 4. Etiam δαφνηφόρους κλῶνας v. 436 dici videmus ramos in daphnephoria gestandos, κλῶνας δαφνηφορίας.

Digresso Xutho Creusa „utinam" inquit „Apollo nunc saltem peccata olim in me admissa corrigat." Hoc enim sensu ἀναλαβεῖν, v. 440, accipiendum est, ut apud Sophoclem Phil. v. 1249: τὴν ἁμαρτίαν αἰσχρὰν ἁμαρτὼν ἀναλαβεῖν πειράσομαι. Cf. Wyttenbach. ad Plutarch. I p. 40. De ἀλλά autem qua ratione pro saltem dici potuerit satis dictum est a Matthiaeo gr. gr. § 613. — „Sic" pergit „non quidem plane amicum se erga me praestabit — οὐχ ἅπας φίλος i. q. οὐ παντάπασι φίλος —, sed quod ipsi placuerit, quoniam deus est, accipiam." Haec licet illa abiens secum ipsa locuta sit, ab Ione tamen audita mirationem ei et aliquid etiam suspicionis iniiciunt. Sed, inquit v. 447, quid haec ad me?

ἀτὰρ θυγατρὸς τῆς Ἐρεχθέως τί μοι
μέλει; προσήκει γ' οὐδέν.

Sic enim corruptam codicum scripturam προσήκει τ' οὐδας de Reiskii coniectura Hermannus aliique post eum editores refinxerunt; Nauckius eumque secutus Kirchhoffius cur προσῆκόν γ' οὐδέν praeoptaverint nescire me fateor, neque ex eo quod apud Iustinum de monarchia p. 108 ed. Col., ubi hi versus afferuntur, προσῆκέ μ' οὐθέν scriptum legitur, maiorem commendationem huic emendationi accedere posse arbitror. De γέ particula, quae in illa duorum membrorum compositione fere i. q. γάρ significat, dictum supra est ad v. 400. — Hinc Ion ad propria neocori munera exsequenda conversus facere tamen non potest, quin iniquitatem Apollinis illo a Creusa memorato casu probatam vehementer reprehendat verbis ad Euripidis potius contemptum deorum fabulosorum quam ad adolescentuli neocori personam accommodatis. Νουθετητέος δέ μοι Φοῖβος, ait v. 450, τί πάσχει; παρθένους βίᾳ γαμῶν προδίδωσι. Canteri coniecturam τί πάσχων merito etiam Badhamus sprevit, alias ipse huiusmodi emendatiuncularum paullo cupidior. Non infrequens est τί πάσχει sic ἀσυνδέτως dictum. Cf. Hippolyt. v. 342: τέκνον τί πάσχεις; συγγόνους κακορροθεῖς; Aristoph. Pac. v. 385: εἰπέ μοι τί πάσχετ' ἄνδρες; ἔσται' ἐκπεπληγμένοι. Verbum γαμεῖν minus proprie sed admodum frequenter apud poetas etiam de iis dici, qui cum virgine non sibi nupta concumbunt monuimus ad prolog. v. 10.

in proximo membro παῖδας — θνήσκοντας ἀμελεῖ accusativum pro genitivo ponere Euripides potuit propter similitudinem significationis cum eo quod est περιορᾷ [7]). Neque adeo rarum est hoc genus permutationis, ut construantur verba non cum eo casu, quem nativa ipsorum significatio poscit, sed cum alio, non quidem eiusdem sed propinquae tamen significationis verbis apto, quorum proinde significationem illa quoque induere poterant. Huc pertinent maxime verba affectuum, de quibus diximus ad v. 267. Sed eiusdem generis est, quod ὑπερφέρειν, προφέρειν, διαφέρειν, ubi superandi significationem habent, cum accusativo construuntur ad exemplum verbi νικᾶν, item ἐξίστασθαι e. c. τὸν κίνδυνον pro φεύγειν, ἐντρέπεσθαί τι pro τινός, iam a Prisciano XVIII, 25 § 211 commemoratum ex Alexide, ubi est fere i. q. αἰδεῖσθαί τι. Et καταμελεῖν cum accusativo constructum idem Priscianus l. l. § 230 ex Antiphonte affert. — Porro μὴ σύγε usitata est vetandi et dehortandi formula cuius alterum exemplum habemus infra v. 1350, aliquae apud Pflugkium ad Hecub. v. 408. — Proximorum verborum lectio, καὶ γὰρ ὅστις ἂν βροτῶν κακὸς πεφύκῃ, ζημιοῦσιν οἱ θεοί, quin recte a Barnesio ex Iustino recepta sit pro ea, quam codices habent, ὅστις ὢν βροτῶν κακὸς πεφύκει, nemo dubitat. Quod autem Hermannus autumat, etiam ὅστις ὢν βροτὸς κακὸς πέφυκε non minus apte dici potuisse, vereor ut probari possit. Nam additum istud participium aut causalis aut conditionalis (s. continuativae) aut concessivae enuntiationis sensum inferret, quasi Ion mortalitatem aut causam malitiae aut conditionem opportunam aut contrariam diceret, quorum nihil eius menti satis convenire credo. — In versu 457 ἀδικίαν ὀφλισκάνειν eodem modo dicitur, quo apud Sophoclem Antig. v. 924 τὴν δυσσέβειαν ἐκτησάμην, vitio ipso pro vitii exprobratione nominato. Eiusdem generis est δειλίαν καὶ κάκην κεκτήσεται apud Euripidem Iph. Taur. v. 682 et quod infr. v. 614 legimus μωρίαν λήψομαι. Alia haud absimilia olim a me in Observatt. in Thucydidem proposita repetiit Poppo in commentar. I p. 250. — In proximis versibus

εἰ δ' — οὐ γὰρ ἔσται, τῷ λόγῳ δὲ χρήσομαι —
δίκας βιαίων δώσετ' ἀνθρώποις γάμων,
ναούς, τίνοντες ἀδικίας, κενώσετε.

---

7) Quae a Matthiaeo citatur annotatio Heindorfii ad Plat. Phaed. p. 184, nihil huc pertinet. Nam loquitur ibi Heindorfius tantum de ἀμελεῖν cum infinitivo, ut ἀμελήσας λέγειν est apud Platonem, similiaque apud eundem in Alcib. I p. 113 c. et Xenoph. Cyr. VII, 2, 17, quorum prorsus diversam rationem esse apparet.

γάρ rationem indicat, cur hypothetice tantum loquatur. Poterat enim εἰ δέ — χρήσομαι γὰρ τῷ λόγῳ κεἴπερ οὐκ ἔσται, et praeferendum hoc fuisse dixeris, nisi metrum obstitisset. Δίκας βιαίων γάμων de poenis pecuniariis intelligendas esse sequens versus ostendit. Etiam iure Attico crimen violentae stuprationis, si quis stupratori βιαίων actionem privatam intenderet, pecunia lui solitum; poterat autem etiam ὕβρεως actio, quae publica erat, intendi, condemnatoque mortis poena irrogari. Cf. de ord. iudic. Att. p. 323 et 545. — Mox v. 462

τὰς ἡδονὰς γὰρ τῆς προμηθίας πάρος
σπεύδοντες —

utrum προμηθίας an, quod Hermanno placuit, προμηθείας praeferendum sit, nolo disceptare. Correptae penultimae exempla non rara esse nemo ignorat. Confidentius Badhamo obloquar, qui cum Coningtono πέρα pro πάρος rescribendum censuit, eiusque correctionis auctoritatem a Iustino petit, apud quem πέρας legitur. Potuit sane πέρα dici: potuit autem etiam πάρος, siquidem hoc adverbium non solum de eo, quod tempore praecessit, sed etiam de eo, quod aestimatione praestat ac praefertur, dici memineris. Sic in proximo stasimo v. 499: ἐμοὶ μὲν πλούτου τε πάρος βασιλικῶν θαλάμων τ' εἶεν τροφαὶ κήδειοι κεδνῶν τέκνων. Itaque τὰς ἡδονὰς πάρος τῆς προμηθίας σπεύδειν idem est atque μᾶλλον ἢ τὴν προμηθίαν aut πρὸ τῆς προμηθίας, quemadmodum κέρδος αἰνῆσαι πρὸ δίκας est apud Pindarum Pyth. IV, 140. ἐπαινεῖν πρὸ δικαιοσύνης ἀδικίαν apud Platonem Republ. II, p. 361. ᾧ θυμὸς ἦν πρὸ δίκας apud Eurip. Heracl. v. 925.

Absoluta hac enarratione maximam partem e scholis nostris olim habitis excerpta, id quod nonnullorum causa monere haud ab re fuerit, iam eo praevertimur, quod nunc quum maxime nobis agendum est.

Indicimus igitur **Regis Augustissimi** patris patriae boni fortis constantis sacra natalicia die crastino hor. XII. in auditorio maximo ab universitate nostra celebranda omnesque quicunque rebus nostris favent, magistratus regios et urbicos, civiles et militares, omnesque omnium ordinum cives atque hospites ut coetui nostro frequentes adesse velint qua decet observantia et reverentia invitamus.

Dabamus Gryphiswaldiae d. XXI. m. Mart. MDCCCLXIV.

ANIMADVERSIONES DIORTHOTICAE.

Consilium erat diu intermissam Euripideae Ionis enarrationem hoc tempore resumere, et quemadmodum tribus programmatis ann. MDCCCLIX, MDCCCLX et MDCCCLXI editis prologum eius fabulae, primum canticum et chori parodum interpretati sumus, sic nunc primum episodium pertractare, quod est a v. 237 ad 451; sed intercesserunt rursus huic consilio variae causae, quas commemorare hoc loco nihil opus est. Itaque ne prorsus tamen sine aliquo nostro prooemio hic index scholarum prodiret, expromere notulas quasdam diorthoticas statuimus dudum in coniectaneis nostris delitescentes, non omnes fortasse reiectaneas, aut, si nihil aliud, pagellis saltem aliquot periturae chartae implendis suffecturas. Initium fiet ab Ionis loco, in primi stasimi epodo, v. 498 (512 Herm.), ubi nymphae Agraulides saltare ante Minervae aedem dicuntur

συρίγγων
ὑπ' αἰόλας ἰαχᾶς
ὕμνων, ὅταν αὐλίοις
συρίζῃς, ὦ Πάν,
τοῖσι σοῖς ἐν ἄντροις.

Haec qui sana esse crediderunt non quaesivisse videntur, quo iure fistulae cantus, qui sine voce ac verbis est, ὕμνων ἰαχὰ dici potuerit: nam ὕμνοι carmina tantum vocari solent. Unus, quod sciam, Badhamus corruptum locum esse animadvertit; sed quae ab eo proponitur emendatio, ποίμναις pro ὕμνων, nemini facile probabitur. Equidem non dubito quin μίμνων scribendum sit, mutata, ut par est, interpunctione. Pan, alias ipse cum nymphis saltare solitus, Νύμφαις ὀπαδὸς ὀρχη-

στῆς, ut est in scolio apud Athenaeum XV, 50, nunc in specu suo sub arce residens saltantes Agraulides spectat fistulaque iis accinit.

In eiusdem fabulae altero episodio v. 589 (603) verba Ionis haec leguntur:

εἶναί φασι τὰς αὐτόχθονας
κλεινὰς Ἀθήνας οὐκ ἐπείσακτον γένος.

Verissime autem Hermannus monuit, si quis *τὰς αὐτόχθονας Ἀθήνας* pro subiecto, *οὐκ ἐπείσακτον γένος* pro praedicato accipiat, id quod in hac verborum collocatione fieri necesse est, perquam inepte hoc praedicato nihil aliud dici quam quod iam in appositione dictum sit. Nam *οὐκ ἐπείσακτον γένος* quid est aliud quam *αὐτόχθονες*? Senserat hoc etiam Wakefieldius, ac proinde *φησὶ πᾶς* scribendum suaserat, ut sic utrumque epitheton in praedicato esset, alteri, *αὐτόχθονας*, altero, *οὐκ ἐπείσακτον γένος*, tanquam disertiore adiecto. Similiter res se habebit Hermanni coniectura admissa, qui *σάς* pro *τάς* scribendum suspicabatur, constructionemque verborum hanc esse: *εἶναί φασι σὰς κλεινὰς Ἀθήνας αὐτόχθονας, οὐκ ἐπείσακτον γένος*. Mihi hoc minus etiam quam illud alterum placet, propter mirificam et prorsus incredibilem verborum structuram. Neque tamen librorum lectionem probandam censeo propter manifestam appositionis et praedicati *ταὐτολογίαν*. Debetur haec fortasse glossatori cuipiam, pervagatum neminique ignotum Athenarum epitheton ponenti pro altero non magnopere diverso, nec tamen plane eiusdem significationis, *παλαίχθονας*. Et *παλαίχθων* populus Atheniensium dicitur etiam in epigrammate apud Aeschinem or. in Ctesiph. p. 580 § 190. Anthol. Pal. Append. no. 362:

τούσδ' ἀρετῆς ἕνεκα στεφάνοις ἐγέραιρε παλαίχθων
δῆμος Ἀθηναίων.

In altero stasimo eiusdem fabulae v. 692 vulgo legitur:

ἔχει δόλον τύχαν θ' ὁ παῖς
ἄλλων τραφεὶς ἀφ' αἱμάτων.

in quo *τύχαν* Tyrwhittus esse vult fortunam dolo et astu comparatam, alii sinistram (nobis scil. et herili domui) fortunam, Hermannus autem miro quodam et nimis arguto acumine cohaerere autumat *τύχαν ἄλλων ἀφ' αἱμάτων*, idque esse *τύχην ἀλλογενῆ*, quod ipsum tamen quid sit et quemadmodum hoc loco conveniat explicare supersedit. Merito haec omnia Hartungus respuit: sed quod ipse posuit, *ἔχει δόλον κρύφιον ὁ παῖς*, nimis a codicum scriptura

distat. Multo probabilius est ἔχει δόλον τέχναν θ' ὁ παῖς: nam haec duo vocabula τύχα et τέχνα quam facile a librariis permutari potuerint in aperto est, permutataque sunt etiam aliis locis non paucis, quorum unum, Aeschyl. Agam. v. 1128, δολοφόνου λέβητος τύχαν σοι λέγω, nuper demum Weilius correxit. Δόλον τέχναν τε dictum est per ἓν διὰ δυοῖν, ut technici vocant, pro δολίαν τέχνην, quod vulgo dici solet, extatque e. c. in theogonia Hesiodea v. 160. 540. 547 et alibi saepius. — Sed etiam in proximo versu ἄλλων vix verum est. Neque enim praecessit aliquid, cui hoc ἄλλων opponi dicatur, et, si quis tacite aut Creusam aut Erechthidarum stirpem subintelligi velit, hoc quidem, alio sanguine puerum creatum esse, quum cuivis apertum esset, vix opus erat nunc commemorari, neque tanquam gravissimum et maxime indignandum extolli. Nam, ut paullo post, v. 839, paedagogum senem profitentem audimus, ἁπλοῦν γὰρ ἦν ἂν τὸ κακόν, εἰ παρ' εὐγενοῦς μητρὸς εἰσῴκισ' οἴκους: longe gravius autem, si alienus ille puer ne ex nobili quidem aut saltem ingenua matre, sed ex ancilla quapiam procreatus esset, quemadmodum idem senex v. 819 suspicatur: λαβὼν δὲ δοῦλα λέκτρα νυμφεύσας λάθρα τὸν παῖδ' ἔφυσεν, et v. 837: ἀμήτορ', ἀναρίθμητον, ἐκ δούλης τινὸς γυναικός. Et sane huiusmodi suspicio tam in promptu erat tamque veri similis, ut etiam choro in mentem venire debuisse videatur. Scribendum igitur suadeo δούλων τραφεὶς ἀφ' αἱμάτων.

V. 653 codices habent θῦσαί θ' ἅ σου πρὶν γενέθλι' οὐκ ἐθύσαμεν. Mihi pro θῦσαί θ' rectius θύσας scribendum esse videtur. Hoc enim Xuthum dicere debuisse arbitror, velle se communis mensae initium facere (κοινῆς τραπέζης ἄρξασθαι) ad epulum commune accumbentem peractis antea sacris filii nataliciis. Dubitari enim non potest, quin post peracta demum sacra illa ad epulandum accumbere voluerit et potuerit, idque recte significabitur per participium θύσας, superiori πεσών subordinatum: qualem subordinationem in duorum participiorum compositione frequentissimam esse nemo nescit. In vulgata lectione sacrificium post epulum sequi debuisse videbitur.

Eiusdem fabulae v. 743 (756) Creusae paedagogum senem et aegre clivum enitentem baculi auxilio uti iubentis haec verba legimus:

βάκτρῳ δ' ἐρείδου περιφερῆ στίβον χθονός,

in quibus etiamsi quis accusativum στίβον cum verbo ἐρείδου constructum sic fortasse tueatur, ut per quandam brachylogiam ἐρείδου dictum esse statuat pro eo, quod plenius dicendum esset ἐρειδόμενος

ἀνάβαινε, - quod genus brachylogiae aliquot exemplis haud absimilibus defendi posse fatendum est, — tamen senis responsio

καὶ τοῦτο τυφλὸν ὅταν ἐγὼ βλέπω βραχύ,

dubitare non sinit, quin Creusa non de levanda baculi ope molestia ascendendi, sed de praetentando flexuoso tramite dixerit. Id Hartungus intelligens in Creusae verbis pro περιφερῆ posuit κἀφόρα. Mihi probabilius videtur ἐρεύνα pro ἐρείδου scribendum esse, ut apud Senecam Oedip. v. 656 senex est

baculo senili triste praetentans iter.

Nam quod Badhamo in mentem venit,

βάκτρῳ δ' ἐρείδου παραφόρου στίβον ποδός,

non modo propter duorum vocabulorum mutationem improbo, sed etiam propterea, quod πόδα quidem ἐρείδεσθαι dici potuisse censeo, vix autem στίβον ποδός.

V. 1106 minus considerate Badhamus et Dindorfius Dobraei coniecturam ξέναι pro κλειναί receperunt. Est enim qui loquitur (θεράπων) sine dubio unus e Creusae famulis, id quod non modo e v. 1109 apparet, ubi ξύνδουλος ab huius ancillis dicitur, sed etiam ex verbo θηρώμεθα, quo ipse v. 1111 periculum Creusae imminens etiam ad sese pertinere significat: quippe boni servi quae dominis accidunt non aliena ab se esse deputant. Itaque quum κλειναί, quod codices habent, ferri non possit, neque κλεινήν, quod Reiskius reposuit, satis aptum hoc loco videatur, equidem φίλαι verum esse arbitror.

V. 1404 Creusam dixisse arbitror σφάζοντες οὐν δήσαιτ' ἄν, respicientem ad superiora Ionis verba, δεῖτε δ' ὠλένας. Non poteritis, inquit, me vincire nisi me occidatis. Codicum scriptura οὐ λήγοιτ' ἄν commode explicari nequit.

Assentior autem Badhamo in v. 1577 (1597); ubi de quattuor Ionis filiis quattuor tribuum eponymis futuris Minerva vaticinatur,

ἐπώνυμοι γᾶς κἀπιφυλίου χθονὸς
λαῶν ἔσονται —

pro genitivo ἐπιφυλίου nominativum ἐπιφύλιοι scribendum esse. Nam ἐπιφύλιος, cuius vocabuli alterum exemplum non extare videtur, pro terrae epitheto haberi posse eo sensu, quem Hermannus, licet dubitanter, proposuit, ut significet terram tribubus permissam earumque potestati subiectam, non adducor ut credam: et deberet sic etiam ἐπίφυλος potius quam ἐπιφύλιος terra dici. Hartungi correctio,

ἐπώνυμοι τῆς τετραφυλίου χθονός —

etiamsi quis *τετραφύλιον* terram defendere conetur *τριφυλίας* exemplo, quod nomen regionis in Peloponneso fuit, tamen alteri correctioni multo leniori non erit praeferenda. *Ἐπιφύλιοι* autem quin ii, qui tribubus praesunt, recte dici potuerint, nemo, opinor, dubitabit. Similiter *ἐπιλιμένιος* dicebatur Neptunus portuum praeses, aut etiam *ἐπιλίμνιος*, et *ἐπιπυργία*, *ἐπιπυργιδία*, etiam *ἐπιπυργῖτις* Minerva, a *πύργοις*, quo nomine apud nonnullos, veluti Teios eorumque colonos Abderitas, etiam pagos appellatos esse inscriptiones docent.

Eurip. Hecub. v. 189 sqq.:

Σφάξαι σ' Ἀργείων κοινὰ
ξυντείνει πρὸς τύμβον γνώμα
Πηλείδα γέννα.

Iam olim de lectione et interpretatione horum versuum dubitatum esse scholia demonstrant; aut enim *κοινᾷ γνώμᾳ*, dativo casu, scriptum fuisse docent, verbaque sic constructa: *γέννα Πηλείδα κοινᾷ γνώμᾳ Ἀργείων ξυντείνει σε σφάξαι πρὸς τύμβον*, aut *κοινὰ γνώμα*, casu nominativo, hac verborum constructione: *κοινὰ γνώμα Ἀργείων ξυντείνει σφάξαι σε πρὸς τύμβον Πηλείδα, γέννα*, ut *γέννα* sit vocativus, Polyxenam, quam Hecuba alloquitur, designans; quamquam aliis magis placuit *γέννᾳ*, dativo casu, cum *Πηλείδα* coniungendo, ut significaretur Neoptolemus Pelidae filius, cui hoc concessum Argivorum consensu diceretur, ut Polyxenam immolaret. Sunt igitur tres sententiae, quarum una quaeque etiam inter recentiores unum aut alterum adstipulatorem habuit. Mihi nulla satis placet, minimeque omnium illa, quam alter scholiastes praestare putat, ut *γέννα* vocativus sit, quo filiam Hecuba alloquatur. Scripsit fortasse Euripides *Πηλείᾳ γέννᾳ*, Peleio filio, h. e. Achilli, pendetque hic dativus a verbo *σφάξαι*. *Πηλεία γέννα* pro *Πηλέως γέννα*, adiectivum pro genitivo, ut *Δεινομένειον παῖδα* Pindarus Pyth. II, 18, *Τελαμώνιον υἱόν* Homerus dicit. Adiectivum *Πήλειος*, licet alibi nec ab Homero nec a tragicis usurpatum, per se ipsum nihil offensionis habet, extatque etiam in epigrammate *Πήλειον δόρυ*. Cf. Iacobs. ad Anthol. tom. III p. 573.

Hippolyt. v. 78 sqq.:

ὅσοις διδακτὸν μηδὲν ἀλλ' ἐν τῇ φύσει
τὸ σωφρονεῖν εἴληχεν εἰς τὰ πάνθ' ὁμῶς,
τούτοις δρέπεσθαι, τοῖς κακοῖσι δ' οὐ θέμις.

Valckenarii emendationi, *ἀλλά γ' ἡ φύσις*, Monckius merito praetulit Porsonianam *ὅστις διδακτὸν μηδὲν* — : nam quae sic quoque restat

numeri incongruentia, ὅστις — τούτοις, haudquaquam insolita est facilemque habet explicationem. Sed hanc ipsam tollere licet admissa emendatione, quae mihi olim, et haud scio an aliis quoque in mentem venit, τὸ σῶφρον εἰλήχασιν. Nam post dativum ὅσοις verbum εἰλήχασιν absque diserta mutati subiecti designatione positum neminem offendet.

Helen. v. 35 Iuno dicitur simulacrum Helenae finxisse,

εἴδωλον ἔμπνουν οὐρανοῦ ξυνθεῖσ' ὕπο,

et tuendae praepositionis causa fuerunt qui significari autumarent, illud simulacrum ope aetheris confectum esse, idque comprobari etiam versu 616, ubi elabens simulacrum dicit: πατέρ' εἰς οὐρανὸν ἄπειμι, et versu 584, ubi quaerenti Menelao, καὶ τίς βλέποντα σώματ' ἐξεργάζεται, respondet Helena, Αἰθήρ. Quaerere autem ante omnia debebant, unquamne sic alibi ὑπό dictum a quoquam sit aut dici potuerit de eo, cuius aliquis auxilio in opere faciendo utatur; id donec probatum fuerit, equidem ἀπό reponendum esse censeo, quod Reiskium quoque voluisse video. Non enim auxilio nescio quo Caeli aut Aetheris Iunonem in fingendo simulacro usam arbitror, sed materiam ex aethere sumptam in mulieris formam condensasse. Quod quum aetheris natura, ex Euripidis quidem sententia, ipsa animabilis esset vitalemque spiritum in se haberet, — quemadmodum etiam Stoici censebant (vid. Cic. d. n. d. II, 36, 91. et 45, 117.), hinc Helena recte Menelao id, quod supra posuimus, respondere potuit, quod quo modo accipiendum sit, etiam proxima verba ostendunt, ὅθεν σὺ θεοπόνητ' ἔχεις λέχη, h. e. ἀφ' οὗ vel ἐξ οὗ, neutiquam autem ὑφ' οὗ. De permutatis librariorum errore praepositionibus ἀπό et ὑπό dicere nihil opus est. Etiam apud Hesiodum, theog. v. 414 non ὑπ' οὐρανοῦ cum Goettlingio e plerisque codicibus, sed ἀπ' οὐρανοῦ cum paucioribus scribendum esse monui in Opusc. II p. 216.

Eiusdem fabulae v. 354 vulgo legitur

ἢ ξιφοκτόνον δίωγμα
λαιμορύτου σφαγᾶς
αὐτοσίδαρον ἔσω πελάσω διὰ σαρκὸς ἅμιλλαν,

et λαιμόρυτον σφαγάν Euripides dixisse creditur vulnus aut caedem gutturis stillantis, s. vulnus sanguinem e gutture eliciens. Id mihi parum credibile videtur. Euripidem scripsisse arbitror ξιφοκτόνον διωγμὸν αἱμορύτου σφαγᾶς.

Ib. v. 678 Menelai ad Helenam verba sic scripta sunt,

τάδ' ἐς κρίσιν σοι τῶνδ' ἔθηχ' Ἥρη κακῶν;

quae quum nullam aptam huic loco sententiam habeant, corrupta esse manifestum est. Musgravius scribi voluit

τί δ' ἐς κρίσιν σοι τήνδ' ἔθηχ' Ἥρη κακόν;

idque convertit: Cur Iuno propter hoc iudicium malum tibi conscivit? non autem quemadmodum Pflugkius refert: τί — κακῶν; quid malorum per hoc iudicium Iuno tibi attulit? Nam hoc quidem absonum esse ostendit Helenae responsio, Κύπριν ὡς ἀφέλοιτο —, quippe qua non quid malorum, sed quo consilio mala ipsi a Iunone imposita sint, indicetur. Praeterea ἐς κρίσιν nunquam per iudicium significare potest; potest propter iudicium significare, siquidem hoc propter usurpatur de rebus omnibus, quarum respectu aliquid agitur, sicut εἰς de iis, ad quas in agendo respicitur sive ad quas id quod agitur pertinet. Itaque melior sane Musgravii lectio et interpretatio, quam quae a Pflugkio subdita est; melior etiam quam quod Reiskius coniiciebat: τί δὲ κρίσιν σοι τήνδ' ἔθηχ' Ἥρη κακῶν; quod convertit: ob quam vero rem Juno tibi posuit iudicium horum malorum? i. e. quare Iuno decrevit in te haec mala? — melior denique, quam quod Fixio in mentem venit: τί δ' ἐς κρίσιν σοι τῶνδ' ἔθηχ' Ἥρη κακόν; quod ipse interpretatur: quid vero harum rerum propter iudicium tibi Iuno vertit in damnum? Nam hoc refutare non opus est. Equidem igitur aut assentiendum Musgravio censeo, aut scribendum, quod mihi olim in mentem venit:

τί δ' ἐς κρίσιν, σ' εἰ τῇδ' ἔθηχ' Ἥρη κακῶν;

si te Iuno, (quemadmodum dixisti), in haec mala (huc malorum) coniecit, quid hoc pertinet ad iudicium (Paridis de pulchritudine trium dearum, cuius Helena in superiore versu mentionem fecerat)?

Praepositionem εἰς, ea significatione ut indicetur, quo quid pertineat et quam ob causam fiat, restituendam puto etiam Bacch. V. 808, ubi vulgo scribitur

καὶ μὴν ξυνεθέμην τοῦτό γ' ἐστὶ τῷ θεῷ.

Verba sunt Bacchi, humana forma induti et ministrum se dei simulantis, ad Pentheum, qui quum ille se bacchantes mulieres coram adducturum promisisset, id ex composito fieri suspicatus erat, ne bacchandi finis foret:

ξυνέθεσθε κοινῇ τάδ', ἵνα βακχεύητ' ἀεί.

Responsum Bacchi Hermannus sic refinxit, ut pro καὶ μήν scriberet κεἰ μή, hac sententia: etiamsi non pactus sum, hoc quidem deo est, h. e. hoc ille suum sibi habet neque eripi sibi patietur, scil. ut semper bacchemur. Non ineptam hanc sententiam esse fatendum est, nec difficilem correctionem, quum praesertim in cod. Pal. μή scriptum sit, quamquam littera ν supra scripta. Alii τοῦτό γ', ἴσθι coniecerunt, minus probabiliter: ego nihil mutandum puto, nisi distrahendas litteras male coniunctas: καὶ μὴν ξυνεθέμην τοῦτό γ' ἔς τι τῷ θεῷ: et sane hoc quidem mihi cum deo convenit propter aliquam rem, quibus verbis, consulto obscuris et ambiguis, paratam Pentheo per bacchantes necem innuit. Vidi autem postea in eandem coniecturam etiam Kirchhoffium incidisse.

Eiusdem fabulae versu 505 sic scribendum suspicor:

οὐκ οἶσθ' ὅ τι χρή σ', οὐδ' ὃ δρᾷς, οὐδ' ὅστις εἶ.

quum in codicibus sit ὅτι ζῇς οὐδ' ὁρᾷς οὐδ' ὅστις εἶ. Et ὃ δρᾷς quidem iam alii reposuerunt; productam ante χρή syllabam tuebuntur Seidlerus ad Eur. Electr. v. 1053. Reisigius coniect. I p. 101. Dindorfius ad Aristoph. Ach. v. 545.

In Sophoclis Oedipode R. v. 1463 verba Oedipodis filiarum suarum curam Creonti commendantis haec leguntur:

Ταῖν δ' ἀθλίαιν οἰκτραῖν τε παρθένοιν ἐμαῖν,
αἷν οὔ ποθ' ἡ 'μὴ χωρὶς ἐστάθη βορᾶς
τράπεζ' ἄνευ τοῦδ' ἀνδρός, ἀλλ' ὅσων ἐγὼ
ψαύοιμι, πάντων τῶνδ' ἀεὶ μετειχέτην,
ταῖν μοι μέλεσθαι.

Sed in secundo versu illud ἡ 'μή propter sequentia verba ἄνευ τοῦδ' ἀνδρός non immerito subtiliores criticos offendit. Nam sive quis χωρίς cum βορᾶς coniungat: qua ratione Oedipus suam mensam sine cibis nunquam absque semet filiabus appositam dicat, intelligi nullo modo potest; sive quis cum Erfurdtio βορᾶς τράπεζαν coniungat, χωρίς autem per se solum accipiat pro seorsum, idque mox per ἄνευ τοῦδ' ἀνδρός explicari, rursus mirabimur, qua ratione mensam absque sese tamen suam mensam dicere voluerit. Hanc ob causam fuit qui pro ἡ 'μή interiectionem οἴμοι scriberet, parum probabiliter; Hartungus οὔποτ' ἤδη scripsit idque significare ait nunquam adhuc, quo sensu haec duo adverbia inter se coniungi solita nullo exemplo probari potest. Scripsit fortasse Sophocles

αἶν οὔποτ' ἦν ἡ χωρὶς ἐστάθη βορᾶς
τράπεζα.

Βορᾶς τράπεζαν cum Erfurdtio de mensa cibaria accipere tanto minus dubito, quo minus *τράπεζαν χωρὶς βορᾶς*, mensam sine cibis, cuiquam apponi solitam credo. Nam si cui victus denegatur, ei non vacuam, sed nullam mensam apponi consentaneum est. Ut ego arbitror, Oedipus dicit, filiabus nunquam ullam mensam seorsum et absque se appositam esse. Nam *οὔποτ' ἦν ἡ* idem est atque *οὔποτέ τις*. Cf. Xenoph. Hell. VII, 5, 17: *τῶν πολεμίων ἦν οὓς ὑποσπόνδους ἀπέδοσαν*. h. e. *τῶν πολεμίων τινάς*.

In eiusdem fabulae v. 328 codicum lectionem

ἐγὼ δ' οὐ μήποτε
τἄμ', ὡς ἂν εἴπω μὴ τὰ σ', ἐκφήνω κακά,

non nego quidem sic, ut a me factum est, interpunctam explicari aliquo modo posse: valde tamen perplexam et obscuram orationem esse fatendum est. Quid igitur? si scribamus

ἐγὼ δ' οὐ μήποτε
ἄνωγας εἴπω, μὴ τὰ σἀκφήνω κακά.

planiorem certe orationem fecerimus, nec nimis longe a codicum scriptura discesserimus.

In Aeschyli Supplicibus mulierum progenitorem suum Epaphum invocantium verba sic in codicibus scripta sunt, v. 45 sqq.

Ἶνιν
ἀνθονομούσας προγόνου βοός, ἐξ ἐπιπνοίας
Ζηνὸς ἔφαψιν ἐπωνυμίᾳ δ'
ἐπεκραίνετο μόρσιμος αἰὼν
εὐλόγως Ἔπαφόν τ' ἐγέννασεν.

Qui post *ἔφαψιν* interpunxerunt, necesse est hoc vocabulum pro appositione habuerint ad *Ἶνιν* pertinente, ut ille filius, quem Io Iovis afflatu et contactu peperit, ipse *ἔφαψις* Iovis diceretur: quod equidem fieri debuisse nego. Mutandam igitur censeo interpunctionem, commate post *Ζηνός* posito, pro *ἐπωνυμίᾳ* autem scribendum *ἐπωνυμίαν*. Hanc adiectivi formam tuebitur Pindari auctoritas, qui Olymp. IX, 95 carmen epinicium *ἐπωνυμίαν χάριν νίκας ἀγερώχου* dicit, et Pyth. I, 30 Aetnam urbem ab Hierone conditam *ὄρους ἐπωνυμίαν πόλιν*. Et quum *ἐπώνυμος* modo de eo dicatur, quod ab aliquo nomen habet, modo de eo, unde nomen alicui impositum est, sic etiam

ad aliorum analogiam factum, quum praesertim non solum *μηνίειν* sed etiam passiva forma *μηνίεσθαι* dicatur, velut ab ipso Aeschylo in Eumen. v. 101: *οὐδεὶς ὑπέρ μου δαιμόνων μηνίεται.* Itaque terra recte *μηνιτὴ* dici potuit plane ut latine irata.

Versum 338 editores plurimi sic scripserunt:

τίς δ' ἂν φίλους ὠνοῖτο τοὺς κεκτημένους;

in quo quum *φίλους* commode explicari non possit — nam perversas nonnullorum interpretationes nihil moror — Hermannus *φιλῶν* scripsit, idque interpretatur sic, ut ad praegressam regis interrogationem, *πότερα κατ' ἔχθραν* — respondere puellas dicat: Sane odimus: quis enim amans sibi emat quibus serviendum sit? Quidni autem etiam amans mulier virum amatum, licet ei serviendum sit, tamen emat, h. e. dotis oblatione sibi conciliet? Et qua ratione hae puellae illud *ὠνεῖσθαι τοὺς κεκτημένους* de sese dicere potuerunt, quae quum omni modo Aegyptiadarum nuptias aversarentur, empturae sibi hos dominos videri profecto nemini possent? Rectius, opinor, scribemus *φίλως*, idque interpretabimur „libenter", quemadmodum est in Il. IV, 347: *νῦν δὲ φίλως χ' ὁρόῳτε καὶ εἰ δέκα πύργοι Ἀχαιῶν ὑμείων προπάροιθε μαχοίατο*, Hesiod. Scut. v. 45: *ἀσπασίως τε φίλως τε ἑὸν δόμον εἰσαφίκανεν.* Puellae libertatis amantes nullo modo fieri posse aiunt, ut libentes volentesque viris nubant, quibus non modo serviendum sed etiam dos offerenda sit. Ad hanc sententiam comparari possunt verba Medeae hanc mulierum sortem conquerentis, apud Euripidem v. 232:

γυναῖκές ἐσμεν ἀθλιώτατον φυτόν,
ἃς πρῶτα μὲν δεῖ χρημάτων ὑπερβολῇ
πόσιν πρίασθαι, δεσπότην τε σώματος
λαβεῖν.

De vers. 786 ex Krusii annotatione intelligo, quod mihi scribendum visum est, occupatum esse a viro docto in Museo Rhen. X p. 525; quamobrem id hoc loco repetere nolo.

In Sept. adv. Theb. V. 702 libri habent

Νίκην γε μέντοι καὶ κακὴν τιμᾷ θεός,

qualem sententiam nec per se probabilem neque hoc loco aptam esse apparet, ubi chorus Eteoclem a pugna cum fratre dehortatur. Hermannus scripsit

Νίκῃ γε μέντοι καὶ κακὸν τιμᾷ θεός.

idque convertit: at victoria etiam improbos ornat deus, dici

autem ait dehortandi Eteoclis causa, ne ad certamen cum fratre abeat, quod deus interdum etiam improbo (nunc quidem Polynici) victoriam impertiat. Et sane apta huic loco sententia est, recteque ad hanc Eteocles respondere potuit non decere virum fortem de eo quod vinci ab improbo adversario posset cogitare. Minus aptum autem verbum *τιμᾷ* in chori admonitione, quandoquidem di improbos, etiamsi interdum victoriam iis concedant, non tamen hoc honoris eorum causa faciunt, sed alia quapiam ratione permoti. Scripserit Aeschylus, *νικήν γε μέντοι καὶ κάκῃ νέμει θεός*.

Agam. V. 19. miror a Schneidewino aliisque spretam esse certissimam emendationem *δεσποτουμένου* pro *διαπονουμένου*, quam, dudum a me in scholis propositam, aliis quoque placuisse et ab Engero nuper in repetita Klauseniana editione receptam esse video. Nam qui ad tuendam vulgatam eiusmodi exempla afferunt, quale est hoc, quo Schneidewinus utitur, apud Polyb. IV, 45, 7: *ἔχοντες γὰρ χώραν γενναιοτάτην, ὅταν διαπονήσωσι ταύτην καὶ γένηται τῶν καρπῶν πλῆθος τῷ κάλλει διαφέρον κτλ.* non reputarunt scilicet, aliud esse agrum cum labore colere, aliud domum gubernare.

Ibid. V. 55:

ὕπατος δ' ἀΐων ἤ τις Ἀπόλλων
ἢ Πὰν ἢ Ζεὺς οἰωνόθροον
γόον ὀξυβόαν τῶνδε μετοίκων
ὑστερόποινον
πέμπει παραβᾶσιν Ἐρινύν.

Pronomen *τῶνδε* in versu tertio, h. e. vividam demonstrationem tamquam praesentium, hoc loco vix aptam esse sensit Engerus (in ed. Teubneriana ann. 1855), senseratque etiam Hermannus, qui propter hanc causam *τῶν δέ* scribendum censuit, ad superius participium *ἀΐων* subaudiens *ἐστί*, ut sic duo membra per *δέ* necterentur. Hanc rationem, licet probatam Feodoro Rhodio, adolescenti doctissimo dignoque Haasianae disciplinae alumno (in Diss. de Aesch. Ag. episod. quarto, Vratisl. 1858. p. 33.) non immerito ab Engero spretam esse arbitror. Quid igitur, si Heimsoethi, glossematum indagatoris, exemplum aemulantes, etiam hoc loco *μετοίκων* glossatori imputandum statuimus, aliud rarioris usus vocabulum hoc magis trito explicanti? Scripsit igitur fortasse Aeschylus *τῶν μεταναστῶν*, cuius vocabul interpretationem solemnem *μέτοικος* fuisse Hesychius docet. Et sane prorsus eadem est utriusque significatio. Semel autem recepto

μετοίκων, versus explendi causa *τῶν* a correctore in *τῶνδε* mutari necesse fuit. Quo sensu autem vulturii deorum vel *μετανάσται* vel *μέτοικοι* dicti sint, recte perspexit Schol. ad Soph. Oed. Col. v. 934: *μετοίκους γὰρ εἶπε τῶν ὑψηλῶν τόπων τοὺς οἰωνούς*. Cf. nostr. Antiqu. gr. tom. II p. 271 ed. sec.

In eodem cantico v. 70 de significatione *ἀπύρων ἱερῶν* multi multa perquam incredibilia commenti sunt, quae percensere hoc loco nolo. Me quidem nondum poenitet eorum, quae ante hos undecim annos in Gottingensi conventu philologorum proposui, quum *ἀπύρων ἱερῶν ὀργάς* iram deorum esse dicerem propter non oblata sacrificia, quo sensu etiam Humboldtus convertit: ob der Opfer vermisseter Flamme. Neque argumentis refutatam hanc interpretationem adhuc a quoquam vidi. Quis enim negare ausit, *ἄπυρα ἱερά* etiam ea dici potuisse quae non incensa h. e. non oblata essent? Eodem plane modo apud Euripidem in Helena, v. 1332, *πολέων δ' ἀπέλιπε βίος, οὐδ' ἦσαν θεῶν θυσίαι, βωμοῖς τ' ἄφλεκτοι πέλανοι*, ut ipse contextus huius loci docet, non dicuntur imposita quidem aris sed ab iratis numinibus spreta liba, sed omnino non oblata neque incensa ab hominibus malorum gravitate aut absumptis aut obstupefactis, et in Hippolyto, v. 147, chorus Phaedrae morbum ab irata Diana immissum suspicans, *σὺ δέ*, inquit *ἀνίερος ἀθύτων πελάνων τρύχει*, h. e. propter liba non oblata morbo vexaris: omninoque haud raro *α* privativum sic usurpatur, ut non simpliciter significationem eius vocabuli, quicum componitur, tollere et in contrarium vertere dicendum sit, sed tantum ut actionem eam, quae illo vocabulo designatur, omissam indicet, id quod etiam per negationem *οὐ* aut *μή* cum participio fieri potuit. Sic apud Euripidem in Ione, v. 258, *ἐπὶ δ' ἀσφάκτοις μήλοισι δόμων μὴ πάριτ' ἐς μυχόν* nihil aliud est quam *μήλων μὴ ἐσφαγμένων*, et in Sophoclis Antigona, v. 552, ubi Ismene sorori ad mortem se paratam esse professae respondet: *ἀλλ' οὐκ ἐπ' ἀρρήτοισι τοῖς ἐμοῖς λόγοις*, quid aliud quam negat morituræ illi a se non dicta esse quibus a consilio revocaretur? Igitur quemadmodum hoc loco *ἐπ' ἀρρήτοις λόγοις* est i. q. *οὐκ εἰρημένων λόγων*, in Ione *ἐπ' ἀσφάκτοις μήλοις* i. q. *μήλων μὴ ἐσφαγμένων*, in Helena *ἄφλεκτοι πέλανοι* i. q. *οὐ πέλανοι φλεγόμενοι ἦσαν*, in Hippolyto *ἀνίερος* i. q. *οὐχ ἱερεύσασα*, *ἄθυτοι πέλανοι* i. q. *πέλανοι οὐ τεθυμένοι*, sic apud Aeschylum *ὀργαὶ ἀπύρων ἱερῶν* i. q. *ὀργαὶ ἱερῶν μὴ πυρωθέντων* h. e. *μὴ τυθέντων*, deorum

irae propter sacrificia non oblata. Quodsi quis forte etiam demonstrari sibi postulet, quaenam et a quonam debita sacrificia non oblata dicantur, praeter necessitatem curiosus est. Nam generalem sententiam esse vel hoc documento est, quod in praecedentibus versibus mala pariter Troianis quam Graecis impendere dicta sunt, unde manifestum fit non de uno quopiam delicto alterius utrius populi, nedum unius certi hominis cogitandum esse. Et participia quoque ὑποκαίων, ὑποκλαίων, δακρύων nihil nisi generaliter de quovis dicta sunt, qui sic deorum iram placare studeat: cuius generis exempla qui requirat, affatim vel apud Matthiaeum inveniet gr. Gr. § 271 not., vel apud Bernhardyum Synt. p. 317. — Ceterum quum fuisse virum doctum videam, qui quum ἄπυρα ἱερά in hoc Aeschyli loco explicari posse desperaret, resecandis duobus illis vocibus difficultatem amoliri conaretur — fuit is J. C. Schmitt, in observ. crit. in Aeschyl. Ag. Mannhemii 1859 editis, — huic opponam contrarium medicinae genus a quodam auditore meo excogitatum. Is enim, quum in scholiis ἄπυρα ἱερά de νηφαλίοις accipi videret Parcis aut Furiis offerri solitis, de quibus in hoc quidem qui nunc est contextu cogitari non posse intelligeret, excidisse aliquot verba suspicabatur, quibus ea numina designata essent, e. c.

ἀπύρων ἱερῶν μειλίκτροισιν
τῶν πραξιδικῶν
ὀργὰς ἀτενεῖς παραθέλξει.

In versu 98 qui codicum lectionem αἰνεῖν tuentur, veram huius verbi vim a se ignorari ostendunt, quae quidem eiusmodi est, ut nunquam simpliciter pro λέγειν vel δηλοῦν dicatur, sed semper habeat aliquam iudicii et voluntatis, consensus, approbationis, laudis, admonitionis adsignificationem. Nam quod Schneidewinus autumat, αἰνεῖν dici etiam de eo posse, qui aliquid, quod fortasse celandum sit, expromat, mera est hariolatio, minimeque omnium comprobatur exemplo, quod ille citavit, Choephor. v. 187, ἐγὼ δ' ὅπως μὲν ἀντικρὺς τάδ' αἰνέσω —, in quo quilibet, nisi forte caecutire malit, consentiendi et approbandi vim agnoscet. Erravit de verbi αἰνεῖν significatione etiam Hermannus ad Choeph. v. 276, quum non modo hunc Agamemnonis versiculum recte se habere putaret, sed compararet etiam v. 1440, ἦ μέγαν οἴκοις τοῖσδε δαίμονα καὶ βαρύμηνιν αἰνεῖς, in quo manifesta est iudicii professio, et incertae fabulae fragm. no. 305, γένος μὲν αἰνεῖν ἐκμαθὼν ἐπίσταμαι Αἰθιοπίδος γῆς, ubi quo sensu illud αἰνεῖν dictum sit universae orationis contextu

ignorato haudquaquam apparet. In Choephororum autem versu 276, ubi codices habent τὰς δὲ νωνόσσους aut τὰς δὲ νῶν, νόσους, non certe quod ille voluit τὰς δ' αἰνῶν νόσους scribendum est, sed alia emendatio circumspicienda. Mihi in mentem venit ἀσθενῶν νόσους σαρκῶν: sed id quoque non satis placet. In Agamemnonis autem v. 98 teneo quam dudum proposui sententiam, scribendum esse καὶ Θέμις αἰνεῖ, h. e. quod Fas approbat scil. te dicere, h. e. quod te dicere fas est. Nemo veterum poetarum probe gnarus sic Themidis personam induci mirabitur, non magis quam Eum. v. 392:

λέγειν γ' ἄμομφον ὄντα τοὺς πέλας κακῶς
πρόσω δικαίων, ἦδ' ἀποστατεῖ Θέμις.

Nec absurde nuper Lehrsius in Annal. philol. LXXXV p. 304 etiam apud Sophoclem, Antig. v. 94, ἐχθρὰ δὲ τῷ θανόντι προσκείσει Δίκῃ scribendum iudicavit, personam ultricis Iustitiae intelligens, cui Ismena obnoxia futura sit. De Agamemnonis loco Weilius hactenus quidem mihi assentitur, ut αἰνεῖν propter significationem ferri non posse agnoscat; approbantem autem Themidem improbat, ideoque non mecum αἰνεῖ, sed ἡμῖν scripsit, quod pronomen si cum λέξασ' aut λέξαις construi voluit, id propter collocationem vix probari potest, sin cum θέμις, hoc absonum esse apparet.

De loco omnium vexatissimo, v. 105, nondum quemquam vidi, qui quid esset σύμφυτος αἰών et qua ratione is αἰών aut inspirare ἀλκάν aut ipse ἀλκᾷ σύμφυτος esse diceretur, demonstrare probabiliter potuerit. Nam quicunque hunc locum aut sic, ut in codicibus scriptus est, aut leviter mutatum, sed sic ut αἰών retineretur, interpretari conati sunt, incredibiles quasdam verborum significationes aut perversam sententiam Aeschylo obtrudere, quam librariis errorem in verbo αἰών pro αἴδειν (ᾄδειν) scripto imputare maluerunt. Nolo nunc repetere quae in Opusculis III p. 161 sqq. proposui; hoc tantum dico, si non vera, certe aliquanto saniora esse, quam quae ab aliis prolata sunt. — V. 185 in codicibus legitur μάντιν οὔτινα ψέγων, quam lectionem Schneidewinus frustra tueri conatus est comparata latina structura pronominis negativi prorsus diversi generis. Scribendum esse μάντιν οὐκ ἔτλα ψέγειν, quod mihi dudum in mentem venerat, etiam Jacobus Maehly commendavit, Annal. phil. XCV p. 432.

Etiam in versu 231 vereor ne librariorum reverentia interpretibus fraudi fuerit. Chori verba de immolata Iphigenia sic scripta sunt:

ἔβαλλ' ἕκαστον θυτήρων
ἀπ' ὄμματος βέλει φιλοίκτῳ,
πρέπουσά θ' ὡς ἐν γραφαῖς
προσεννέπειν θέλουσ' —.

Ἐν γραφαῖς iam a scholiasta cod. Medic. lectum esse eius annotatio ostendit: ἢ διὰ τὸ κάλλος ἢ διὰ τὸ ἀφωνητεῖν: et horum alterutrum etiam recentiores interpretes plerique amplectuntur: formosa ceu picta imago, ait Schützius, mutam mavult Klausenius, Blomfieldus utrumque, Schneidewinus utrumvis probat. De insolita dicendi forma omnes tacent. Nam sive πρέπουσα de formositate accipitur, πρέπουσα ὡς ἐν γραφαῖς necesse erit dictum credi pro eo quod plenius dicendum erat πρέπουσα ὡς ἐν γραφαῖς τινὲς πρέπουσι, nempe si pulchrae formae depictae sint, id quod haudquaquam in omnibus picturis fieri quis nescit? sin de mutis imaginibus cogitare quis mavult, sunt sane omnes imagines mutae, sed perpaucas tamen sic pictas esse dicemus, ut alloqui spectatorem velle videantur, quamobrem rursus idem quod ante subaudiendum erit. Id interpretibus tam facile factu visum, ut collatis quibusdam locis, ubi ἀγαλμάτων aut εἰκόνων γεγραμμένων similitudo aut pulchris aut mutis ac silentibus tribuitur, satis omnia plana esse putarint. Horum ego fortitudinem, quamvis admirer, aemulari tamen non possum. Facilius intelligerem πρέπουσά θ' ὡς ἐν σφαγαῖς προσεννέπειν θέλουσα scil. τοὺς θυτῆρας: speciem praebens quasi quae inter mactationem etiam alloqui mactantes vellet, in quos modo oculorum miserabile telum coniecisse dicta est. Aptum certe hoc esse nemo negabit; et perquam convenienter etiam huic ἐν σφαγαῖς opponuntur statim πατρὸς ἀνδρῶνες εὐτράπεζοι, in quibus illa olim cantare solita fuerit. Quodsi quis tamen iniuriam librariis fieri clamitet, qui sic errare non potuerint, ut pro σφαγαῖς e. c. γασφαῖς scriberent, unde post a correctore γραφαῖς factum sit, — quamquam a nostris quidem typographis saepenumero etiam gravius errari videmus, — tali critico meam suspicionem magnopere displicere aequo animo feram, non minus quam quod v. 381 ἀρά pro Ἄρῃ, ἐγγὺς οὖσ' pro ἐγγόνους, aut v. 476 ὀξὺς pro ὄσσοις, aut v. 1134 μάτην pro μαθεῖν eiusmodi librariorum cultoribus displicuisse video, iisdem nimirum qui etiam v. 1601 λάκτισμα δείπνου de immani et infando Atrei facinore recte dictum esse aut ἀρᾷ τι τιθέναι pro καταρᾶσθαί τινος dcii potuisse sibi persuaserunt. Hos igitur frui deliciis suis sinamus.

In epodo tertiae strophae stasimi secundi v. 481 haec leguntur:

Πόλιν διήκει θοὰ
βάξις, εἰ δ' ἐτητύμως
τίς οἶδεν ἤ τοι θεῖόν ἐστι μὴ ψύθος;

Adverbium *ἐτητύμως*, quod in hac quidem verborum structura ferri non posse apparet, Aurato praeeunte in adiectivum *ἐτήτυμος* mutatum, ac deinde pro *ἤ τοι*, item non ferendo, a plerisque *ἤ τι*, a Schneidewino *εἴτε* scriptum est, ut structura evaderet haec: *τίς δ' οἶδεν, εἰ ἐτήτυμος, ἢ* (aut *εἴτε*) *μή τι θεῖον ψύθος ἐστί*. Placere hoc iis tantum potuit, qui perversa collocatione negationis *μή* in Aeschyli versibus non offenderentur: qui autem Aeschylum verba non perverse sed recte atque ordine collocasse censent, hi eum *μή* sic ante *ψύθος* non positurum fuisse intelligent, nisi etiam vim negationis ad hoc vocabulum pertinere eiusque significationem tollere atque in contrarium convertere vellet. *Μὴ ψύθος* autem quid est aliud quam *ἐτήτυμον*? Rectius igitur locum a me emendatum esse puto in hunc modum: *οὐ δ' ἐτητύμως τις οἶδεν, ἤ τι θεῖόν ἐστιν, ἢ ψύθος*. Nam *ἐτητύμως εἰδέναι* quin recte dicatur, nemo dubitabit, dixitque sic Aeschylus etiam infra v. 1297: *εἰ δ' ἐτητύμως μόρον τὸν αὑτῆς οἶσθα*. Porro *οὐ* in *εἰ* quam facile corrumpi potuerit apertum est; *ἐστὶν ἤ* pro *ἐστὶ μή* unius litterae, *ν* pro *μ*, mutatione constat, qua permutatione nihil frequentius est; denique *ἢ — ἤ* pro utrum —an, ut apud Homerum frequens est, sic etiam a tragicis, in choricis praesertim, non alienum esse, licet Hermannus obloquatur, satis certum est. Neque id negavit Schneidewinus, quum emendationem meam refutare studeret, sed tantum *θεῖον* utique cum *ψύθος* coniungendum, non, ut ego volui, ei opponendum fuisse contendit. Numnam igitur *τὶ θεῖον* absque substantivo dici potuisse negabat? Id quidem nemo credet. An vanum potius quam verum rumorem ad deos auctores referendum fuisse opinabatur? Huius opinionis quam causam habuerit, alii viderint. Equidem satis habeo Homericorum aliquot locorum admonuisse, de *ὄσσᾳ*, Iovis missu non falsa sed vera hominibus nuntiante, Il. II, 93. Od. I, 282. II, 216. XXIV, 213. Sic apud Herodotum quoque VII, 16 vano somnio opponitur illud, in quo aliquid divini sit, *τὶ τοῦ θείου μετέχον*. Fallunt quidem nonnunquam dei homines, id quod in Persis chorus profitetur v. 91 sqq., ubi *δολόμητιν ἀπάταν θεοῦ* dicit; nempe eos, quos propter insolentiam aut impietatem oderunt et errore deceptos in perniciem incidere volunt; Argivos autem

innoxios cur falso rumore decipere vellent nulla causa erat. Et si quis de Clytaemnestra, impia muliere, cogitandum dicat, ne huic quidem falso victoriae nuntio quid mali inferre voluerint perspici potest. Sic igitur nihil causae fuisse apparet, cur chorus falsum potius rumorem quam verum a dis ortum existimaret. — In eadem epodo v. 483 pro γυναικὸς αἰχμᾷ scribendum haud dubie γυναικὸς αὐχᾷ, quo vocabulo aptissime facilis mulierum ad gaudia credulitas (Tac. Ann. XIV, 4) et fiducia designatur. Occupatam hanc emendationem ab Jac. Maehlyo video, l. l. p. 440.

In oratione nuntii v. 512

δεκάτῳ σε φέγγει τῷδ᾽ ἀφικόμην ἔτους

iure mireris ineptum dativum δεκάτῳ tam diu ab interpretibus patienter toleratum et nuper demum ab Engero sic ut sana ratio poscebat in genitivum mutatum esse. Sed non minus mirum, in Clytaemnestrae verbis v. 614,

γυναῖκα πιστὴν δ᾽ ἐν δόμοις εὕροι μολών,

optativum εὕροι omnibus, quos quidem ego noverim, recte se habere visum esse, quem ego vitiosum esse contendo, non quo nesciam saepenumero post verba dicendi ac similia, postquam in uno membro infinitivus subiunctus fuerit, ut hoc loco post ἄγγειλον est ἥκειν, in altero optativum etiam absque coniunctione ὅτι aut ὡς subiungi, cuius generis sat multa exempla etiam in trivialibus libris grammaticis congesta sunt, sed quia aoristi optativum ab hoc loco, ubi non de re iam facta sed de futura demum sermo est, prorsus alienum esse intelligo. Nam ἄγγειλον ὅτι εὕροι nihil aliud significare potest, quam nuntia eum invenisse, id quod absurdum esse quilibet fatebitur. Igitur non amplius construenda haec verba dicemus cum verbo ἄγγειλον, sed novam liberamque esse enuntiationem, in qua, quum optativo illi εὕροι locus non sit, scribendum erit ἐρεῖ: mulierem, inquit, fidelem in domo, qualem reliquit, me dicet reversus, h. e. agnoscet ac profitebitur. Cf. infr. v. 1241: καὶ σύ μ᾽ ἐν τάχει παρὼν ἄγαν ἀληθόμαντιν οἰκτείρας ἐρεῖς.

In verbis nuntii v. 649,

πολλοὺς δὲ πολλῶν ἐξαγισθέντας δόμων,

Lobeckius, Act. soc. graec. II p. 301, ἐξαγισθέντας tuebatur comparato verbo ἐκκαθαίρειν, quod non modo de locis, qui purgarentur, sed etiam de rebus diceretur, quae purgandi alicuius loci causa removerentur. Et sane verbi ἐξαγίζεσθαι aliam significationem nullam

esse certissimum est, et si qui aliam ei affingunt, non audiendi sunt. Quis autem ferat viros fortes in bello occisos tanquam purgamina quaedam a Marte sublatos dici? Prudentiores locum emendandum esse, alii aliter, censuerunt: nam aut *ἐκραπισθέντας* aut *ἐξορισθέντας* aut *ἐξαλισθέντας* aut *ἐξαμηθέντας* commendarunt, quorum hoc, quod postremo loco posui, ceteris melius, non tamen praeferendum esse iudico meae emendationi *ἐξανυσθέντας*. *Ἐξανύειν* de interimendis hominibus apud Homerum extare notum est: eodem sensu simplex *ἀνύω* est apud Pindarum Pyth. XII, 20: *Περσεὺς ὁπότε τρίτον ἄνυσσεν κασιγνήτων μέρος*. et in epigrammate ignoti poetae, Anth. Pal. VII, 474: *ἓν φάος Ἀοῦς ἄνυσε τὰν ἱερὰν Λυσιδίκας γενεάν*. Et memini *ἐξανύειν* etiam apud Sophoclem, Electr. v. 96, a Reiskio commendatum esse, quum eo, quod ibi codices habent, *φοίνιος Ἄρης οὐκ ἐξένισεν*, scribendum suaderet *ἐξήνυσεν*. Quamquam illo quidem loco codicum lectionem servari satius erat, quae quo modo explicanda sit praeter eos, qui ab Hermanno laudantur, etiam Meinekius docere potest ad Soph. Oed. Col. p. 208.

In tertii stasimi stropha prima v. 700 a plerisque scribitur

Πολύανδροί τε φεράσπιδες κυναγοὶ
πρὸς ἴχνος πλατᾶν ἄφαντον
κελσάντων Σιμόεντος
ἀκτὰς ἐπ' ἀεξιφύλλους.

Et *πλατᾶν* quidem, pro *πλάταν*, quod codices habent, utique recipiendum fuit: de *κελσάντων* retinendumne an cum *κέλσαντες* permutandum sit ambigitur. Schneidewinus quidem *κελσάντων* retinens Paridem et Helenam intelligi voluit, quumque verbum finitum desit, e versu 798, ubi est *ἔπλευσε*, nunc pluralem *ἔπλευσαν* subaudiendum statuit. Utrumque durum, quum unius Helenae, non etiam Paridis antea mentio facta sit, et persecutores Helenae, qui aliquo post tempore vestigia eius legerunt, proprium sibi verbum poscere videantur. Sensit hoc Hartungus, ideoque *κέλσαν πρὸς Σιμόεντος ἀκτὰς ἀεξιφύλλους* scripsit: mihi cum Aurato aliisque *κέλσαντες* scribendum videtur, verbum finitum autem non ex superiore *ἔπλευσε* subaudiendum, sed restituendum ex epitheto *ἄφαντον*, non inepto quidem sed certe supervacaneo, et in *ἔφανθεν* mutando.

In anapaestis huic stasimo subiunctis v. 803, si codicum scripturam sequimur, Agamemnon a choro vituperatus olim esse dicitur utpote

θράσος ἑκούσιον | ἀνδράσι θνήσκουσι κομίζων.

Pro ἑκούσιον editores ἀκούσιον scribendum censuerunt vel versus vel etiam sententiae causa; θνήσκουσι autem recte dictum crediderunt de viris mortis periculum subituris. Id ego absurdum puto: debebat saltem θανουμένοις dici. Nec tamen amplius probo quod olim proposui ἀνδράσιν ἀποκνοῦσι, sed scripsisse Aeschylum suspicor θάρσος ἑκούσιον ἀνδράσιν ἀέκουσι κομίζων. Et θάρσος quidem, si ἑκούσιον, omnium codicum lectionem, retineamus, scribi necesse est, repositumque proinde etiam a Triclinio in Farnesiano. Sententia autem haec est, ut Agamemno milites nolentes volentes audaciam assumere coegisse dicatur. Obversabatur, opinor, Aeschylo Homericum illud ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ: codicum autem scripturam sic ortam esse crediderim, ut quum initio ἀνδρασιναεκουσι scriptum esset, littera ε in σ corrupta, hinc falsa distinctione ἀνδράσι νάσκουσι, ac dein a correctore θνάσκουσι, θνήσκουσι factum sit.

V. 995 sq. veram lectionem hanc esse puto:

σπλάγχνα δ' οὔτοι μάταν ζεῖ πρὸς ἐνδίκοις φρεσὶν
τελεσφόροις δίναις κυκλούμενον κέαρ.

Subiectum est κέαρ, ζεῖ autem transitivam significationem habet, de qua cf. Lobeck. ad. S. Ai. p. 92. Pertinet huc Hesychii interpretatio ζεῖ· ταράσσει. Construenda igitur verba erunt in hunc modum: κέαρ πρὸς ἐνδίκοις φρεσὶν τελεσφόροις δίναις κυκλούμενον οὔτοι μάταν σπλάγχνα ζεῖ: cor meum iustis praecordiis propinquum, praesagis (s. futuri praenuntiis) fluctibus agitatum non temere intestina mea incendit. Φρένας proprie praecordia esse nemo nescit: his cor propinquum, unde πρὸς φρεσὶν κυκλούμενον dici potuit. Sed etiam mentis sedes praecordia putabantur, eamque ob causam epitheton menti conveniens etiam praecordiis tribuitur. Iusta praecordia sunt, quae quid fas aut nefas sit recte persentiscunt. Hinc in corde excitantur commotiones et curae, quae propter vehementiam δῖναι, fluctus aut vortices, dicuntur, τελεσφόροι autem, utpote futuri eventus praesagae et praenuntiae: atque sic tota intestina quasi incenduntur.

V. 1008 in codicum scriptura καὶ τὸ μὲν πρὸ χρημάτων κτησίων ὄκνος βαλὼν veterem lacunam complemento parum probabili sartam deprehendere mihi videor. Nam epitheton illud κτησίων, etiamsi forte pro eo quod est κεκτημένων accipi posse concedatur, tamen quin prorsus ad sententiam otiosum sit nemo facile diffitebitur: neque de praepositione πρό liquet, utrum ad χρημάτων pertinere di-

cenda sit, an per tmesin a participio *βαλών* seiuncta, nec denique illud *τὸ μὲν* in hoc quidem contextu sive per se solum sive cum *χρημάτων* constructum pro parte aliqua dici potuit, quod recte perspiciens Engerus *τὶ* substituendum suasit. Equidem hunc versum sic olim scriptum fuisse puto:

καὶ τὰ μὲν πρόχειρα τῶν χρημάτων ὄκνος βαλών,

quumque hae octo litterae *χειρα των* propter similitudinem proximi vocabuli *χρημάτων* excidissent, illud *κτησίων* explendi versus causa ab aliquo correctore intrusum. Proiiciuntur autem in naufragii periculo quae maxime navigantibus sub manu sunt, *τὰ πρόχειρα*: proiiciuntur vero non a lubentibus sed ab invitis et metu coactis, quem animorum habitum *ὄκνος* significat. Iactum porro nec citra necessitatem nec supra faciunt, idque significatur proximis verbis *σφενδόνας ἀπ' εὐμέτρου*. De reliquis tribus versibus assentior Engero, sic eos ordinandos esse:

πημονᾶς γέμων ἄγαν
οὐκ ἐπόντισε σκάφος
οὐδ' ἔδυ πρόπας γόμος.

nam *γόμος* pro *δόμος* scribendum esse cum Boissonadio et Ahrensio censeo.

V. 1025 sqq. codices habent

εἰ δὲ μὴ τεταγμένα
μοῖρα μοῖραν ἐκ θεῶν
εἶργε μὴ πλέον φέρειν,

sed quo sensu *μοῖρα μοῖραν εἴργειν* dicatur haud facile intelligi potest. Quid igitur, si *μορτόν* scribamus? Nam *μορτόν* i. q. *βροτόν* esse constat, usurpatumque a Callimacho esse ex Orione p 33, 26 comperimus. Cf. Hesych. s. v. *Πλέον* autem significare dicemus aliquid amplius, scil. quam incertum quoddam et obscurum futuri mali praesagium, quali nunc chorus se angi professus est. Nisi, inquit sors fatalis mortalem arceret (h. e. prohiberet) ne quid amplius a dis acciperet —. Subiungitur apodosis:

προφθάσασα καρδία
γλῶσσαν ἂν τάχ' ἐξέχει,

in qua manifestum est *προφθάσασα* non cum *γλῶσσαν* construi posse, sed subintelligendum esse futurum eventum. Hunc, ait, antevertens cor meum verba statim effunderet, h. e. eloqueretur quid futurum esset. *Γλῶσσαν ἐκχεῖν* eodem sensu

a Sophocle dictum esse iam alii monuerunt, e Stobae. flor. XVIII, 1. Pro τάδ', quod in codicibus est, τάχ' reponendum esse vix quisquam negabit.

V. 1090 (1051) si librarios audimus Cassandra domum Atridarum vocat

ἀνδρὸς σφάγιον καὶ πέδον ῥαντήριον.

In his σφάγιον quidem in σφαγεῖον mutandum esse plerique consentiunt, non sensu tantum sed etiam metro corruptelam arguente; de postremis autem duobus verbis quid faciendum sit magna est dissensio. Πέδον de domo dictum merito offendit, nec minus ῥαντήριον, quod sive quis de lustranda domo sive de inquinata et sanguine conspersa cogitet, passivo sensu accipiendum erit contra analogiam huiusmodi formarum. Activam igitur significationem Hermannus statuens scripsit καὶ πέδοι ῥαντήριον, idque convertit: viri sanguinem humi profundens, coniuncto, inquit, ῥαντήριον cum ἀνδρός aeque ut σφαγεῖον. Magis disertam sanguinis mentionem requirens Engerus φονορραντήριον posuit, simulque ἀνδροσφαγεῖον, ab aliis quoque commendatum, propterea, opinor, quod non de unius tantum viri sanguine cogitandum esse crederent. Nolo ceterorum coniecturas referre satis diligenter in Engeri annotatione commemoratas. Ad codicum lectionem proxime accedit quod mihi in mentem venit,

ἀνδρὸς σφαγεῖον καὶ πεδῶν ῥαπτήριον,

quae verba ad instantem Agamemnonis caedem pertinere nemo non intelliget. Nam ἄνδρα, ubi de domo sermo est, non potest nisi de domino eius domus accipi. Πεδῶν ab Aeschylo iisdem litteris scriptum fuit atque πέδον, nondum usu recepta littera ω neque inventis accentuum signis. Hoc igitur describentibus errorem iniecit. Ῥαπτήριον denique et ῥαντήριον una tantum litterula distant. Πέδας Cassandra vaticinans non inepte peplum illum dicere potuit, quo Clytaemnestra virum tanquam vinculis constrictura erat, quemadmodum idem vocabulum usurpatur Choeph. v. 493 et v. 982, apud Sophoclem autem, Trachin. v. 1057, de veste Nessi cruore imbuta, qua Hercules constrictus expedire se nequibat, ἀφράστῳ τῇδε χειρωθεὶς πέδῃ. Nec inepte domus, in qua hoc vinculorum genus Agamemnoni paratum erat, ῥαπτήριον (pro ἐργαστήριον) dici potuit, non solum quia constabant ea vincula peplo, qui consuendo conficiendus fuerat, sed etiam quia in verbo ῥάπτειν haud raro etiam dolosae et artificiosae machinationis significatio inest.

In versu 1217 (1175), ubi codices habent φροιμίοις ἐφημίοις, pro hoc vocabulo nihil significante, quód errore librariorum ad proximi versus exitum ἐφημένους aberrantium ortum esse apparet, quidnam Aeschylus scripserit certa coniectura indagari posse nemo sperabit. Ingeniosius quam ceteri Hermannus δυσφροιμίοις scripsit; non prorsus tamen fortasse spernendum quod mihi in mentem venit, σαφηγόροις, quum praesertim si prima littera deleta altera obscurata fuit, non admodum dissimilis forma evadat postremo sequentis versus vocabulo, quo facilius falli librarii potuerunt. Σαφήγορα autem haec φροίμια Cassandra recte dicere potuit, siquidem, ut ipsa v. 1179 professa est, non iam obscure, οὐκέτ᾽ ἐκ καλυμμάτων, itemque v. 1184 οὐκέτ᾽ ἐξ αἰνιγμάτων, sed satis plane quae facta et quae futura essent vaticinabatur.

Pariter incerta est coniectura in versu 1236 (1194), ubi librarii Clytaemnestram a Cassandra θύουσαν Ἅιδου μητέρα dici fecerunt. Tentarunt alii alia: Engerus maxime probat Meinekii Ἅιδου κλήτορα. Mihi etiam probabilius videtur Ἅιδου μάστορα. Est enim μάστωρ exactor multarum et poenarum, quo officio funguntur Orci ministrae Erinyes, quibuscum Clytaemnestra apte comparatur.

Paullo post, in versu 1245 (1203) codicum scripturam

κλύοντ᾽ ἀληθῶς οὐδὲν ἐξῃκασμένα

vitiosam esse dudum docui persuasique quum aliis, tum Schneidewino et Ahrensio, quorum alter κλύοντ᾽ ἀληθῆ κοὐδὲν ἐξῃκασμένα, alter κλύοντα μύθοις οὐδὲν ἐξῃκασμένα scribendum censuit, assentientibus Hartungo et Karstenio. Et sane hactenus probanda est Ahrensii coniectura, quod ἐξῃκασμένα recte eo, quo debeat, significatu ponitur, ut sit i. q. ἐοικότα. Nam illa altera, in qua ἐξῃκασμένα pro fictis atque commenticiis accipitur, longe a vero aberrat. Nec minus vana sunt, quae meae emendationi ἀληθῶς οὖσιν ἐξῃκασμένα a Schneidewino opponuntur. Neque enim ἀληθῶς ὄντα de rebus vere gestis, ἃ ἀληθῶς ἦν, dici non potuisse cuiquam qui sapiat persuadebitur, et quod articulum saltem praeponendum fuisse ait, vix ipsum sic statuisse credo, sed iecisse tantum hoc quoque, quo imperitis lectoribus aliquid tamen dixisse videretur. Unam non inanis reprehensionis ansam ipse praebui, quum commemorarem obiter etiam Homericum illud et Hesiodeum ἐτύμοισιν ὁμοῖα, non veritus, ne quis me quid interesset inter hoc et illud non animadvertisse argueret. Sed quo omnem cavillationem praeciderem in altera Emendationum mearum

editione, quae extat in Opusc. tom. III, illam comparationem omittere malui. Iudicent ergo nunc lectores, utrum probabilius ego *οὐδέν* in *οὖσιν*, an Ahrensius *κλύοντ᾽ ἀληθῶς* in *κλύοντα μύθοις* mutaverit, in quo illud quoque quaerendum erit, unquamne aut Aeschylus aut ceteri tragici sic simpliciter *μύθους* dixerint fictas fabulas, id quod ego a nullo eorum factum esse memini. Weilium codicum scripturae patronum refutare non opus est.

Scrib. Gryphiswaldiae d. XX. Iul. ann. MDCCCLXIII.

ANIMADVERSIONES AD ARISTOPHANIS ACHARNENSES.

Apud Aristophanem, Acharn. v. 1150, chorus Antimachum quendam exsecratur his verbis:

Ἀντίμαχον τὸν Ψακάδος τὸν ξυγγραφῆ τὸν μελέων ποιητὴν
ὡς μὲν ἁπλῷ λόγῳ κακῶς ἐξολέσειεν ὁ Ζεύς.

sed de veritate lectionis in versu primo, *τὸν ξυγγραφῆ*, dubitatio nonnullis iniecta est propterea, quod neque mensura versus satis responderet antistrophico v. 1161:

'τοῦτο μὲν αὐτῷ κακὸν ἕν, κᾆθ' ἕτερον νυκτερινὸν γένοιτο,

quippe quum pro choriambo, quem in hoc versu servatum habemus, *κᾆθ' ἕτερον*, in superiore illo diiambus, *τὸν ξυγγραφῆ* sit, neque hoc ipsum epitheton quo modo explicari commode posset intelligerent. Hanc ob causam Elmsleius hoc tanquam glossema quoddam expungendum, restituendam autem genuinam scripturam hanc esse putavit: *τὸν μέλεον τῶν μελέων ποιητήν*, eaque coniectura non modo eius populari Dobraeo placuit, qui eam dexterrimam vocat, sed adoptata est etiam a nostratibus duobus huius fabulae editoribus, Alberto Müllero et Woldemaro Ribbeckio; alii contra, et nuperrime quidem Guil. Dindorfius, traditam ab omnibus codicibus lectionem sibi servandam esse iudicaverunt. Et recte quidem: nam neque ulla probabilis causa exputari potest, qua permotus aliquis glossator, expuncta vera lectione, in qua nihil offensionis erat, tale glossema — quod ne glossema quidem recte appellari potest, — intruserit, et aequabilitati mensurae, si quidem singulos inter se pedes in stropha et antistropha utique exaequandos fuisse statuimus, facile consulere poterimus emendatione omnium lenissima, *καὶ θάτερον*, quod non minus quam illud alterum

κἄθ' ἕτερον dici hoc loco recte potuisse apparet. Ad epitheton autem τὸν ξυγγραφῆ quod attinet, iam veteribus interpretibus non omnibus veram eius vim satis compertam fuisse e scholiis ad Nub. v. 1022 et Suidae loco hinc petito, s. v. Ἀντίμαχος, intelligimus. Ibi enim, posteaquam quattuor eius nominis viri enumerati sunt, quinto loco additur etiam ἱστοριογράφος, scilicet ex coniectura Byzantini alicuius magistri, qui ξυγγραφέας historiarum potissimum scriptores vocari solitos esse noverat. Atqui Antimachi historiographi nulla usquam mentio apud quemquam veterem auctorem facta est, et scholiastae inscitiam vel hoc arguit, quod hunc commenticium suum historicum diversum facit ab illo, quem ipse tertio loco posuit, et Ψεκάδα (pro Ψακάδος) dictum ait, quum ex ipso Aristophane discere potuisset, unum eundemque hominem et Ψακάδος, sc. filium, et ξυγγραφῆ dici. Melioris frugis sunt, quae in scholiis ad Acharnensium locum itemque apud Suidam, qui haec quoque excerpsit, leguntur: ἐδόκει δὲ ὁ Ἀντίμαχος οὗτος ψήφισμα πεποιηκέναι, μὴ δεῖν κωμῳδεῖν ἐξ ὀνόματος, quam annotationem non aliunde nisi ex eruditis Alexandrinorum grammaticorum commentariis in hanc nostram scholiorum farraginem fluxisse res ipsa docet. Illud psephisma quo tempore ab Antimacho latum sit, certo investigari hodie non posse nemo mirabitur. 1) Nam lege coercitam fuisse istam comicorum poetarum licentiam primum archonte Morychide h. e. Ol. 85, 1 (440) e scholiis ad Acharn. v. 65 discimus, annis haud minus quattuordecim ante actam Acharnensium fabulam; sed huius legis latorem Antimachum fuisse ideoque tam longo post tempore ab Aristophane in hac fabula exagitari tanto minus credemus, quod ipsam illam legem iam quarto postquam perlata fuerat anno, ol. 85,4, (436), archonte Euthymene abolitam comicorumque libertatem sive licentiam restitutam esse idem scholiasta memorat. Alium coercendae legibus licentiae comicae auctorem Syracosium quendam nominat schol. ad Av. 1297, huiusque legem Meinekius, Histor. com. 1 p. 41. 42., haud improbabiliter Ol. 91,1 (416), quo anno Arimnestus archon fuit, latam esse statuit, decimo igitur post Acharnenses actam anno. Itaque hanc quoque nihil ad Antimachum pertinere apparet. Sed haudquaquam incre-

1) Cf. Bergk. d. reliq. comoed. att. p. 142 et in A. Schmidt sylloge, Zeitschr. f. Geschichtsw. II p. 201.

dibile videri potest, etiam medio tempore, h. e. inter Arimnestum et Euthymenem, extitisse subinde qui frenare comicorum licentiam legibus, licet frustra, conarentur, horumque unum, et fortasse praecipuum, Antimachum fuisse, eamque ob causam Aristophani ceterisque bilem movisse; et memoriam quandam huius rei ad grammaticorum Alexandrinorum notitiam permanasse ex illis, quae supra posui, verbis intelligi potest. Quamquam non illam unam vellicandi Antimachi causam Aristophani fuisse proximus versiculus demonstrat,

ὅς γ' ἐμὲ τὸν τλήμονα Ληναῖα χορηγῶν ἀπέλυσ' ἄδειπνον,

quibus verbis illiberalis Antimachi parsimonia in choregiae munere arguitur. Sed ad legem ab eo latam, licet non perlatam, sine dubio pertinere dicemus illud epitheton, *τὸν ξυγγραφῆ*, quo non recte intellecto et Byzantinum aliquem magistrum, et recentiores quosdam criticos in errorem inductos esse vidimus. Usitatum autem de ferendis ad populum psephismatis verbum apud Atticos non modo *γράφειν* sed etiam *συγγράφειν* aut *συγγράφεσθαι* est, qua verbi forma utitur e. c. muliercula apud Aristophanem in Thesmoph. v. 439, quae, posteaquam initium rogationis in mulierum conventu exposuit, *τὰ δ' ἄλλα*, inquit, *μετὰ τοῦ γραμματέως συγγράψομαι*, et apud Platonem Gorg. p. 451 B. legum rogatores *οἱ ἐν τῷ δήμῳ ξυγγραψάμενοι* dicuntur, ipsumque *συγγραφεύς* de iisdem usurpatur in Phaedro p. 258 A., unde recte Thomas Magister s. Theodulus, p. 344 Ritsch.: *καὶ τοὺς γράφοντας ἢ ψηφίσματα ἢ ἄλλο τι τοιοῦτον συγγραφέας ἐκάλουν* [2]). De Antimacho autem vix, opinor, aberrabimus coniectura, si eum in eorum numero fuisse putamus, qui frequenter ferendis ad populum legibus sese ingererent, unum *τῶν περὶ τὸ βῆμα*, ut est apud schol. ad. Av. v. 1297, cuius generis maiorem, quam opus erat, multitudinem fuisse quum alii testes, tum multi Aristophanis loci fidem faciunt, quorum unus maxime insignis, in Equitt. v. 1383, ubi *Δῆμος*, h. e. ipse popu-

---

2) Sic igitur codicum lectione satis defensa supersedere poterimus Meinekii coniectura in Vindic. Aristoph. p. 21 proposita, *τὸν ξυρίαν*, quo vocabulo vir doctissimus effeminatos Antimachi mores notari putat, qui ridentur etiam Nubb. v 1022. — Prorsus autem assentior Meinekio, respuendam esse Nauckii sententiam, qui et *τὸν ξυγγραφῆ* et in antistrophico *νυκτερινόν* expungi voluit. Nimirum hoc loco, ut alibi saepiuscule, Nauckius criticam suam paullo violentius exercuit.

lus Atticus, vetere morbo levatus et ad sanam mentem revocatus, quid in posterum de isto genere facturus sit profitetur: *ἀναγκάσω κυνηγετεῖν ἐγὼ τούτους ἅπαντας παυσαμένους ψηφισμάτων*: quumque in Nubibus v. 1018 corruptae disciplinae publicae fructum *γλῶτταν μεγάλην, ψήφισμα μακρὸν* dici, ac statim deinde Antimachi *καταπυγοσύνην* tangi videamus, tanto minus dubitabimus, quin hunc Aristophanes etiam in eodem illo genere numeraverit. Nam ut ab eo, qui in Acharnensibus vellicatur, hunc in Nubibus diversum fuisse credamus, quae nonnullorum opinio fuit [3]), nulla profecto causa est. Ceterum quo iure quave iniuria hunc Antimachum tam contumeliose Aristophanes tractaverit, discerni nunc non potest: cavendum tamen esse dicemus, ne nimis cito comici poetae conviciis fidem adiungamus. Quippe aegerrime ferebat Aristophanes ceterique haud dubie comici libertati suae aut potius licentiae aliquid freni Antimachum si minus imposuisse, certe tamen imponere conatum esse. Neque id adeo mirabimur nova exempla reputantes certorum hominum, qui libertatem suam legibus sancitam imminui clamitant, nisi adversarios, ubi vera argumenta deficiunt, etiam conviciis insectari calumniasque in eos iaculari impune liceat, et leges communes ac legitimi iudicii animadversionem vereri iubeantur.

In eodem cantico v. 1165 alterum malum, quod Antimacho chorus imprecatur, hoc est:

ἠπιαλῶν γὰρ οἴκαδ' ἐξ ἱππασίας βαδίζων,
εἶτα κατάξειέ τις αὐτοῦ μεθύων τὴν κεφαλὴν Ὀρέστης.

De asyntaxia orationis dici non opus est, quippe in qua nemo nisi imperitus haerere possit, neque illud quaero, rectiusne *τὴν κεφαλὴν* scribatur, an *τῆς κεφαλῆς*: licebat enim utrumlibet, ac Dindorfium, qui olim genitivum praetulerat, nunc in nuperrima editione accusativum reposuisse video; sed de Oreste falli eos arbitror, qui vere quendam hoc nomine grassatorem nocturnum Athenis fuisse credunt. Falsam

---

3) Fuit in his etiam scholiasta ad Nub. v. 1023, qui, postquam illum, cuius, ibi *καταπυγοσύνη* notatur, *ὡς κίναιδον καὶ εὔμορφον κωμωδεῖσθαι* dixit, post eum aliquot cognomines enumerans, in his tertio loco *τὸν Ψακάδος*, quinto autem *τὸν ἱστοριογράφον* numerat, non intelligens hunc ipsum, quem ob *ξυγγραφῇ* tepitheton commentus est, *τὸν Ψακάδος* esse. Quumque addit de historiographo *τάχα δὲ αὐτός* (scr. *ὁ αὐτός*) *ἐστι τῷ εὐμόρφῳ*, non corrigit errorem, sed auget; debebat saltem dicere *τάχα δὲ ὁ αὐτός ἐστι τῷ Ψακάδος*.

hanc opinionem esse vel pronomen indefinitum τὶς arguere videtur, quod addi sic non potuit, nisi Orestes appellativi nominis instar esset; neque alterum huius nominis aequalibus hominibus ut proprii impositi exemplum extare memini[4]). Usurpatum autem pro appellativo esse ad designandos homines furiosos non uno exemplo discimus: neque id qua ratione fieri potuerit cuiquam obscurum erit. Sic igitur Aristophanis aetate famosum quendam grassatorum fuisse, cui, quia furore agitari videbatur, illud cognomen vulgo imponeretur, etiam ex Avium versu 712 colligimus, ubi laena ei paranda esse dicitur, ἵνα μὴ ῥιγῶν ἀποδύῃ, h. e. ne algens ipse alios spoliet: itemque in eadem fabula v. 1499 legimus:

εἰ γάρ ἐντύχοι τις ἥρῳ
τῶν βροτῶν νύκτωρ Ὀρέστῃ,
γυμνὸς ἦν πληγεὶς ὑπ᾽ αὐτοῦ,

a scholiasta autem docemur Timocratis cuiusdam filium designari, cui quodnam proprium nomen fuerit, ille non addidit. Suppleri hoc Valesius, ad Harpocrationem p. 317 (490 ed. Lips.), posse putavit ex Timoclis comoedia, quae Ὀρεσταυτοκλείδης inscripta erat: nempe Autoclidem fuisse illum Timocratis filium. Id autem quominus accipiamus obstat aetas Timoclis, quem Demosthenis aequalem fuisse ex Athenaeo VI, p. 224 A. et Ps. Plutarch. vitt. X oratt. p. 845 B. apparet. Sed eadem aetate alium quendam invenimus, Dioclem Phlyensem, in Isaei or. VIII. §. 3, item Orestem cognominatum propter similem fortasse causam. Denique etiam a Romano poeta, Persio, pro insani hominis appellatione Orestem usurpari videmus, Sat. III, 118:

Scintillant oculi, dicisque facisque quod ipse
non sani esse hominis non sanus iuret Orestes.

Hinc ad parabasin Acharnensium nos convertemus, in qua item aliquot loci minus recte adhuc ab interpretibus mihi tractati esse vi-

---

4) Scilicet de Athenis tantum et de Aristophanis aetate hoc dictum volo. Non ignoro enim alibi aliisque temporibus etiam deorum aut heroum nomina hominibus nonnunquam ut propria indita esse, qua de re, quoniam nunc accuratius agi non opus est, conferri possunt quae disputantur a C. Keilio in schedis epigraphicis (Numburg. 1855) p. 33, ab eodem in Diurn. antiquar. ann. 1846 p. 983, a Vischero in Actis convent. philolog. Basil. 1848 p. 83, a Welckero in Sylloge epigr. p. 166 et 309. Et Orestem Thessalum novimus e Thucyd I, 111.

dentur. Ac primum quidem in ea parte, ubi chorus summopere se indignari profitetur, quum senes grandaevos ac decrepitos ab adolescentibus accusatoribus in ius vocari vexarique videat, in versu 685,

ὁ δὲ νεανίας ἑαυτῷ σπουδάσας ξυνηγορεῖν,

ambigi potest, coniungendane sint verba ὁ δὲ νεανίας, ut ὁ pro articulo accipiatur, dicaturque adolescens annisus esse, ut συνηγόρου munus sibi demandetur, an potius ὁ δὲ demonstrativi pronominis vim habeat (quo sensu ex probatissimorum grammaticorum veterum praecepto ὃ δέ scribendum erit[5])), νεανίας autem non nominativus sit sed accusativus pluralis, dicaturque accusator, solo pronomine ὃ δέ designatus, summo studio contendisse, ut adolescentes aliquot sibi συνήγοροι h. e. adiutores accusationis, adiungerentur. Illud alterum quominus amplectamur obstat insolentia locutionis: nam ad indicandam actionem, quam aliquis sibi demandari cupit, solum infinitivum cum pronomine reciproco nec memini me unquam usurpatum legere nec usurpari potuisse arbitror. Et movit hoc fortasse A. Müllerum, ut pro ἑαυτῷ rescribendum censeret ἑταίρῳ, quo diceretur adolescens ille operam dedisse, ut sodali, quem item adolescentem cogitari oportebit, συνήγορος sive socius in accusando ipse fieret. Hamakerus pro ἑαυτῷ scribi voluit ἐσφάττει, quo recepto etiam in proximo versu non, ut nunc, ἐς τάχος παίει, sed κἀς τάχος παίει scribendum esse apparet. Retineri ἐς τάχος poterit si cum Meinekio Vindic. Aristoph. p. 12 non ἐσφάττει sed participium ἐσφάττων scribatur: quamquam quod idem vir doctissimus σπουδάσας ξυνηγορεῖν de simulato senem defendendi studio interpretatur, probari nullo modo potest. Quippe omnis huius loci contextus non de advocato et defensore senis, sed tantum de accusatore chorum loqui demonstrat, et συνήγοροι in publicis causis, ubi aliquis per εἰσαγγελίαν reus factus erat, non rei advocati, sed a populo constituti oratores dicebantur, qui principem accusatorem, h. e. eum qui εἰσαγγελίαν fecerat, in accusando adiuvarent unaque cum eo reum populi nomine persequerentur. Sic igitur locum interpretandum dicemu setiam admissa illa correctione: sed admittendam tamen illam nihilo magis censemus. Multo leniorem medicinam Elmsleius adhibuit, νεανίαν pro νεανίας, eamque, ut olim Meinekius, sic etiam nunc Dindorfius probavit. Et tollitur sane sic omnis ambiguitas, nec dubitari potest quin dicatur ille, ὃ δέ,

5) Cf. Animadv. ad vett. gramm. doctr. de articulo p. 30

h. e. delator senis, operam dedisse ut adolescens aliquis sibi *συνήγορος* fieret. Neque tamen propterea necessariam illam singularis pro plurali restitutionem esse arbitror; immo veriorem puto pluralem propterea, quod non singulos sed plures semper *συνηγόρους* in illo genere causarum, ubi quis per *εἰσαγγελίαν* reus factus erat, ei, qui nomen illius detulerat, adiutores a populo dari solitos esse exempla persuadent[6]). Ad ambiguitatem autem quod attinet, legentibus quidem nobis et scriptas litteras intuentibus obiici eam non negamus, in theatro autem attico nullam fuisse putamus, veramque structuram verborum et sententiam cuilibet statim planam factam esse boni histrionis pronuntiatione, quae *ὃ δέ* non coniungendum esse cum *νεανίας* et accentu et *ἐπισχέσει* s. mora quamvis parvula satis declararet: neque intercedam, si quis hoc etiam interpunctione, h. e. commate post *ὃ δέ* posito significari potuisse dicat. Sic igitur neque mutandam loci scripturam esse dicemus, neque vero confugiendum ad W. Ribbeckii interpretationem, cui quum *νεανίας* nominativus esset cum *ὃ δὲ* cohaerens, *ἑαυτῷ συνηγορεῖν* nihil aliud significare visum est, nisi sibi ipsum *συνηγορεῖν*, idque de eo dici, qui nullo alicuius *συνηγόρου* auxilio egeat, sed sibi ipse sufficiat, quodque aliis *συνήγοροι* additi praestent, per se solus praestare possit.

Profert deinde chorus exemplum senis Thucydidis nuper ab adolescente Cephisodemo accusati condemnatique, v. 703:

Τῷ γὰρ εἰκὸς ἄνδρα κυφόν, ἡλίκον Θουκυδίδην,
ἐξολέσθαι ξυμπλακέντα τῇ Σκυθῶν ἐρημίᾳ,
τῷδε τῷ Κηφισοδήμῳ, τῷ λάλῳ ξυνηγόρῳ;

Sententia quidem planissima est; de primis tantum verbis ambigi potest, sitne *τῷ* h. e. *τίνι*, cum A. Müllero, pro dativo generis neutri accipiendum, subaudiendumque *τεκμηρίῳ*, an potius generis masculini sit, significetque cuinam homini. Eadem dubitatio movetur de altero loco, Thesmophor. v. 845:

Τῷ γὰρ εἰκός, ὦ πόλις,
τὴν Ὑπερβόλου καθῆσθαι μητέρ' ἠμφιεσμένην
λευκὰ καὶ κόμας καθεῖσαν;

Quae autem comparantur a viro doctissimo, Nubb. v. 384: *φέρε τουτὶ τῷ χρὴ πιστεύειν;* et Plut. v. 48: *τῷ τοῦτο κρίνεις;* accuratius

6) Cf. de comit. Athen. p. 109, not. 15. add. Decret. ap. Ps. Plut. vitt. X oratt. p. 314 F. Dinarch. ctr. Aristog. § 6. Demosth adv. Timoth. § 9.

contemplanti diversa tamen esse videbuntur. Nempe in horum utroque verbum est hominis iudicium et existimationem significans, quae quonam argumento moveatur, interrogativi pronominis dativo casu quaeritur; in illa altera autem locutione εἰκός probabilitatem quandam ac iustitiam rerum designat, apparetque vel id quaeri potuisse, quo modo quove argumento, vel etiam cuinam homini eae probandae esse videantur. Illud alterum per adverbium πῶς quaeri videmus v. 693: ταῦτα πῶς εἰκότα, γέροντ' ἀπολέσαι πολιὸν ἄνδρα περὶ κλεψύδραν, neque dubito quin Aristophanes, si hoc voluisset, etiam nostro loco et illo altero in Thesmophoriazusis πῶς γὰρ εἰκός dicturus fuisset. Nunc autem, quum τῷ dicat, ἀνδρί subaudire malo, pleniusque sententiam sic expono: τίνι (ἀνδρὶ) εἰκός ἐστι h. e. εἰκὸς εἶναι δόξει; Non incommode hunc dativum iudicii et existimationis esse dixeris, quam vim dativi demonstrant etiam talia exempla, quale hoc est apud Euripidem, Phoen. 495: οὐχὶ περιπλοκὰς λόγων ἀθροίσας εἶπον, ἀλλὰ καὶ σοφοῖς καὶ τοῖσι φαύλοις ἔνδικα, h. e. quae et sapientes et imperiti iusta esse iudicent, aut Soph. Antig. v. 904: καίτοι σ' ἐγὼ 'τίμησα τοῖς φρονοῦσιν εὖ, h. e. prudentes me tibi honorem habuisse iudicabunt. Dixit de hoc usu dativi Matthiaeus §. 388, itemque Bernhardyus Syntax, p. 83, qui recte huc rettulit etiam Aeschyli versum, Eum. v. 622, ubi quum Apollo Agamemnonem dicit ἠμπολήκότα τὰ πλεῖστ' ἀμείνον' εὔφροσιν, nihil aliud dicit, quam Agamemnonem pleraque bene gessisse a prudentibus iudicari. Cum illa autem locutione τῷ γὰρ εἰκός; non inepte comparari potest τῷ δῆλον; cuinam apertum est? qua formula Demosthenes or. in Boeot. I aliquoties usus, veluti §. 9. 10., quaenam eius vis sit aliis verbis ipse docet §. 16: τίς εἴσεται τῶν πολλῶν;

In antepirrhemate postremi duo versus, 717. 18, hi sunt:

κἀξελαύνειν χρὴ τὸ λοιπόν, κἂν φύγῃ τις ζημιοῦν
τὸν γέροντα τῷ γέροντι, τὸν νέον δὲ τῷ νέῳ,

quos a Blaydesio et Hamakero pro spuriis habitos esse ex A. Mülleri annotatione cognovi: nam nec ipsam Blaydesii editionem, nec Hamakeri dissertationem, quae extat in Mnemosynae vol. II, inspicere potui, quamobrem quibus illi argumentis hos versus damnaverint nescio. An forte propter sententiam eorum paullo obscuriorem? quam quidem etiam nostrates duos interpretes recentissimos non assecutos esse video. Atqui deletis iis mutilari antepirrhema apparet, in quo quum constans poetarum lex eundem quem in epirrhemate versuum numerum

esse poscat, nunc ad aequabilitatem duo versus desiderabuntur. Recte igitur hos versus ceteri servare maluerunt, licet sensum verborum non satis recte perspexerint. De universa quidem totius loci sententia errari nullo modo potuit: chorus enim, posteaquam iniquitatem iudiciorum conquestus est, qua nuper Thucydides, senex decrepitus ac plane invalidus adolescentibus et lingua promptis accusatoribus obiectus, grandi pecunia multatus erat, occurrendum tali iniquitati in posterum sic esse autumat, ut in persequendis causis publicis aliquid discriminis observetur, *χωρὶς εἶναι τὰς γραφάς*, v. 714, et quidem secundum aetatem, h. e. sic ut contra senem reum senex etiam *συνήγορος*, adolescens vero contra adolescentem tantum constituatur, *ὅπως ἂν ᾖ τῷ γέροντι μὲν γέρων καὶ νωδὸς ὁ ξυνήγορος, τοῖς νέοισι δ' εὐρύπρωκτος καὶ λάλος χὠ Κλεινίου.* Id utique fieri debere: ceterum nihil obstare, quominus sicut olim sic etiam in posterum et in exilium aliquis agatur, et reus factus condemnetur, dummodo ne aliter quam senex seni, adolescens adolescenti accusatori. Haec enim mihi sententia postremorum duorum versuum esse videtur, neque assentiri iis possum, qui *ἐξελαύνειν* nihil aliud significare voluerunt, quam aut vexare, exagitare, aut etiam in ius vocare, quorum alterum Ribbeckio, alterum A. Müllero placuit, neutrum autem ullam ex usu loquendi commendationem habet. De exilio irrogando *ἐξελαύνειν* dici notissimum est; neque mirabimur exilii nunc mentionem fieri, quum de Thucydide chorus dicat, quem constat aliquo ante actam hanc fabulam tempore testarum suffragio exulare iussum esse. Id quando factum sit non quidem certo definiri potest, magnaque est virorum doctorum, qui hac de re quaesiverunt, dissensio: ego nunc, qui retractare universam quaestionem hoc loco nequeam, hoc tantum dicam, videri quidem posse Thucydidem non multo ante hanc fabulam actam tempore Athenas reversum, ibique mox ab adversariis, nescio quo crimine, per *εἰσαγγελίαν* in ius vocatum esse; veriorem tamen haud dubie eorum esse sententiam, qui ostracismo eum iam multis ante annis, circ. Ol. 84,1 (444) expulsum esse statuerunt. Posteaquam autem in patriam reversus est — quod quo tempore factum sit certo sciri non potest — brevi ante actam Acharnensium fabulam tempore accusatus a Cephisodemo multaque ei gravissima imposita est, quam quum solvere non posset rursus in exilium ire coactus est[6]). Hinc autem fieri vix potuit, quin Chorus, condem-

6) Etiam Arist. Vesp. v. 947 ad hanc Thucydidis condemnationem pertinet, ubi schol. verbum *φεύγων*, quo nihil nisi reatus significatur, perperam de exilio

nationem senis olim egregie de re publica meriti conquerens, etiam duplicis eius exilii admoneretur: atque huc illud ἐξελαύνειν pertinere arbitrabimur [7]). Proxima verba κἂν φύγῃ τις Elmsleius et, quemadmodum e Ribbeckii annotatione comperi, Blaydesius perperam acceperunt pro κἂν μὴ πίθηται τις, si quis refugerit huic legi parere. Cuinam tandem legi? et quis in hoc contextu verbum illud alio quam forensi et legitimo sensu accipiendum credet de reo in iudicium adducto? Non intercedimus, inquit chorus, quominus, si quis reus factus sit, hunc, more vestro, condemnetis, sicut hunc Thucydidem; cui quidem gravissimam multam impositam esse v. 689 demonstrare videtur. Dativis τῷ γέροντι, τῷ νέῳ noli instrumentalem quandam significationem obtrudere, quemadmodum a nonnullis factum video. Haec enim, quum omnino in dativo personarum fere inaudita, tum certe ab his, qui hoc loco dicuntur, accusatoribus senibus et adolescentibus prorsus aliena est. Rectius dativos commodi dixeris. Nam ζημιοῦν τὸν φεύγοντα τῷ διώκοντι iudices non inepte dicuntur, quum sententiam secundum accusatorem ferunt, quippe quum huius maxime intersit, ut adversarius condemnetur atque sic ipsius accusatio iudicum suffragiis vera ac iusta fuisse probetur, quum praesertim, si non vincat reum, ipsi ἐν χιλίαις ὁ κίνδυνος sit, ut est apud Demosthenem in Timocr. §. 3., nempe si non quintam saltem suffragiorum partem tulerit.

Tantum de parabasi: addam etiam de ceteris fabulae partibus aliquot observatiunculas.

V. 111, ubi codices habent:

ἄγε δὴ σὺ φράσον ἐμοὶ σαφῶς πρὸς τουτονί,

Reiskius scribendum suasit πρὸς τουτουΐ, addita hac interpretatione: „Ego te adiuro per hunc ἵμαντα, quem simul ostendit: per hanc scuticam.“ Probarunt hoc Meinekius, Müllerus, Ribbeckius; mihi itidem ut Bergkio et Dindorfio codicum lectio servanda videtur. Usurpatur sane in obsecrationibus πρός cum genitivo, ubi deos aliquis ap-

---

per ostracismum imposito acceperunt. Item Idomenei narrationem in schol. relatam non ad ostracismum, sed ad hanc postremam Thucydidis condemnationem pertinere manifestum est.

7) Quod Idomeneus l. l. refert: οἱ μέντοι Ἀθηναῖοι αὐτοῦ καὶ γένους ἀειφυγίαν κατέγνωσαν προδιδόντος τὴν Ἑλλάδα, καὶ αὐτοῦ ἡ οὐσία ἐδημεύθη, huius tam gravis sententiae nullum apud Aristophanem indicium est. Fieri autem potest ut illud postea demum decretum sit, quum Thuc., multae solvendae impar, in exilium ad Artaxerxem abiisset, hostem Graeciae.

pellat, quorum vindictam alteri, precibus suis spretis, metuendam esse significare vult, potuitque fortasse fieri, ut in comoedia Aristophanes pro dei alicuius nomine scuticam vel, quod praetulerim, scipionem appellari faceret, qui scilicet alteri, nisi obtemperaret, malum daturus esset: neque tamen adeo probabilem hanc sententiam esse dixerim, ut propterea codicum lectio utique reiicienda sit. Nam demonstrativo pronomine loquentes non raro semet ipsos designare nemo ignorat, dixeruntque de hoc usu demonstrativi quum alii multi, tum Matthiaeus §. 470,9 et Monkius ad Eur. Alc. v. 341: quodque nunc Dicaeopolis, cuius haec verba sunt, post dativum personalis pronominis *ἐμοί*, in repetenda sui designatione per demonstrativum non item dativum *τούτῳ*, sed accusativum cum praepositione usurpat, non magis offendere debet, quam similis mutatio structurae in v. 625: *πωλεῖν, ἀγοράζειν πρὸς ἐμέ, Λαμάχῳ δὲ μή*, ubi nemo aut *ἐμοί* aut *πρὸς δὲ Λάμαχον* dicendum fuisse putabit. Nostro autem loco illa mutatio tanto minus mira videri potest, si reputamus Dicaeopolin sine dubio, quum *πρὸς τουτονί* diceret, simul etiam digito semet ipsum demonstrasse. Elmsleii vero opinionem, qui *πρός* coram significare, pronomine autem non Dicaeopolin sed aut legatum Persicum aut eunuchum eius comitem designari vult, non opus est refutare.

V. 195 sqq. Dicaeopolis hausto indutiarum tricennalium gustulo, *ὦ Διονύσια*, exclamat,

αὗται μὲν ὄζουσ' ἀμβροσίας καὶ νέκταρος,
κἂν τῷ στόματι λέγουσι, βαῖν' ὅποι θέλεις,
καὶ μὴ 'πιτηρεῖν σιτί' ἡμερῶν τριῶν κτλ.,

sic enim hos versus ordinandos esse cum Reiskio et Meinekio, Vindic. Arist. p. 5, credo, quum vulgo tertius alteri anteponatur. Assentior item Meinekio Hamakeri coniecturam *μηκέτι μετρεῖν* ac Bergkii *μὴ 'παγείρειν* reprobanti, sed cur pro codicum lectione *μὴ 'πιτηρεῖν* vir egregius *μηκέτι τηρεῖν* scribendum esse iudicaverit, non satis me perspicere fateor. Nam vis praepositionis non admodum diversa mihi in hoc composito esse videtur ab ea, quae est in *ἐπισκοπεῖν, ἐφορᾶν, ἐπιφρονεῖν, ἐπιμελεῖσθαι* ac similibus: *ἐπιτηρεῖν* igitur *σιτία ἡμερῶν τριῶν* is dicitur, qui mentem advertit servandis cibariis, quae in triduum sufficiant, curamque adhibet ne deficiant. — Etiam quod in altero versu dicitur, *κἂν τῷ στόματι λέγουσι*, vereor ne aliter accipiendum sit, quam ab interpretibus, si non omnibus, plerisque tamen, acceptum est. Vulgo enim os indutiarum significari putant,

ἐν τῷ στόματι λέγειν eodem sensu quo absque praepositione *τῷ στόματι λέγειν* dici potuisse rati, et dativo instrumentali illam additam esse credunt ad exemplum locutionis Homericae *ἐν ὀφθαλμοῖσιν ὁρᾶσθαι*, cuius quaenam vera significatio sit non videntur satis perspexisse. Nimirum comparanda illa est cum aliis eius generis, ubi praepositiones *εἰς*, *ἐξ*, *ἀπό* illi nomini adiunctae sunt, velut *ἀπ᾽ ὀφθαλμῶν*, Il. XXIII, 53: *ὄφρ᾽ ἤτοι τοῦτον μὲν ἐπιφλέγῃ ἀκάματον πῦρ θᾶσσον ἀπ᾽ ὀφθαλμῶν*, aut *ἐξ ὀφθαλμῶν*, Herodot. 1, 120: *τὸν δὲ παῖδα τοῦτον ἐξ ὀφθαλμῶν ἀπόπεμψαι ἐς Πέρσας*, aut *ἐς ὀφθαλμούς*, Il. XXIV, 204: *πῶς ἐθέλεις — ἐλθέμεν οἶος ἀνδρὸς ἐς ὀφθαλμούς, ὅς τοι πολέας τε καὶ ἐσθλοὺς υἱέας ἐξενάριξα;* in quibus omnibus ut non tam oculos ipsos, quatenus instrumenta videndi sunt, quam conspectum oculorum significari apparet, sic etiam *ἐν ὀφθαλμοῖς* ea esse dicuntur, quae in conspectu posita sunt, veluti *περὶ τῶν ἐν ὀφθαλμοῖς διαλέγεσθαι* est apud Platonem Theaet. p. 174 C. multaque alibi similia. Itaque etiam apud Homerum illud *ἐν ὀφθαλμοῖς* de iis rebus dicitur, quae in conspectu alicuius sunt vel fiunt, ac proinde in huiusmodi locis, qualis est ille Homericus, quem interpretes adhibuerunt, Il. III, 306: *οὔ πως τλήσομ᾽ ἐν ὀφθαλμοῖσιν ὁρᾶσθαι μαρνάμενον φίλον υἱὸν ἀρηιφίλῳ Μενελάῳ*, illud *ἐν ὀφθαλμοῖς* non minus ad *μαρνάμενον* quam ad *ὁρᾶσθαι* pertinere dicendum est, potuitque sine dubio etiam *ἐν ὀφθαλμοῖς τινὸς μάρνασθαι* dici non addito aliquo verbo videndi. Contra ubi oculi tanquam instrumenta videndi cogitantur, Homerus non aliter quam ceteri scriptores solo dativo casu utitur, neque addit praepositionem *ἐν*. De aliis apud alios scriptores locutionibus, in quibus instrumentalem huius praepositionis significationem grammatici quidam sibi agnoscere visi sunt, disputare longum est neque hoc loco necessarium. Tantum dico, pleraque exempla perperam accepta, nonnulla, sed pauca, vera esse, apud recentiores pleraque minusque diligentes scriptores inventa. In Aristophanis autem versiculo ut *ἐν τῷ στόματι* instrumentali sensu dici atque os indutiarum significari credatur nulla profecto causa est. Suum ipsius os significat Dicaeopolis, quippe qui haustis ore suo indutiis, gustumque adhuc in ore habens, quasi audire vocem earum sibi videatur: *ἐν τῷ ἐμῷ στόματι οὖσαι λέγουσι.*

V. 225 Dicaeopolis, aut fortasse eius uxor, filiam in pompa procedentem alloquens haec ait:

ὡς μακάριος
ὅστις σ' ὀπύσει κἀκποιήσεται γαλᾶς
σοῦ μηδὲν ἧττον βδεῖν ἐπειδὰν ὄρθρος ᾖ,

in quibus *γαλᾶς* nonnulli interpretes de puellis dici volunt aliquando e filia procreandis, propter verbum *ἐκποιήσεται*, quod proprie de procreatione usurpari fatendum est. *Γαλᾶς* autem, h. e. mustelas, nunc puellas illas aliquando procreandas hanc ob causam dici putant, quod postero tempore, nempe ubi adoleverint atque nupserint, idem facturae sint, quod mustelae, h. e. *βδεῖν ἐπειδὰν ὄρθρος ᾖ*. In hac sententia quum *σοῦ μηδὲν ἧττον βδεῖν* commode explicari nequeat, Porsonus excidisse versiculum coniecit, et integrum locum hunc fere fuisse: *γαλᾶς | οἵας ὅταν ποτ' ὦσιν ὡραῖαι γάμων | σοῦ μηδὲν ἧττον βδεῖν*, mustelas non minus quam te ad visiendum promptas, alii autem nihil nisi *ἥττους* pro *ἧττον* scribendum putaverunt, sententia eadem brevius tantum expressa. Mihi tamen permira semper et vix credibilis visa est subita ista mustelarum pro puellis substitutio, quae praesertim etiam scripturae mutationem postulet: minus mirum, quod aliis placuit, *γαλῆς σὲ μηδὲν ἧττον βδεῖν*, quorum verborum sententiam satis planam esse arbitror. Sed verius tamen eos iudicasse puto, qui eandem sententiam etiam verbis non mutatis subesse voluerunt, inversa tamen ioculariter oratione, ut *μηδὲν ἧττον* diceretur pro eo, quod proprie dicendum erat *μηδὲν μᾶλλον*: mustelas non minus quam te pro non magis quam te, aut, quod eodum redit, te non minus quam mustelas. Hoc genus inversionis a comico sermone non abhorrere videtur, utiturque eodem e. c. etiam Plautus, Captiv. III, 5, 80: ne qui deterius huic sit quam cui pessume est, pro eo quod proprie dicendum erat: ne qui melius huic sit — aut etiam ne, cui pessime est, deterius sit. — Quodsi quis tamen in verbo *ἐκποιήσεται* haereat, quod sane de procreatione potissimum dici constat, quidni dicamus poetam praeter expectationem adiecisse, quod non quidem ad ipsam procreationem pertineret, sed esset tamen cum generandi actu quodammodo coniunctum? Verum — sapienti sat!

V. 273 in phallica cantilena Dicaeopolis pacis delicias commemorans huc refert etiam quam delectabile sit

τὴν Στρυμοδώρου Θρᾷτταν ἐκ τοῦ φελλέως
μέσην λαβόντ' ἄραντα καταβαλόντα καταγιγαρτίσαι.

quaeri autem potest, *φελλεύς* nomen utrum appellativum sit an certae

cuiusdam Atticae regionis proprium. Hoc quidem Leakius statuit, de demis p. 7, inductus Stephani Byz. loco s. v. *φελλεύς*, quem locum qui accuratius inspexerit, coniecturam tantum a Stephano promi, non rem exploratam tradi intelliget. Ceterum si verum esset, quod Leakius credidit, Phelleum istum proprie dictum in Diacria fuisse prope Marathonem, refutaretur sic eorum opinio, qui Dicaeopolin Acharnis habitare statuerunt, de qua opinione postea nobis dicendum erit: nam Acharnae non fuerunt in Diacria. Nunc autem hoc tantum dicimus: omnes eos locos, quibus freti nonnulli Phelleum certae cuiusdam regionis proprium nomen fuisse crediderunt, etiam diversam interpretationem admittere, et appellativum potius illud nomen fuisse ex iis, quae olim a me ad Isaeum p. 400 proposita sunt, satis liquido apparere. Cf. etiam H. Sauppii epist. crit. ad Herm. p. 59 sq. et Schneidewinum ad Zenob. V, 13, p. 121. Unum nunc addam: apud Platonem Crit. p. 560 D. pro *κατὰ τὰ Φελλέως νῦν ὀνομασθέντα πεδία* scribendum esse *τὰ φελλέας* —.

V. 347 si codicum lectionem sequimur, Dicaeopolis, postquam insistentes sibi Acharnenses deterruit, *λάρκον* h. e. corbem carbonibus repletum illis carissimum a se, nisi desistant, interemptum iri minitatus, sic loquitur:

ἐμέλλετ' ἄρ' ἅπαντες (aut *ἄρα πάντες*) *ἀνασείειν βοήν*,

quemadmodum eum loqui non potuisse omnes consentiunt, siquidem *ἀνασείειν βοὴν* nec dicitur unquam nec potest dici. Fuit qui *ἀνησείειν βοῆς* reponi vellet, desiderativam verbi formam, ad analogiam quidem fictam, sed cuius alterum exemplum non extat. Meinekius scripsit *ἐμέλλετ' ἄρα πάντως ἀνήσειν τῆς βοῆς* coniectura elegantissima quidem, non tamen necessaria neque, ut arbitror, satis probabili. Nam, ut taceam de mutatione paullo saltem violentiore, si *ἀνήσειν* Dicaeopolis dixit, destituros a clamore Acharnenses putavit corbe interempto: mihi contra etiam vehementius clamaturi fuisse videntur ira ac dolore incensi. Dixisse Dicaeopolin credo *ἀνατείνειν βοήν*, unde una litterula omissa *ἀνατείειν*, atque hinc *ἀνασείειν* facile fieri potuit. *Ἀνατείνειν βοὴν* quin recte dicatur nemo dubitabit:[8]) *τείνειν βοὴν* est apud Euripidem Med. v. 201, *τείνειν βοᾶτιν αὐδάν*

[8]) Poterat fortasse etiam *ἀνατενεῖν* coniici, nec dubito quin Cobetus aliique multi inf. futur. post *μέλλω* magis atticum dicturi sint. Mihi cur inf. praes. recte se habere videatur exponere longum est; interim conferri velim Krügeri gramm. §. 53, 8 not. 6.

apud Aeschylum Pers. v. 573: igitur *ἀνατείνειν βοήν* i. q. *ἀναβοᾶν*, sed *τόνῳ* vehementiore, quemadmodum *ὑπέρτονον βοάν* Aristophanes Nub. v. 1148 habet in versu ex Euripidis Peleo, ut scholia docent.

V. 537 queritur Dicaeopolis, quod Athenienses nobile illud de Megarensibus psephisma tollere noluerint. Petierunt illi, inquit, *τὸ ψήφισμ᾽ ὅπως μεταστραφείη*, verbo utens facilii quidem ad intelligendum, sed non tamen in tali re usitato: nam dicitur vulgo *ψήφισμα ἀναιρεῖν* aut *καθαιρεῖν*, e. c. Thuc. 1, 139. Interpretes illud *μεταστραφείη* silentio praetermiserunt: operae pretium igitur fuerit ostendere, unde insolentem locutionem Aristophanes sumpsisse videatur. Sumpsit e Lacedaemonii cuiusdam dicto, de quo refert Plutarchus, Pericl. c. 30: *λέγουσι δὲ πρεσβείας Ἀθήναζε περὶ τούτων ἐκ Λακεδαίμονος ἀφιγμένης καὶ τοῦ Περικλέους νόμον τινὰ προβαλομένου κωλύοντα καθελεῖν τὸ πινάκιον, ἐν ᾧ τὸ ψήφισμα γεγραμμένον ἐτύγχανεν, εἰπεῖν Πολυκλῆ τῶν πρέσβεων τινά· Σὺ δὲ μὴ καθέλῃς, ἀλλὰ στρέψον εἴσω τὸ πινάκιον· οὐ γάρ ἐστι νόμος ὁ τοῦτο κωλύων.*

V. 605 inter homines nullo suo merito ad gerenda rei publicae negotia honorifica et quaestuosa admitti solitos memorantur etiam *Διομειαλάζονες*, de quibus quid statuendum sit ex interpretibus vel veteribus vel recentioribus frustra quaeras. Dudum autem a nobis in antiquitatibus iur. publ. Gr. p. 305, 4, ac postea in commentatiuncula de Cratini iunioris fragm. ann. 1858 edita, quinam illi *Διομειαλάζονες* fuisse viderentur expositum est. Nam inter sodalicia varii generis, quorum plurima Athenis olim fuisse constat, erant etiam nonnulla, quae nihil fere aliud sibi propositum habebant, quam ut statis diebus congregati sodales inter se convivarentur hilariterque iocando et ludendo se oblectarent. Ex hoc genere unum nobilissimum fuisse comperimus hominum sexaginta numero, qui patronum sibi Herculem fecerant, heroem epulando et potando non minus quam laboribus exantlandis insignem, in cuius comitatu proinde etiam Cyathus et Cylix numerabantur, quorum naturam et mores ipsa nomina declarant. Ad huius igitur fanum Diomense illi certis temporibus congregabantur multaque iocularia dictis factisque edebant, quorum tanta non solum Athenis sed etiam apud exteros celebritas fuit, ut Philippus, rex Macedoniae, magnus ridiculorum amator, librum sibi de iis componi iuberet lauta mercede oblata. Refertur hoc ab Athenaeo, XIV, 3 p. 614 et VI, 76 p. 260. Id sodalicium non Philippi demum aetate initum, sed iam multis

ante annis ortum esse diuque permansisse nihil est quod credere vetet: nec dubitari potest quin adolescentes in eo fuerint maximam partem ex domibus locupletibus, qui si opibus et factione contenderent, non raro etiam in rei publicae negotiis quod peterent impetrarent. Hi igitur sunt, quos nunc Dicaeopolis enumerat nominibus ridicule compositis, Tisamenophaenippi, h. e. Tisamenus et Phaenippus, Panurgipparchidae, h. e. callidi quidam Hipparchi similes, Geretotheodori, h. e. Geres et Theodorus, quorum hunc postremum quod scholiastes etiam ex pago Diomensi fuisse ait, fieri potest ut verum sit, potest etiam ut e coniectura tantum ductum. Certe *Διομειαλαζόνων* nomen non eo, quod ex illo omnes pago essent, sed quod in Diomensi Herculis fano conventus agere atque *ἀλαζονεύματα* sua exercere solerent, impositum iis esse censebimus. — Ceterum quoniam in comm. de Cratini fragm. etiam alius cuiusdam sodalicii mentionem feci non multum diversi generis, sed petulantissimorum, ut videtur, et impudentissimorum hominum, qui Ithyphallorum sibi nomen fecerant, utar hac occasione ad promendam emendationem olim praetermissam in Demosthenis oratione ctr. Cononem §. 20 p. 1263, ubi Cononem orator loquentem facit: *Ἰθύφαλλοί τινές ἐσμεν ἡμεῖς συνειλεγμένοι, καὶ ἐ ρ ῶ ν τ ε ς οὓς ἂν ἡμῖν δόξῃ παίομεν καὶ ἄγχομεν.* Pro inexplicabili illo *ἐρῶντες* haud dubie scribendum est *ἐξιόντες.*

V. 650 quod in codicibus scriptum est

τούτους γὰρ ἔφη τοὺς ἀνθρώπους πολὺ βελτίους γεγενῆσθαι,

Müllerus ferri non posse ratus pro *βελτίους γεγενῆσθαι* confidenter posuit *βελτίους τε γενέσθ' ἄν.* Haec correctio quam supervacanea sit, quamque nihil offensionis vulgata lectio peritis obiicere possit, iam a Ribbeckio et Dindorfio expositum video. — Laudandus autem Ribbeckius etiam ob rectam interpretationem v. 655:

ἀλλ' ὑμεῖς τοι μήποτ' ἀφῆθ', ὡς κωμῳδήσει τὰ δίκαια,

cuius vera sententia ipsum adeo G. Hermannum olim fefellit, quum in Elem. doctr. metr. p. 402 scribendum suaderet: *ἀλλ' ὑμεῖς μήποτ' ἀφῆθ', ὡς οὐ κωμῳδήσει τὰ δίκαια,* scilicet verbi *κωμῳδήσει* obiectum externum *τὰ δίκαια* esse ratus, quod internum potius haberi debet, ut sit *κωμῳδεῖν τὰ δίκαια* i. q. *κωμῳδοῦντα τὰ δίκαια λέγειν,* quod potuit etiam per adverbium dici *κωμῳδεῖν δικαίως*: c o m o e d i a m s c r i b e n d o d i c e r e q u o d i u s e s t, sive r e c t e a c i u s t e c o m o e d i a r i (licebit enim hoc verbum fingere). Exposui de hoc usu accusativi internum actionis subiectum indicantis quum in

Opusc. ac. III. p. 203 et 263 sqq. tum in comment. ad Isaeum p. 389, ibidemque p. 358 explicavi locutionem huius, de qua nunc agitur, simillimam, *βοηθεῖν τὰ δίκαια*, h. e. *βοηθοῦντα τὰ δίκαια ποιεῖν* v. *ἀποδοῦναι*, sive *δικαίως βοηθεῖν*. Eodem modo in Equitt. v. 64: *τοὺς γὰρ ἔνδον ἀντικρὺς ψευδῆ διαβάλλει*, h. e. *διαβάλλων ψευδῆ λέγει* aut *ψευδῶς διαβάλλει*. Plura afferre non opus est: et video iam Elmsleium ac postea Seagerum in Class. Journ. IV. p. 717 sensum nostri loci recte perspexisse: quo magis miror A. Müllerum dissentientem et sic potius vertendam locutionem ratum: ius fasque in comoedia tractare.

V. 960 codices, quod sciam, omnes habent

ἐκέλευσε Λάμαχός σε ταυτησὶ δραχμῆς
ἐς τοὺς χόας αὐτῷ μεταδοῦναι τῶν κιχλῶν,

ab editoribus autem non paucis, praeeunte Elmsleio, *ἐκέλευε* scriptum est, non aliam ob causam, quam quia v. 962 itemque 1051 et 1073 in relatione mandatorum imperfecto nuntii, non aoristo utuntur. Sed hoc ipsum, quod v. 960, licet statim imperfectum sequatur, nihilo minus tamen codices omnes aoristum offerunt, deterrere nos a mutatione debere videtur. Nam rationem quidem, cur non etiam aoristus usurpari potuerit, ego me nullam exputare posse fateor, sed discrimen hoc esse arbitror, ut, qui aoristo in referendo mandato utitur, simpliciter nihil nisi mandasse alterum sibi rem referat, qui imperfecto, cum diutina quadam repraesentatione, ut Gellii verbo utar, illum sibi rem diligentius et pluribus verbis inculcasse significet. Hoc enim discrimen ex ipsa utriusque temporis significatione consequitur, ac licet exempla aoristi sic in mandatorum relatione usurpati alia nunc quidem, mea fortasse culpa, non in promptu habeam, temere tamen deserendam hoc loco codicum lectionem non fuisse censeo. Neque mirabimur Lamachum sic v. 962 aliquanto cupidiorem anguillae Copaidis repraesentari, quam v. 960 turdorum, si meminerimus quantis laudibus illud *τερπνότατον ἀνθρώποισι τέμαχος* v. 841 sqq. celebratum sit.

Duobus locis nominatur Pittalus quidam, quem medicum publicum fuisse res ipsa docet; primum v. 1032 Dicaeopolis rusticum aegris oculis remedium ab eo postulantem abire iubet:

οὐκ ἔστιν, ἀλλὰ κλᾶε πρὸς τοὺς Πιττάλου,

deinde v. 1222 Lamachus saucius ex proelio relatus clamat:

θύραζέ μ' ἐξενέγκατ' ἐς τοῦ Πιττάλου,

sed in hoc loco de veritate lectionis non sine causa dubitatum est, si-

quidem alibi nusquam ab Aristophane in huiusmodi locutione articulus nomini proprio addi solet, id quod vere ab Elmsleio observatum est. Is igitur aliique eum secuti ἐς τὰ Πιττάλου scribendum censuerunt, neque ego sic dici potuisse negaverim, memor Vesparum v. 1432 aliorumque exemplorum a Meinekio in Menstruis Acad. Berol. 1852 p. 584 collatorum. Non minus tamen probabiliter etiam ἐς τοὺς Πιττάλου scribi potuit, quandoquidem hunc usum praepositionis ἐς cum accusativo personae nomine non modo apud Homerum sed ne apud Atticos quidem in pedestri sermone inauditum esse satis mihi demonstrasse videor in comment. ad Isaeum p. 363. Sunt autem οἱ Πιττάλου sine dubio eius familiares, discipuli aut famuli et in arte factitanda ministri; et in v. 1032 πρὸς τοὺς Πιττάλου eodem sensu dictum est, quo latine apud dici solet. Cf. ad Isae. p. 244.

V. 1064. Verba Dicaeopolidis, qui posteaquam mulierculae recens nuptae portionem de indutiis suis se largiturum promisit, quo modo ea utendum sit pronubam edocet, in plerisque codicibus sic scripta sunt:

οἶσθ' ὡς ποιεῖται τοῦτο; τῇ νύμφῃ φράσον,
ὅταν στρατιώτας καταλέγωσι, τουτῳὶ
νύκτωρ ἀλειφέτω τὸ πέος τοῦ νυμφίου.

Apparet autem ποιεῖται sic demum recte dici potuisse, si de re vulgo usitata ac fieri solita sermo esset, id quod in hoc genus medicinae non cadere manifestum est. Hanc ob causam Elmsleius poetam ὡς ποιείσθω τοῦτο scripsisse suspicatus est, h. e. imperativum passivi: melius sane, quam, quod in cod. Rav. alteroque Laurentiano scriptum et a recentioribus editoribus plerisque receptum est, οἶσθ' ὡς ποιεῖτε τοῦτο; Nam perineptus est imperativus secundae personae pluralis in re, quam uni novae nuptae, neque ulli praeter eam alteri, peragendam fuisse sensus communis docere debuit: unde etiam mox ἀλειφέτω, tertia persona singulari, Dicaeopolis utitur. Sic igitur dubitari non potest, quin etiam ποιείτω dixerit. Pronomen autem τοῦτο non cum hoc imperativo, sed cum φράσον construendum esse facile est ad intelligendum. Dudum sic hunc versum restituit Reisigius, Comm. crit. ad Soph. Oed. Col. p. 189, id quod editores omnes fugisse videtur. Neque, opinor, Meinekius, qui totum versum eliminavit, hanc dicendi formam, τοῦτο φράσον· — ἀλειφέτω, graecam esse negabit, aut, si forte negaverit, audiendus erit. — Ceterum de altera structura, οἶσθ' ὡς ποιείτω, licet minime ignota, addere tamen libet, falli eos

videri, qui eam ex transpositione quadam verborum, *ποιείτω, οἶσθ' ὡς;* faciat: scin quomodo? ortam esse putant. Fuit haec Bentleii opinio, probata ab Hermanno, Matthiaeo, Baeumleinio aliisque plurimis, sed recte refutata a Mollero in censura libri Baeumleiniani, Diurn. antiqu. (Zeitschr. f. d. A. W.) ann. 1848 p. 837. Nimirum induxit illos latinae ac recentiorum linguarum proprietas, qua imperativus in libera tantum enuntiatione usurpatur, non autem in ea, quae ab aliquo verbo, velut ab *οἶσθα*, per pronomen aut particulam pronominalem suspensa est. Rem ipsam reputanti nihil causae esse videbitur, cur non etiam imperativus pari iure quam ceteri modi suspendi sic potuerit. Veluti quod apud Homerum est Il. IX, 165: *κλητοὺς ὀτρύνομεν, οἵ κε τάχιστα ἔλθωσ' ἐς κλισίην Πηληϊάδεω Ἀχιλῆος*, potuit etiam dici *οἵ — ἐλθόντων*, quemadmodum Herodotus dixit I, 89: *κάτισον — φυλάκους, οἳ λεγόντων*, ad quem locum Krügerus alia quaedam exempla imperativi per pronomen relativum ab alio verbo suspensi indicavit. Quod autem per pronomen, idem etiam per pronominalia, velut *ὡς*, fieri recte potest, quandoquidem, sicut in coniunctivo cum actionis significatione coniuncta est etiam voluntatis quaedam, eius qui loquitur, adsignificatio, quam recentiores linguae non nisi alterius verbi auxilio, veluti mögen, sollen ac similium, (quae propterea etiam auxiliaria a nonnullis vocari solent,) exprimunt, sic eadem verbi alicuius auxiliaris adsignificatio inest in imperativo, ac proinde nihil obstat, quominus is quoque eodem modo, quo coniunctivus, suspendi ab alio verbo possit. Ceterum non prorsus ab hoc genere structurae etiam maiores nostros abhorruisse J. Grimmius docuit in Kuhniana sylloge 1 p. 144 sq.; qui quod Graecorum usum angustioribus finibus coerceri opinatus est, quam debebat, facile excusabitur.

Haec hactenus. Sed discedere ab Acharnensibus non placet ante quam quaesiverimus, ubinam agi rem in hac fabula, vel, ut vulgo loquimur, quam dramatis scenam poeta esse voluerit, qua de re aut nihil dixerunt interpretes, aut in manifesto, ut mihi quidem videtur, errore versantur. Ac de prima quidem parte fabulae sive de prologo, usque ad v. 203, nulla est dubitatio quin res in ipsa urbe, et quidem in Pnyce agatur. Hinc Dicaeopolis, qui iam v. 33 se pagum suum rusticum desiderare professus est, pace per Amphitheum cum Lacedaemoniis confecta, statim urbe relicta in pagum illum pergit, ibique, *ἐς τὸν δῆμον ἐλθὼν ἄσμενος* (v. 267) Dionysia ruralia celebrat. Quemnam igitur hunc pagum esse dicemus? Audimus ipsum Dicaeopolin

Chollidensem se esse profitentem v. 406, unde manifestum esse censemus non alium eius pagum quam Chollidas fuisse; huc igitur eum se recepisse post v. 203, ibique reliquam totius fabulae partem usque ad finem peragi dicemus. Et fuerunt tamen, qui de re nostro iudicio planissima dubitarent, et Dicaeopolin, si minus ipsum Acharnensem esse, rus tamen certe Acharnis possidere, eoque se recepisse statuerent. Neque nos negamus fieri potuisse, ut quis in pagi alicuius tabulis lexiarchicis inscriptus esset ex eoque cognominaretur, in quo nec habitaret ipse neque possessiones haberet; qua de re quum ab aliis tum a nobis in libro de comitiis Ath. p. 366 et in Antiquitt. i. p. Graec. p. 202 expositum est. Potuisse igitur etiam Dicaeopolin, licet Chollidensium pago adscriptum atque hinc Chollidensem cognominatum, rus tamen suum vel Acharnis vel in alio quopiam pago habere concedimus. Quid autem permovere Aristophanem potuerit, ut Dicaeopolin suum ab alio quam in quo habitaret pago cognomentum gerere vellet, difficile erit ad probandum. Esto enim, quod veteri scholiastae in mentem venit nec Berglero displicuit, allusisse eum ad χωλός, quasi Dicaeopolis se claudum esse diceret, quo benevolentiorem haberet Euripidem claudorum amatorem, quales multi in eius tragoediis essent: quamquam mihi hoc nimis longe repetitum et argutius — ne dicam absurdius — quam probabilius excogitatum esse videtur: attamen, etiamsi hac causa permotum esse Aristophanem sumamus, ut Chollidensem potius Dicaeopolin quam aut Collytensem aut Phegaeensem aut Pergasensem faceret, unde tandem effici potest, eum non etiam vere Chollidensem h. e. pagi Chollidarum habitatorem Dicaeopolin haberi voluisse? Effici hoc A. Müllerus posse credit duobus verbis, quibus Dicaeopolis utitur v. 34, quum pagum suum se desiderare dicit

ὃς οὐδεπώποτ' εἶπεν ἄνθρακας πρίω,
οὐκ ὄξος, οὐκ ἔλαιον, οὐδ' ᾔδει πρίω,
ἀλλ' αὐτὸς ἔφερε πάντα.

Hinc enim consequi, in eius pago carbones non aliunde invectos et aere emendos, sed ab ipsis paganis paratos fuisse, id autem non in Chollidensem pagum, sed in Acharnensem cadere: ergo Acharnis Dicaeopolin non Chollidis rus suum habuisse. — Sane plurimos Acharnis carbonarios fuisse haec ipsa fabula demonstrat: sed hi ipsi Acharnenses carbonarii etiam hoc demonstrare videntur, in eo pago, ubi Dicaeopolis habitat et res omnis inde a. v. 203 agitur, carbones fuisse non ibidem paratos sed Acharnis advectos. Nam v. 333, quum arrepto cophino

carbonario tanquam obsidi interitum Dicaeopolis minitetur, ὡς ἀπωλόμεσθα, exclamant, ὁ λάρκος δημότης ὅδ' ἔστ' ἐμός: vae nobis: cophinus ille paganus meus est: quae exclamatio si rem Acharnis agi putamus absurda, recta autem et conveniens sic demum est, si in alieno pago paganum suum conspiciunt. Quod autem ad superiora illa Dicaeopolidis verba attinet, ubi inter alia, quae in pago suo non audiantur, etiam illud ἄνθρακας πρίω memorat, rectissime de his a Wolfio iudicatum est, qui omnem eum locum comparavit cum usitato hodieque ruris amatorum sermone, quum dicunt: Auf dem Lande wächst einem alles zu: man braucht zum Lebensbedarf gar nichts zu kaufen: quae verba nemo tam stultus est, ut prorsus ad veritatem omnia dici existimet. Itaque nihil aliud ex v. 34 iure colligi posse dicemus, nisi carbones in Dicaeopolidis pago, licet non ibi paratos, non tamen tam molesto vendentium clamore, quam in urbe, proclamari solitos esse. Acharnas vero hunc pagum non esse etiam aliis indiciis demonstrari potest. Primum non ignorabat Dicaeopolis quantopere Acharnenses propter pacem cum Lacedaemoniis factam irati essent: id enim ex Amphitheo cognoverat, v. 180; neque vero fallere eum poterat, hanc iram non modo in Amphitheum, cuius ipse ministerio usus erat, sed magis etiam in sese incensam esse, id quod mox re ipsa comprobatum videmus, v. 239 et 280 sqq. Itaque si tamen, quum ex urbe rus suum petens abiit, Acharnas eum abiisse volumus, quid aliud quam in eum pagum abiisse volumus, quem omnium maxime sibi infestum, ideoque vitandum potius quam petendum esse sciret? Porro si Dicaeopolis Acharnis est, ibidem etiam chorum inde a. v. 204 versantem cogitari necesse est. Accurrit autem ibi chorus Amphitheum fugientem persequens. Quid igitur? adeone stultos hos homines fuisse censebimus, ut illum eo confugisse crederent, ubi maxime verendum esset ne ipsis, acerrimis suis adversariis, occurreret? Immo sic potius rem se habere dicemus. Acharnenses illi carbonarii ex pago suo, Acharnis, Amphitheum fugientem persequentes non Acharnas revertuntur, ubi se eum inventuros esse nullo modo sperare poterant, sed alium quempiam locum petunt, quo ille fortasse confugere potuerit, ibique quum Dicaeopolin inveniant, quem illi pacis faciendae auctorem fuisse non ignorent, iam misso Amphitheo vehementer in hunc invehuntur. Is autem locus ut alius quam Chollidarum pagus esse credatur nulla profecto causa est.

Scrib. Gryphiswaldiae mense Decembri ann. MDCCCLXVII.

DE CRATINI IUNIORIS FRAGMENTO.

Ex deperdita Cratini iunioris comoedia Chirone ab Athenaeo XI, 3. p. 460 hi versus afferuntur:

πολλοστῷ δ'ἔτει
ἐκ τῶν πολεμίων οἴκαδ' ἥκων, ξυγγενεῖς
καὶ φράτερας καὶ δημότας εὑρὼν μόλις,
εἰς τὸ κυλικεῖον ἐνεγράφην. Ζεὺς ἔστι μοι
ἑρκεῖος, ἔστι φράτριος· τὰ τέλη τελῶ —

quos apparet hominis esse ex aliqua hostium terra post diuturnam absentiam in patriam Athenas reversi atque in civitatem non sine aliqua difficultate restituti. Nam quod vix a se gentiles, phratores, demotas inventos esse ait, aegre sibi contigisse significat, ut a suis agnosceretur: scilicet quum puerulus fortasse aliquo casu e patria abductus multosque annos inter hostes detentus esset. Sed quamvis universa loci sententia satis plana sit, non liquet tamen, quid de *κυλικείῳ* statuendum sit, cui se ille adscriptum esse affirmat, neque postremorum verborum *τὰ τέλη τελῶ* sententia extra controversiam est. Operae pretium igitur fuerit, quae nobis aut vera aut probabilis utriusque rei interpretatio esse videatur, paullo accuratius exponere. Ac primum quidem de *κυλικείῳ*: quo vocabulo proprie nihil aliud nisi poculorum repositorium, *τὴν τῶν ποτηρίων σκευοθήκην* significari certum est. Neque aliam eius significationem Athenaeus commemorat, sed tribus ex Aristophane et Eubulo locis citatis, in quibus haec ipsa planissime comparet, statim hunc quartum e Cratino subiungit, nulla amplius explicatione addita, licet propriam vocabuli significationem in eo agnosci non posse manifestum sit. Neque id fugit Eustathium, qui ad Il. XXI. 316. p. 1271, 32 illud ipsum *εἰς τὸ κυλικεῖον ἐνεγράφην* commemorans, s y m p o s i u m significari coniicit. Nam coniecturam hanc esse, non certam et ex ipsa Cratini fabula ductam interpretationem apparet, quippe quum de illa fabula non plus Eustathio quam nobis notum

fuerit: tantum scilicet, quantum ex Athenaeo cognosci potest. Probavit autem eius coniecturam Meinekius[1]), sententiamque loci sic optime indicatam esse censet: mihi ea non quidem absurda, haudquaquam tamen optima esse videtur. Quid enim esse dicemus *εἰς τὸ συμπόσιον ἐγγραφῆναι*, in symposium inscribi? An moris fuisse, ut a domino convivii nomina convivarum in indice scriberentur, ideoque inscriptum esse in symposium idem significare atque in numero convivarum esse? Certe exemplum aut testimonium huius moris nullum extare credo, neque intelligo, qua ratione aliquis se civem probare hoc argumento potuerit, quod in convivarum numero esset, quasi non peregrinos quoque ad convivium vocari licuerit. Nam hoc quidem dubitari non potest, quin is, quem Cratinus loquentem induxit, civitatem suam hac inscriptione comprobare voluerit. Itaque quum alia explicatio circumspicienda sit, equidem *κυλικεῖον* illud collegium sive sodalicium esse arbitror civium Atticorum, in quo sodalicio haec lex observaretur, ut neminem nisi civem numero suo adscriberent, unde facile fieri potuit, ut Cratinus aliquem tali argumento uti faceret ad civitatem suam probandam, scilicet non in foro ac iudicio, sed in aliquo amicorum circulo et in actione ludicra, in qua etiam ludicro argumento locus esset. Sodalicia autem Athenis permulta varii generis fuisse constat[2]), in quibus nonnulla, quae nihil aliud sibi propositum haberent, nisi ut statis diebus congregati sodales hilariter inter se convivarentur ludisque et iocis se oblectarent. Ex hoc genere unum nobilissimum novimus hominum sexaginta, qui patronum sibi Herculem fecerant, heroem epulando et potando non minus quam laboribus exantlandis insignem, ad cuius fanum Diomense congregari solebant, dictisque et factis iocularibus et ridiculis tantam non solum Athenis sed etiam apud exteros celebritatem nacti erant, ut Philippus, rex Macedoniae, magnus ridiculorum amator, librum sibi de iis componi iuberet lauta mercede oblata[3]). Neque diversi generis fuerunt quos ex

---

1) Fragm. comic. III. p. 378.

2) Cf. librum de antiqu. graec. vernacule scriptum tom. I p. 374 sq.

3) Athenae. XIV, 3 p. 614: *πλῆθος δ' ἦν Ἀθήνησιν τῆς σοφίας ταύτης* (loquitur de *γελωτοποιίᾳ*). *Ἐν γοῦν τῷ Διομέων Ἡρακλείῳ συνελέγοντο ἑξήκοντα ὄντες τὸν ἀριθμόν, καὶ ἐν τῇ πόλει ὠνομάζοντο, ὡς „Οἱ ἑξήκοντα τοῦτ' εἶπον" καὶ „Ἀπὸ τῶν ἑξήκοντα ἔρχομαι." — Τοσαύτη δ' αὐτῶν δόξα τῆς ῥᾳθυμίας ἐγένετο, ὡς καὶ Φίλιππον ἀκούσαντα τὸν Μακεδόνα πέμψαι αὐτοῖς τάλαντον, ἵν' ἐγγραφόμενοι τὰ γελοῖα πέμπωσιν αὐτῷ.* Cf. VI, 76. p. 260:

Demosthene cognovimus, qui Ithyphallorum sibi nomen fecerant, ab Ithyphallo, uno ex Dionysi comitatu[4]), quem patronum, ut illi alteri Herculem, ascivisse videntur, eiusque sacris novicios, si quos reciperent, iocularibus quibusdam caerimoniis initiabant[5]). Eiusmodi igitur sodalicium non dubito quin illud quoque Cratini *κυλικεῖον* fuerit, nomine a calicibus indito, quos siccare in conventibus suis impigre solebant, quasi vernacule dicas die Becherei sive das Becherkränzchen. Certe non minus aptum hoc nomen iudicabitur, quam quo Herodis Attici aetate studiosi adolescentes a clepsydra, ad quam declamare solebant, sodalicium suum clepsydrium vocarunt[6]), aut hoc nostro tempore pictorum Düsseldorpiensium, hilaritatis ac iocorum amantium, sodalitas ab artis quam factitant instrumento appellatur der Malkasten. Quamquam Attico isti *κυλικείῳ*, si patronum aliquem atque eponymum heroem quaererent, in promptu erat Cylicem sibi asciscere, quem Herculi quondam comitem fuisse fabulatores affirmabant[7]).

De locutione *τὰ τέλη τελῶ*, quae postrema est in Cratini versibus, nuper demum controversiam movit vir doctissimus et in antiquitatum graecarum cognitione strenue versatus, Christianus Petersen, cuius iudicium quo pluris facio, tanto magis cavendum est, ne, quum dissentire me ab eo profitear, non satis graves dissentiendi causas habuisse existimer. Pervagata ante Peterseuium omniumque, quos quidem ego noverim, consensu recepta sententia haec fuit, significari illa locutione tributorum, liturgiarum ceterorumque munium praesta-

---

Ἱστορεῖ δὲ περὶ αὐτοῦ (de Philippo) *καὶ τάδε Ἡγήσανδρος ὁ Δελφός, ὡς τοῖς Ἀθήνησιν εἰς τὸ Διομέων Ἡράκλειον ἀθροιζομένοις τοῖς τὰ γελοῖα λέγουσιν ἀπέστελλεν ἱκανὸν κερμάτιον, καὶ προσέτασσέ τισιν ἀναγράφοντας τὰ λεγόμενα ὑπ' αὐτῶν ἀποστέλλειν πρὸς αὐτόν.* Ceterum non illa demum aetate, sed iam Aristophanis tempore hoc Diomense sodalicium floruisse videtur, siquidem dubitari vix potest, quin *Διομειαλάζονες* illi, quorum in Acharn. v, 612 mentio fit, huc pertineant.

4) Idem sine dubio Ithyphallus est atque Phales, quem ut *ἕταιρον Βακχίου, ξύγκωμον νυκτοπεριπλανήτην, μοιχόν, παιδεράστην* Dicaeopolis celebrat ap. Aristophanem Ach. v. 267.

5) *Οἱ τελοῦντες ἀλλήλους τῷ Ἰθυφάλλῳ.* Demosth. ctr. Conon. p. 1262 §. 17.

6) Philostr. vit. soph. II, 10, 1 p. 585. et 13, 1 p. 594.

7) Nicander Thyatirenus apud Athenae. XI, 5 p. 461. — Etiam Cyathus in Herculis comitibus numerabatur ab altero Nicandro, Colophonio. Athen. IX. 80 p. 411.

tionem: id ille verum esse negat, et de sacris potius domesticis atque arcanis cogitandum esse statuit, quae soli cives Attici in sua quisque domo fecerint. Hanc enim interpretationem unam contextui verborum in Cratini versibus aptam esse: illi alteri non modo hunc contextum, sed etiam usum loquendi adversari [8]). Atqui de contextu quidem apparet quam lubricum sit iudicium in huiusmodi fragmento, ubi de consilio loquentis et quam ob causam quidque dicatur nihil plane compertum habeamus. Petersenio quidem is, cuius illa verba sunt, hoc unum egisse videtur, ut civem se esse demonstraret, ad quam rem nihil interfuisse, utrum tributa ceteraque munia civilia praestaret an non; interfuisse autem magnopere, utrum sacrorum arcanorum, quae cives soli colerent, particeps an expers esset. Ego contra nullam causam esse video, cur non hoc potius consilium loquentis fuisse statuamus, non modo ut restitutum se esse in civitatem, sed ut praestari etiam a se affirmaret, quae civibus praestanda essent conferendis tributis aliisque muneribus obeundis. Quod autem huic interpretationi verborum *τὰ τέλη τελῶ* Petersenius etiam usum loquendi obstare autumat, hoc viri doctissimi iudicium redargui facile potest. Nolo nunc eiusmodi locutiones commemorare, quales sunt *ζευγίσιον, θητικὸν τελεῖν*, in quibus *τέλος* subaudiendum esse apparet [9]), aut *τὸ αὐτὸ τέλος τελεῖν* in Demosthenis oratione contra Timocratem [10]) de iis, qui eiusdem classis sunt eiusque munia praestant: nam responderi fortasse possit aliud esse *τὸ τέλος* singulari numero, aliud *τὰ τέλη* numero plurali. Neque talia afferam, quale est *τὰ τέλη κατατιθέναι* apud Antiphontem [11]), *τὰ ἴσα τέλη διδόναι* apud Hesychium [12]), aliaque similia, in quibus quum de significatione nominis dubitari nequeat, dubitaverit tamen fortasse aliquis, num pro *κατατιθέναι* aut *διδόναι* etiam *τελεῖν τὰ τέλη* eodem sensu dici licuerit. Sed quid opponi huiusmodi exemplis poterit, quale est in decreto Piraeensium, Corp. Inscr. no. 101 v. 25, ubi Callidamanti cuidam a

---

8) Chr. Petersen, der Hausgottesdienst der alten Griechen (Cassel. 1851). p. 17. et 51.

9) Cf. Boeckh. Oecon. publ. 1. p. 651.

10) P. 745 §. 144: *οὐδὲ δήσω Ἀθηναίων οὐδένα, ὃς ἂν ἐγγυητὰς τρεῖς καθιστῇ τὸ αὐτὸ τέλος τελοῦντας.* Erat hoc in iure iurando senatorum. vid. §. 147.

11) De caede Herod. p. 744 §. 77.

12) S. v. *ἰσοτελεῖς.*

Piraeensibus inter alia iura etiam hoc conceditur: *τελεῖν αὐτὸν τὰ αὐτὰ τέλη ἐν τῷ δήμῳ, ἅπερ ἂν καὶ Πειραιεῖς, καὶ μὴ ἐκλέγειν παρ᾽ αὐτοῦ τὸν δήμαρχον τὸ ἐγκτητικόν*? De sacrorum communione Callidamanti concessa in hoc contextu cogitari non posse manifestum est, ac si quis tamen id sibi manifestum esse neget, convinci poterit ex hoc ipso decreto, quum paullo ante, v. 11—17, de sacris praecipiatur: *καὶ ὅταν θύωσι Πειραιεῖς ἐν τοῖς κοινοῖς ἱεροῖς νέμειν καὶ Καλλιδάμαντι μερίδα, καθάπερ καὶ τοῖς ἄλλοις Πειραιεῦσιν, καὶ συνεστιᾶσθαι Καλλιδάμαντα μετὰ Πειραιέων ἐν ἅπασι τοῖς ἱεροῖς, πλὴν εἴπου αὐτοῖς* [h. e. *μόνοις*] *Πειραιεῦσιν νομιμόν ἐστιν εἰσιέναι*. Nihil igitur superesse videtur, nisi ut statuatur, potuisse quidem *τὰ τέλη τελεῖν* etiam de tributis dici, si propter universum orationis contextum errari de significatione nequeat, sed eandem locutionem per se solam non usurpari solitam esse nisi de sacris. Attamen ne hoc quidem obtineri poterit, sed refutabitur Dinarchi auctoritate. Is enim in oratione contra Aristogitonem p. 86 §. 17, quattuor genera officiorum enumerans, de quibus in magistratuum *ἀνακρίσει* examinari candidati solebant, deinceps ut horum nullo Aristogitonem perfunctum esse demonstret, singulis officiorum generibus singula eius delicta eodem ordine opponit. Primum est *εἰ γονέας εὖ ποιεῖ;* immo, inquit, *ἀντὶ τοῦ γονέας εὖ ποιεῖν κακῶς οὗτος τὸν ἑαυτοῦ πατέρα πεποίηκεν*. Alterum: *εἰ τὰς στρατείας ὑπὲρ τῆς πόλεως ἐστράτευται;* minime vero: *ὅτε δ᾽ ὑμεῖς ἐστρατεύεσθε, οὗτος ἦν ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ*. Tertium: *εἰ ἱερὰ πατρῷα ἔστιν;* ne hoc quidem: *τοσοῦτον δ᾽ ἀπολέλοιπε τοῦ πατρὸς μνῆμά τι ἔχειν, ὥστ᾽ οὐδ᾽ ἐν Ἐρετρίᾳ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ τελευτήσαντος ἐκεῖ τὰ νομιζόμενα ἐποίησεν αὐτῷ*[13]). Quartum denique: *εἰ τὰ τέλη τελεῖ;* immo huic quoque officio defuit, *τῶν δ᾽ ἄλλων Ἀθηναίων εἰσφερόντων ἐκ τῶν ἰδίων οὗτος οὐδὲ τῶν δημοσίων καὶ ὧν ὦφλε τὸ ἀργύριον ἅπαν ἐκτέτικεν*. Manifestum est igitur Dinarcho illud *τὰ τέλη τελεῖν* non ad nescio quam sacrorum operationem pertinere visum esse, sed ad tributorum pensionem, neque dubitari posse spero, quin de vera eius formulae significatione usuque loquendi Dinarcho plus quam cuiquam nostrorum hominum credendum sit. Quod si ita est, etiam de Cratini ver-

13) Neglecta iusta funebria demonstrabant *τὰ πατρῷα ἱερὰ* contemni, quorum praecipua pars constabat deorum manium cultu ad sepulchra parentum.

siculo non amplius dubitabitur, utra interpretatio verior sit, illane, quae Petersenio placuit, an altera, quam vir doctissimus non solum ab illo contextu sed etiam ab usu loquendi alienam esse autumavit.

Sed est etiam alius error cum falsa ista interpretatione coniunctus, quod sacra illa, quae τελῶν nomine designari credit, arcana fuisse, idque adeo hoc ipso nomine declarari opinatur. Scilicet sacrorum privatorum ac domesticorum — de his enim solis agitur — duo genera fuisse statuit: alia palam cum familiaribus et amicis celebrari solita, in quibus sacra nuptialia, amphidromia, iusta funebria inferiasque mortuis oblatas, alia in operto remotisque arbitris operanda, in quo genere nominatim Jovis Hercii et Apollinis Patriti sacra numerat, quae, quamvis civibus omnibus communia, nihilo minus tamen arcana fuisse vult, quumque in designatorum magistratuum examine quaereretur, Jovemne Hercium et Apollinem Patritum haberent, probare eos examinantibus debuisse, arcana horum deorum sacra sibi nota seseque iis initiatos esse. Quae autem civibus omnibus communia erant, et de quibus adeo in publico examine interrogabantur et respondebant, haec quo iure arcana vocari possint, non satis perspicio. Neque enim hoc dicere licebit, fuisse certos quosdam ritus uni cuique domui ac familiae proprios et in operto peragendos, omnibus autem, qui non eiusdem domus ac familiae essent ignotos, atque haec esse illa arcana, quibus se initiatos esse magistratus designati probare debuerint. Numquam enim fieri potuisset, ut de his arcanis publico examine in senatu quingentorum aut in iudicio heliastico quaereretur [14]). Dicemusne igitur, ceteras quidem examinis partes publice et praesentibus omnibus aut senatoribus aut iudicibus aliisque auditoribus, hanc autem de sacris secreto institutam esse inter paucos quosdam conscios, antistites fortasse sacrorum aut exegetas? Id quidem non facile quemquam probaturum esse arbitror in omnium, qui illius examinis meminerunt, scriptorum silentio [15]). An hoc potius: civibus quidem omnibus ea sacra nota, ceteris autem ignota, ideoque hactenus saltem arcana fuisse? Consentaneum est igitur, ut aliqua ratione provisum esse

14) Quam religiose Athenienses caverint, ne quid de sacris arcanis divulgaretur, quum alia exempla docent, tum quod in iudiciis, si causae ad mysteria pertinentes tractarentur, initiatos tantum iudices sedere licebat, neque auditores admittebantur, ne quis forte ἀνεπόπτευτος audiret, quod ab initiatis tantum audiri fas esset. Cf. Jul. Poll. VIII, 123. Att. Proc. p. 149.

15) Scriptorum locos omnes commemoravit Meierus, Att. Proc. p. 202—207.

putetur, ne qua eorum notitia divulgari et ad exteros, servos aut peregrinos, dimanare posset. Sed nihil eiusmodi aut testimonio ullo aut indicio probari poterit. Audimus Jovis Hercii et Apollinis Patriti sacra civibus propria adeoque cum ipsa civitate coniuncta fuisse ut, qui ea non coleret, hoc ipso etiam civitatis expers esse videretur: scimus locum eorum in privatorum domibus fuisse vel in aula vel in aliqua parte aedium: administrata esse comperimus ab ipsis patribus familias, qui sic quasi sacerdotio quodam privato et domestico fungerentur. Sed arcana haec sacra fuisse h. e. talia, quibus etiam extraneos adesse, aut quorum ritus ac caerimonias ab extraneis cognosci nefas et aliqua lege interdictum esset, id vero neque audimus a veteribus, neque a Petersenio probatum videmus. Nonnullos quidem sic aut superstitiosos aut morosos fuisse credimus, ut neminem praeter proximos et carissimos ad certa quaedam sacra domestica admitterent, qualem Cironem illum fuisse audimus, quem, quum Jovi *Κτησίῳ* sacrificaret, solos nepotes suos, sed praeter hos neminem nec servum nec liberum admisisse Isaeus narrat or. VIII, 16. Sed haudquaquam omnes Cironis similes fuisse ex ipsa Isaei narratione manifestum est, vulgoque Jovis Ctesii sacris etiam servos non arceri solitos vel Aeschyli Clytaemnestra testis est, quum captivam Cassandram alloquens *χερνίβων* eam *κοινωνὸν* futuram esse dicit *πολλῶν μετὰ δούλων σταθεῖσαν Κτησίου βωμοῦ πέλας.*[16]) Quod autem de Jovis Ctesii, idem sine dubio etiam de Hercii et de Apollinis Patriti sacris statuendum est. Arcebant ab his sacris servos et extraneos superstitiosi homines, qui praesentiam eorum diis ingratam esse aut officere sacrorum efficaciae posse suspicabantur[17]), non arcebant, qui liberum ab eiusmodi superstitione animum habebant.

Restat ut aliquid etiam de vocabulo *τέλος* adiiciatur, quod licet in Cratini versiculo de sacris accipi non posse demonstraverim, alibi tamen nonnunquam sic usurpatum a veteribus esse quodvis lexicon docet. Quod quum constet etiam verbi *τελεῖν* usum in sacris frequentissimum esse, dicique et *τὰ ἱερὰ τελεῖν, τὰς θυσίας τελεῖν, τὰ ὄργια τελεῖν,* hinc aliquis effici fortasse dixerit nihil obstare, quominus etiam *τὰ τέλη τελεῖν* eodem sensu accipi potuisse credamus. Atqui non quidquid fieri potest, propterea etiam fieri debet; et

---

16) Aesch. Agam. v. 1035.
17) Cf. Lobeck. Aglaoph. p. 273 sqq.

in scriptorum interpretatione non tam id quaeri convenit, quid potuerit fortasse aliqua locutione significari, quam quid vere significari solitum sit: haec enim una summa lex est sanae interpretationis, eamque etiam in Cratini loco observari oportuit. Sed alter quoque error removendus est. Nam quum constet cognatum vocabulum *τελετὴν* de arcanis potissimum et mysticis sacrorum generibus usurpari solere, fuerunt qui eandem a r c a n i significationem etiam illi alteri, *τέλος*, quasi propriam tribuerent: neque Petersenium ab hac opinione abhorrere videmus. Qui autem accuratius inquisiverit, nec ratione eam fulciri neque exemplis comprobari intelliget. Velut in his Euripidis versibus,[18])

θεοῖσι μικρὰ θύοντας τέλη
τῶν βουθυτούντων ὄντας εὐσεβεστέρους,

ecquis sibi persuadebit *τέλη* non omne genus sacrificiorum, sed arcana tantum significare? Item in eiusdem poetae versibus, quos Medeam dicentem facit, v. 1382:

γῇ δὲ τῇδε Σισύφου
σεμνὴν ἑορτὴν καὶ τέλη προσάψομεν
τὸ λοιπὸν ἀντὶ τοῦδε δυσσεβοῦς φόνου,

piacularia quidem sacra intelligi apparet, arcana ut intelligantur nulla causa est. Apud Aeschylum porro, Pers. v. 208, quum Atossa coram Persarum principibus libum arae imponens haec eloquatur:

σὺν θυηπόλῳ χερὶ
βωμὸν προσέστην ἀποτρόποισι δαίμοσι
θέλουσα θῦσαι πέλανον, ὧν τέλη τάδε,

si sacra designari statuimus[19]), id quod mihi verum videtur, certe non arcana haec esse manifestum est, quippe quae palam fieri videamus. Apud Sophoclem, Trachin. v. 238, quum instituisse Hercules dicitur

βωμοὺς τέλη τ' ἔγκαρπα Κηναίῳ Διί,

nihil nisi *θυσίας* vel *θυμιάματα ἀπὸ καρπῶν* designari fatendum erit[20]), omni arcanorum significatione exclusa. Denique apud eundem,

18) Ex deperdita fabula, apud Athenaeum II, 12 p. 40.

19) Nam fuerunt, qui munus ac potestatem deorum averruncandorum designari mallent.

20) Cum vetere scholiasta, cui recentiores quidam interpretes immerito obloquuntur, de luco potius consecrato cogitandum esse rati; scilicet quia praecedit verbum *ὁρίζεται*. Sed zeugmatis figura hoc loco nihil offensionis habet, quum praesertim non de uno sacrificio nunc ipsum oblato, sed de institutione etiam in posterum observanda sermo sit.

Antig. v. 143, ubi hostes *πάγχαλκα τέλη* Iovi Tropaeo reliquisse dicuntur, spolia dici videmus hostibus detracta et a victoribus Iovi consecranda, quae consecratio certe non arcana fuit. Perapti autem hi duo Sophoclis loci esse videntur ad demonstrandum, qua ratione factum sit, ut sacra diis oblata etiam hoc *τελῶν* nomine vocarentur. Scilicet quum vectigalia et tributa, quae rei publicae penduntur, vulgo *τέλη* dici solerent, eodem vocabulo etiam donaria ac sacrificia designari haud incongruum erat, quandoquidem haec quoque tanquam tributa quaedam diis deberi videbantur [21]). Quod si ita est, nomen illud in omne genus sacrificiorum, sive ea publice sive privatim, sive palam sive in operto fierent, pariter convenisse apparet. Aliter autem se res habet in cognato vocabulo *τελετή*. Huic enim istam arcanorum et mysticorum sacrorum significationem quasi propriam factam esse fatendum est: quamquam etiam generalioris significationis exempla haudquaquam deesse videmus. Horum unum iam Hermannus commemoravit, Antiqu. sacr. §. 52, I, ex Aristophanis Ranis v. 370, ubi Dionysiorum ludi scenici *πάτριοι τοῦ Διονύσου τελεταὶ* dicuntur. Alterum eiusdem poetae est in Pace v. 415,

τούτοισι δὲ (Soli et Lunae)
οἱ βάρβαροι θύουσι· διὰ τοῦτ᾽ εἰκότως
βούλοιντ᾽ ἂν ὑμᾶς πάντας ἐξολωλέναι,
ἵνα τὰς τελετὰς λάβοιεν αὐτοὶ τῶν θεῶν.

et paullo post, v. 420:

καὶ σοὶ τὰ μεγάλ᾽ ἡμεῖς Παναθήναι᾽ ἄξομεν
πάσας τε τὰς ἄλλας τελετὰς τὰς τῶν θεῶν,

ad quem locum scholiastes *παρατηρητέον*, inquit, *ὅτι ἀντὶ τοῦ τὰς θυσίας κεῖται τὰς τελετάς*. Etiam in Vespis v. 907:

ὦ γεῖτον ἄναξ, δεσπότ᾽ Ἀγυιεῦ, τοὐμοῦ προθύρου προπύλαιε,
δέξαι τελετὴν καινήν, ὦναξ, ἣν τῷ πατρὶ καινοτομοῦμεν,

de arcanis sacris non cogitandum est. Euripides porro, Iphig. Taur. v. 954, ubi Orestem loquentem facit,

---

21) Sic etiam lexici Passoviani editoribus visum est, tom. II part. 2 p. 1858 ed. quint. Sed Herodoti locus I, 183, quem citant, nihil huc pertinet: nam *τὰ τέλεα* ibi non substantivum est, sed adiectivum, i. q. *τὰ τέλεια*, significanturque hostiae perfectae, integrae, iustae aetatis.

κλύω δ' Ἀθηναίοισι τἀμὰ δυστυχῆ
τελετὴν γενέσθαι, κἄτι τὸν νόμον μένειν,
χοῆρες ἄγγος Παλλάδος τιμᾶν λεών,

ritum hoc nomine designat in choum festo observatum,[22]) religiosum illum quidem, sed certe non arcanum. Neque Pindarus, Olymp. III, 41 (74), ubi Hieronem ceterosque Emmenidas laudat utpote *εὐσεβεῖ γνώμᾳ φυλάσσοντας μακάρων τελετάς*, aliud quid significat, quam *τὰς ἑορτὰς τῶν θεῶν*, quemadmodum recte scholiastes interpretatur. Item Olymp. XI, 51 festi Olympici prima celebratio, in qua nihil arcani erat, *πρωτόγονος τελετὰ* dicitur: et Pyth. IX, 98 *τελεταὶ ὥριαι Παλλάδος* Panathenaea sunt, quae item Nem. X, 34 *τελεταὶ Ἀθαναίων* vocantur, licet arcana Panathenaeorum sacra nulla fuisse constet. Sed quod in altero vocabulo *τέλος* factum esse statuimus, ut tributorum notio ad sacrificia transferretur, id in *τελετὴν* non item quadrare confitendum est, quandoquidem tributa nunquam hoc nomine designari, sed proprium eius usum in sacris esse videmus. Ad explicandum autem hunc usum maxime probabilis haec via videtur, ut proficiscamur a perficiendi et consummandi notione, quae, ut in verbo *τελεῖν*, sic etiam in verbali nomine agnoscenda est. *Τελετὴν* igitur proprie nihil aliud quam perfectionem et consummationem sacrorum significare dicemus[23]): ut autem de arcanis potissimum et mysticis sacris hoc consummationis vocabulum usurparetur, propterea factum esse arbitror, quod horum omnes ritus atque caerimoniae praecipuam quandam sanctimoniam habere nihilque eorum salva religione praetermitti posse, sed ad consummationem pariter omnia necessaria esse viderentur. Nam in aliis sacris multa etiam minus necessaria fieri solebant, quae utrum abessent an adessent ad summam rem non magnopere intererat. In quibus autem nihil non summa religione observandum, et quorum nulla pars minoris ad consummationem mo-

---

22) Res nota est, imprimis e Phanodemo apud Athenaeum X, 49 p. 437. Schol. Aristoph. Ach. v. 972 (960). Plutarch. qu. symp. II, 10.

23) Hanc significationem etiam ab altero vocabulo *τέλος* non alienam esse vix est quod moneam. Quam ob rem non mirabimur, etiam *τέλη* nonnunquam ea dici, quae alias *τελεταὶ* potius dici solent, velut ap. Sophoclem Oed. Col. v. 1052: *οὗ πότνιαι σεμνὰ τιθηνοῦνται τέλη θνατοῖσιν, ὧν καὶ χρυσέα κλῄς ἐπὶ γλώσσᾳ βέβακε προσπόλων Εὐμολπιδᾶν*, ad quem locum schol. *τέλη δὲ τὰς τελετάς: καὶ Αἰσχύλος· Ἔφριξ, ἐρῶ δὲ τοῦδε μυστικοῦ τέλους.* Item Soph. fr. ap. Plut. de aud. poet. c. 4: *ὡς τρισόλβιοι κεῖνοι βροτῶν, οἳ ταῦτα δερχθέντες τέλη μόλωσ' ἐς Ἅιδου.*

menti esset, in his illud *τελετῆς* sive consummationis nomen praecipuo quodam modo usurpari solitum esse non mirabimur: quamquam, ut dixi, etiam generalioris usus exempla haud desunt. Perfectionis autem et consummationis notionem in verbis *τελεῖν* et *τελετή* etiam ibi agnoscendam esse arbitror, ubi de initiatione mysteriorum usurpantur. Scilicet certis quibusdam lustrationibus aliisque caerimoniis opus erat, quibus qui rite praeparati erant, iam ad participanda mysteria plane apti et quasi consummati dicebantur[24]). Latini rem eandem contrario vocabulo, sed pariter apto significant. Nam lustrationibus illis ac caerimoniis initus h. e. aditus ad mysteria parabatur, quae et ipsa ab initu nomen initiorum acceperunt. — Denique *τελετή* et *τελεῖσθαι* etiam de consecratione imaginum aliarumque rerum dici videmus[25]), quae certis quibusdam ritibus vi quadam et quasi numine divino impleri credebantur, scilicet quia sic demum ad sacrum usum apta planeque perfecta et consummata dici poterant. Ad imaginum autem consecrationem praeter caerimonias etiam symbolis quibusdam opus fuisse legimus, quae iis appenderentur aut circumdarentur a peritis, qui *τελεσταί*, ars autem eorum *τελεστική* dicebatur[26]). Lapides quo modo consecrati et ad vaticinandum vi divina impleti sint, ex Orphico carmine de lapidibus cognosci potest[27]). De aquae consecratione, quo ea ad hydromantiam aut lecanomantiam apta fieret, M. Psellus loquitur, de op. daem. p. 42. Boiss.: *ἡ ἐπὶ τῷ ὕδατι τελετὴ καὶ τὰ ἐπάσματα ἐπιτήδειον πρὸς ὑποδοχὴν τοῦ χρῶν-*

---

24) Cf. Eustath. ad Il. IX, 310 p. 752, 19: *τελεῖσθαι τὸ μυεῖσθαι καὶ οὕτως ἐντελέστατα ἔχειν.* Non absimili ratione a christianis scriptoribus *τελειοῦσθαι* dicitur et *τελείωσις* de baptismo aut de sacramento confirmationis, et *τέλειοι* qui baptizati aut confirmati sunt. Vid. Du Cange Gloss. p. 1540. Etiam de consecratione ecclesiarum *τελειοῦσθαι* dici Valesius notavit ad Harpocr. p. 63 (224 Dindf.).

25) Cf. Eustath. l. l.: *καὶ γοῦν καὶ Παλλάδιον τετελεσμένον καὶ λίθος τετελεσμένος κατὰ τοιαύτην σημασίαν ἐλέγετο.* Aliquot exempla vid. ap. H. Stephanum, Thesaur. tom. VII p. 1969 ed. Paris.

26) De his satis est Lobeckium laudare, Aglaoph. p. 108 et 730. De ritu autem eiusmodi consecrationis ipsius divae Hecatae praecepta a Porphyrio tradita apud Eusebium legimus Pr. euang. V, 21 tom. 1 p. 209 Heinich. Cf. G. Wolff, Porphyr. p. 130.

27) Lithic. v. 354—381: imprimis notabile est, quod v. 366 dicitur, *λᾶαν ὑπερμενέεσσιν ἀοιδαῖς ἔμπνοον ἔρδειν.* Lapides aliasve res sic consecratas et *τετελεσμένας*, divinaque aut daemonica vi impletas, *τελέσματα* dici notum est, unde corruptum a barbaris nomen Talisman.

τος ἐργάζονται πνεύματος. Sed omne hoc genus theurgicae superstitionis antiquitus in Graecia ignotum fuit, ac posteriore demum aetate invectum, nec solum vulgo susceptum, sed etiam a philosophis quibusdam delirantibus probatum est.

Haec hactenus: iam illud agendum est, cuius causa haec prolusimus.

Indicimus igitur Regis Augustissimi natalicia die crastini hor. XII in auditorio maximo ab universitate nostra celebranda, omnesque quicunque rebus nostris favent, magistratus regios et urbicos, civiles et militares, omnesque omnium ordinum cives atque hospites ut coetui nostro frequentes adesse velint qua decet observantia et reverentia invitamus.

Dabamus Gryphiswaldiae a. d. XIV m. Octob. MDCCCLVIII.

DE LOCIS QUIBUSDAM TACITI VIT. AGRICOLAE.

Taciti vitam Agricolae nuper a Friderico Kritzio recognitam et perpetua annotatione illustratam percurrentes opportune admoniti sumus notularum quarundam olim a nobis in adversaria coniectarum, quarum una atque altera paullo accuratius explicanda hoc prooemiandi negotio defungi sine magna molestia posse videremur. Neque enim in promptu erat alia aptior huiusmodi scriptioni materia, aut quae pertractari breviori tempore posset. Delibabimus igitur aliquot locos ex eorum numero, de quorum aut emendatione aut interpretatione non consentimus cum nupero editore, qui quamvis omnino susceptam provinciam egregie administraverit partamque dudum boni critici et sollertis interpretis laudem etiam hoc opere tuitus sit, in nonnullis tamen a vero, aut ab eo certe quod nos verum esse putamus, aberrasse videtur.

Cap. IV, 1. **Gnaeus Julius Agricola — — utrumque avum procuratorem Caesaris habuit, quae equestris nobilitas est.** De hac nobilitate equestri plerique interpretes sic statuerunt, ut procuratores Caesarum, quos ex equitibus sumi moris erat, propter muneris huius administrationem ad altiorem equestris ordinis gradum promotos sive equites illustres factos esse opinarentur. Ab hac opinione Kritzius non immerito dissentiens nobilitatem in eo potius constitisse putat, quod quis dignus illo munere ab imperatore iudicatus esset, quippe quod egregiis tantum et eminentibus viris mandari soleret. „Munus illud“ inquit „non nisi egregiis et inter ceteros eminentibus conferri solet, ita ut, si quis illud accipit, id documento sit, non ex obvio eum et promiscuo equitum numero, sed ex praestantissimis esse, qui Hist. I, 4, 3 primores equitum vocantur.“ Sic igitur nobilitatem hoc loco pro claritate aut claritatis documento ac testimonio accipere debebimus, quasi dixerit Tacitus, quod munus equestrem nobilitatem arguit, ut avos Agricolae nobiles fuisse ex eo, quod

procuratores facti sunt, intelligatur. Atqui non recte hoc sumi videtur, procuratores e nobilissimis tantum et praestantissimis electos esse: eligebantur quicunque imperatoribus placerent et idonei viderentur, nullo claritatis aut nobilitatis respectu, et nonnunquam ne ingenui quidem, sed libertini ordinis homines. Hanc ob causam assentiri Kritzio non magis quam ceteris interpretibus possumus, quibuscum hoc ei commune est, quod verba illa quae equestris nobilitas est ad unam procuratorii muneris notionem, quae in procuratorum vocabulo intelligitur, referri, quamquam diverso sensu, voluit. Et posse hoc fieri fatendum est[1]), debere fieri negamus. Aliquanto probabilius referri illa verba non ad unum vocabulum, sed ad omnem superiorem enuntiationem iudicamus, ut equestris nobilitas Agricolae fuisse dicatur propterea, quod avum utrumque procuratorem Caesaris habuerit. Nam propria nobilitatis significatio apud Romanos haec erat, ut diceretur de iis, qui parentes aut maiores haberent curulibus magistratibus functos. Hi enim nobiles vocabantur, opponebanturque hoc nomine hominibus novis, i. e. iis, qui primi ex familia sua curules magistratus ceperant. Ciceronem e. c., licet summo magistratu ornatum, non tamen propterea nobilem fuisse constat, quippe quum maiores eius nullis rei publicae honoribus functi essent; Sulpicius contra, qui eius in consulatu competitor fuit, antiquam nobilitatem habere dicitur[2]), cuius ex annalibus memoria eruenda sit, scilicet propter magistratus olim ab eius maioribus gestos. Ad hoc exemplum igitur etiam sub imperatoribus, quum procuratores provinciarum ex equitibus fieri solerent, non illis ipsis, qui primi ex familia sua ad id munus promoti essent, sed filiis atque nepotibus eorum nobilitatem quandam enatam esse dicemus, et hanc fuisse Agricolae equestrem nobilitatem, quod duorum procuratorum nepos esset. Intellexit rem etiam Wexius: sed is hanc ipsam ob causam verba illa in suspicionem vocavit tanquam ab aliquo interpolatore inserta. „Quid attinebat“ inquit „equestrem illam nobilitatem Agricolae vindicare, cuius patrem senatorii ordinis fuisse ex proximis Taciti verbis cognoscimus“? Scilicet senatorii ordinis splendore equestrem istam nobilitatem Wexius adeo obscuratam et extinctam esse credit, ut ne commemoranda quidem Tacito fuerit. Id nobis non satis considerate iudicatum videtur. Ordinem senatorium

1) Cf. e. c. Liv. XXX, 7, 5: Senatum itaque suffetes, quod consulare imperium apud eos erat, vocaverunt.

2) Cic. pr. Mur. c. 7, 16.

quo modo pater Agricolae nactus sit, ignoramus: attamen non propter aliquem magistratum id contigisse pro certo affirmare licet: hoc enim Tacitus non fuisset silentio praetermissurus: et permultos nullo magistratu gesto in senatum beneficio principum allectos esse constat, ex quo genere si pater Agricolae fuit, filius, quamvis et ipse senatorii ordinis, nobilitatem certe nullam hinc acceperat. Haudquaquam igitur absurdum fuit, hanc saltem, quam ab avis acceperat, nobilitatem equestrem obiter commemorari, quemadmodum a Tacito factum est: illud autem vix credibile, huiusmodi commemorationem alicui interpolatori in mentem venire potuisse.

Cap. V, 2. Nec Agricola licenter, more iuvenum qui militiam in lasciviam vertunt, neque segniter ad voluptates et commeatus titulum tribunatus et inscitiam retulit. Universam huius loci sententiam, et quid sit ad voluptates et commeatus titulum tribunatus et inscitiam referre, praeclare Wexius enodavit: in duobus tamen verbis neque segniter offendit duabus de causis. Primum in hoc contextu, quum appareat istud neque non posse referri ad antegressum nec, quo totum hoc enuntiatum cum antecedente copuletur, debuisse potius aut segniter scribi: deinde nihil opus fuisse eos qui voluptates sectarentur in duo quasi genera digerere, quorum alteri licenter et lascive id facerent, alteri segniter; ac ne cadere quidem segnitiem in illos voluptatum sectatores. „Nam" inquit „segnes desidiam potius sequuntur quam voluptates lascivientium et exsultantium adolescentium". Videtur igitur vir doctissimus non alias quam horum voluptates agnoscere. Equidem crediderim etiam segnibus et inertibus suas quasdam voluptates esse cum ipsa quam sequuntur desidia coniunctas: neque intelligo, si fuerunt duo genera voluptates sectantium, — ut fuerunt sine dubio, — cur haec etiam discreta a Tacito aegre feramus. De altera offensione sic statuo, ut potuisse quidem aut segniter scribi concedam, sed ferendum tamen etiam neque segniter contendam. Nam ista, quam Wexius requirit, particularum nec et neque mutua responsio et quasi correlatio est illa quidem longe frequentissima, neque tamen sic cum genuina harum particularum natura et significatione coniuncta, ut negligi nunquam possit. Et neglexerunt eam etiam alii, velut Sallustius, Catil. c. 2, 3: aequabilius atque constantius sese res humanae haberent, neque aliud alio ferri, neque mutari ac misceri omnia videres. Apparet, opinor, hic quoque prius neque nihil

nisi connectere hoc membrum cum antecedente, alterum neque sententiam negativam simpliciter superiori addere, ut, si graece haec convertenda sint, non οὔτε — οὔτε sed οὐδέ — οὐδέ dicendum fuerit. Aliquot non diversi generis exempla Kritzius contulit ad Sall. Cat. c. 58, 1, qui etiam hunc Taciti locum recte interpretatus est: quamquam quos conferri iubet locos, cap. 8, 3. 18, 3. 22, 4, nihil magnopere ad rem faciunt, siquidem in nullo eorum post priorem sententiam negativam, per neque cum antecedentibus nexam, altera item negativa per neque adiuncta est.

Cap. IX, 3: ubi conventus ac iudicia poscerent, gravis, intentus, severus et saepius misericors; ubi officio satisfactum, nulla ultra potestatis persona: tristitiam et arrogantiam et avaritiam exuerat. In postremis verbis non mirum est multos offendisse: nam qui exuisse vitia dicitur, is ea in se habuisse aliquando, et postea demum deposuisse videbitur, vel, ut Wexius ait, qui vitia quaedam exuit, is antea iis laboraverit necesse est. Hic igitur hanc totam partem tanquam spuriam damnavit. Obloquitur Kritzius: „exuisse" inquit „(non exuere) rem dicitur is, qui eam rem, quam alii habent, in se non admisit eaque immunem se praestitit". Similiterque etiam alii illud verbum interpretati sunt prorsus neglecta propria eius et nativa significatione. Nobis veriorem interpretationem Tacitus ipse monstrasse videtur verbis praecedentibus: nulla ultra potestatis persona: neque enim dubitari potest, quin haec personae similitudo etiam in his, quae continuo adduntur, animo eius obversata fuerit. Induenda erat Agricolae potestatis persona ubi magistratus officia poscerent, resque ipsa ferebat, ut non raro, quanto intentius iniuncto sibi munere fungeretur, tanto magis iis, qui imperiis eius coercendi, castigandi, in ordinem cogendi essent, etiam tristis, arrogans, avarus, quamquam non esset, esse tamen videretur. Itaque Tacitus non exuendi verbo significationem tribuit ab eius natura alienam, sed breviter ipsa vitiorum nomina posuit pro specie vitiorum, cum potestatis persona coniuncta. Atque sic hunc locum etiam a Doederlino nostro explicatum videmus. Alterius interpretationis auctores, quo suam de verbo exuerat sententiam comprobarent[3]), aliud eiusdem significationis exemplum sibi invenisse

3) Plusquamperfecti exempla a Rothio citata diversi generis sunt. Significatur enim nunc nihil aliud nisi celeritas consecutionis: statim, simul officio satisfactum, omnem etiam potestatis personam exutam fuisse. Cf. Zumpt. Gr. §. 508. Sic ap. Homer. Il. I, 221: ἡ δ' Οὔλυμπόνδε βεβήκει, ad quem loc. cf. Naegelsbach.

visi sunt in Ann. VI, 25, 2: Agrippina aequi impatiens, dominandi avida, virilibus curis feminarum vitia exuerat. „quod non est“ inquit Kritzius „sua vitia feminea deposuerat, sed vitiis iis, quae vulgo feminarum sunt, vacabat.“ Atqui Agrippina, utpote femina, naturam a feminarum vitiis prorsus immunem habere vix potuit; aliqua quamvis parva eorum semina etiam in ipsius natura insita fuisse necesse est; sed haec, antequam apparerent atque adolescerent, obruta et extirpata erant dominandi aviditate curisque virilibus.

Cap. IX, 7: Haud semper errat fama; aliquando et elegit. Non assentior si quis perfectum hoc elegit pro aoristo (h. e. ad instar aoristi Graecorum) accipiendum esse neget et potius pro perfecto (rectius, opinor, pro praesente actionis perfectae) habendum dicat. Nam quod cogitationem hanc subesse aiunt: id quod experientia constat: eandem cogitationem equidem omnibus locis subesse arbitror, ubi perfectum pro aoristo accipiendum esse grammatici consentiunt. Neque enim aliter fieri potuit, ut Graeci aoristum suum h. e. praeteritum verbi tempus, de re vulgo fieri solita usurparent, nisi quod hoc ipsum, solere aliquid fieri, experientia rei iam saepe factae cognoscitur: nec refert magnopere, utrum addatur aliqua disertior experientiae iam factae significatio (per plerumque, saepe, aliquando ac similia), an haec subaudienda intelligentibus relinquatur. Itaque recte Kritzius ad Sallust. Catil. c. 21, 12, de hoc perfecti usu disputans, hunc ipsum ex Agricola locum pro exemplo posuit: de quo ut in editione libri aliter iudicaret[4]), permovit eum fortasse Madvigii auctoritas, qui quum non immerito Walchii aliorumque de hoc perfecti usu errores reprehenderit, ipse tamen veram rei rationem argutiis suis obscurasse magis quam illustrasse dicendus est. Opusc. ac. alt. p. 112 sqq.

Cap. X, 3: Et est ea facies citra Caledoniam, unde et in universum fama est transgressis. Faciem dicit oblongae scutulae vel bipenni similem, qualem Britanniae formam nonnulli tradiderant: sed postrema verba: in universum fama est transgressis, dubitari non potest quin corrupta sint. Nam haec eorum interpretatio: „qui ex continenti in Britanniam transgressi sunt, eam famam de totius insulae facie accipiunt“, probari nequit, siquidem nec ipsa

4) H. e. in editione prima: nam in altera, ann. 1865, rectius sensit.

haec locutio fama est alicui, de fama quam aliquis accepit, ullam aut exemplorum aut rationis commendationem habet, nec de formis terrarum fama ab iis tantum, qui eas adierunt, sed ab aliis etiam quamvis longe remotis accipi potest et solet. Rhenanus scripsit: in universum fama est transgressa: sed transgredi fama in aliquam regionem sic demum recte dici videtur, si fama in eam regionem perfertur et ab eius incolis accipitur, id quod ab hoc loco alienum esse apparet. Verissimam puto Doederlini coniecturam, qui unius verbi transpositione locum emendavit. Nam quum statim subiungat Tacitus: sed immensum et enorme spatium procurrentium extremo iam littore terrarum velut in cuneum tenuatur: ille participium transgressis ex eo, ubi in codicibus scriptum est, loco motum huc reposuit: sed transgressis — — velut in cuneum tenuatur. [5]) Intelligendi sunt non qui ex continenti in Britanniam, sed qui ex ipsius Britanniae parte citeriore in Caledoniam transgressi sunt. His illud enorme spatium velut in cuneum tenuatur, h. e. hi illud in cuneum tenuari vident. Sic enim et Graeci et Latini, formam aut situm locorum designantes, dativum participii usurpant, ut quasi conditionalis enuntiationis instar sit, significetque qua conditione alicui loca illa sic, ut dicunt, sita aut conformata appareant. Liv. I, 8, 5: locum qui nunc saeptus descendentibus inter duos lucos est h. e. quem, qui descendunt, inter duos lucos aspiciunt. Id. XXXII, 4: Thaumaci a Pylis sinuque Maliaco per Lamiam eunti loco alto siti sunt h. e. Thaumacos, si quis per Lamiam eat, loco alto sitos conspicit. Plura dabunt Gronov. ad I, 8, 5, Oudendorp. ad Caes. B. G. V, 2, 3. De Graecis satis est Matthiaei grammaticam laudare §. 388b. Sed apud Tacitum praeterea etiam in priore periodo scribendum esse suspicor: unde et in universum fama, deleto verbo est, quod in tali contextu omitti ab eo solet, velut in proximo capite §. 1: habitus corporum varii, atque ex eo argumenta, aliisque locis innumerabilibus. Atque sic etiam originem alterius corruptelae facillime explices: nam posteaquam fama est pro fama sed vel fama set proclivi librariorum errore scriptum fuit, oblitteratam particulam adversativam, qua careri non posse apparebat, correctores in margine posuerunt, unde mox in contextum alieno loco irrepsit.

5) Merito probarunt hanc sententiam Kritzius in editione secunda et Hofman-Peerlkamp, qui etiam verb. est post fama delendum esse mecum censet.

Cap. X, 5: Sed mare pigrum et grave remigantibus perhibent; ne ventis quidem proinde attolli. Permira fuit Kritzii annotatio[6]), inauditam significationem adverbio proinde asserentis, quod non comparandi vim habere vult, sed esse i. q. continuo, nulla mora, temporis potestate a loci translata. „Quemadmodum enim“ inquit „protenus, quod est a pro (= porro seu prorsus) tendendo, dicitur ad significandum aliquid ex aliqua re continuo prodire ac statim fieri, ita proinde particulae ratio constat, si ex aliqua re statim pergitur, quod plane congruit cum germanico sofort.“ De ratione nolumus nunc contendere: non intercedimus, quominus proinde etiam locali ac temporali significatione dici potuisse statuatur, scilicet si quis solam etymologiam respiciat. Atqui non tamen quidquid ratione fieri fortasse potuerit, propterea etiam re vera factum est, et ad significationem verborum certo cognoscendam nihil proficitur ratione etymologica, nisi accedat etiam diligens et accurata usus observatio. Usu autem istam, quam Kritzius comminiscitur, significationem haudquaquam comprobari certo certius est. Nam quod unum eius exemplum protulit, Hist. I, 30, 5, hoc exemplum pro nullo habendum esse facile patefiet. Legitur ibi in codicibus: Nec est plus, quod pro caede principis quam quod innocentibus datur; sed proinde a nobis donativo plus ob fidem, quam ab aliis pro facinore accipietis, apparetque Kritzium illud sed proinde pro sed statim accepisse. Prudentissimi editores locum corruptum esse censuerunt deleveruntque alterum illud plus, utpote librariorum errore e superiore versu repetitum, quo genere vitiorum nihil in Taciti codicibus frequentius esse Doederlinus praef. p. XIV sq. et post hunc Heraeus ostendit, Stud. crit. in Medic. Tac. codd. (Marburg. MDCCCLVI) p. 73 sqq. Igitur hoc vitio sublato proinde apparet referri ad sequens quam, sententiamque hanc esse: milites donativom (sic enim pro donativo scribendum) ob fidem proinde (h. e. pariter) ab loquentibus, quam ab aliis pro facinore accepturos.

Ceterum in huiusmodi locis, ubi comparativa est particulae vis, plerumque non proinde sed perinde scribi solet, nec defuerunt qui alteram formam causali tantum aut conclusiva significatione usurpatam esse crederent, quae opinio cur mihi falsa esse videatur, indicavi

6) In ed. prima: nam in altera rectius loquitur.

in Opuscul. ac. III, p. 416[7]). Nostro autem loco, ubi proinde in codd. legitur, comparativa significatio facile agnoscitur, licet quo pertineat haec comparatio non diserte indicetur, sed subaudiendum sit: scilicet mare Britannicum non proinde quam alia ventis attolli: quod genus ellipseos, etiam apud Graecos, qui *οὐχ ὁμοίως* eodem modo usurpant, longe frequentissimum, quum dudum a multis observatum satisque illustratum sit, pluribus nunc de eo disputari nihil opus est. Hoc unum addimus, etiam in eo, quod Kritzius pro exemplo adhibuit: „valde onustos currus, ubi iumenta niti coeperint, non proinde moveri, sed paullatim demum incitari:" nihil obstare, quominus illud non proinde, contra ipsius sententiam, comparativum esse dicamus et significare, non ita vel non tam cito currus moveri quam pro nisu iumentorum expectaveris.

Cap. XI, 4. Eorum sacra deprehendas superstitionum persuasione. Hanc codicum lectionem Wexius eiusque exemplo Kritzius non ferendam rati scripserunt superstitionum persuasiones, asyndeto, ut nobis quidem videtur, perquam duro et vix tolerabili, quamobrem, si constaret de necessitate mutandae lectionis, etiam copulam et vel ac insertam maluerim. Sed quid tandem est in codicum lectione non ferendum? Ablativus, aiunt, verbo sic postpositus, ut cum eo etiam constructione cohaerere videatur. Nam deprehendere aliquid aliqua re sic demum dici potest, si ea res pro nota atque indicio sit, unde illud alterum cognoscatur. „Id autem" inquit Wexius Proleg. p. 70, „non cadere in nostrum locum manifestum est, quum sacra non ex superstitione, sed superstitio potius ex sacris cognoscatur." Eodem modo etiam Kritzius: nec facile quisquam aliter se rem habere dixerit. Et tamen de mutationis necessitate dubitare licebit. Quippe viri doctissimi, dum singula verba eorumque collocationem intuentur, universam enuntiationis sententiam minus reputarunt. Nam quum Gallorum apud Britannos sacra deprehendi dicuntur, quid hoc aliud significat, quam deprehendi Gallorum sacra ab iis coli? quumque additur superstitionum persuasione, ablativum hunc causalem esse neque ad verbum proximum, deprehendas, sed ad

---

7) Dixit nuper de his formis G. Friedlein in libello, quo Fr. Thierschio honorem doct. ante L annos acceptum gymnasii Erlang. nomine gratulatus est: sed de eius disputatione iudicare non possum, quum ipsum libellum non viderim, sed tantum ex Annal. Phil. et Paed. a. 1858 p. 809 et 1859 p. 165 de eo acceperim.

rem, quae superioribus verbis significata est, pertinere dicemus. Nam superstitionum persuasio in causa fuit, ut Gallorum sacra apud Britannos essent, non ut deprehenderentur.

Cap. XVII, 3. Et Cerialis quidem alterius successoris curam famamque obruisset *** sustinuitque molem Julius Frontinus, vir magnus quantum licebat etc. Non improbabile est, quod Wexius Kritzius aliique suspicantur, aliquot verba post obruisset excidisse, velut, nisi immaturo fato obiisset, vel, ut Wexio placuit: sed subito in medio cursu extinctus est: expromam tamen etiam meam quandam veterem coniecturam non minus fortasse probabilem. Peccarunt saepenumero librarii coniungendis vocabulis, quae disiungenda erant: sic fieri potuit, ut ex obruitset (pro obruit sed scripto: nam set pro sed satis frequens est [8])), illa coniunctivi forma existeret obruisset. Peccarunt non minus saepe litteris aut iisdem aut similibus omittendis: sic factum est, ut ex sustinuitutique hoc quod nunc legimus sustinuitque nasceretur. Itaque si veram lectionem hanc fuisse sumimus: Et Cerialis quidem alterius successoris curam famamque obruit; sed sustinuit utique molem Julius Frontinus — medicina non nimis certe violenta et structuram verborum habemus integram, et sententiam, ut arbitror, satis probabilem. Nam proximi duo Cerialis in Britannia successores fuerunt Frontinus et Agricola [9]): horum utrumvis alterum dici potuisse manifestum est, siquidem hoc pronomen, ut graecum ὁ ἕτερος, nihil aliud nisi unum de duobus intelligendum esse significat, et ubi duo successores sunt, alter tam is dici potest, qui prior, quam qui posterior est. Hoc autem loco non posteriorem Agricolam intelligendum esse res ipsa docet: necesse est igitur Frontinum intelligi, idque quo minus obscurum esset Tacitus ipse providit statim nomine eius posito. Huius igitur curam famamque Cerialis obruit, h. e. rebus suis gestis tantopere excelluit, ut earum magnitudine et gloria Frontini cura famaque obscuraretur et paene

8) Cf. A. Mai ad Cic. de re publ. 1, 3 p. 15 ed. Moser. Baier. ad Cic. fragm. or. p. 46.

9) Hübnerus quidem in Museo Rhen. nov. XII, 1, p. 53 (Die Römischen Legaten in Britannien), proximum Cerialis successorem non Frontinum, sed alium quempiam ignotum fuisse suspicatur, nulla, ut equidem arbitror, idonea ratione. Quamquam idem iam olim Dederichio placuisse video in Diurn. antiquar. ann. 1839 p. 837, nec Nissenius se ab hac suspicione abhorrere profitetur p. 154.

delitesceret. Nam hanc illius verbi interpretationem veriorem esse puto quam quae a Kritzio proponitur: omnem copiam rerum agendarum famaeque parandae ita successori ereptam esse, ut neque haberet in quo curam suam ostenderet, neque ea famam assequeretur. Etenim quod obruitur ab aliquo, id esse tamen et ipsum aliquid necesse est: cui autem omnis curandi et famam quaerendi occasio praerepta est, huius ne esse quidem ulla cura famaque potest: quae autem nulla sunt, haec obrui non possunt. Neque probatur diversa interpretatio iis locis, quos Kritzius comparavit, Agr. c. 46, 6: multos veterum oblivio obruit. Cic. de orat. I, 25, 116: ita quidquid est, in quo offenditur, id etiam illa, quae laudanda sunt, obruit. Nos autem exemplum haud absimile huius nostri comparabimus, Valer. Max. I, 1, 9: Obruitur tot ilustribus consularibus L. Furius Bibaculus, exemplique locum vix post Marcellum invenit; sed pii simul ac religiosi animi laude fraudandus non est. Obrutum h. e. obscuratum Valerius Bibaculum dicit illustrium consularium, quorum antea mentionem fecerat, factis praeclaris, ut vix ipse in exemplis numeretur; sed non tamen sua laude fraudandum esse. Eodem modo Tacitus obscuratam Cerialis claritate Frontini curam famamque dicit, ut vix pro merito agnoscatur: sed deberi tamen Frontino hanc laudem, ut sustinuisse utique molem, h. e. haud impar certe moli fuisse dicatur. Utique adverbium in tali sententiarum nexu aptissimum est: significat enim fere idem, quod nos dicimus jedenfalls, quo indicamus: utut ceteroquin res est, hoc certe s. hoc saltem verum est. Nam quod Lachmannus ait, ad Lucret. p. 250, utique proprie significare et ita quidem uti oportet, probari non potest: que in hac particula nullam habet copulandi vim, non magis quam in ubique, quisque, uterque, quandoque.

Cap. XIX, 5: Namque per ludibrium assidere clausis horreis et emere ultro frumenta acludere pretio cogebantur. Pro ac ludere, quod corruptum esse apparet, Puteolanus dedit ac vendere, quam emendationem, licet a plerisque acceptam et operose a Walchio defensam, nullo modo probandam fuisse rectissime Wexius intellexit. Ipse proposuit ac luere pretio, quo significari vult quod nos vernacule dicimus mit Gelde büssen: nam potuisse luere hoc sensu etiam absolute dici, ut id, quod luerent, subaudiendum lectoribus relinqueretur: quod quid esse possit, equidem me non intelligere fateor. Kritzius scripsit ac recludere, hac explicatione

addita: „Ludibrium eo constabat, quod accipiendo frumento praepositi, si Britanni, qui frumentum non haberent, pro eo pecuniam dare vellent, ea reiecta pertinaciter in eo perstabant, ex lege frumentum ipsum esse praebendum. Quod ut tandem efficeretur, ad desperandum adactis Britannis ipsi ex horreis suis vendebant, quod illi debebant, frumentum, nimio scilicet pretio, atque, ubi vendiderant, idem, quod nunc iam ab emptoribus praebebatur, rursus condebant in horrea, neque id sine nova pecunia extorta (pretio) ob multiplicatam videlicet operam." De ludibrii genere utique assentior: de lectione assentiri non possum. Nam ne dicam de inusitata verbi recludere significatione, quod, quum soleat de aperiendo et reserando dici, nunc pro eo quod est rursus includere accipere iubemur, hoc ipsum prorsus incredibile, id, quod Romani horreorum praefecti faciebant, scilicet ut frumentum rursus in horreis suis conderent, id nunc non hos, sed Britannos, a quibus frumentum accipiebant, fecisse dici, quumque vulgo pretio aliquid facere is dicatur, qui pretium accipit, nunc contra pretio recludere frumentum eos dici, qui pretium recludendi aliis numerent. Scripsisse Tacitum arbitror: accendere pretia cogebantur. Lenissimam mutationem, accendere pro acludere, pretia pro pretio, omnes fatebuntur: nec minus bonam sententiam esse agnoscent, qui meminerint accendere pretia idem esse ac pretia augere, cuius significationis exempla e Forcellini copiis apponam, Senec. de benef. VII, 9: Crystallina, quorum accendit fragilitas pretium. Plin. H. N. XVIII, 25, 60. Nubilo occasu pluviosam hiemem denuntiant, statimque augent lacernarum pretia; sereno asperam, et reliquarum vestium accendunt. Eodem sensu etiam incendere pretium et excandefacere dicitur: scilicet quia pretii magnitudine emptores quasi uruntur. Populum urebat annona, est apud Vellei. II, 77. excandefacere annonam apud Varronem R. R. II, 2, 16. Sic igitur emendati loci sententia haec est: Britanni quum frumentum aut non haberent, aut servare vellent, aut devehere quo iussi erant non possent, aut quod offerrent frumentum ab horreorum praefectis non probaretur, emere quantum deberent ex clausis Romanorum horreis, quumque plures ad eadem horrea confluerent empturientes, assidere iis et licitando inter se accendere pretia cogebantur.

De extremis in hoc capite verbis: donec, quod omnibus in promptu erat, paucis lucrosum fieret, neque Wexio neque

Kritzio assentior, quorum alter haec — quod omnibus in promptu erat — pro parenthesi accipit, qua significetur omnibus rem manifestam fuisse, neminem latuisse, alter, qui recte intelligeret, ipsam structuram orationis obstare quominus aliud horum verborum, aliud reliquae enuntiationis subiectum esse credatur, pro in promptu certa, ut ait, emendatione improsperum scripsit.[10]) Placere hanc emendationem posse concedo: necessariam ac certam esse non credo, sed acquiesco in vulgata codicum lectione. Nimirum loquitur Tacitus de collatione frumenti, quae malis artibus procuratoris eiusque ministrorum ex tolerabili, et qualem praestare omnes sine molestia possent, in quaestum paucorum convertebatur. Collatio frumenti omnibus in promptu erat, scilicet si recte ac legitime cum iis ageretur: nunc autem, quum secus ageretur, paucis lucrosa. Est igitur illud conditionaliter dictum, omissa hypothesi, quippe quam subaudiri debere res ipsa monstraret. Neque abhorret hic usus indicativi imperfecti, ut conditionaliter accipi debeat, ab optimorum scriptorum more. Vid. Drakenb. ad Liv. XXXVIII, 2, 2. XLI, 24, 4. Krüger. de consecut. temp. in eius quaest. Gramm. (Grammat. Untersuch.) II p. 366. Id. grammat. lat. §. 463. Zumpt. §. 519. Et Graecos quoque nonnumquam sic hunc indicativum imperf. absque particula ἄν usurpare notum est.

Cap. XXII, 2: Nullum ab Agricola positum castellum aut vi hostium expugnatum aut fuga desertum; crebrae eruptiones; nam adversus moras obsidionis annuis copiis firmabantur. Ita intrepida ibi hiems et sibi quisque praesidio. Non iniuria Wexius, Prolegg. p. 131, sententiarum nexum misere conturbari ac prorsus subverti queritur interpositis verbis crebrae eruptiones, quibus omissis omnia egregie et rite procedant. Hanc ob causam illa verba uncinis inclusit utpote aliquo errore ex glossemate ad cap. 20, 2 (subitis excursibus) in hunc locum translata. Id quidem minus verisimile videtur, sed iustam offensionem esse negari non potest. Nam quod Kritzius nexum sententiarum sic declarare studet, ut verbis nam — firmabantur causam afferri dicat, cur praesidia in castellis non solum nullum damnum acceperint, sed etiam crebras eruptiones fecerint, quippe quum copiis in annum provisis nihil illis ad alacritatem deesset: obiecerit fortasse aliquis, hoc

10) In ed. prima: nam in altera plane mihi assentitur.

ipsum maxime offensioni esse, non modo non dictum esse a Tacito, quod ad perspiciendum illum nexum intelligi necesse sit, sed dictum etiam, quod lectoris animum alio avocet. Nam quum adversus moras obsidionis milites firmatos scribit, non cur alacres ad eruptiones faciendas, sed tantum cur fortes ad tolerandas longas obsidiones fuerint, docere velle videtur. Ac memini me olim, quum hanc vitam Agricolae in seminario cum adolescentibus philologis tractarem, eandem quam Kritzium loci explicationem periclitari: sed obloquebatur unus e sodalibus verbaque illa nec delenda nec argute defendenda, sed transponenda in proximam periodum suadebat: Ita intrepida ibi hiems: crebrae eruptiones et sibi quisque praesidio. Mihi hoc consilium placuit, nec aliis fortasse displicebit. Eruptiones non solum qui obsidentur facere dicuntur, sed quicunque e suis castris aut castellis in hostium fines incurrunt. Vid. Caes. B. G. VII, 7, 2.

Cap. XXX, 4: Nunc terminus Britanniae patet, atque omne ignotum pro magnifico est. Sed nulla iam ultra gens etc. Frustra hunc locum Wexius et Kritzius interpretando tueri conantur, in quo equidem nullam sanam sententiarum connexionem agnosci posse censeo. Neque enim intelligo, qua ratione cum illo, quod terminus Britanniae pateat, hoc alterum, quod omne ignotum pro magnifico sit, sic per atque coniungi potuerit, neque magis, qua ratione rursus huic, quod omne ignotum pro magnifico sit, opponatur illud: sed nulla iam ultra gens. Nam quod aiunt Galgacum (is enim loquitur) postquam Britanniae terminum patere dixit, admonere etiam suos voluisse, non amplius magnam de iis apud Romanos existimationem esse: quippe ignota quidem omnia pro magnificis haberi, id autem in ipsos, utpote patefacto Britanniae termino non amplius ignotos, non cadere: hoc si Galgacus in mente habuit, fatendum profecto, omissa ab eo illa ipsa esse, quae omitti nisi ab eo, qui plane intelligi nollet, nullo modo possent. Accedit mirifica ista oppositio: omne ignotum pro magnifico, sed nulla iam ultra gens. Hanc Wexius silentio praetermisit, Kritzius autem, quum opponi haec inter se non potuisse intelligat, oppositionem esse negat, gradationem adversativa particula significari vult in hunc modum: non solum Britanniae terminus patet, sed etiam ultra nos nulla gens est, ad quam nos recipere possimus. Quam gradationem non sine saltu quodam viri sollertissimi effici potuisse videmus: transsilienda enim fuerunt verba proxima de ignoto et magnifico, ut superato hoc intervallo ad terminum Britanniae rursus per-

veniret. Nobis verum vidisse videntur, qui non transsiliendis sed transponendis verbis removere offensionem voluerunt, totiusque loci contextum hunc fuisse credimus: Nos terrarum ac libertatis extremos recessus ipse ac sinus famae in hunc diem defendit: namque omne ignotum pro magnifico est. Sed nunc terminus Britanniae patet. Nulla iam ultra gens etc. Recessum ac sinum famae dicit, ut famam Caledoniorum quasi remotam et ab accuratiore notitia seiunctam significet, ut nihil praeter obscurum quendam rumorem ad Romanos permanarit. Hunc recessum igitur ac sinum famae, quum fere ignoti Romanis essent, defendisse eos tutioresque a Romanorum incursione praestitisse, propterea quod omne ignotum pro magnifico esse soleat, ideoque de ipsis quoque magnifica apud Romanos existimatio fuerit. Nunc autem, patefacto Britanniae termino, mutatam esse rerum suarum conditionem. Namque pro atque a nobis repositum si quis reprehendat, non repugnabimus, quominus is in vulgata lectione securus acquiescat.

In eadem Galgaci oratione, cap. XXXI, 5, ubi haec est codicum scriptura: nos integri et indomiti et in libertatem non in poenitentiam laturi, emendationem haud certe improbabilem, olim a nobis excogitatam, occupavit Peerlkampii sagacitas, deleta praepositione ante libertatem pro in poenitentiam scribendum esse censentis: impune tentatam. Sed mihi etiam participium laturi corruptum ex ulturi videbatur. Non nimis audacem esse mutationem fatebuntur, qui reputaverint pro impune etiam impoene scribi, et tentatam, per compendium scriptum, facillime in tentiam abire potuisse. Nam de coniunctis syllabis quae separari deberent, non opus est dici: neque praepositionem, corrupta in hunc modum lectione, ante libertatem ab aliquo correctore additam magnopere mirabimur.

Cap. XXXIV, 3. Novissimae res et extremo metu corpora defixere aciem in his vestigiis. Haec sic, ut in codicibus leguntur, Kritzius exhibuit sanaque esse putat. Nam novissimas res dici pro pessimis ac desperatis, ultra quas nihil gravius accidere possit, et extremo metu corpora pro hominibus extremo metu correptis animoque propter pavorem ita destitutis, ut tantummodo corpora esse videantur. Equidem de novissimis rebus non dissentio, praeivitque hanc interpretationem iam Wexius Proll. p. 197; sed ex-

tremo metu corpora isto sensu dici potuisse non credo.[11]). Exanimantur sane metu homines: neque tamen hoc eo valere potest, ut ipsi nihil nisi corpora, nedum ut extremo metu corpora esse dicantur, quod quid est aliud, quam corpora summo metu plena, in summo metu versantia? Metus enim natura sua non corporis sed animi est, et qui exanimantur metu, hanc tamen certe animi partem, in qua metus residet, non amittunt, quam si amitterent meraque corpora fierent, ne metuere quidem amplius possent. Itaque perquam probabilis mihi videtur eorum coniectura, qui corpora a librariis ex torpore facta credunt. Quodsi etiam extremus metus scribatur, nominativus pro ablativo, non certe inepta evadet sententia, ut res novissimae metusque extremus quasi quodam torpore aciem Britannorum defixisse dicantur.

Cap. XXXVI, 3: miẽque equestres ea enim pugnae facies erat, quum egra diu aut stante simul equorum corporibus impellerentur. Corruptissimae periodi partem priorem Wexius sic refinxit, ut scriberet: minimeque aequa nostris iam pugnae facies erat, eamque emendationem Kritzius sequutus est, addito tamen pronomine ea ante adverbium iam. Neque nos Wexii sollertiam non summa laude dignam censemus: nescimus tamen, an illo adiectivo aequa supersederi potuerit. Nam in codicum scriptura equestres, cuius vocabuli posterior pars dubitari vix potest, quin recte mutata sit, priorem partem ex repetitis falso litteris postremis vocabuli antecedentis ortam esse credibile est. Deinde pro ea enim scripserim eadem. Alterum membrum nec Wexius recte emendasse videtur, qui scripsit: cum aegre iam diu ante stantes —, neque Kritzius, qui edidit: quum aegre clivo adstantes. Quamqum clivo, quod vocabulum iam alii non pauci in diu latere viderunt, mihi quoque verum esse videtur: sed adstare clivo minus recte dictum puto, quippe quum non hoc Romanis propositum fuerit, ut starent apud clivum, sed ut in clivum eniterentur hostesque per acclive iugum velut insurgentes, ut Tacitus ait c. 35, 2, inde pellerent; quamobrem etiam

11) Quamquam sic etiam Rothio et post eum Nisseno p. 219 placuisse video: „Blosse Leiber in der grössten Bangniss haben eine Schlachtreihe aufgestellt, wie eine todte Pfahlreihe, in der kein animus, kein pectus ist.“ Probari hanc interpretationem opinantur etiam Horatiano loco, Ep. I, 4, 6: Tu non corpus eras sine pectore. — Kritzius in altera editione emendationem meam adoptavit.

erigere in colles aciem coeperunt, cap. 36, 2. Malim itaque clivo instantes, quod item iam aliis in mentem venisse video. Nam instare cum dativo constructum non solum quietis, sed saepe etiam motus significationem habet, ab altero verbo alienam. Universa loci sententia haec est: posteaquam equites, fugatis covinariis, peditum se proelio miscuerint, non eandem quam antea Romanis pugnae faciem fuisse. Antea enim acie compositi servatisque ordinibus dimicaverant, nunc autem, praeterquam quod aegre clivo instarent, accessisse etiam hoc, ut equorum corporibus impellerentur, h. e. huc illuc pellerentur, nec iam compositi, ut antea, sed catervatim disiecti pugnarent. — Proxima verba: ac saepe vagi currus, exterriti sine rectoribus equi, ut quemque fortuna tulerat, transversos aut obvios incursabant, item causam indicant cur non eadem pugnae facies fuerit. Equi sine rectoribus dubitari non potest quin non covinariorum, sed equitum caesorum intelligi debeant, nec solum Romanorum, sed etiam Britannorum: nec scio an recte Rhenanus cap. 35, 2 covinarius et eques scripserit, addita copula, quae in codicibus omissa est. Nam covinarios, qui curru proeliabantur, equites dictos esse vix credibile esse, neque Homerico usu vocabuli ἱππῆες probari posse puto: et quae Walchius affert, ut nullum Britannis praeter covinarios equitatum fuisse demonstret, haudquaquam ad persuadendum apta sunt. Obstant enim praeter disertum Pomponii Melae testimonium etiam Caesaris aliquot loci; Taciti autem verba, cap. 12, 1: in pedite robur; quaedam nationes et curru proeliantur, nihil aliud docere possunt, quam robur exercituum non in equitatu sed in pedite constitisse; eas autem nationes, quae non curru proeliarentur, equitatu plane caruisse nullo modo demonstrant.

Cap. XLII, 5. Obsequiumque et modestiam, si industria ac vigor adsint, eo laudis excedere, quo plerique per abrupta, sed in nullum rei publicae usum ambitiosa morte inclaruerunt. Offendisse in hoc loco multos non mirum est, propter verbi excedere significationem minus obviam, et reliquae orationis structuram non satis expeditam. Et Wexius quidem utramque offensionem removere conatus est scribendo: eorum laudes excedere, qui —, quam coniecturam a Kritzio non iniuria spretam esse arbitror. Sed ipsius interpretationem vulgatae lectionis probare non possum. Vult enim eo laudis excedere non significare ad eam laudem (s. ad eum laudis gradum) excedere, sed id genus

laudis superare et post se relinquere, quoniam, qui aliqua re excesserit, is non amplius in ea sit, sed eam vel superarit vel post se reliquerit. Atqui obstat huic interpretationi constans usus illius ablativi eo cum genitivo substantivi, veluti supr. c. 28, 3: eo inopiae venere. Ann. XV, 1: eo contemptionis descensum. IV, 10: eo audaciae provectum. Hist. III, 17: eo ardoris provectus, aliisque locis innumerabilibus. Quumque excedere etiam is dici possit, qui ex humiliore loco in superiorem evadit vel evehitur, nulla profecto causa est, quominus etiam eo laudis excedere eodem sensu quo eo laudis evehi dicatur. Intellexit hoc iam Ruhnkenius ad Rutil. Lup. I, 9 p. 49, ubi Gronovii emendationem escendere, quamvis facilem, non tamen necessariam esse ostendit, comparato etiam loco Valerii Max. V, 6, 4: res publica procedente tempore ad summum imperii fastigium excessit, quod quid est aliud quam evecta est? Neque diversa est verbi significatio ap. Plinium H. N. XXVII, 1, 1 (quem locum Forcellinus citavit): excedentia in nubes iuga.[12]) — Jam vero in sequentibus ablativum quo cum verbo inclaruerunt construi non posse, sed eodem, quo demonstrativum eo, significatu locali vel, si quis cum Kritzio loqui malit, pro adverbio loci accipi debere apparet; quumque sic aliquod verbum cum significatione movendi, illi alteri excedere respondens, desideretur, possit aliquis eiusmodi participium, velut enisi post usum propter quandam litterarum similitudinem a librariis omissum suspicari. Neque tamen incredibile est, id ab ipso Tacito per breviloquentiam praetermissum esse, utpote ex superiore membro subaudiendum.

Cap. XLIII, 4. Speciem tamen doloris animo vultuque prae se tulit. Caliginem nonnunquam etiam acutissimorum virorum oculis nimia codicum reverentia offundit, ut quae in aperto sunt non videant, videre autem se credant, quae nec sunt nec esse possunt. Quid enim apertius esse potest, quam, si quis, quum animo non doleat, vultu tamen speciem doloris prae se ferat, huius contrarium animo vultum esse: nam animo laetus, vultu tristis est, vultus tristitia animi laetitiam celat ac dissimulat. Et tamen qui sic ficto vultu quo sit animo dissimulat, hunc non solum vultu, sed etiam animo doloris

---

12) Utroque loco etiam Ritterum usum esse video ad vulgatam h. l. lectionem interpretandam.

speciem prae se ferre dicemus? Immo, inquit Kritzius, „animo dolor simulatur, si quis silet, iocis atque verbis laetis abstinet, voluptates intermittit, tristia loquitur“: quod quid est aliud quam animum nunc non esse animum, sed silentium aliaque tristitiae signa animi habitum dissimulantia? — Fuerunt etiam qui ad figuram ἓν διὰ δυοῖν confugerent, scilicet quod veram huius figurae vim ac naturam prorsus planeque ignorabant, quae adhiberi non potest, nisi ubi, quae per copulam coniunguntur, etiam re ipsa sic inter se coniuncta sunt, ut possit alterius nominis loco etiam genitivus aut adiectivum substitui. Itaque animus vultusque per ἓν διὰ δυοῖν tum demum dici posset, si vultus talis esset, qualis huic animo conveniret, non autem nunc, ubi ab animo vultus diversus eique contrarius est. Corruptum igitur locum esse fatendum est, fassique dudum sunt viri prudentissimi: ex emendationibus, quas alii alias commendarunt, nobis una maxime probabilis videtur, quae nescio cui in mentem venit: sermone vultuque. Cf. Ann. VI, 50, de Tiberio: sermone ac vultu quamvis manifestam defectionem tegebat.

Scrib. Gryphiswaldiae d. XXVIII Jun. MDCCCLIX.

ANIMADVERSIONES AD VETERUM GRAMMATICORUM PLACITA DE ADVERBIIS.

Quintilianus, Inst. or. 1 c. 4, veterum de partibus orationis sententias summatim percensens, postquam ab Aristotele et Theodecte tres modo partes, verba nomina coniunctiones, traditas esse dixit, „paullatim" inquit § 19 „a philosophis ac maxime a Stoicis auctus est numerus: ac primum coniunctionibus articuli adiecti, post praepositiones; nominibus appellatio, deinde pronomen, deinde mixtum verbo participium; ipsis verbis adverbia". In his quae de ceteris partibus dicuntur nihil difficultatis habent: de postremis tantum verbis nuper dubitatum est a viro praestantissimo et in his studiis grammaticis naviter versato, qui, si modo recte sententiam eius assequi potui, ambiguum esse autumat, utrum Quintilianus adverbia tanquam speciem quandam verborum aut partem orationis haud absimilem verbis additam atque sic numerum partium auctum esse velit, an hoc potius, nunc demum adverbia verbis sic adiuncta et tanquam adminicula in oratione addita esse, ut intellectum sit, esse in iis aliquid a verbis diversum, quod antea minus animadversum esset. Atque hanc sibi interpretationem altera veriorem videri profitetur vel propter adiiciendi verbum, quo Quintilianus utitur; reprehendit tamen Quintilianum propter perversam, ut ait, de adverbiorum natura opinionem[1]). Ego vero omnem hanc dubitationem per-

[1]) Ne quis forte viri docti sententiam male vertendo a me corruptam esse suspicetur, ipsius verba apponere placuit. Sic igitur ait, allato Quintiliani loco: „Ist damit gemeint, man habe den Verben als eine besondere Art von Verben oder als ähnlichen Redetheil noch das Adverbium zur Seite gestellt, so dass sich das adiici nur auf die Steigerung der Zahl bezieht, so ist wenigstens nicht die bei den Römern übliche fehlerhafte Auffassung des Begriffes ἐπίρρημα in die Erzählung eingemischt, wiewohl daraus nicht folgt, dass sich Quintilian selbst dieser Auffassung nicht angeschlossen habe. Sollte aber die Meinung sein, nunmehr hätte man die Adverbien den Verben so angefügt, und gleichsam zur Unterstüt-

miram nullaque ratione motam esse arbitror, ipsius autem viri doctissimi interpretationem eam, quam sibi veriorem videri ait, longe quam Quintiliani verba obscuriorem mihi videri fateor. Sic enim loquitur, ac si credat Quintilianum adverbia posteriore demum quodam tempore verbis in oratione tanquam adminicula quaedam addi coepta putasse, intellecto tamen eorum a verbis discrimine: antea igitur aut nulla fuisse aut certe non pro adminiculis verborum habita. Noluisse virum circumspectissimum tam incredibilem inscitiam Quintiliano imputare certo scio; sed hoc si noluit, fatendum certe eum quid vellet haudquaquam plane ac perspicue prolocutum esse. Voluit autem, ut arbitror, nihil aliud quam olim adverbia non satis animadversa neque a verbis discreta, ac postea demum ab iis separata esse. Quod si ita est, rursus me non satis intelligere fateor, quam ob causam Quintilianus veram adverbiorum notionem ignorasse arguatur, et quid denique intersit magnopere inter duas istas interpretationes, quarum altera adverbia tanquam speciem quandam verborum aut partem orationis haud absimilem verbis additam vult, altera eadem, quum olim minus animadversa fuissent, postea pro adminiculis verborum habita, diversa tamen ab ipsis verbis, ideoque non amplius cum iis confusa, sed separatim in partibus orationis numerata esse. Nam si respondeat fortasse, aliud tamen esse, speciem quandam verborum adverbia credere, aliud adminicula verborum: opponemus nostro iure, illud ipsum speciei vocabulum perperam a viro doctissimo usurpatum esse, quum de iis diceret, qui adverbia a verbis seiunxissent: seiunxerunt enim propterea, quod non ut speciem generi subiuncta verbis adverbia, sed quamvis affinia et in sermone plerumque illis connexa, sui tamen generis vocabula habenda esse censuerunt. Itaque pro specie verborum adverbia non ab his habita esse dicemus, quos Quintilianus verbis adverbia tanquam aliam partem orationis adiecisse dicit, sed a prioribus, quorum hi sententiam deseruerunt. Quam utrique rationem secuti sint, ex iis quae infra exponemus patefiet; nunc tantum Quintilianum haudquaquam ambigue,

---

zung im Satze beigegeben, dass man jetzt das Bewusstsein gehabt hätte, in diesem Zusatze etwas bestimmtes von dem Verbum verschiedenes zu haben, das man früher unbeachtet gelassen, so wäre damit allerdings von der gewöhnlichen verkehrten Fassung des Adverbiums die Rede. Der Gebrauch gerade des Wortes adiicere giebt dieser sonst allerdings nicht so nahe liegenden Erklärung offenbar einige Wahrscheinlichkeit." Beiträge zur Geschichte der Grammatik des Griech. und des Lat. von Dr. K. E. A. Schmidt, (Halle 1859) p. 497.

sed ita locutum esse aio, ut de sententia eius a nullo, qui quidem omnem illius loci contextum respiciat, errari posse videatur. Apparet enim liquidissime, quo sensu illud adiiciendi verbum usurpet: nempe sic, ut adiectas eas partes orationis esse dicat, quae constarent vocabulorum generibus antea cum aliis confusis, a quibus quum discriminarentur suumque in partibus orationis locum separatim acciperent, numerum partium, nova hac parte adiecta, augeri necesse fuit. Sic coniunctionibus adiectos articulos dicit, quos olim, itidem ut praepositiones, cum coniunctionibus uno *συνδέσμων* nomine comprehensos et in eadem parte orationis numeratos fuisse constat, cuius unum genus *ἄρθρα*, alterum *προθετικοὶ σύνδεσμοι*, tertium *σύνδεσμοι* proprie dicti essent. Item nomina et appellationes in una parte habita esse novimus, donec a Chrysippo in duas dividerentur [2]), quae divisio a grammaticis quidem plerisque repudiata est. Nec de pronominibus et participiis olim in eadem cum nominibus parte numeratis dubitari potest. Sic igitur Quintilianus quum verbis adverbia adiecta dicit, nihil aliud dicit, quam non amplius, ut olim, verbis connumerata, sed tanquam propriam partem adiecta esse. Hoc idem etiam Dionysius Hal. memorat, de comp. verb. c. 2: quem locum qui cum Quintiliano comparaverit, dubitare vix poterit, quin ab hoc usurpatus et propemodum conversus sit [3]).

Manifestum est igitur Quintiliani et Dionysii testimonio, fuisse olim qui adverbia in eadem cum verbis parte orationis ponerent, unoque *ῥημάτων* nomine utrumque genus comprehenderent, eiusdemque rei testem mox etiam Priscianum producemus, quamquam non plane cum illis conspirantem, sed, ut arbitror, veriorem. Quinam autem primi ab hac ratione desciverint propriumque et a verbis separatum

2) Causa dividendi Chrysippo fuit Stoicorum de naturali vocabulorum significatione sententia: nam nomina propria non *φύσει* sed *θέσει* imposita ab hominibus esse intelligebat.

3) Quo commodius comparatio fieri possit ipsa Dionysii verba adscripsi: *Ταῦτα δὲ (τὰ στοιχεῖα τῆς λέξεως s. τὰ τοῦ λόγου μόρια) Θεοδέκτης μὲν καὶ Ἀριστοτέλης καὶ οἱ κατ' ἐκείνους φιλοσοφήσαντες τοὺς χρόνους ἄχρι τριῶν προήγαγον, ὀνόματα καὶ ῥήματα καὶ συνδέσμους πρῶτα μέρη τοῦ λόγου ποιοῦντες. Οἱ δὲ μετ' αὐτοὺς γενόμενοι καὶ μάλιστα οἱ τῆς Στωϊκῆς αἱρέσεως ἡγεμόνες ἕως τεττάρων προυβίβασαν, χωρίσαντες ἀπὸ τῶν συνδέσμων τὰ ἄρθρα. Εἶθ' οἱ μεταγενέστεροι τὰ προσηγορικὰ διελόντες ἀπὸ τῶν ὀνοματικῶν πέντε ἀπεφήναντο τὰ πρῶτα μέρη. Ἕτεροι δὲ καὶ τὰς ἀντωνυμίας ἀποζεύξαντες ἀπὸ τῶν ὀνομάτων ἕκτον στοιχεῖον τοῦτο ἐποίησαν. Οἱ δὲ καὶ τὰ ἐπιρρήματα διεῖλον ἀπὸ τῶν ῥημάτων καὶ τὰς προθέσεις ἀπὸ τῶν συνδέσμων καὶ τὰς μετοχὰς ἀπὸ τῶν προσηγορικῶν.*

locum adverbiis assignaverint, a nullo diserte traditum est. Apparet autem istam rationem ab iis tantum usurpari potuisse, qui *ῥημάτων* notionem aliter quam aut Aristoteles aut grammatici hoc posteriores definirent. Ac de grammaticis quidem, quorum definitiones notae sunt, dicere hoc loco non opus est; Aristoteles autem, quum *ῥήματος* proprium esse dicit, ut tempus adsignificet[4]), adverbium ab eo excludit. Nam licet sint in his nonnulla, quae tempus significent, tamen aliud est significare, aliud adsignificare, prorsusque diversi generis hanc adverbiorum temporis significationem ab ea, quae verbis propria est, adsignificatione temporis esse neminem fugit. Quod quum tres tantum aut fortasse quattuor[5]) partes Aristoteles distinxerit, *ὄνομα, ῥῆμα, σύνδεσμον* (*ἄρθρον*), neque in *συνδέσμοις* aut *ἄρθροις* adverbia numerari potuerint, in nominibus iis locum assignandum fuisse consequitur: et nonnulla certe adverbia ab Aristotele *ὀνόματα* aut *πτώσεις ὀνομάτων* dici videmus in Topic. VI, 10: *εἰ τῶν ὁμοίων τοῦ ὀνόματος πτώσεων αἱ ὅμοιαι τοῦ λόγου πτώσεις ἐφαρμόττουσιν, οἷον εἰ ὠφέλιμον τὸ ποιητικὸν ὑγιείας, ὠφελίμως τὸ ποιητικῶς ὑγιείας*[6]). Neque aliter recentiores Peripateticos de adverbiis statuisse aliquot testimoniis cognovimus[7]). De ipso autem Aristotele

4) De interpr. c. 3: *ῥῆμα δέ ἐστι τὸ προσσημαῖνον χρόνον, οὗ μέρος οὐδὲν σημαίνει χωρίς, καὶ ἔστιν ἀεὶ τῶν καθ' ἑτέρου λεγομένων σημεῖον.*

5) Dubitationem movit locus de art. poet. c. 20, ubi praeter *ἄρθρον* etiam *σύνδεσμος* nominatur, de quo varias interpretum sententias referre longum et ab hoc loco alienum est. Mihi quidem non improbabile videtur Aristotelem, licet uno *συνδέσμων* nomine coniunctionem et articulum comprehenderit, distinxisse tamen horum duo genera, alterum declinabile, *τὸ ἄρθρον*, alterum indeclinabile, cui non aliud quam illud commune nomen erat. Etiam in Rhetoricis iis, quae a plerisque nunc Anaximeni tribuuntur, *ἄρθρα* iuxta *συνδέσμους* commemorantur c. 25.

6) Cf. Simplic. ad Arist. categ. p. 43 a 34 Brand.: *Πτώσεις γὰρ τῶν ὀνομάτων οἱ παλαιοὶ ἐκάλουν οὐ μόνον τὰς πέντε ταύτας τὰς νῦν λεγομένας, ἀλλὰ καὶ τὰς παρακειμένας ἐγκλίσεις, — — ὅθεν καὶ τὰς νῦν καλουμένας μεσότητας πτώσεις ἐκάλουν, οἷον τὴν ἀπὸ τοῦ ἀνδρείου πτῶσιν τὴν ἀνδρείως καὶ ἀπὸ τοῦ καλοῦ τὴν καλῶς.* De nomine *μεσότητος* adverbiis tributo infra dicemus.

7) Vid. Boeth. introd. ad syllog. p. 560 ed. Bas.: Philosophi — adverbia nominibus iungunt: sine tempore enim quiddam constitutum definitumque significant, nec interest quod flecti casibus nequeunt: non enim hoc nominum proprium, ut casibus flectantur. Ammon. ad Arist. de interpr. d. 99 a 25: *τῷ ἀπὸ τῆς Ἀφροδισιάδος ἐξηγητῇ* (Alexandro) *δοκεῖ καὶ τὰ ἐπιρρήματα ὀνόματα εἶναι, καθάπερ καὶ τὰς ἀντωνυμίας καὶ τὴν καλουμένην παρὰ τοῖς γραμματικοῖς προσηγορίαν.*

hoc utique animadvertendum est, haudquaquam id ei propositum fuisse, ut ad modum grammaticorum universam vocabulorum silvam in sua quaeque genera accurate discriberet, sed illud tantum, ut dialectica ratione in enuntiationis naturam inquireret, partesque orationis eas, sine quibus enuntiationes fieri et inter se necti nequeunt, demonstraret quoque modo hae adhiberentur doceret. Itaque quum id genus vocabulorum, quo in omni enuntiatione utimur ad praedicandum aliquid de aliquo, propter hanc ipsam praedicandi vel enuntiandi potestatem *ῥήματος* nomine appellaret, recepto iam ab antiquioribus significatu [8]), addidit accuratioris definitionis causa etiam illud de temporis adsignificatione, quae sane illi generi nunquam non inhaeret [9]). Attamen non adeo constanter his solis illam *ῥήματος* appellationem tanquam propriam ab eo tribui videmus, ut eandem non etiam de eiusmodi praedicatorum genere usurpet, in quibus aliquod nomen cum verbis *ἔστι*, *ἦν*, *ἔσται*, *γίγνεται* et similibus, quae tanquam copulae vice funguntur, coniunctum est: velut quum dicimus *ὁ ἀνὴρ ὑγιής ἐστι*, nomen sic cum verbo coniunctum etiam *ῥήματος* appellatione non excluditur, licet temporis adsignificatio non in hoc, sed tantum in *ἔστι* insit [10]). —

8) Velut a Democrito, a Protagora (de quibus alio loco dicam) et a Platone. Falluntur, qui Platonem primum sic *ῥήματα* ab *ὀνόμασι* distinxisse putant: ipse enim et in Cratylo et in Sophista rem iam ab aliis ante se traditam fuisse ostendit.

9) Byzantiorum magistrorum acumen etiam *ῥήματος* nomen a *ῥέω*, fluo, repetendum duxit, *παρὰ τὴν ῥύσιν τὴν εἰς τοὺς χρόνους*. Schol. ad Dionys. in Bekk. Anecd. II p. 881, 10.

10) *Ἄνευ ῥήματος*, inquit Ar. de interpr. c. 10, 2, *οὐδεμία κατάφασις οὐδὲ ἀπόφασις· τὸ γὰρ ἔστιν ἢ ἔσται ἢ ἦν ἢ γίνεται ἢ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα, ῥήματα ἐκ τῶν κειμένων* (secundum ea quae prius proposita sunt) *ἐστί. προσσημαίνει γὰρ χρόνον*. Contra in Poet. c. 20, 11: *οὐχ ἅπας λόγος ἐκ ῥημάτων σύγκειται, ἀλλ' ἐνδέχεται ἄνευ ῥημάτων λόγον εἶναι*. Scilicet in eiusmodi exemplis, ubi verbum substantivum subaudiendum relinquitur, velut *οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη*, *εἷς οἰωνὸς ἄριστος*, *παρ' ἔμοιγε καὶ ἄλλοι* ac similibus, neque audiendi sunt, qui propter huiusmodi dissensionem, aut speciem dissensionis, locum hunc ab Aristotele abiudicandum autumant. — In libr. de interpr. c. 10, 13: *μετατιθέμενα δὲ τὰ ὀνόματα καὶ τὰ ῥήματα ταὐτὸν σημαίνει, οἷον ἔστι λευκὸς ἄνθρωπος, ἔστιν ἄνθρωπος λευκός*, manifestum est, *ῥῆμα* non hoc solum *ἔστι*, sed *ἔστι λευκός* dici. Immo in huiusmodi enuntiatione, ubi vis praedicati in adiectivo est, *ἔστι*, quod copulae vice fungitur, etiam *προσκατηγόρημα* aut *τρίτον προσκατηγορεῖσθαι* dicitur, ambigiturque adeo, utrum *ῥῆμα*, an simpliciter vocabulum (*ὄνομα*) dici debeat, de interpr. l. 1. §. 4. Cf. schol. ad Analyt. I p. 146 a 19: *σύνηθές ἐστι τῷ Ἀρ. προσκατηγορούμενον λέγειν τὸ ἔστιν, οἷον ἄνθρωπος φιλοσοφῶν ἐστί· συγκατηγορεῖται γὰρ ἰδοὺ τὸ ἔστι κατὰ τοῦ ἀν-*

Insecuti sunt Stoici, qui quum quinque partes orationis numerarent, ὄνομα, προσηγορίαν, ῥῆμα, ἄρθρον, σύνδεσμον, diligentius etiam id operam dederunt, ut in has quinque partes omnem silvam vocabulorum certa ratione dispertirent. Itaque quum in praedicando praeter ea, quae tempus adsignificant, etiam alia multa usurpari viderent, in quibus non pauca, quae nunquam fere nisi in praedicando adhiberentur, quumque nullam rationem esse censerent, cur haec non in eadem cum illis parte ponerentur, in definitione ῥήματος, quo nomine haec omnia, quae praedicandi vim habent, complexi sunt, hactenus sibi ab Aristotele discedendum esse intellexerunt, ut illam temporis adsignificationem, quae unius tantum generis propria esset, omitterent. Extant autem duae ῥήματος definitiones Stoicorum a Diogene Laertio VII, 58 commemoratae, altera Diogenis (Babylonii) haec: ῥῆμά ἐστι μέρος λόγου σημαῖνον ἀσύνθετον κατηγόρημα, altera aliorum: ῥῆμά ἐστι στοιχεῖον λόγου ἄπτωτον σημαῖνόν τι συντακτὸν περί τινος ἢ τινῶν. Harum neutram sic comparatam esse fatebimur, ut non etiam in alia, quam quae a grammaticis proprie ῥήματα dicuntur, convenire possit. Nam si κατηγόρημα est quidquid de aliquo praedicatur, λέξις κατηγόρημα σημαίνουσα omne vocabulum dici potuit, quod propter significationem praedicati pars haberi debet. Tale vocabulum si in enuntiatione per copulam subiecto adiungitur, σύνθετον, extra enuntiationem ἀσύνθετον κατηγόρημα est. Neque συντακτὸν in altera definitione aliud quid significat, quam posse eiusmodi vocabulum constructione sic cum subiecto componi, ut aliquid de eo praedicetur. Sunt autem haec κατηγορήματα, praeter verba, quae copulae vim in semet ipsa habent, non unius generis. Alia enim, quae casualia sunt, in nominibus numerantur, alia, quae casibus carent, ad verbia dici solent: utrisque autem hoc commune est, ut in enuntiatione ad praedicandum usurpari sine verbo aut pronuntiato aut subaudito nequeant. Atque casualia quidem quum etiam in simplici appositione usurpari ac nonnunquam vel ipsa pro subiecto enuntiationis poni possint, recte in nominibus προσηγορικοῖς a Stoicis numerata sunt, ἐπιθέτων vel

---

θρώπου μετὰ τοῦ φιλοσοφῶν. Recentiores Peripatetici ἔστι hoc modo usurpatum etiam ἐπίρρημα dixisse videntur. Ps. Galen. Isag. dialect. p. 7: in tali enuntiatione „Δίων ἄνθρωπός ἐστιν" ὑποκεῖσθαι μὲν ἐροῦμεν τὸν Δίωνα, κατηγορεῖσθαι δὲ τὸν ἄνθρωπον, ἔξωθεν δὲ προσκατηγορεῖσθαι ἐπίρρημα τὴν κοινωνίαν τῶν ὅρων ἐνδεικνύμενον.

ἐπιθετικῶν aut etiam κατηγορικῶν[11]) appellatione ab aliis discreta. In iis autem, quae casibus carent, quum plurima sint, quae manifestam cum nominibus cognationem prae se ferant, et iure πτώσεις h. e. flexiones nominum dici possint, ne haec quidem a Stoicis ex parte nominum exclusa, sed, quum fere verbis quasi quaedam adminicula addi soleant, ἐπίθετα ῥημάτων v. ῥηματικά dicta esse videntur. Quae autem nullam casualibus cognationem prae se ferrent, haec non dubito quin in ῥημάτων parte posuerint. Coniecturam hanc esse fateor: nam disertis testimoniis rem probare non possum. Sed fundamentum tamen coniecturae suppeditavit Priscianus, II, 16 p. 54 Hertz., adverbia a Stoicis nominibus vel verbis connumerata esse testatus. Nam hoc vel licet possit etiam sic accipi, ut ab aliis adverbia in nominibus, ab aliis in verbis numerata esse dicantur, longe probabilius tamen est, propter magnam adverbiorum dissimilitudinem non omnia promiscue in una parte numerata esse. Neque dubito quin Dionysius l. l. minus accurate locutus sit, quum ἀπὸ τῶν ῥημάτων separata adverbia dicit, pro ἀπὸ τῶν ῥημάτων καὶ (v. ἢ) ἀπὸ τῶν ὀνομάτων. Ceterum hoc ipsum ἐπιρρήματος nomen quam antiquum et a quibus introductum sit nescitur; sed Aristarcho saltem non recentius esse videtur, siquidem hoc maxime auctore doctrina grammaticorum de octo partibus orationis invaluit[12]), in quibus quin una ἐπίρρημα fuerit dubitari non potest. Numerarunt autem grammatici in hac parte ea omnia vocabula non casualia, quae, ut ipsorum verbis utar, addita verbo sensum eius implere atque explanare aut mutare aut minuere viderentur[13]), neque incredibile est etiam eum, qui primus illud nomen invenit, hoc potissimum spectasse, quod illa vocabula plerumque verbis

11) Stephan. schol. ad Dionys. p. 864, 25: τὸ ἐπίθετον τοῦτο καὶ κατηγορικὸν ὑπ' ἐνίων καλεῖται διὰ τὸ πάντῃ κατηγορεῖν κυρίων ἢ προσηγορικῶν.

12) Certe Quintilianus I, 4, 20 unum Aristarchum ex idoneis auctoribus graecis nominat, qui octo partes secuti sint. Quod autem Lerschius (Die Sprachphilosoph. d. Alt. II p. 44) iam ante Aristarchum Stoicos hanc partem orationis, quamquam nondum ἐπιρρήματος nomine appellatam, separasse a ceteris et quinque partibus, nomini, appellationi, verbo, articulo, coniunctioni, hanc sextam addidisse autumat, vereor ut probari possit. Nam Antipater, qui μεσότητα (quo nomine adverbia appellata esse mox videbimus) addidisse quinque partibus dicitur, Aristarcho recentior fuit, neque eos, qui πανδέκτην hanc partem dixisse perhibentur, antiquiores fuisse credibile est.

13) Cf. Charis. II, 13 p. 180 Keil. Diomed. I p. 403. Priscian. XVI, 1.

15*

proprie dictis addi solent[14]), quamvis non ignoraret etiam appellativis et adiectivis nominibus ipsisque adeo adverbiis adverbia nonnunquam addi. Quodsi quis tamen probabilius sibi videri dicat, nominis inventorem illam latiorem ῥήματος significationem de qua supra dictum est, in mente habuisse, redargui certe non poterit[15]). — Omnino autem fatendum est hanc de adverbiis doctrinam grammaticorum multis modis reprehendi posse, quum et confuderint diversi generis voces, neque ea quae iure adverbia dici liceret satis perite in species suas dispescuerint. Atque is ipse, qui a plerisque propter subtilitatem laudari solet, Apollonius Dyscolus, in his quae de adverbiis praecipit vix dignum ea laude se praestat. Definitionem proponit hanc[16]): ἔστιν ἐπίρρημα λέξις ἄκλιτος κατηγοροῦσα τῶν ἐν τοῖς ῥήμασιν ἐγκλίσεων καθόλου ἢ μερικῶς, ὧν ἄνευ οὐ καταλείσει διάνοιαν, in qua definitione ῥῆμα nihil aliud esse, quam quod proprie verbum a grammaticis dicitur, manifestum est. Omisit igitur Apollonius participii mentionem facere, ab ipso sicut a ceteris grammaticis non sine causa a verbo seiuncti, sed cui non minus tamen quam verbo adverbia addi mox ipse docet[17]) ideoque definitionem suam hoc defectu laborare confitetur. Omisit porro etiam nominibus ipsisque adeo adverbiis adverbia addi posse, velut quum dicimus μάλα πολλοί, ἐπιεικῶς σώφρων, σφόδρα καλῶς ac similia. Quamquam haec minus reprehendo: excusari enim aliquo modo possunt, et communia sunt Apollonio cum ceteris. Sed quod sibi proprium habet, ad modos verborum pertinere s. de modis aliquid edicere adverbia, mirum quantum a veritate abhorret. Nam pleraque adverbia, ea utique omnia, quae loci, temporis, qualitatis, quantitatis significationem habent, prorsus nihil ad modorum vim, h. e. ad modalitatem enuntiationis, pertinent, sed tantummodo ad actionis notionem, quae in quoque verbo inest, possuntque propterea cum

---

14) Hoc grammatici, quorum definitiones extant, omnes profitentur. Vid. Dionys. Thr. p. 641. Schol. Dion. p. 924, 3. 931, 28. 933, 18. et all.

15) A philosophis, h. e. ut arbitror a Stoicis, adverbia etiam generali nomine κατηγορήματα pariter cum verbis appellata esse docet Schol. Dion. p. 93?, 15. Et apparet ἐπίρρημα, si vim vocis ipsam per se spectemus, idem quod προσκατηγόρημα significare posse, unde etiam infinitivum a nonnullis ἐπίρρημα dictum esse mox videbimus, et a Ps. Galeno verbum ἔστι, ubi pro copula est, ἐπίρρημα dici paullo ante memoravimus.

16) De adverb., in Bekkeri Anecd. II p. 529.

17) L. l. p. 530, 25.

quovis verbi modo, atque etiam cum infinitivo construi, qui plane nullam habet modalitatis significationem. Neque corrigitur error eo quod additum est *καθόλου η μερικῶς*, quo additamento admonemur scilicet alia adverbia omnibus alia non nisi certis quibusdam modis verbi convenire: aliud est enim convenire h. e. construi cum modis posse, aliud autem edicere aliquid de modis, *κατηγορεῖν τῶν ἐγκλίσεων*, neque aliam ob causam illa quae dixi adverbia cum omnibus modis construi possunt, quam quod non ad modalitatem enuntiationis, quam modi indicant, sed tantum ad actionem, quae in quovis modo eadem est, vis eorum pertinet; quorum autem vis ad modalitatem enuntiationis pertinet, qualia sunt quae *εὐχῆς*, *παρακελεύσεως*, *ἀπαγορεύσεως*, *βεβαιώσεως*, *εἰκασμοῦ σημαντικὰ* dicuntur, haec apparet cum iis tantum verborum modis construi posse, qui et ipsi ab optandi, hortandi, vetandi, affirmandi, dubitandi significatione non abhorreant[18]). Idque etiam ipsum Apollonium non fugisse ex iis apparet, quae p. 533 de *ἄγε*, quem imperativum communi cum ceteris grammaticis errore in adverbiis numerat, et (de constr. III, 6 p. 204) de hoc eodem *ἄγε* et de *εἴθε*, adverbio, ut ait, optandi, disserit, quum haec *σημαινόμενον ἐγκλίσεως ἐπιδέχεσθαι* dicit, quod quid est aliud, quam habere ea modalitatis significationem? Rursus autem nihil ad modorum significationem pertinent ea, quae *σχετλιαστικά*, *εὐαστικά*, *θαυμαστικά* dicuntur, quorum omnis vis in eo constat, ut qui iis utitur indignatione, admiratione aut simili aliquo affectu se commotum esse ostendat[19]). Haec in adverbiis propterea tantum numerari potuerunt, quod et ipsa itidem atque superiora duo genera quasi quaedam additiciae praedicatorum particulae essent ac saepissime cum verbis proferrentur. Non defuisse tamen inter Graecos, qui eximenda ea ex adverbiorum numero iudicarent, ex Apollonio p. 531 sq. cognoscitur; quibus quae ab hoc opponuntur arguta forsitan dici possint, vera dici non possunt. *Μή ποτε δέ*, inquit, *καὶ αὐτὰ δυνάμει ἀπὸ διαθέσεως ῥηματικῆς ἀνάγονται· οἱ γὰρ σχετλιάζοντες πεπόνθασι, τὸ δὲ παθεῖν πεῖσίν*[20]) *τινα τῶν ἐκ πράγματος δηλοῖ.* h. e. vide tamen ne haec

18) Huiusmodi adverbia ad copulae potius vim, quae in verbo inest, quam ad actionis notionem pertinere iam alii monuerunt, resque manifesta est, siquidem etiam modalitas in copula, non in actionis notione posita est. Cf. Graser, observ. de modis verb., in Act. soc. graec. II p. 360.

19) Cf. schol. Dionys. p. 946: *ὁ γὰρ λυπούμενος ἢ δυσφορῶν, λέγων* (sic scr. pro *λέγει*) *ταῦτα, τὴν περὶ αὐτὸν μόνον πεῖσιν ἀφηγεῖται.*

20) Sic pro vulg. *πίστιν* scribendum esse verissime animadvertit doctissimus

quoque vi sua ac potestate ab aliqua verbali dispositione (sic enim nunc ῥηματικὴν διάθεσιν convertere licebit, dispositionem subiecti qualem genus verbi indicat) repetantur: nam qui (tali voce) indignationem prodit, aliquo modo affectum se esse ostendit; affectum esse autem significat passionem quandam (subesse), qualem actio aliqua effecerit. Nimirum hoc vult: qui indignabundus exclamat, aliquo modo se affectum et ad indignationem permotum esse significat: qui autem sic affectus est, hunc necesse est aliquid passum esse: quod autem passus est, hoc non potest nisi ex aliqua actione evenisse, quam actionem aliquo verbo eloqui liceat: igitur quum quis exclamat, etiam verbum actionem, unde illa passio evenerit, significans subintelligi poterit, quod quum ita sit, propter subintellectum illud verbum etiam exclamationes istae in adverbiis numerandae sunt. Et ad confirmandam tam argutam demonstrationem etiam eiusmodi exempla adhibet, ubi adverbia qualitatis in ἐπιφωνήσει usurpantur, velut quum audita aut conspecta aut gustata aliqua re, quae nobis placeat, κάλλιστα, ἥδιστα, euge, belle, bravo, schön etc. dicimus, neque reputavit quantum differant huiusmodi vocabula, quae certam qualitatis significationem habent ideoque iudicium loquentis indicant, ab istis exclamationibus, quae nihil praeter affectum quendam produnt. Solis adverbiis absque verbo iudicium indicari satis est, quandoquidem quid desit ad plenam enuntiationis formam facile semper subaudiri potest[21]; istae voces contra, quae nullam qualitatem, ideoque nullum loquentis iudicium, sed nihil nisi commotum animum ostendunt, quamvis necesse sit hunc aliqua passione ideoque etiam aliqua actione passionis effectrice sic commotum esse, tamen quae sit haec actio et quonam verbo indicanda sit, neque significant, neque subaudiri poscunt[22]).

Skrzeczka in progr. gymn. Kniphof. Regimont. 1853 edito, p. 23, neque intelligo qua ratione nuper certissima emendatio sperni potuerit ab alio viro docto, qui pro πεῖσιν potius διάθεσιν scribi vult, propterea, ut ait, quod τὸ παθεῖν non significet (δηλοῖ) πεῖσιν, sed ipsa πεῖσις sit. Non reputavit scilicet eodem iure dici posse, τὸ παθεῖν non significare διάθεσιν, sed esse ipsam διάθεσιν· Nam ἡ διάθεσις ἢ δρᾶσις ἢ πεῖσις, inquit schol. Dionys. p. 883, 16.

21) Est igitur ellipticum genus dicendi, siquidem recte Hermannus, Opusc. I p. 151, ellipsin sic definit, ut sit omissio vocabuli quod etsi non dictum cogitetur tamen. — „Wo der fehlende Begriff auch ohne Wort nicht verfehlt werden kann, muss (oder darf) das Wort wegfallen.“ Diestel, die rationelle Sprachforschung p. 181.

22) Perverse Priscianus XV, 40 p. 90: „Papae, etiamsi non addatur mi-

Videmus igitur in adverbiis tria vocum genera a grammaticis numerata admodum inter se diversa, unum, quod ad actionem verbo indicatam, alterum, quod ad modalitatem enuntiationis, tertium denique, quod neutro pertineat, sed nihil nisi affectum quendam loquentis prodat. Haec farrago in quasnam porro species distributa, et quae quibusque nomina propter significationem indita sint, commemorare longum neque necessarium est, quum praesertim non eandem omnes rationem in hac distributione et nomenclatura secuti sint [23]). De uno tantum nomine passim a grammaticis usurpato, sed cuius veram vim ac significationem a plerisque ignoratam esse apparet, operae pretium est quaerere. Nominantur enim quaedam *μεσότητος ἐπιρρήματα*, iisque in Dionysii Thracis libello, qui quantopere a Byzantiis magistris diffictus et interpolatus sit, neminem fugit, locus inter temporis et qualitatis adverbia medius assignatus est, pro exemplis autem afferuntur *καλῶς*, *σαφῶς*, *δυνατῶς*, quae cur a qualitatis adverbiis separentur nemo facile perspexerit. Commentatores quidem Dionysii illud *μεσότητος* nomen iis adverbiis proprium esse volunt, quae in *ως* desinant, sintque ex genitivis pluralibus nominum aut pronominum deflexa, in quibus quum nullum sit generis masculini et feminini discrimen, hinc eiusmodi adverbiis illud medietatis nomen convenire visum: medietatem enim esse indifferentiam [24]). Paullo saltem prudentius Georgius Choeroboscus *μεσότητος* adverbia propterea dicta suspicatur,

ror, habet in se ipsius verbi significationem." Sane qui papae dicit, admiratione quadam se affectum esse ostendit, potestque hoc idem etiam disertius verbo miror eloqui, ideoque duobus modis unum dicere. Sed ridiculus sit, qui isto papae admirationis aut causam aut qualitatem, aut enuntiationis modalitatem significari, ideoque illud adverbii vim habere opinetur.

23) In Dionysii Thr. libello p. 641 sq. species adverbiorum a significatione appellatae quinque et viginti sunt. Diomedes p. 399 (403 Keil.) viginti quattuor habet, totidem Donatus II, 13, 2, Probus p. 1419 viginti unam, Priscianus XV, 28 sqq. sedecim contentus est, Theodorus Gaza p. 258 (ed. Bas. 1545.) quattuordecim recenset, sed prudenter addit: *ἀλλὰ γὰρ τὸ πρὸς τὸ σημαινόμενον ὀνομάζειν καθ' ἕκαστον ἄπειρον.* Ipse mox aliam sed non meliorem viam init, secundum decem categorias ab Aristoteliis traditas adverbia dispescens.

24) Schol. Dionys. p. 939, 18: *Μεσότητος ἐπιρρήματά ἐστιν ὅσα ἀπὸ γενικῶν ὀνομάτων εἰς ως γεγόνασι· καὶ εἴρηνται μεσότητος παρ' ὅσον εἰσὶ μέσα ἀρσενικῶν καὶ θηλυκῶν ὀνομάτων, ὡς τὸ καλοί, καλαί, καλῶν καλῶς, φίλοι φίλαι φίλων φίλως κτλ.* (Alter schol. ib. v. 31: *πάντα ἀπὸ γενικῶν πλὴν τοῦ οὕτως.*) Similia repetuntur p. 940, 14; et p. 941, 8 scholiastes de adverbiis *βοτρυδόν*, *ἀγεληδόν*, *πύξ*, *λάξ* loquens, *σκοπεῖν χρή*, inquit,

quod essent media quodammodo inter nomina ceteraque adverbia: *τὰς γὰρ ὑπάρξεις*, inquit, *ἐξ ὀνομάτων ἔχουσι, τὰς δὲ καταλήξεις καὶ συντάξεις ἐπιρρημάτων*: sic enim scripsisse eum censeo, non quemadmodum legitur, *ἐξ ἐπιρρημάτων*. Nam adverbia illa terminationem et constructionem ex adverbiis habere qua ratione dici potuerit, nemo facile exputabit; sed habere ea originem ex nominibus, terminationem et constructionem adverbiorum, non certe absurde dictum est. Multo rectius tamen illi, quorum sententia ex Oro refertur in Etymologico M. p. 581, 9, *μεσότητος ἐπιρρήματα* dicta esse *ἀπὸ τοῦ μεταξὺ εἶναι ὀνόματος καὶ ῥήματος*[25]): quamquam quod statim additur, *οἷον ἀπὸ τοῦ φιλόσοφος καὶ φιλοσόφως καὶ φιλοσοφῶ* (sic enim scribendum est pro vulg. *ἀπὸ τοῦ φιλοσοφῶ καὶ φιλόσοφος καὶ φιλοσόφως*), parem rursus cum ceteris errorem prodit, meritoque propterea reprehensum esse dicitur: *τοῦτο δ' οὐκ ἀεὶ εὑρίσκεται, διὸ καὶ σεσυκοφάντηται· τὸ γὰρ καλῶς καὶ σαφῶς ῥῆμα οὐκ ἔχει παρακείμενον*. Postremo *βέλτιον οὖν*, inquit, *σημειώσεις ποιότητος αὐτὰ καλεῖν*, quod sane verissimum est; sed utrum ea tantum, quae in $\overline{ως}$ exeunt, an etiam alia qualitatem significantia *μεσότητος ἐπιρρήματα* dicenda sint, et haec ipsa appellatio quam ob causam iis indita sit non edocemur. Ceterum utriusque Etymologici, Magni et Gudiani, compositores, licet ipsi communem cum ceteris Byzantiae scholae magistris errorem non semel profiteantur[26]), nihilo minus tamen alibi, meliores scilicet auctores secuti, complura non in $\overline{ως}$ exeuntia *μεσότητος ἐπιρρήματα* vocant, velut *αἴγδην* et *συναΐγδην, ἀκέων* et *ἀκήν*, [cf. schol. A. ad. Il. IV, 22.] *ἅλις, ἀμφότερον, ἀπριάτην, ἀτρεκές, αὐτίκα, ἄφαρ* [cf. schol. ad. Il. I, 549 in Cram. Anecd. Par. III. p. 369] *ἄψορρον, ἐπιδέξια, ἐπιμίξ, δάξ, ἀλλάξ, ἐτώσιον, εὖ, ἠχῇ, ἦκα, μόλις, μακρά, ὄχα* et *ἔξοχα, παγγενῆ* aut *παγγενεί, παννυχί* et *παννύχιον, σάφα, σιγῇ, σιωπῇ, σπουδῇ, συλλήβδην, τριχθά, ὑπέρμορα, ὑπόδρα, ὕστατα, ὦκα*, ut *ὠκύ* in schol. ad Il. XIV, 418, *ποσσῆμαρ* et *ἐννῆμαρ* ad XXIV,

---

ὅτι ταῦτα, ποιότητος ὄντα δηλωτικά, οὐκ ἂν λεχθείη μεσότητος· οὐ γὰρ ἀπὸ γενικῶν εἰσὶν ὀνομάτων μεταξὺ κειμένων ἀρσενικῶν καὶ θηλυκῶν. Item p. 938: *εἴ τι μεσότητος, τοῦτο καὶ ποιότητος· οὐ τὸ ἀνάπαλιν.*

25) Vulg. *ὀνόματα καὶ ῥήματα*, quod corrigendum esse dudum Sylburgius monuit, probante Ritschelio, de Oro et Orione p. 68.

26) Etym. M. p. 78, 24. 172, 42. 581, 9. 785, 20. Etym. Gud. p. 94, 50. 545, 50. Cf. et Epimerism. Hom. in Crameri Anecd. Oxon. I p. 419, 25.

657, aliaque alibi, quorum exempla cumulare nihil attinet[27]). Etiam Theodorus Gaza p. 89 *κυνηδόν*, *βοτρυδόν*, *ἀγεληδόν* *μεσότητος ἐπιρρήματα* dicere videtur; quamquam oratio eius ambigua est.

Jam si de nominis auctore quaerimus, commode apud Diogenem Laertium VII, 57 Antipatrum illum commemorari videmus, Tarsensem, Stoicae sectae philosophum, Diogenis Babylonii auditorem, Panaetii magistrum[28]). Hunc enim ille ad quinque partes orationis a prioribus Stoicis constitutas sextam addidisse refert *τὴν μεσότητα*, in qua non dubium est quin adverbia posuerit, non quidem omnia, quaecunque a grammaticis in adverbiis numerantur, sed ea tamen, quorum vis et significatio ad actionis, quam verbum indicat, notionem pertinet, sive locum eius actionis sive tempus sive qualitatem sive quantitatem, frequentiam, intensitatem definiunt. Horum enim omne genus, perpaucis quibusdam fortasse exceptis, quamvis varie formatum, originem tamen partim a nominibus aut pronominibus partim a verbis habet, quumque proinde etiam significationem cum his, unde orta sunt, communem habeant, diverso tamen ab utrisque modo hanc significationem eloquuntur, quippe quum in nominibus ac pronominibus semper substantiae alicuius, in verbis autem, quae proprie dicuntur, etiam personae quamvis indefinita notio insit, illa contra nihil nisi aut actionis aut qualitatis notioni, quae in verbis aut nominibus inest, nudam quasi aut loci aut temporis aut qualitatis aut quantitatis definitionem addant, ac proinde neque casus neque numeros habeant. Non inepte igitur Antipater haec neque in nominibus neque in verbis numerari voluit, sed medium quoddam genus esse statuit, idque ipsum *μεσότητος* nomine significavit, quod nomen etiam a grammaticis receptum et a doctioribus quidem de omni illo genere usurpatum esse videmus. Sed indoctiores Byzantii, veram nominis rationem ignorantes, quum pleraque huius generis in *ῶς* exire viderent, in istum quem notavi errorem inducti sunt, ac licet ceteris adverbiorum generibus omnibus a significatione nomina imponerent, alia *τοπικά* alia *χρόνου* alia *ποιότητος* alia *ποσότητος* alia *συγκρίσεως* alia *τάξεως* alia denique aliter appellantes,

27) In Etymol. M. p. 580, 10 et Gud. p. 387, 40 etiam *μέντοιγε ἐπίρρημα μεσότητος* dicitur, miro et vix excusabili errore. Nam *μέντοιγε* in *συνδέσμοις* habendum esse neminem fugere potest, neque aliter censuerunt docti grammatici. Vid. Hesych. II p. 574. Apollon. de coni. p. 519, 10.

28) Cf. G. Weigand. diss. de Antipatro Sid. et Thessal. (Vratisl. 1840) p. 19 sq. Chr. Petersen, de Chrysippo p. 227.

haec sola nullo significationis respectu propter terminationem *μεσότητος ἐπιρρήματα* dici voluerunt.

Commemoratur autem etiam aliud nomen adverbiis a Stoicis impositum, *πανδέκτης*. Rationem nominis Charisius II. p. 175 (194K.), qui unus rei testis est, hanc esse ait, quod omnia in se capiant quasi collata per saturam, concessa sibi rerum varia potestate. Scilicet significare hoc nomine voluerunt, nullum esse genus notionum, quod non possit etiam adverbii formam induere; unde consequitur, id quod identidem a grammaticis inculcatur, adverbia ex omni parte orationis fieri. Unum Etymologum citare satis est, p. 78, 52: *ἐκ ποίων μερῶν τοῦ λόγου γίνονται τὰ ἐπιρρήματα; ἐκ πάντων. ἀπὸ ὀνόματος, ὡς τὸ φρόνιμος φρονίμως· ἀπὸ ῥήματος, ὡς τὸ κρύπτω κρύβδην· ἀπὸ μετοχῆς, ὡς τὸ ἐπιστάμενος ἐπισταμένως· ἀπὸ ἄρθρου, ὡς τὸ ὅς ὥς· ἀπὸ ἀντωνυμίας, ὡς τὸ οὗτος οὕτως· ἀπὸ προθέσεως, ὡς τὸ ἀνά ἄνω, κατά κάτω· ἀπὸ συνδέσμου, ὡς τὸ καθά καθώς* (aptius Theodorus Gaza, p. 258, *ἐκ τοῦ δή καὶ πού καὶ θέν δήπουθεν*). Quod si fuerunt inter Stoicos qui propter hanc causam nomen illud adverbiis imponerent, hos probabile est a Chrysippi doctrina longius etiam quam Antipatrum discessisse atque omnem hanc farraginem vocabulorum, quae vulgo a grammaticis adverbia dici viderent, illo *πανδέκτου* (scil. *μερισμοῦ*) nomine complexos esse, ne interiectionibus quidem exclusis, siquidem apud Charisium p. 190 K. ii, qui has in adverbiis numerarent, Stoicorum se auctoritate defendisse dicuntur, qui idcirco *πανδέκτην* eam partem orationis appellarint. Quamquam hoc quidem incertum est: negat enim Charisius illam defensionem admittendam esse, et ita negat, ut Stoicorum ipsorum auctoritatem iis opponere videatur. Sed locus adeo mutilatus et corruptus est, ut plane intelligi nequeat. Hoc autem nemo hodie negat, recte fecisse eos, qui interiectiones ab adverbiis separarunt et proprium iis in partibus orationis locum assignarunt, quam rationem, a Latinis merito probatam, etiam Graecos nonnullos praeivisse ex Apollonii contra eos disputatione, de qua supra dictum est, intelligitur. Nostra vero aetate morosiores quidem grammatici interiectiones prorsus negarunt in orationis partibus numerandas esse, utpote non cogitationum interpretes sed affectuum signa, quemadmodum etiam bestias, quibus oratio desit, quum vehementius afficiantur, hunc affectum vocibus quibusdam prodere videamus ab humani sermonis interiectionibus vix alia re diversis, quam quod non, sicut hae, articulentur, sed inarticulate profundantur.

Etiam de infinitivo a nonnullis olim dubitatum est, an adverbiis potius quam verbis accenseri deberet[29]). Manifestum est autem huiusmodi dubitationem moveri non potuisse nisi ab iis, qui in utriusque partis notione definienda a tralaticia grammaticorum doctrina dissentirent. Refutare eos Apollonius conatur, de constr. III, 13, verum ita, ut nec rationes, quas illi secuti sint, bona fide omnes retulisse, neque eas, quas retulit, satis firmis argumentis impugnasse videatur. Noluerunt, inquit, infinitivum pro verbo haberi propterea, quod et *ψυχικῆς διαθέσεως* (h. e. modalitatis) significatione et personarum ac numerorum discriminatione careret, ideoque non minus a verbo diversus esset quam participium, quod ab eo separandum esse inter grammaticos constabat: deinde diversum a verbo, similem autem adverbio infinitivum habendum esse propterea, quod ad instar adverbii cum verbis construeretur: nam sicut *ἑλληνιστὶ λέγεις, λέγει* etc., sic etiam *γράφειν θέλω, θέλεις* dici, verba autem cum verbis quamvis diversorum modorum sic non construi, neque quemquam dicere *γράφεις λέξαις* aut *γράφεις θέλοις* ac similia. His quod primum opponitur ab Apollonio, dici tamen *ἐὰν ἀναγινώσκῃς πρόσεχε, ἐὰν διαλέγῃ ἐπίστρεφε σεαυτόν*, futilissimum est. Illi enim de eiusmodi constructione loquebantur, quae unam simplicem enuntiationem efficeret, Apollonius autem plane diversi generis exempla opponit, in quibus duae enuntiationes per coniunctionem inter se nectuntur[30]). Gravius est alterum: ne istiusmodi quidem constructionem infinitivorum cum omni verborum genere, sed cum iis tantum, quae *προαιρετικὰ* s. voluntativa sint, recte procedere: non enim ut *θέλω γράφειν* sic etiam *τύπτω γράφειν* dici posse, diversum itaque infinitivum ab adverbio esse, cuius cum verbis constructio tam artis finibus non circumscribatur. Poterat autem etiam huic obiectioni responderi, primum non solum cum voluntativis sed etiam cum aliis verbis permultis infinitivum construi, velut cum *δύναμαι, εἴωθα, φαίνομαι, δοκῶ, οἴομαι, οἶδα,*

---

29) Contra hos disputatur a Macrobio, de diff. et soc. graeci latinique verbi, c. 19 tom. I p. 263. Ian. et ab incert. auct. de verbo c. 6. ib. p. 291. Cf. Priscian. XVIII, 64 p. 422 Hertz et Choerobosc. in Bekk. Anecd. III. p. 1275 sq. (ubi p. 1276, 5 pro *καὶ γὰρ* scrib. *ἀλλὰ γὰρ* et v. 18 *ὥσπερ ἢ χρῶμα ἢ λευκότης ποτὲ μὲν ἔν τινι θεωρεῖται, ποτὲ δὲ μὴ ἔν τινι.*)

30) *Δύο γὰρ ῥήματα αὐτοτελῆ ἐν ἑνὶ λόγῳ οὐχ εὑρίσκεται*, recte ait schol. Dionys. p. 842, 2: igitur si *ῥῆμα* infinitivus, certe *αὐτοτελὲς ῥῆμα* haberi non potest.

ἐπίσταμαι iisque omnibus, quae accusativum cum infinitivo asciscunt; deinde ne adverbia quidem omnia omnibus verbis adiungi, sed iis tantum, quorum significationi conveniant. Restat igitur tertium argumentum: non intercedere personarum, numerorum, modorum defectum, quo minus infinitivus pro verbo habeatur: nam illa non ipsa natura cum verbis necessario coniuncta, sed accessoria tantum esse, propriam autem et genuinam verbi vim et naturam in eo constare, ut significetur actio aut passio (utrumque enim *πράγματος* nomine indicatur,) cum temporis adsignificatione[31]): haec autem non minus in infinitivo esse quam in verbo finito, recteque proinde infinitivum generale verbum (*τὸ γενικώτατον ῥῆμα*) et quasi *ὄνομα πράγματος* s. nomen actionis vel passionis dici posse. Apparet igitur cardinem quaestionis in verbi notione definienda verti, quam si recte ab Appollonio definitam esse concedimus, recte etiam refutatos adversarios esse fatebimur. Atqui hanc ipsam definitionem dubitari non potest quin illi veram esse negaverint, propriamque verbi vim et naturam hanc esse

31) Cf. Apoll. de constr. I, 8 p. 32: *δυνάμει αὐτὸ τὸ ῥῆμα οὔτε πρόσωπα ἐπιδέχεται οὔτε ἀριθμούς, ἀλλ' ἐγγενόμενον ἐν προσώποις τότε καὶ τὰ πρόσωπα διέστειλεν —. προῦπτον δὲ ὅτι οὐδὲ ψυχικὴν διάθεσιν.* III, 13 p. 230: *Ἴδιον ῥήματός ἐστιν ἐν ἰδίοις μετασχηματισμοῖς διάφορος χρόνος διάθεσίς τε ἢ ἐνεργητικὴ ἢ παθητικὴ ἢ ἔτι μέση, ὧν πάντων μετέλαβε τὸ γενικώτατον ῥῆμα, λέγω τὸ ἀπαρέμφατον· ἐπεὶ εἴπερ τῇ φύσει ἦν ἀπαρέμφατον, πῶς αὐτὰ παρεμφαίνει;* Postrema verba Eggerus (Apollon. Dysc. Paris. 1854) a se non intelligi fatetur, ideoque corrigenda putat. Equidem Apollonii sententiam, obscurius sane expressam, sic circumloquendo explanari debere credo: nemo mirari debet, infinitivum, cuius n o m e n omnem *παρέμφασιν* excludere videatur, haec tamen quae dixi (h. e. tempora et *διάθεσιν*) adsignificare (*παρεμφαίνειν*). neque enim natura sua (*φύσει*) prorsus planeque omni *παρεμφάσει* carere potest: nam hoc si esset, qui posset illa adsignificare? — Ceterum ex iis, quae apud Macrobium l. l. legimus: „sed illi qui talia de infinito putant, hac maxime ratione vincuntur, quod in adverbio temporum significationes non de eiusdem soni inflexione nascuntur, sed ut tempora mutantur et voces, *νῦν, πάλαι, ὕστερον*, nunc, antea, postea, in infinito autem vox eadem paululum flexa tempus immutat, *γράφειν, γεγραφέναι, γράψειν*, scribere, scripsisse, scriptum ire.“ ex his igitur apparet illos, contra quos disputatur, sententiae suae tuendae causa etiam hoc dixisse, non obstare temporum significationem, quo minus infinitivus in adverbiis numeraretur: nam adverbia quoque tempus significare. Sed de hac illorum defensione nihil ante a Macrobio dictum est, unde consequitur, aut perquam negligenter Macrobium adversariorum rationem retulisse, aut excidisse aliquid ex eius relatione. Ipsam autem defensionem merito repulsam esse non est quod moneam. Vid. supr. p. 224.

contenderint, ut praeter actionis vel passionis etiam copulae vim in se habeat usurpeturque in enuntiatione sic, ut illa actio vel passio alicui subiecto attribuatur, quod quoniam per infinitivum non fiat, ne verbum quidem infinitivum dici debere. Rectene an secus sic dixerint nihil refert, quandoquidem hoc certe manifestum est, redargui eos contraria Apollonii definitione non potuisse [32]). Et sunt hodieque permulti, qui infinitivum a verborum parte segregandum et in nominibus tanquam proprium quoddam genus numerandum esse censeant, velut Max. Schmidtius in accurata disputatione, Ratibori ann. 1826 edita, propter quam olim, ut ab aliis Schmidtiis innumerabilibus distingueretur, ipsi cognomentum ab infinitivo additum memini. Alii contra infinitivum non minus quam participium inter nomen et verbum medium esse iu-

---

32) Utar tamen hac occasione ad repellendam pravam correctionem nuper eius definitioni obtrusam. Verba Apollonii ex eius Ῥηματικῷ a schol. ad Dionys. p. 882, 21 relata haec sunt: *ῥῆμά ἐστι μέρος λόγου ἐν ἰδίοις μετασχηματισμοῖς διαφόρων χρόνων δεκτικὸν μετ' ἐνεργείας καὶ πάθους, προσώπων τε καὶ ἀριθμῶν παραστατικόν, ὅτε καὶ τὰς τῆς ψυχῆς διαθέσεις δηλοῖ.* Nuper autem vir doctus *ὅτε* illud reiiciendum, et *ὥστε* rescribendum esse suasit, etiam ad Zonarae auctoritatem provocans, apud quem s. v. *ῥῆμα* p. 1612 sic scriptum est. Nec sane diffitendum est, Apollonium de constr. I, 8 p. 31, 26 et III, 13 p. 229, 27 sic loqui, ac si *διαθέσεως* (modalitatis) significationem cum personarum designatione cohaerere ex eaque pendere censeat, quemadmodum etiam Byzantios Apollonii pedisequos statuere videmus, velut Choeroboscum in Bekk. Anecd. III p. 1276, 24, aliosque quos citare piget. Attamen in illa definitione *ὥστε* scribi non potuisse manifestum est: tribueretur enim sic verbo universo non modo temporum actionisque vel passionis, sed etiam personae, numeri et *διαθέσεων* (*ψυχικῶν*) significatio, quae infinitivo deest. Apollonius autem, qui infinitivum a verbo seiungendum esse negat, talem definitionem verbi proponere debuit, quae infinitivum non excluderet, ideoque tum demum personas et numeros verbo significari dixit, si significarentur etiam *αἱ τῆς ψυχῆς διαθέσεις*, non igitur omni verbo, sed tantum verbo finito, quod modalitatis significationem habet ab infinitivo alienam. Ceterum *διαθέσεως* significatione ex personarum designatione repetenda videri sic demum potuit, si prima tantum persona respiciebatur. Nam in hac sane *διάθεσις* illa est quam verbi modus significat; secus autem in secunda et tertia. Ridendus enim sit, qui in *ἀπόλοιο, ἀπόλοιτο* ac similibus earum personarum, quas verbum indicat, *ψυχικὴν διάθεσιν* significari opinetur. Igitur quod dici debuit hoc est: *διαθέσεως* significationem iis tantum verbi formis, quae personas indicent, inesse propterea, quod his demum formis in enuntiatione uti possumus ad praedicandum, *ψυχικῆς* autem *διαθέσεως* h. e. modalitatis significatio tantum in enuntiando locum habet, quum qui loquitur simul etiam ostendat, quo modo id quod eloquitur animo conceptum habeat.

dicant, quibus equidem me assentiri profiteor, ita tamen ut propiorem verbo esse censeam. Nam a nomine verbali, quod abstractum hodie vocamus, quia nudam habet actionis aut passionis notionem, eamque non inhaerentem alicui substantiae, sed ipsam quasi substantiae specie informatam, infinitivus eo differt, quod semper etiam subiecti alicuius notionem quamvis indefinitam et incertam, ideoque etiam copulae vim in se habet, unde fit, ut non aliter quam verbum finitum cum activae aut passivae aut neutralis conditionis significatione temporis adsignificationem coniungat, quae a nomine verbali abstracto aliena est, atque cum iisdem ac verbum finitum casibus obiectorum construatur, quum abstracta illa genitivum potius, quem non inepte definitivum dixeris, assumere soleant. Infinita autem illa et incerta subiecti notio, quam inesse in infinitivo dixi, si disertius indicanda est aliquod nomen aut pronomen requiritur, idque propter certam quandam causam, quam accuratius explicare longum nec huius loci est, in accusativo, rarius nec nisi certis conditionibus in nominativo aliisve casibus additur. Quid? quod etiam verbi finiti tertia persona natura sua infinita est[33]), nec finita fit nisi addito aut intellecto aliquo nomine aut pronomine: ac ne prima quidem et secunda persona iure finitae dici possunt, nisi si qui loquitur et quem alloquitur aut praesentes aut aliunde noti sunt. — Non segregandum a verbo infinitivum esse etiam Stoici censuerunt, immo *ῥήματος* appellatione hunc potissimum et praeter alias verbi formas vocasse videntur. *Οἱ ἀπὸ τῆς Στοᾶς*, inquit Apollonius, de constr. 1, 8 p. 31, *αὐτὸ μὲν* (*τὸ ἀπαρέμφατον*) *καλοῦσι ῥῆμα, τὸ δὲ περιπατεῖ ἢ γράφει κατηγόρημα ἢ σύμβαμα.* Non satis tamen accurate Apollonius locutus est, ideoque nonnullos in hunc errorem induxit, ut *ῥήματος* nomen a Stoicis soli infinitivo inditum, verbo finito autem denegatum esse crederent. Immo erat iis hoc quoque *ῥῆμα*, sed praeter hanc communem appellationem etiam aliis nominibus magis proprie designabatur, qualia sunt, non quidem *κατηγόρημα* (nam hoc quoque commune nomen est,) sed *σύμβαμα* et *παρα-*

33) Monuit hoc ipse Apollonius de constr. II, 5 p. 101, 15: *ὁριζόμενα γὰρ τὰ ῥήματα κατὰ πρῶτον καὶ δεύτερον ἀοριστοῦνται κατὰ τὸ τρίτον.* Cf. Priscian. XII, 2 p. 578: „non irrationabiliter tertias verborum personas infinitas Apollonius dicit, quum nulla in eis certa finiatur persona et profundae multitudinis sint capaces.“ Non inepte igitur Stoici verba tertiae personae, si sola ponerentur, *ἐλλιπῆ* vocarunt (Diog. L. VII, 63), immerito irrisi a Prantlio (Geschichte der Logik p. 438.), qui omnino nimis iniquum Stoicorum censorem agit.

σύμβαμα. Docet hoc scholiastes Aristotelis ad lib. de interpr. p. 105 a 20 ed. Brand., qui commemoratis illis appellationibus verbi finiti postremo addit: *ταῦτα δὲ πάντα καλοῦσι ῥήματα*. Fallitur tamen etiam hic in eo, quod nihil interesse putat inter *κατηγόρημα* et *σύμβαμα*: tantum enim interest, quantum inter genus et speciem, ut quidquid *σύμβαμα*, id etiam *κατηγόρημα*, non autem quidquid *κατηγόρημα*, id etiam *σύμβαμα* dici possit. Rectius dixeris *κατηγόρημα* et *ῥῆμα* non raro eodem sensu a Stoicis usurpari, siquidem utroque nomine omne genus vocabulorum designari videmus, quae praedicando inserviunt, sive ea copulae vim in se habent, ut attribuant subiecto aliquam actionem aut passionem et sic perficere enuntiationem possint, quale est verbum finitum, sive copulae vi carent et adiunguntur tantum explendae sententiae accuratiusque definiendae causa, quale est adverbium, quod in *ῥήμασι* numeratum et *κατηγόρημα* quoque dictum esse supra vidimus[34]), atque infinitivus, quem a nonnullis in *ἐπιρρήμασι* numeratum esse modo ex Apollonio cognovimus. Hi autem quam ob causam infinitivum a verbo seiungendum esse censuerint, aliquatenus quidem ex Apollonio disci potest; sed quo planius eorum ratio intelligatur, addendum etiam hoc esse videtur, quod propter deficientem personae numerique designationem infinitivus ipse perficere enuntiationem non potest, sed adiungitur tantum enuntiationi per verbum finitum demum perficiendae aut perfectae. Id Apollonius ipse agnoscit, de const. III, 14 p. 234, 16: *οὐ γὰρ ἡ ἐξ ἀπαρεμφάτου σύνταξις κατακλείει λόγον εἰ μὴ ἀναπληρωθείη δι' ὧν ἀπαρ-*

34) Cf. supr. p. 226. 7. — Quod apud Suidam legitur s. v. *ῥῆμα*, ad Stoicorum haud dubie doctrinam pertinens: *ῥῆμα λέγεται ἡ ἁπλῶς ῥηματικὴ φωνή, οἷον τύπτω, γράφω ἁπλῶς μόνον λεγόμενον*, cavendum est ne sic accipiatur, ac si sola verba a stoicis *ῥήματα* dicta sint. Utitur iis scriptor tantum pro exemplis, non quo alia excludat. In proximis verbis: *τὸ δὲ ἐκ τῆς ἁπλῆς ῥηματικῆς φωνῆς σημαινόμενον κατηγορία καλεῖται*, fuit nuper qui *κατηγόρημα* scribendum censeret, prorsus contra mentem Stoicorum. Hi enim illam *πράγματος* h. e. actionis aut passionis notionem, quae in omni verbo inest, *κατηγορίαν* (*τοῦ πράγματος*) dixerunt, velut quum dicimus *γράφω, γράφειν, ἔγραψα, γράψαι, γέγραπται* etc., haec omnia inter se communem habent *κατηγορίαν*, ut scribendi actum indicent. Ubi personae designatio accedit, velut quum dicimus *γράφω, γράφεις, γράφει*, *κατηγόρημα* dicitur, quia sic demum praedicandi officio fungi possunt; ubi autem certa persona indicatur, velut *ἐγὼ γράφω, Δίων γράφει*, quod *ἀξίωμα* est, etiam *σύμβαμα* dicitur (cf. Priscian. XVIII, 4 et quae a me exposita sunt in Annal. philol. 1869 p. 467 sqq.). Ceterum *κατηγορίαν τοῦ πράγματος* eodem quo Stoici sensu etiam Apollonius dicit, de adverb. p. 539, 28.

ἐμφατός ἐστι, h. e. διὰ τούτων, ἅπερ αὐτὸ οὐ παρεμφαίνει, personam scil. et numerum. Item III, 20 p. 246, 8: οὐδὲ γὰρ δι' αὐτῆς (τῆς ἀπαρεμφάτου ἐγκλίσεως) τι καταφάσκεται. Hanc ob causam qui a verbo infinitivum seiungebant, hos necesse erat, nisi proprium locum, ut grammatici participio, sic ipsi infinitivo assignare in partibus orationis vellent[35]), aut nominibus eum aut adverbiis accensere. Nominibus autem accensere noluerunt, quia non, ut nomina, substantiam cum qualitate aut quantitatem substantiae specie indutam, sed nudam tantum actionem aut passionem designaret: quamobrem quum etiam casibus careret, adverbiis eum item non casualibus accensuerunt, quibuscum etiam hoc ei commune esse videbant, ut verborum in enuntiatione significationem variis modis expleret atque explanaret, quam ob causam non inepte eodem quo illa nomine ἐπίρρημα dici potuit, quippe quo nihil aliud nisi additicium quoddam ῥῆμα significetur. Nec deterruit eos quod non omnibus promiscue verbis infinitivus addi potest, nec quod saepenumero cum articulo profertur; utrumque enim cum adverbiis commune habet, quae item non καθόλου sed μερικῶς tantum cum verbis aut verborum modis coniungi possunt, quorum significationi apta sunt, neque articuli consortium respuunt, velut quum dicitur τὸ νῦν, τὰ μάλιστα, ἐκ τοὐπίσω, ἐν τῷ ἔμπροσθεν ac similia. — Non autem verendum puto, ne quis me ipsum plane cum iis consentire suspicetur; sed ostendere tantum volui haud certe absurdam eorum rationem fuisse.

Sed etiam nostra memoria vir subtilissimus et de grammatica disciplina longe meritissimus, Godofredus Hermannus, infinitivum a verbo seiunxit et in adverbiis numeravit, de emend. rat. gramm. gr. p. 174: „Infinitivus“ inquit „ipsam continet ac solam verbi notionem nihilque aliud notat, quam ipsum illud agendi patiendique et temporum significatione instructum praedicatum, quod possit nominibus adiungi: unde clarum est infinitivum natura sua inter particulas, in iisque inter adverbia numerandum esse“. Scilicet verbum Hermannus itidem ut illi veteres id tantum dici voluit, in quo esset manifesta copulae vis, qua praedicatum subiecto attribueretur, h. e. verbum finitum, p. 174; quae autem praedicatum absque copula continerent, haec omnia adverbia appellari voluit, p. 151, quorum unum genus infinitivum esse, a ceteris eo tantum diversum, quod certum genus praedicatorum, agendi scilicet

35) Hoc quoque a nonnullis factum esse constat. Vid. Priscian. II, 17 p. 54.

ac patiendi notionem cum quadam temporis significatione contineret. His quae opponi possint non opus est disserere, neque ipsum virum summum in illa sententia, quam adolescens anno 1801 protulit, maturiore aetate perseverasse credo. Perseveraverit autem fortasse in alia quadam sententia, eiusdem libri p. 128 proposita, quum praedicata per verbum substantivum cum subiecto copulata, quae apud Graecos et Latinos adiectiva esse solent, in nostro patrio sermone adverbia esse ait: velut quum illi dicunt equus est bonus, nos contra dicimus das Pferd ist gut, non autem gutes. Indignabundus nuper hanc sententiam perstrinxit doctus quidam grammaticus, cui scilicet constaret id quod hodie pueri in scholis doceri solent, in eiusmodi locutionibus gut aliaque similiter per verbum substantivum subiecto attributa nihil aliud esse, quam adiectivorum formas decurtatas, olim autem maiores nostros etiam plenioribus formis per genera et numeros declinatis uti solitos. Quamquam ignoscendum errorem illi aetati fuisse concedit; non ignoscendum autem Fr. Thierschio, qui eandem sententiam etiam 1826 in tertia editione grammaticae p. 3 proposuerit. Sed Thierschio quidem, seni multis nominibus venerando, mallem abstinuisset, siquidem is errorem — si fuit error — in quarta grammaticae editione, quae anno 1854 prodiit, tacite correxit. Hermannum autem, etsi ignorasse maiorum nostrorum sermonem facile credo, non tamen temere ac sine ratione id quod posuit statuisse arbitror. Nimirum adiectiva eo ipso, quod formam nominum exuerunt, etiam naturam nominum exuisse, adverbiorum induisse videri poterant: quod qui negant, non ad priscum illud dudumque obsoletum loquendi genus, quod maioribus nostris cum Graecis et Latinis commune fuit, nos ablegare, sed certis argumentis demonstrare debebunt, adverbia, in quibus vis quidem adiectivorum, sed sine articulatione generis, numeri, casuum est, propter naturam suam non posse cum verbo substantivo in praedicando usurpari[36]).

36) Adverbiorum sic usurpatorum exempla ne apud Graecos quidem et Latinos deesse periti norunt: res palam est. — Sed quoniam semel Hermanni defensionem suscepi, tangam hoc loco etiam aliud, commune illi cum plerisque aut potius cum omnibus nostris grammaticis, sed a nupero censore vehementer improbatum, quod voces illas indeclinabiles, adverbia, praepositiones, coniunctiones, communi particularum nomine appellare solent. Id si quis ideo reprehendit, quod μόρια s. particulae a veteribus non solum illae voces, sed omnis generis vocabula dicuntur, iusto morosiorem se esse ostendit; sin omnes, qui illo nomine contra veterum consuetudinem utuntur, huius ignaros esse credit, iusto suspica-

Id igitur donec demonstratum fuerit, equidem differendum iudicium esse censebo.

Scrib. Grypiswaldiae a. d. VIII Non. Febr. MDCCCLX.

---

cior dicendus est: nam ignota res nemini esse potest, qui vel unius Apollonii aliquot paginas perlegerit. Iustius fortasse improbatur, quod idem nomen nonnunquam certo cuidam generi vocabulorum, olim aut inter adverbia aut inter coniunctiones numerato, tanquam proprium tribuitur. Attamen si quis multa vocabula ex adverbiorum aut coniunctionum numero eximenda propriumque iis in partibus orationis locum concedendum esse negat, in summo ipse errore versatur. Neque particularum iis nomen invidendum erit, donec quis aliud aptius invenerit.

EMENDATIONES ALIQUOT LOCORUM CORRUPTORUM IN APOLLONII LIBRO DE ADVERBIIS.

Quum nuper veterum grammaticorum de adverbiis placita tractaremus, disputationi nostrae additurì eramus aliquot animadversiones in Apollonii libellum olim in adversaria coniectas; sed brevitate temporis exclusi rem distulimus. Itaque quae tunc reponenda fuerunt, nunc expromere placuit, non multa illa quidem et perquam pleraque levia, nec lectores facile alios invitatura, nisi quos tetrici grammatici sermo horridus ac saepe perplexus et tenebricosus a cognoscendis eius libris non deterruerit, sed propter hoc ipsum non indigna, quibus in huiusmodi scriptiuncula locus in quo delitescant concedatur. Ceterum maiorem partem animadversionum nostrarum occupatam videmus Skrzeczkae, viri doctissimi, sollertia, qui in programmate gymnasii Kniphofiani, Regimontii a. 1853 edito, post Apollonii doctrinam de partibus orationis luculenter explicatam etiam huius de adverbiis libelli emendationes non paucas et plerasque certissimas proposuit. Restant tamen in libello corruptissimo permulta nunc quoque vitia, quae emendationem poscant, restabuntque etiam in posterum non pauciora, quibus certa medicina adhiberi vix posse videatur, nisi si forte codex aliquis integrior repertus fuerit. Nam hunc, qui unus adhuc innotuit, Parisinum no. 2548, princeps editor Immanuel Bekkerus satis male habitum esse testatur, quippe atramento scriptum parum nigro multisque locis evanido, compendiatis plerumque extremis versibus, accentibus prope nullis, membris orationis et ipsis vocibus raro distinctis, denique chartis passim madore corruptis, ut non mirum sit, scripturam multis locis aut plane deletam aut lectu difficillimam atque ambiguam fuisse. Tanto magis autem praedicanda est primi editoris sollertia et sagacitas, cuius merito factum est, ut pleraque saltem expedite nunc legi atque intelligi possint.

Emendationem autem poscere videntur quae statim initio libelli scripta sunt p. 529, 17: *ἡ ἐκ τοῦ Τρύφωνος διάβασις ἐνεργητικὴ διαβιβάζεται ἐπὶ τὸν Διονύσιον.* Nempe loquitur Apollonius de huiusmodi exemplo: *Τρύφων τύπτει Διονύσιον*, ubi subiecto actio tribuitur transitiva: talem autem actionem non *διάβασιν ἐνεργητικήν* sed *διάθεσιν* aut *ἐνεργητικὴν* aut *διαβιβαστικὴν* dicere solet, velut de constr. III, 32, p. 298, 15: *διαβιβαστικῆς διαθέσεως ἐπὶ πρόσωπον ὑποκείμενον.* Et quemadmodum ib. p. 290, 3 *ἡ ἐκ τῆς εὐθείας ἐνεργητικὴ διάθεσις* dicitur, sic non dubito quin hoc loco *ἡ ἐκ τοῦ Τρύφωνος διάθεσις ἐνεργητικὴ* scriptum fuerit. Huc accedit quod *διάβασις ἐνεργητική* sic demum recte dici potuisse videtur, si esset etiam alia quaepiam *διάβασις* non *ἐνεργητική*, quam nullam esse manifestum est.

P. 530, 5 post protasin, *ἡνίκα μέντοι οὐ κατηγορεῖ ὀνόματος*, apodosin excidisse iam Skrzeczka monuit: quid supplendum sit aut e p. 529, 23 colligi potest, *ἐκαλεῖτο ἐπίρρημα*, aut e p. 530, 16, *ἐπίρρημα ἐγένετο.* Quod autem in eadem pagina v. 25 editum est: *ἐπίρρημα δὲ οὐ μὴ δίχα ῥήματος* (scil. *συγκλεῖον λόγον ἔστιν ἐπινοῆσαι*), quum in cod. scriptum sit *οὐ μήν*, quamvis lenis sit correctio, vereor tamen ut Apollonius ipse in huiusmodi contextu *οὐ μή* dixerit. Scripsit fortasse *ἐπίρρημά γε μὴν οὐ δίχα ῥήματος.*

P. 534, 9: *ἡ οὔ ἀπόφασις, μαχομένη τῇ ναί καταφάσει, τὰ ἐν καταφάσει ῥήματα ἀναιρεῖ, ἅπερ ἐστὶν ὁριστικά, ἔχοντα ἐν αὑτοῖς τὴν κατάφασιν, ἀνθ᾽ ἧς καὶ πολλάκις παραλαμβάνεται οὐ γράφω, οὐ ποιῶ.* Vix dubitari potest quin Apollonius non, haec tantum exempla, in quibus *ἀπόφασις* est, posuerit, sed praemiserit etiam exempla *καταφάσεως* per verbi indicativum factae, quemadmodum paullo infra, ubi de imperando et vetando loquitur, v. 14: *γράφε, μὴ γράφε, λέγε, μὴ λέγε.* Igitur excidit *γράφω* ante *οὐ γράφω*, *ποιῶ* ante *οὐ ποιῶ.* [1]) — Sed gravior corruptela est in eiusdem paginae parte postrema, ubi de aoristo Apollonius loquitur, quem indefinitam temporis praeteriti significationem habere dicit, tam

1) Dronkius, in N. Museo Rhen. XII p. 338, hanc omnem de negationibus *οὐ* et *μή* disputationem, quae est p. 534, 9—17 ab hoc loco alienam, veram autem eius sedem p. 530, 20 esse autumat ante disputationem de adverbiis temporalibus: scilicet quod ibi quoque aliquid de negationibus dictum est. Atqui dictum de iis hactenus tantum est, quatenus saepenumero item ut alia quaedam adverbia sine verbo ponuntur, ubi id ex orationis contextu subaudiendum est: nunc autem de

quae perfecti quam quae plusquamperfecti propria sit, ideoque comparari quodammodo posse cum nominibus, quae tam masculino quam feminino generi significando usurpentur. Hinc etiam *ἀόριστον* dictum esse *κατὰ ἀπόφασιν τοῦ μὴ ὁρίζειν τὸν παρῳχημένον*, v. 30. Hactenus omnia sana, sed quae sequuntur, *διὸ καὶ κατὰ ἀπόφασιν τῶν προειρημένων δύο χρόνων ἐθεματίσθη*, etiamsi quis idem significare posse dicat, quod est ap. schol. Dionys. p. 894, 14: *ὁ ἀόριστος ἐπ' ἀναιρέσει τῶν ὁριζόντων εἴρηται*, aut apud Choeroboscum, B. A. p. 1281, 15: *ἐὰν τὰ παρελθόντα ἄδηλα ὦσι πότε παρῆλθον, ἀποτελεῖ τὸν λεγόμενον ἀόριστον, οἷον ἔτυψα· ἄδηλον γὰρ εἴτε νεωστὶ εἴτε πρὸ πολλοῦ*, tamen hanc sententiam ab hoc loco alienam esse apparet. Primum enim sic nihil aliud diceretur, quam quod modo dictum erat, deesse aoristo talem praeteriti temporis definitionem, qualem habeant perfectum et plusquamperfectum, quod quid opus erat iterum aliis verbis dici? praesertim cum coniunctione *διό*, quasi nunc demum ratio appellationis redderetur, quam modo redditam legimus: deinde autem pugnat etiam haec sententia cum iis, quae statim sequuntur, *ᾧ λόγῳ καὶ τὸ σώφρων τὸ ὁ προσλαβὸν νοεῖται μόνως ἀρσενικόν*. Manifestum est enim comparari ab Apollonio aoristi significationem temporis cum nominum communium significatione indefinita generis, ut quemadmodum haec modo ad masculinum genus designandum accomodantur, scilicet addito articulo masculino *ὁ*, modo ad genus femininum, addito articulo *ἡ*, sic etiam aoristus modo perfecti temporis significationem accipere dicatur, addito scilicet adverbio huic tempori accommodato, quale veteribus *ἄρτι* esse visum est, *τὸ ἅμα νοήματι ἡνωμένον* significans, ut ait Apollonius v. 23, modo autem plusquamperfecti, addito scilicet adverbio *πάλαι*. Atque hanc sententiam disertis verbis prolatam videmus a recentioribus grammaticis, qui nusquam non Apollonium auctorem sequi solent, velut a schol. Dionys. p. 889, 27: *σὺν μὲν τῷ ἄρτι ταὐτὸν δύναται τῷ παρακειμένῳ, τέτυπα — ἔτυψα ἄρτι· τῷ δὲ πάλαι ἴσον δύναται τῷ ὑπερσυντελικῷ, οἷον ἐτετύπειν — ἔτυψα πάλαι*. P. 891, 32: *τοῦ ἄρτι τοίνυν*

---

modis verborum dicitur, quibuscum coniunguntur, *οὐ* cum indicativo in respondendo, *μή* cum imperativo in vetando. De constructione autem adverbiorum cum modis Apollonius p. 533 demum dicere incipit, quamobrem ab isto, quem Dronkius designavit, loco hanc de *οὐ* et *μή* observationem alienam esse apparet. — Ceterum cum nostro loco comparari possunt quae disputantur de constr. II, 12 p. 117, 25.

τῷ ἀορίστῳ διδομένου γίγνεται παρακείμενος, οἷον ἐποίησα ἄρτι — πεποίηκα· τοῦ δὲ πάλαι προσνεμομένου ὑπερσυντελικὸς γίγνεται, οἷον ἐποίησα πάλαι — ἐπεποιήκειν. Choerobosc. p. 1281, 18: *ἰστέον δὲ ὅτι ὁ ἀόριστος, ἐὰν μὲν προσλάβῃ τὸ ἄρτι, ἰσοδυναμεῖ τῷ παρακειμένῳ, — — ἐὰν δὲ προσλάβῃ τὸ πάλαι, ἰσοδυναμεῖ τῷ ὑπερσυντελικῷ.* Itaque nostro loco illud *κατὰ ἀπόφασιν* ferri non potest, repetitum nimirum librarii errore ex versu 29, 30; Apollonius autem aut *εἰς ἔμφασιν* scripsit, aut fortasse *εἰς ἀπόφασιν*, quod vocabulum quam facile cum altero permutari potuerit in oculos incurrit, suntque eius permutationis exempla complura a Bekkero correcta, velut de constr. p. 245, 3. 277, 1. 279, 19. 285, 3. — P. 536, 28 impugnatur eorum sententia, qui *οἴμοι* et *ὤμοι* ex *οἴ* et *ᾆ* cum dativo pronominis composita esse censebant: *οὔ φασι τὸ οἴμοι ἢ ὤμοι ἓν εἶναι, ἐκ δὲ ἀντωνυμικοῦ τοῦ μοί καὶ τοῦ οἴ ἢ ὦ συντάσσεσθαι.* Apollonium non sic, sed aut *τοῦ ἐμοί* aut fortasse *τοῦ ἐμοί ἢ μοί* scripsisse ipsius verba fidem faciunt p. 537, 3: *ὅτι καί, ὡς ἔφαμεν, τὸ πλῆρες τῆς φωνῆς ἀκούουσιν ὢ ἐμοί, ὡς ἔχει παρὰ Παρθενίῳ· ὢ ἐμὲ τὴν τὰ περισσά.* Ceterum suam de his exclamationibus sententiam Apollonius etiam de pronom. p. 42 profert, eamque a plerisque probatam esse constat. Vid. Epimerism. II. in Crameri Anecd. Paris. III, p. 336. Orion. p. 171, 6. Etym. Gud. p. 578, 35. — In eadem disputatione p. 537, 21 non, quemadmodum Bekkerus edidit, *οἴ μοί μοι*, sed coniunctim *οἰμοιμοῖ* scribendum fuisse quum ex universo huius loci contextu, tum e p. 588, 25 manifestum est: *τὰ πρωτότυπα θέλει ὁπωσδήποτε περισπᾶσθαι, ὡς ἔχει τὸ οἰμοιμοῖ καὶ τὸ ὀτοτοῖ καὶ τὸ οἰοιοῖ.*[2]) Paullo infra p. 537, 28 legitur: *πῶς δ' οὐχὶ καὶ γελοῖον ἐν τῷ ὠοιοὶ ἐκ τρίτου ἀντωνυμικοῦ παρακεῖσθαι*: scripsit autem sine dubio Apollonius *ἐν τῷ ὠοιοί τὸ οἷ ἐκ τρ. ἀντ. παρ.* — P. 338, postquam propositum est nulla verba a pronominibus primae et secundae personae, *ἀπ' ἀντωνυμιῶν τῶν κατὰ τὸ πρῶτον ἢ δεύτερον*, derivata esse, adduntur haec: *προστέθεικα δὲ δεύτερα, ἐπεὶ καὶ τὸ ἀπὸ τρίτου παραγόμενον σύναρθρόν ἐστι καὶ ταύτῃ ἄλογον· λέγω τὸ σφετερίζω.* Sed scribendum est: *προστέθεικα δὲ καὶ δευτε-*

---

2) In eadem pagina 588 v. 26 scribi debuit *φαίνεται ὅτι καὶ τὸ εὐοί κατὰ τοῦτο σημειώσεται*, non *εὐοῖ*. Notatur enim altera scriptura, ut non probanda.

ϱον, ἐπεὶ τὸ ἀπὸ τρίτου παραγόμενον ἀπὸ συνάρθρου ἐστίν. Nempe quum contra eos, qui in *οἴμοι* pronomen inesse iudicabant, verbum ab *οἴμοι* ductum *οἰμώζω* afferatur, in hac disputatione satis fuerat, primae personae pronomen commemorari; additur tamen insuper ne a secundae quidem personae pronomine verba derivari, in tertia vero persona rem paullo aliter se habere, siquidem verbum *σφετερίζω* non quidem ab ipso personali pronomine, sed tamen ab huius personae possessivo (*ἀπὸ συνάρθρου*) factum sit, quod propter hanc ipsam causam *ἄλογον* esse dicitur, h. e. diversam rationem habere quam *οἰμώζω*, quod ab ipso personali *μοί* descendere dicendum foret, si hoc in *οἴμοι* inesse statueretur. Ceterum etiam ab ipso personali tertiae personae pronomine *σφέ*, cuius priscam formam *σFέ* fuisse constat, verbum *σFέθω*, hinc autem *Fέθω*, denique *ἔθω*, itemque a latino pronomine sui suesco factum esse nuper Christius, haud scio an primus, coniecit (Anf. der griech. Lautlehre p. 121), de qua coniectura quid iudicandum sit, a linguistis fortasse sub Kuhnii vexillo militantibus nos semipagani edocebimur.

Loquitur deinceps Apollonius de *δεῖ* et *χρή*, quae non pro adverbiis, quemadmodum multis visum erat, sed pro verbis habenda esse verissime quidem, sed argumentis non pariter omnibus veris, longa et spinosa disputatione demonstrat, in qua describenda passim a librariis erratum esse non sane mirum est. Ac primum quidem p. 539, 23 de infinitivo, quocum verba illa construuntur, haec scripta legimus: *Πᾶν ἀπαρέμφατον ὄνομά ἐστι πράγματος, καί, εἰ ἔστιν εἰπεῖν, αὐτὸ τὸ γενικώτατον ῥῆμα, τὸ παρυφιστάμενον τὸ οὐκ ἐγγινόμενον ἐν προσώποις, τουτέστιν ὃ δηλοῖ τὸ ἀπαρέμφατον*, in quibus illud *εἰ ἔστιν εἰπεῖν*, nostrum wenn ich so sagen darf, modestiam quandam dicendi significat in re non vulgo nota aut plane certa et manifesta, quo sensu veteres Attici *ὡς εἰπεῖν* dicere solent.[3]) Quam ob causam autem infinitivum verbum maxime generale habendum sit, de constr. III, 13 p. 229. demonstrat. Sed pro passivo par-

3) Eadem formula utitur de constr. II, 2 p. 96, 23, de terminatione casuali pronominum: *ἔδει γὰρ ἅπαξ ἑνὶ μέρει προσχωρῆσαι τὸ τέλος, καί, εἰ ἔστιν εἰπεῖν, εὐλόγως τῷ πτωτικῷ.* quem locum totidem verbis Priscianus XVII, 54 transfert: oportebat enim semel uni concedere parti finem, et, si est dicendum, rationabiliter casuali. Scilicet hic quoque in re non satis omnibus plana et perspicua illud *εὐλόγως* mitigandum quodammodo hac formula videbatur.

ticipio τὸ παρυφιστάμενον, cuius probabilem rationem nullam reddi posse video, rescribendum erit activum τὸ παρυφιστάνον: hinc pendet accusativus τὸ οὐκ ἐγγινόμενον ἐν προσώποις, scilicet πρᾶγμα, quod e superiore membro subaudiri debet. Sic de constr. III, 13. p. 229, 15 πρᾶγμα ἐγγινόμενον ἐν προσώποις illud est, quod cum personarum adsignificatione per verbum finitum indicatur. Denique postrema verba nihil nisi nominis interpretationem esse arbitror: hoc esse, quod significet nomen illud ἀπαρέμφατον, scilicet carere infinitivum personarum, in quibus τὸ πρᾶγμα sit, παρεμφάσει, h. e. adsignificatione. Sed Apollonium aut τοῦτο γάρ ἐστιν aut καὶ τοῦτό ἐστιν scripsisse credo. — Paullo post, v. 28, ubi legitur ἐπεὶ ἅπαξ παρυφίσταται ὀνοματικῇ κατηγορίᾳ τοῦ πράγματος, nominativum pro dativo reponendum esse manifestum est. Quid sit κατηγορία τοῦ πράγματος monui in superiore dissert. p. 239 not. 34. — De significatione porro verborum δεῖ et χρή Apollonius p. 540 sic statuit, ut ἔλλειψιν quandam (v. 16) vel διάθεσιν ἐλλειπτικήν (v. 10) iis indicari autumet, h. e. defectus cuiusdam significationem, eamque transitivam, quam sententiam etiam de constr. III, c. 16 profitetur, neque aliis eam displicuisse videmus. Cf. e. c. Choerobosc. p. 1277. Itaque in huiusmodi enuntiatione, δεῖ Ἀπολλώνιον γράφειν, infinitivum γράφειν pro subiecto verbi haberi vult, Ἀπολλώνιον pro obiecto, quasi dictum sit: λείπει τὸ πρᾶγμα τὸ ἐκ τοῦ γράφειν Ἀπολλώνιον, h. e. actio, cuius notio inest in infinitivo γράφειν, deficit Apollonium. Sed quae v. 12. leguntur: καὶ ἡ διάθεσις οὖν ἡ τοῦ δεῖ ἐλλειπτικὴ μετὰ τοῦ ἀπαρεμφάτου εὐθείᾳ συντασσομένη μέτεισιν ἐπὶ τὴν αἰτιατικήν, emendationem requirunt. Neque enim hoc dicere Apollonius potuit, illam διάθεσιν, quam δεῖ significet, unaque cum ea infinitivum cum nominativo constructum transire in accusativum, sed hoc tantum, infinitivum verbo δεῖ adiunctum ipsum nominativum esse. Sed quum de sententia dubitari nequeat, emendandi viae plures sunt. Equidem haud improbabile puto Apollonium scripsisse: καὶ ἡ διάθεσις οὖν ἡ τοῦ δεῖ ἐλλειπτικὴ ἐκ τοῦ ἀπαρεμφάτου ἐν εὐθείᾳ συντασσομένου μέτεισιν ἐπὶ τὴν αἰτιατικήν. Nam actio transitiva, qualem δεῖ significare vult, ex subiecto suo in obiectum transire (μετιέναι vel διαβιβάζεσθαι) etiam alibi dicitur (cf. quae supra (p. 244) de p. 529, 17 diximus.), et ἐν εὐθείᾳ infinitivum p. 540, 18 habemus. Conf. gramm. in Bachmanni Anecd. II. p. 313, 22: ταῦτα δέ (loquitur de δεῖ, χρή et simi-

libus quae impersonalia dici solent), *κυρίως ἀπὸ εὐθείας τὴν προέλευσιν ἔχουσιν*, scilicet ab infinitivo, qui quum nominis instar sit, etiam casuum vicibus fungitur. — Porro autem apud Apollonium v. 18 haec scripta sunt: *ἔστι γοῦν καὶ τὸ ῥῆμα ὅτε φθάνει ποτὲ ἐπὶ τὴν εὐθεῖαν τοῦ ὀνόματος, καὶ τὸ τηνικαῦτα καταλαβέσθαι τὸ ἀπαρέμφατον ὡς οὐκ ἔστιν εὐθείας, ἀντιμετειλημμένον δὲ εἰς αἰτιατικήν*, quae, quum de sententia, qualis esse debeat, dubitari non possit, in hunc fere modum refingenda videntur: *ἔστι γοῦν καὶ ὁπότε τὸ ῥῆμα φθάνει ἐπὶ τὴν εὐθεῖαν τοῦ ὀνόματος, καὶ τὸ τηνικαῦτα καταλαβέσθαι κτλ.* Verbum, inquit, quod defectum indicat, si quando cum nominativo alicuius nominis construitur, ibi animadverti potest infinitivum accusativo, non nominativo casu poni, ut si pro infinitivo nomen verbale declinabile substituatur, velut *περίπατος* pro *περιπατεῖν*, non *ὁ περίπατος* dicendum sit, sed *τὸν περίπατον*, veluti *ἀπολείπει Ἀπολλώνιος τὸν περίπατον*. Itaque quum *δεῖ* similem atque *ἀπολείπει* significationem habeat, etiam sic dici posse ait: *δεῖ Ἀπολλώνιος τὸν περίπατον*, quod exemplum infra v. 26 legitur. Sed ibi quae proxime antecedunt, *ἀλλὰ καὶ ὁ περίπατος ἐν τῷ ῥήματι γινόμενος* (h. e. si *περίπατος* verbi subiectum sit), *αἰτιατικὴν μεταποιεῖ τὸν Ἀπολλώνιον, ὡς εἰ καὶ αὐτὸ τὸ δεῖ ἀντιμεταλάβοι* (scil. *ὁ περίπατος*) *ἀντὶ τοῦ λείπει* (sic enim pro *λείπειν* scribendum est), haec ab hoc loco aliena esse apparet; pertinent enim ad diversum constructionis genus, in quo nomen non, ut in illo exemplo, subiectum, sed obiectum verbi, ideoque non nominativo sed accusativo casu ponendum est. Apparet igitur transpositione locum sanandum esse, ut hoc exemplum *δεῖ Ἀπολλώνιος τὸν περίπατον* statim subiungatur illi alteri, quod est v. 23, *ἀπολείπει Ἀπ. τὸν περίπατον*, pro eo autem, quod nunc v. 26 legitur, scribendum esse *δεῖ Ἀπολλώνιον ὁ περίπατος*. — Etiam quae porro sequuntur, usque ad v. 32, admodum perturbata sunt: sed gravior corruptela est quam cui coniectura mederi possit. Hoc tantum liquere arbitror, pro *εἰ καί* v. 27 scribendum esse *εἴ τις*: deinde Apollonium locutum esse de constructione passivi *δέεται* cum nominativo nominis, eamque composuisse cum altera *λείπεται τοῦ περιπάτου Ἀπολλώνιος*, quemadmodum de constr. III, 32 p. 289, 26 *δέομαι σοῦ* interpretatur *τῆς σῆς βοηθείας λείπομαι*. Denique v. 30 post *οὕτως* excidisse exemplum huiusmodi, *δεῖ γράφειν Ἀπολλώνιον*, iam Skrzeczka animadvertit. — Porro p. 541, 57 legitur: *ἀλλὰ καὶ τοῦτο ἀπεδείχθη,*

ἐν οἷς ψυχικῆς παρεμφάσεως ἦν ἐμφατικὰ τὰ ἀπαρέμφατα, οὐδὲ ῥήματα ἐγκλίσεως μεμοιραμένα, ὀνόματα δὲ τῶν πραγμάτων. sed res ipsa docet *οὐκ ἦν ἐμφατικά* scribendum esse. *Ἐν οἷς* ab Apollonio nonnunquam sic usurpatur, ut causam et rationem indicet, quo sensu apud antiquiores *ἐν ᾧ*, in nostro vernaculo sermone indem dicitur. Cf. p. 530, 17. 549, 13. Iam vero proximorum verborum nullam constructionem esse apparet, nisi inseratur infinitivus *εἶναι*, pendens ille a verbo *ἀπεδείχθη*, sed a librariis omissus, inter *ῥήματα* et *ἐγκλίσεως*. Mox autem in his, *τοῖς δὲ ὀνόμασι μᾶλλον τὰ ῥήματα συνοιστά ἐστιν, ὡς ἐν ταῖς ἐγκλίσεσι τῶν ῥημάτων τὰ ἐπιῤῥήματα*, praepositio *ἐν* vereor ut defendi possit exemplis a Skrzeczka allatis, de constr. p. 233, 7 et 250, 13, quae et ipsa corrupta esse cum Bekkero iudico: neque iniuriam Apollonio facere puto, si eum *ὡς ἂν* vel *ὡσάν* scripsisse suspicer, abusu huius particulae apud labentis graecitatis scriptores satis frequenti in comparationibus, cuius iam apud Polybium non pauca exempla deprehendas, sed magis apud recentiores pervagato, unde etiam hodierni Graeci suum *σάν*, ex *ὡσάν* decurtatum, plane pro *ὥσπερ* usurpant. — P. 552, 19 propter augmentum in *ἔδει* manifestum esse dicitur *τὸ δεῖ ὅτι ῥῆμά ἐστι, καὶ οὕτως ὥστε τὸ συγκεχυμένον τῶν χρόνων διαστέλλειν.* Scripsit, opinor, Apollonius, *καὶ οὕτως οἷόντε — διαστέλλειν*: quoniam verbum est *δεῖ*, hinc fit, ut tempora distinguere per augmentum possit. — P. 543, 12. posteaquam de *χρή* dictum est ut per apocopen e *χρῆσι* decurtato (cf. de constr. III, 15 p. 238, 23) leguntur haec: *ὅπερ ἐπίμεμπτον ἐν τῇ κατὰ τὸν παρατατικὸν προφορᾷ κατὰ τάσιν, ἐχρῆν, ὅτι καὶ σὺν τῷ ν λέγεται, ἐχρῆν.* Semel hoc *ἐχρῆν* poni satis erat; deinde pro *ὅτι καὶ* non dubito quin *καὶ ὅτι* scribendum sit, et paullo ante aut *καὶ κατὰ τάσιν*, aut etiam *κατά τε τάσιν*, cum Bekkero. Sed etiam *ὅπερ*, quum nihil processerit quo referri possit, cum *διόπερ* mutandum erit. Similiter peccarunt librarii p. 578, 27 et p. 608, 19, nisi quis ibi cum O. Schneidero (N. Mus. Rhen. III p. 448) *μετεγράψαντο* pro *μετέγραψαν τό* scribere malit; quamquam activum equidem praestare puto.

In proxima disputatione de adverbio *ἕκητι* p. 545, 31 legitur: *οἱ δὲ σύνδεσμοι οὔποτε κατ' ἰδίαν σημαίνουσί τι, συνδέουσι δὲ τοὺς λόγους ἐξετάζοντες, καὶ οὕτως συνδέοντες καὶ ἑνοῦντες.* Sed illud *ἐξετάζοντες* quid significare possit, nemo dixerit. Scripsisse

Apollonium credo ἑξῆς τάσσοντες. Hanc enim coniunctionibus vim grammatici passim tribuunt, ut τάξιν quandam s. ordinationem sententiarum designent. Ipse Apollonius de coni. p. 497, 6: ὁ γὰρ λέγων Ἀριστ[οφάνης ἔγραψεν,] εἶτα Ἀπολλώνιος, τάξεώς ἐστι παραστ[ατικός]. ib. p. 501, 2: οἱ αἰτιολογικοὶ σύνδεσμοι καὶ ἀκολουθίας εἰσὶ δεκτικοὶ καὶ [τά]ξεως: sic enim lacunam explendam esse nemo dubitabit. Et in Dionysii libello p. 642, 21 coniunctionis definitio haec est: σύνδεσμός ἐστι λέξις συνδέουσα διάνοιαν μετὰ τάξεως, καὶ τὸ τῆς ἑρμηνείας κεχηνὸς πληροῦσα, quam definitionem commentatores Dionysii sic corrigunt, ut praeter τάξιν etiam δύναμιν coniunctionibus significari dicant, velut schol. p. 952, 7: et Priscianus quoque, Apollonii fortasse auctoritatem secutus, XVI, 1, vim et ordinationem iis demonstrari docet. Nimirum τάξιν eae coniunctiones demonstrare dicendae sunt, quae alterum alterius aut causam aut conditionem aut concessionem aut effectum aut finem aut consequentiam esse indicant, estque hoc τάξεως vocabulum non, quemadmodum multis visum est, de loco in verborum compositione, sed de eo potius accipiendum, quem quidque in rerum ipsarum connexione obtinet.[4]) Vis autem s. δύναμις iis coniunctionibus demonstratur, quae aut ὕπαρξιν aut βεβαίωσιν aut ἀναίρεσιν (ut ἄν, ubi ἀναιρετικὸς σύνδεσμος esse dicitur) aut διστανμόν aut μείωσιν aut ἐπίτασιν, denique aliquam iudicii modalitatem indicant, ex quo genere eae fere omnes sunt quae expletivae v. completivae (σύνδεσμοι παραπληρωματικοί) appellantur, quoniam, ut est apud Dionysium, τὸ κεχηνὸς τῆς ἑρμηνείας πληροῦσιν. Quamquam haec verba iam Apollonii aetate a plerisque male accepta esse huius disputatio demonstrat, de constr. III, 28 p. 266, 20; et Byzantii magistri, inscitiam suam Dionysio obtrudentes, in libellum eius p. 643, 11 hanc expletivarum definitionem intulerunt, ut essent ὅσοι μέτρου ἢ κόσμου ἕνεκεν παραλαμβάνονται, quam ab ipso vetere auctore profectam esse nunquam adducar ut credam. Sed haec res longiorem disputationem postulat ab hoc loco alienam.

Fuerunt qui ἕκητι in coniunctionibus numerandum esse censerent, quorum sententiam Apollonius quum propter alias causas, tum propter compositum ἀέκητι improbandam esse docet: nam coniunctiones cum α privativo componi non posse. Cf. de coni. p. 497, 31.

4) Cf. Apollon. de constr. II, 18 p. 132, 14. et nostrum librum de partib. orat. p. 209.

498, 32. Sed in verbis, quae de adv. p. 544, 1. 2. sic scripta extant: οὐκ ἔνδεκτον οὖν τὸν ἔκητι σύνδεσμον ὄντα . . . πει στερήσεως γεγενῆσθαι, pro πει equidem in codice σει esse crediderim, scriptumque fuisse ἐν συνθέσει στερήσεως. Nam στέρησις vocatur ipsum illud $\overline{\alpha}$ στερητικόν (cf. p. 547, 31.), et ἐν συνθέσει στερήσεως γίνεσθαι eodem modo dictum est atque ἐν προσθέσει ἐστὶ τοῦ $\overline{\sigma}$ τὸ οὕτως p. 578, 13, ἐν ἀποβολῇ τοῦ $\overline{\xi}$ γενόμενον τὸ ὑπόδρα p. 550, 1. τὸ δὲ ῥεῖα ἐν πλεονασμῷ ἐστὶ τοῦ $\overline{\iota}$ p. 562, 9. aliaque passim similia. — Mox v. 5 in his, εἰ ὅλως κατὰ ἀπόφασιν τὴν τῶν συνδεομένων παραλαμβάνοιτο, deest verbi subiectum neque ex iis, quae praecesserunt, intelligi potest. Scripsit, opinor, Apollonius non otiosum illud adverbium ὅλως, sed ὁ λόγος: si enuntiatio cum negatione coniunctorum proferatur, h. e. sic ut quae per coniunctionem connexa sunt negentur (cf. de coni. p. 498, 22); λόγοι ἀπὸ συναφῆς connexae per coniunctionem enuntiationes dicuntur de coni. p. 518, 8.

P. 445 ἀέκητι ex ἀεκαστί factum esse dicitur, abiecta littera $\overline{\sigma}$, et $\overline{\alpha}$ ionice in $\overline{\eta}$ mutata. Itaque v. 6 non ἐνδεήσαντος τοῦ $\overline{\tau}$, sed ἐνδεήσαντος τοῦ $\overline{\sigma}$ scribendum fuit, quemadmodum v. 10 recte scriptum est. — P. 546, 9: τὸ ἠνορέα, ἁπλοῦν νοούμενον ἀπάντοτε, οὐ καταστήσεται. Interpunctionem mutandam esse, ut adverbium non cum participio sed cum verbo construatur, recte Skrzeczka monuit; ἀπάντοτε autem, quod idem vir doctissimus cum πάντως permutari voluit, tolerari posse puto. — Mox v. 10 quae leguntur, παρὰ τὸ ἀνήρ ἢ τὴν ἀνέρος γενικήν, ἢ τὴν συγκεκομμένην ἀνδρός τὸ ἠνορέα συστήσεται ἢ ἀνερία, ὡς αἰθέρος αἰθερία, non dubito quin sic refingenda sint: οὐκ ἠνορέα συστήσεται, ἀλλ' ἀνερία. Ceterum conferenda sunt, quae de ἠνορέη et ἀνδρία dicuntur de coni. p. 499, 22.

Gravior corruptela est p. 547, 21: ἀλλὰ φήσει τις ὅτι, εἴπερ δοίημεν, παρὰ τὸ ψευδῶ καὶ σαφῶ τὰ ὀνόματα ἐγίνετο. Loquitur Apollonius de adiectivis ψευδής et σαφής, quae ipse non primitus e verbis orta, sed ex ἀψευδής et ἀσαφής facta esse vult. Alii, quorum nunc sententiam sibi opponi fingit, probabilius putabant a verbis ψευδῶ et σαφῶ illa derivata esse, si modo concederetur haec verba, quae nusquam comparent, praesumi. Hoc enim apparet significari verbis εἴ δοίημεν, quamquam planior foret oratio in hunc modum conformata: ὅτι, εἴπερ δοίημεν τὸ ψευδῶ καὶ σαφῶ,

παρὰ ταῦτα τὰ ὀνόματα ἐγίνετο, aut etiam παρὰ τὸ ψ. καὶ σ., εἴπερ δοίημεν, τὰ ὀν. ἐγίνετο. Sed ut tolerari vulgata lectio possit in scriptore nullius rei minus quam plane et perspicue loquendi studioso, haec tamen, quae statim sequuntur, τὰ δὴ ἐν ὀξείᾳ προφορᾷ καὶ ἐν κλίσει τῇ διὰ τοῦ ευς ἐκ ῥημάτων ἀναγόμενα κατὰ σύνθεσιν παραλαμβάνεται, nullo modo cum praecedentibus cohaerent, satis bene autem procedit disputatio, si deletis illis cum superiore propositione coniunguntur: εἰ δέ τις καὶ τὸ ἀκριβὲς ἐπιστήσειε, καὶ τὸ ἀψευδής καὶ ἔτι τὸ ἀσαφής πρότερα ἂν εὕροι τοῦ ψευδής καὶ σαφής. τὰ δὴ ἐν ὀξείᾳ προφορᾷ κτλ.; quamquam γάρ quam δή scriptum mallem. Utut est, istud ἀλλὰ φήσει τις — — ἐγίνετο ab hoc contextu alienum esse apparet. Ceterum v. 23 non διὰ τοῦ ευς sed διὰ τοῦ ης scribendum fuisse res ipsa demonstrat, et pro ἀναγόμενα usus loquendi παραγόμενα poscit; v. 29 autem lacuna, quae est inter καί et συνήθως, commode explebitur inserta coniunctione ἐπεί: denique in v. 33 scribendum censeo, οὐκ ἄρα ἄπορον τὸ σχῆμα, δόκησιν ἔχον συνθέσεως, τὸ τοῦ ἀέκητι, pro eo quod editum est ἐκ τοῦ ἀέκητι. Nempe hoc dicit Apollonius, formam adverbii ἀέκητι, quamvis compositionis ex ἕκητι et α privativo speciem praeferat atque sic pugnare videatur cum observatione grammaticorum, qui adverbia cum α privativo componi negabant (p. 544, 19), non tamen inexplicabilem (ἄπορον) esse, quippe quum ἀέκητι non ex ἕκητι et α privativo factum, sed a verbo ἀεκάζω ortum sit (p. 545, 4 seq.); hinc enim ἀεκαστί, atque ex hoc rursus deleta littera σ, et α ionice in η mutata, ἀέκητι, ex ἀέκητι autem, abiecta littera privativa, ἕκητι extitisse.

P. 548, 29. Plurima adverbia in ι barytona sunt, τά τε ὀξυνόμενα ἐν τηνι τηρήσει ἐστὶ κατὰ τὴν ὀξύτητα. Scripsit fortasse Apollonius ἔν τινι τηρήσει, quo significaret adverbia in ι, quae oxytona essent, observationi cuidam subiecta esse h. e. analogiam quandam sequi, quae observanda esset. De uno horum genere dictum est p. 545, 12 sqq. — Exponitur porro elisam litteram σ in multis vocabulis causam esse retrahendi accentus, velut quum pro oxytonis δεσποστής, ἐργαστής dicatur δεσπότης, ἐργάτης, et e συνεληλασμένοι paroxytono fiat συνεληλάμενοι proparoxytonum (cf. p. 545, 10). Sequitur p. 549, 9, τό γε μὴν συγχεύας ... ειν τὸν αὐτὸν τόνον, ubi apparet in lacuna excidisse verbum δεῖ cum infinitivo, non quidem eo, quem doctissimus Skrzeczka proposuit, ἀναμένειν, sed potius

φυλάσσειν aut τηρεῖν. Nam ἀναμένειν τὸν τόνον ea demum vocabula dici solent, quae, quum ab aliis derivata sint, accentum recipiunt ad eorum unde derivata sunt normam accommodatum; contra φυλάσσειν τὸν τόνον ea, quae quem proprium accentum habent, eundem, quantum quidem per generales regulas licet, constanter retinent, etiamsi ceteroquin varias formae mutationes subierint, veluti συγχεύας, quae forma Apollonio e συγχεύσας facta videbatur, huius accentum servat. Attamen non credo hoc exemplo Apollonium usum esse, quippe in quo propter quantitatem syllabae postremae retrahi accentus nullo modo potuerit: scripsisse eum arbitror συγχεῦαι, tanto magis, quia apud Homerum, unde solent fere exempla peti, illud alterum nusquam extat, quum συγχεῦαι semel certe legatur, Od. VIII, 139. Quod autem dixi de discrimine locutionum ἀναμένειν et φυλάσσειν τὸν τόνον, ne quis temere iactum putet, comprobabo aliquot utriusque locutionis exemplis. Igitur hac ipsa pagina legimus v. 10: τὸ ἄναξ ἀποβαλὸν τὸ ξ τὸν αὐτὸν τόνον φυλάσσει. p. 577, 13: τὰ συνεμπίπτοντα ὀνοματικῇ πτώσει ἐπιῤῥήματα τὴν τάσιν τῶν ὀνομάτων φυλάσσει. (scilicet significantur eiusmodi exempla, qualia sunt ταχύ, παλά, ἰδίᾳ, κύκλῳ, quae quum re vera nihil nisi casus nominum sint, Apollonio adverbia sunt casibus congruentia, συνεμπίπτοντα.) p. 582, 8 adiectiva cum α privativo composita si in ος exeunt, accentum retrahunt, sin in ης, φυλάσσει τὸν τόνον, ut ψευδής, ἀψευδής. p. 584, 10, τὸ μὲν ὥς οὐχ ὑποπῖπτον πύσματι τὸν ἴδιον τόνον φυλάσσει. Contra autem p. 581, 8, adverbia in ως a nominibus derivata proprium accentum non habent, ἀναμένει δὲ τὸν πτωτικὸν τόνον, ὅς ἐστιν ἀπὸ γενικῆς πληθυντικῆς. Eadem p. 583, 18 dicuntur ἀναμένειν τὴν τάσιν τὴν ἐν τοῖς πτωτικοῖς. p. 585, 30, adverbia numeralia in χως οὐκ ἀναμένει τόνον ἀλλότριον, ἰδίᾳ δὲ περισπᾶται ἅπαντα. Eodem quo ἀναμένειν sensu etiam ἀναδέχεσθαι τὸν τόνον dicitur, ut p.581, 6. 8, pro φυλάττειν autem τηρεῖν, p. 570, 22. 586, 27.

P. 549, 27: καθὸ εἴπομεν καὶ τὸ ἀντῶ ἄντα παρακεῖσθαι. Scribendum est τῷ ἀντῶ, sicut infra v. 33, ὑπόδραξ τῷ δέρκω παράκειται. Sic enim constanter hoc verbum usurpari solet in eiusmodi vocabulis, quae tanquam secundaria et ex aliis aliquo modo deflexa esse videntur. Cf. p. 533, 10. 16. 554, 21. 555, 31. 33. 556, 2. 558, 23. 562, 21. Ea autem, unde deflexa sunt, προκείμενα aut

προυπόκειμενα vocantur, ut p. 580, 23. Io. Alex. p. 35, 35. Eustath. ad Il. p. 43, 33.

P. 551, 9: *πρὸς οἷς ὑπάρχει ἡ αὐτὴ σύνταξις τοῦ ὑπιδὼν τὸ ὑπόδρα, ὡς ἀμφοτέρων τῶν ῥημάτων τὸ αὐτὸ δηλούντων.* Scribendum est *τῷ ὑπόδρα ἰδών.* Hoc enim dicit, utriusque dictionis *ὑπιδών* et *ὑπόδρα ἰδών* eandem constructionem esse propterea quod eadem utriusque significatio sit. *Πρὸς οἷς* est i. q. et praeterea, quemadmodum p. 537, 3. 565, 16. 585, 17. 596, 9. Additur enim hoc argumentum iis, quae ante proposita erant ad refutandam eorum sententiam, qui *ὑπόδρα* adverbium esse negaverant ex verbo vel *δράω* vel *δέρκω* cum praepositione factum. Ad haec igitur argumenta accedit etiam hoc, quod *ὑπόδρα ἰδών* eodem modo atque *ὑπιδών* construitur, scilicet quia eadem utriusque significatio est, unde apertum fit, vim verbi *ἰδών* adverbio *ὑπόδρα* addito similiter temperari, quam si componatur cum praepositione *ὑπό.*

P. 552, 32. Disputat Apollonius de *ὄφελον*, quod aliis proprie adverbium esse videbatur, sed propter formam verbo similem (*κατὰ συνεκδρομὴν ῥήματος*) ab Homero aliisque etiam per personas declinatum, aliis contra ipsum verbum ex *ὤφειλον* decurtatum: *διὸ καὶ τὴν τοῦ ἀπαρεμφάτου σύνταξιν ἐν παραλληλότητι αὐτὸ τίθησι* (Homerus scil.) *τῷ εἴθε.* Scribendum est *κατὰ τὴν τοῦ ἀπαρεμφάτου σύνταξιν*, ac deinde *οὐκ ἐν παραλληλότητι.* Nam *ἐν παραλληλότητι* (sive *ἐκ παραλλήλου*) *εἴθε* et *ὄφελον* poni ii tantum dicere poterant, quibus utrumque adverbium optandi esse videbatur, velut schol. Arist. Nub. v. 42. schol. Eur. Med. v. 1.; Apollonius autem ipse alibi (de constr. III, 23 p. 249, 23 sqq.) horum sententiam improbat ideoque (ib. p. 250, 2) istam *παραλληλότητα* agnoscendam esse negat. Quamquam in hoc de adverbiis libello, utram sententiam veriorem iudicet, non diserte exponit: neque in lacuna, quae p. 553, 1 manifesta est, haec expositio periisse videri potest. Nam etiam paullo post, p. 554, 16, dubitanter loquitur. Est autem etiam huius loci scriptura corrupta, ut plane intelligi nequeat: *καὶ ὡς ἔφαμεν ἐν τῷ ὤφελον πρὸς ἐνίων κατὰ συνεκδρομὴν γεγονέναι ῥήματος ἐν τῷ ὄφελες ὡς εἰ μὴ τὸ ὤφειλεν ὑποσυγκέκοπται.* Scripsisse Apollonium credo: *καί, ὡς ἔφαμεν, τὸ ὄφελον* [*ὑπείληπται*] *πρὸς ἐνίων κατὰ συνεκδρομὴν γεγονέναι ῥήματος ἐν τῷ ὡς ὄφελες* (Il. XVIII, 86. Od. XXIV, 30), *εἰ μὴ τὸ ὤφειλον ὑποσυγκέκοπται.* Haec saltem intelligi possunt et illius loci contextui conveniunt. — In supe-

riore pagina, 553, 26, pro εἰ δὲ μὴ τὸ τοιοῦτον μὴ παρέπεται scribendum videtur εἴ γε μήν —.

Sequitur disputatio de ἄνεω adverbio, in qua p. 555, 7 Apollonium non μάντεος et ὄφεος, quemadmodum editum est, sed μάντεως, ὄφεως scripsisse ipse loci contextus manifestum facit. Quippe propter atticam ἐπέκτασιν, h. e. propter terminationem ῶς pro ος, etiam ῖ penultimae syllabae in ἒ abiisse ait. — P. 555, 24 dubitari vix potest quin recte Bekkerus scribendum censuerit εἰ δοθείη ἡ γραφὴ σὺν τῷ σ (pro σὺν τῷ ῖ), δοθείη ἂν καὶ ὄνομα εἶναι τὸ ἄνεως. Scilicet in Homeri loco, quem citavit, Od. XXIII, 93, ἡ δ' ἄνεω δὴν ἧστο, fuerunt qui ἄνεως scribi vellent, quae scriptura si admittatur concedi posse ait hoc ἄνεως nomen adiectivum esse; sin scriptura illa apud Homerum nullam auctoritatem habeat, sed constet vocem sine σ scribendam esse (εἰ δὲ μηδεμία ἀπόδειξίς ἐστι τῆς τοῦ σ προσθέσεως), dubitari non posse, quin ἄνεω illo loco pro adverbio habendum sit. Ceterum utrum ἄνεω Apollonius an ἄνεῳ cum ι subscripto probaverit, ex hac quae exstat disputatione non satis liquet: hoc tantum constat, vulgo receptam scripturam cum ι fuisse (vid. p. 554, 27. 28. 577, 12. 618, 25), sed alteram, sine ι, non paucis veriorem visam. Cf. Eustath. ad Il. III, 84 et all. Quae autem apud Apollonium p. 556, 1 leguntur: εἴπερ οὖν καὶ τὸ ἄνεῳ ἐκ κοινοῦ γεγονὸς τοῦ ἄναος ἢ ἄνιος ἐπιθετικῶς παραλαμβανόμενον παράκειται ἐπίρρημά τι, σαφὲς ὅτι οὐκ εἰς ω περατούμενον, εἰς δὲ ως, haec nemo non videt corrupta esse. Et partem quidem corruptelae Skrzeczka correxit scribendo εἴπερ οὖν τῷ ἄνεως ἐκ κοινοῦ γεγονότι ... ἐπιθετικῶς παραλαμβανομένῳ ...; sed etiam apodosis corrigenda erat in hunc modum: σαφὲς ὅτι οὐκ εἰς ως περατούμενον, εἰς δὲ ω. Nam adverbium ἄνεως Apollonius non agnoscit, sed tantum in ω, sive absque ι, ut ἀνωτέρω, ἐσωτέρω, sive cum ι, ut τόνῳ, κύκλῳ, quae ipsi adverbia esse videntur.

P. 556, 15 pro καὶ τὰ τούτων παραγωγά scribendum est καὶ τούτων τὰ παραγωγά: non enim de adverbiis ex adverbiis deflexis loquitur, sed de omni adverbiorum derivatorum genere.

P. 557, 12 pro τοῖς ῥήμασι reponendum esse τοῖς σχήμασι iam Skrzeczka monuit; sed etiam in versu proximo pro καὶ γὰρ τὸ εις scribendum videtur καὶ γὰρ τῷ εἴς τὸ — —, et v. 15, καὶ τὸ ἕς pro καὶ τὸ εἰς ες —. Mox v. 20, si quis contulerit v. 26, lacunam esse intelliget, sic fortasse explendam: τὸ πλεονάζον ε ᾠκείωται

λέξεσιν [οὐ μόνον ταῖς ἀπὸ συμφώνου, ἀλλὰ καὶ] ταῖς ἀπὸ φωνήεντος ἀρχομέναις. In exemplis litterae ῑ pleonastice additae commemoratur etiam ἕεις, ut appareat Apollonium de hac forma non magis quam ceteros grammaticos [5]) dubitasse, quam nuper vir doctus, Leo Meyerus, in Kuhnii Sylloge VIII, 129, prorsus damnandam et Hesiodi versum, in quo ea legitur, Theog. 145, haud dubie spurium aut corruptum esse affirmavit Id mihi nondum liquere fateor, neque originem vocabuli eam, quam Meyerus probare conatur, tam certam esse puto, ut non liceat etiam aliam comminisci, stirpem dico pronominalem eandem, unde ἵ, ἕο et cetera orta sunt, [6]) quae olim cum digamma pronuntiata esse inter omnes constat. Ceterum illud ἕεις praeter Hesiodum non modo is usurpavit, cuius est epigramma in Anthol. Palat. VII, 341 (χῶρος ἕεις), sed etiam Hipponax, siquidem probabiliter Hermannus, Elem. doctr. metr. p. 143, huius versiculum, a Stobaeo Floril. XXIX, 42 servatum, sic scribendum coniecit: χρόνος δὲ φευγέτω σε μηδ' ἕεις ἀργός. Nec scio an apud Empedoclem Schneidewinus (Philol. VI, p. 161.) recte scripserit Σφαῖρος ἕεις.

P. 565 loquitur Apollonius de adverbiis in ᾱ iis, quae propter συνέμπτωσιν cum pluralibus adiectivorum generis neutri etiam eodem atque haec accentu proferantur, ut πυκνά, δεξιά, καλά: πίστις δὲ, inquit, τοῦ τὴν συνέμπτωσιν τοῦ τόνου ἐπικρατεῖν τῶν προκειμένων ἐπιρρημάτων τὸ βαρυνθῆναι τὸ πυκνά ἐνδεῆσαν τοῦ ν̄ (h. e. si fiat πύκα), καθὸ ἐξέκλινε τὴν ὁμοφωνίαν. Haec sic dicta sunt, ac si accentus adverbiorum cum adiectivis congruentiam hoc exemplo comprobari velit, quam nec opus fuisse comprobari, nec posse hoc exemplo probari manifestum est. Apparet igitur verba transponenda esse: τὴν συνέμπτωσιν (h. e. congruentiam adverbiorum cum adiectivis) ἐπικρατεῖν τοῦ τόνου (h. e. accentum regere atque efficere, ut ab aliorum in ᾱ desinentium analogia recedat).

P. 566, 21: ἐν ᾧ διειλήφαμεν καὶ περὶ τοῦ ἠ ῢ τ ε καὶ π ε σ α τ ε. Scribendum καὶ τ ο ῦ ἅ τ ε. nam de his duobus dictum fuit p. 558.

P. 567, 31: τὸ ᾱ σημαῖνον εὐχὴν ἐν τῷ ἄπ α. . . . . Dubitari non potest, quin Callimachi locus citatus fuerit idem, qui etiam

---

5) Vid. Herodian. π. μονήρ. p. 18, 30. ibiq. Lehrs. et Lobeck. Pathol. el. 1 p. 60 sq.

6) Cf. quae diximus in Hoeferi nostri sylloge Zeitschr. f. d. Wissensch. d. Sprache 1 p. 258 sq.

ab Hesychio aliisque citatur, videturque fuisse ἃ πάντα συνάγειρας —. Vid. Callimach. fr. no. 322 ap. Ernest. p. 549.

P. 568, 20: ἀφαιρεθὲν τὸ ἐθέλω τοῦ ε̄ τὸ αὐτὸ σημαίνει, τὸ θέλω. Sic haec interpungenda esse recte Skrzeczka monuit; sed etiam quae continuo sequuntur, καὶ ἔτι προσαφαιρεθὲν ἐν τῷ λῶ, sic corrigenda sunt: καὶ ἔτι προσαφαιρεθὲν τοῦ θ̄ε̄ ἐν τῷ λῶ.

P. 569, 8: εἴτε κατὰ σύνθεσιν εἴτε καὶ — — ειαν τοῦ ἐλλείποντος ᾱ. Loquitur de quantitate vocalis ᾰ, quae longa sit in πᾶν monosyllabo, corripiatur in disyllabis, tam in compositis, ut σύμπαν, πρόπαν, quam in forma integriore ἅπαν, in qua primum illud ᾱ, quod in monosyllabo deficit, κατ' ἐντέλειαν accesserit. Itaque de complemento ambigi nequit. [7])

P. 570, 15: οὕτως καὶ τὸ ἐτᾶν — — — αιον. Lacunam sic explebimus: [ἐν ᾧ ἐκτετάσθαι τὸ ᾱ ἀναγκ]αῖον. Quae sequuntur, παραπεμπομένων ἡμῶν καὶ τὸν ὀξὺν τόνον ἀντὶ τοῦ περισπωμένου παραλαβεῖν, non recte intellecta sunt ab Hermanno, cui ad Soph. Philoct. v. 1373, Apollonius in ὠτᾶν ultimam syllabam acui, non circumflecti voluisse videtur. Immo improbari sibi Apollonius ostendit acutum: haec est enim significatio verbi παραπέμπεσθαι, cui opponitur προσίεσθαι. Cf. de constr. III, 3 p. 197, 22. I, 29 p. 60, 24. II, 18 p. 136, 5. 21 p. 155, 25. Ceterum ὠτᾶν coniunctim Apollonium scripsisse e p. 569, 14 apparere videtur.

P. 570, 22: καὶ τὸ δάν πλεονάσαν τῷ ο̄ οὐκ ἀντέκειτο. Ferri hoc posse concedo: malim tamen τὸ δοάν scriptum. De hac forma cf. Schol. Dionys. p. 949, 20. Io. Alex. τον. παρ. p. 37, 31.

P. 571, 32. Adverbia in σ̄τ̄ῑ omnia credi debent ἀπὸ ῥημάτων παρῆχθαι ἢ καὶ συνυπάρχειν τὰ ῥήματα. Atqui haudquaquam omnia huius formae adverbia a verbis derivari posse p. 572, 15 ostenditur. Itaque scribendum εἰ καὶ συνυπάρχει τὰ ῥήματα, h. e. si verba eiusmodi unde derivari possint, etiam extant. Similiter εἰ καί p. 576, 17 et 20 dicitur.

P. 580, 28: ἔσθ' ὅτε πάθος ἐγγινόμενον ἀμαυροῖ τὰς ἰδιότητας τὸ δεόντως πως σχηματίζεσθαι. Scrib. τοῦ δεόντως π. σ.

P. 583, 7: κατὰ τοῦ γε σεσημειώσεται. Scrib. κατὰ τοῦτό γε.

---

7) Occupatam hanc emendationem video a Lehrsio, in N. Ms. Rhen. II p. 354.

P. 585, 22: Commemoratur Heraclidae sententia de adverbio *αὔτως*, *ὡς κατὰ στέρησίν ἐστι τοῦ ᾱ οὕτως*. Scrib. *ἐκ τοῦ ἀούτως*.

P. 589, 20. Ne secum ipse pugnaret Apollonius, et hoc loco et p. 594, 3 scribendum fuit *οἶκονδέ*, non *οἶκόνδε*. Vid. p. 594, 23, et conf. Lehrs. Quaestt. ep. p. 42.

P. 591, 4: *μᾶλλον ἄν τις παραδέξαιτο τὸ τόδε ἐπὶ τοπικῶν ἐπιρρημάτων*. Scripsisse Apollonium credo *ἐπὶ τόπου, ἐπιρρηματικῶς*.

P. 594, 5: *ἡ διὰ τοῦ δε παραγωγή, οὐκ οὖσα συνδεσμική, ἀποφεύγει τὴν τοῦ συνδέσμου σύνταξιν*. Immo *τὴν τοῦ συνδέσμου τάσιν*, ut et v. 8: *μεθίσταται τῆς τάσεως τοῦ γε συνδέσμου*.

P. 595, 2: *ὃ τέ οὐκ ἐδύνατο παραλαμβάνεσθαι, ἐπεὶ οὐκ αὐτοτέλειαν ἀπαιτῶν ἕτερον λόγον ἀπῄτει*. Pro *ἀπαιτῶν*, verbo inepto et per errorem librarii e sequenti *ἀπῄτει* illato, fortasse *παριστάνων* scribendum est. Nam quod doctissimus Friedlaenderus proposuit (Nicanor. p. 7), *ἀποτελῶν*, de verbis ad perficiendam sententiam necessariis dicitur, velut de constr. III, 7 p. 210, 9; de coniunctione non perficiente sed copulante sententias vereor ut recte dici possit.

P. 601, 19: *φησὶν οὖν ὁ Τρύφων ἰδιαίτερον ὡς τὰ διὰ τοῦ τερος πρωτότυπα διὰ τοῦ ω παράγεται*. Aut transponenda verba *ὡς ἰδιαίτερον*, aut scribendum *ἰδιαιτέρως — παράγεσθαι*. Nam hoc dixit Trypho, singulare esse ut si ex vocabulis in *τερος* exeuntibus adverbia per *θεν* deflecterentur, vocalis ο produceretur. *Ἰδιαίτρον* pro *ἰδιαιτέρως* est etiam p. 605, 15: *ἰδιαίτερον ἐβαρύνθη τὸ οἴκοθεν καὶ ἄλλοθεν*.

P. 602, 14: *καὶ ἐπεί, ὡς πρόκειται, ἐν τῷ πρωτοτύπῳ ἐάν τε μόνον ᾖ, ἐάν τε σὺν ἑτέρῳ φωνήεντι, φυλάσσεται*. Deest huius verbi subiectum neque e superiore contextu subaudiri potest. Scripsit Apollonius: *τὸ ἐν τῷ πρωτοτύπῳ ο*, aut *τὸ ο τὸ ἐν τῷ πρωτ.*

P. 604, 14: Loquitur de *πώμαλα* sensu negandi, quemadmodum etiam *πόθεν* interrogativum verbo postpositum apud Atticos pro negatione usurpetur: *ἔγραψας πόθεν; ὅπερ κατὰ τὴν τοιαύτην σημασίαν τὸ πώμαλα ἐστι παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς κατὰ τὸ πλεῖστον*. Relativum *ὅπερ* quid sibi velit in hoc contextu, nemo dixerit. Igitur

aut delendum, aut, quod verius puto, lacuna agnoscenda est, quam expleveris ex Hesychio, *ὅπερ ἐστὶν οὐδαμῶς*, aut ex Etym. M. p. 698, 49, *ὅπερ ἐστὶν ἀντὶ τοῦ οὔ*, ubi etiam simile exemplum *ἔγραψε πόθεν* apponitur.

P. 606, 22: *ἀλλὰ τρέψαντά ἐστιν ἢ διὰ τοῦ θε ἐκφερόμενα ἢ διὰ τε.* Articulus utique addendus est, *τὰ τρέψαντα*. Non omnia, de quibus sermo est, adverbia *ε* in *α* mutare ait, sed ea tantum, quae per *θε* aut *τε* formentur: excipiuntur ergo quae in *σε* aut *δε* aut *ζε* exeunt. — Ib. v. 27: *ἐστὶ δὲ καὶ ὑποδείγματα τῶν τοῦ τε.* Scrib. *τῶν διὰ τοῦ τε*, ut v. 23. Eadem praepositio excidit p. 608, 15, ubi *νόσφιν* dicitur *κατὰ στέρησιν* [*διὰ*]*τοῦ νο* factum. Ibid. v. 11: *ὡς γὰρ παρὰ τὴν ἰνόφιν φωνὴν τὸ ἶφι συνεκόπη.* Qui contextum loci consideraverit, *ὡς γάρ* alienum esse intelliget. Scribendum aut *ὥσπερ* aut *καὶ γάρ*: nam *ὡς* et *καί* non raro a librariis confusa esse constat. Vid. Bast. p. 781. 816.

P. 609, 7. Locus corruptissimus, quem transcribere piget, in hunc fere modum restituendus videtur: *Τὰ εἰς ω λήγοντα ἐπιρρήματα σημαίνει καὶ τὸ ἐν τόπῳ καὶ τὸ εἰς τόπον* (*τὴν γὰρ διὰ τοῦ θεν παραγωγὴν ἔχει ἀπὸ τόπου*)· *λέγω δὲ ὅτι μάλιστα. Ὅσα δὲ ἀπὸ προθέσεων ἐσχηματίσθη, ἰσοσυλλαβεῖ μὲν ταῖς προθέσεσιν, ἐὰν ὦσι δισύλλαβοι, μιᾷ δὲ πλεονάζει, εἰ εἶεν μονοσύλλαβοι.* Illud *ὅτι μάλιστα* cur addiderit Apollonius, patebit e p. 588 et 624. — Deinde v. 17 pro *τὰ εἰς θε* scrib. *τὰ εἰς θα*, et v. 18 *ποία οὖν ἀλογία*, pro *ἀπολογία*, cum O. Schneidero, N. Mus. Rhen. III p. 447. Cf. p. 619, 12, *πῶς οὖν ἄλογον;* — Mox v. 28: *ὡς προείπομεν τὰ εἰς δον λήγοντα ἐπιρρήματα ἀεὶ ποιότητός ἐστι παραστατικά.* Dixit obiter de adverbiis in *δον*, sed nihil de significatione qualitatis, neque eiusmodi quid ibi excidisse manifestum est. Mutari debet nostri loci interpunctio, ut nova periodus incipiat a verbis *τὰ εἰς δον λήγοντα*, illud *ὡς προείπομεν* autem coniungendum cum *καὶ ἐπιμέμφονται τὸ καὶ εἴσω δόρπον ἐκόσμει.* Nam paullo ante, v. 20, dixerat hoc nonnullis minus rectum visum esse, qui *ἔνδον* potius dici debuisse censerent.

P. 610, 33. Apollonium non *τηλοῖ* sed *τήλοι* scripsisse ipsius disputatio docet.

P. 612, 21. Maiorem hoc loco lacunam esse, sermonemque ab Apollonio factum fuisse de adverbio *τώ* verissime monuit Lehrsius in N. Mus. Rhen. II p. 340. Nam minus recte Schneiderus, ib. III p. 453,

de *καθό* cogitavit. Dronkium autem, si Lehrsianae disputationis memor fuisset, aliter de hoc loco iudicaturum fuisse credo, quam fecit 12 p. 322 sqq.: nam omnia, quae inde a. v. 21 usque ad p. 614, 6 sequuntur, recte cohaerent, si de adv. *τώ* accipiuntur (sic enim, non *τῷ*, Apollonium scripsisse certum est.) Ceterum illud sine dubio recte a Dronkio animadversum est, non modo omnia, quae inde a p. 616, 19 leguntur, ab hoc de adverbiis libello aliena esse et ad libros de constructione pertinere, id quod iam ante Schneiderus luculenter demonstraverat, sed etiam in superiore libri parte verum ordinem non semel perversum esse, idque non ipsi Apollonio sed alii cuipiam imputandum videri, qui locos ex eius libro excerptos non recte composuerit.

P. 615, 13. Sermo est de adverbiorum loci tribus significationibus, quum aut ubi aliquid sit, aut quo tendat, aut unde proficiscatur indicent. Sed quemadmodum nomina in tribus generibus significandis alia aliter se habeant, sintque nonnulla eorum, quae unum modo genus indicent, ut *ἀνήρ*, *γυνή*, alia, quae tria genera, mutata scilicet terminatione, ut *καλός*, *καλή*, *καλόν*, alia, quarum una forma masculinum et femininum, altera neutrum genus, ut *ὁ* et *ἡ ψευδής*, *τὸ ψευδές*, alia denique quarum neutri generis forma nulla sit, sic etiam in horum adverbiorum significatione locali simile quid observandum esse. *Ἔστιν εὑρέσθαι*, inquit, *καὶ τὴν τῶν τοπικῶν ἐπιρρημάτων σχέσιν οὐ μόνον μοναδικὴν οὖσαν, ὥστε μὴ καὶ ἐξ ἀκολουθίας ἐγγίνεσθαι τὰς ὑπολοίπους σχέσεις τῶν τόπων, ὥσπερ ἐπὶ τοῦ πῇ ἐπιρρήματος*. Hactenus omnia sana videntur: comparatur enim *πῇ* cum nominibus *μοναδικοῖς* vel *μονογενέσι*, quippe quum una tantum significatione dici Apollonio videatur, neque per flexiones etiam reliquas duas suscipere posse. Sed quae statim sequuntur, *καὶ ἄλλων ὧν παρεθέμεθα*, sic adiungi nullo modo potuerunt. Apposuerat enim Apollonius tantum *ποῦ* et formas hinc deflexas *πόσε*, *πόθι*, *πόθεν*, quod genus ei non *μοναδικὸν* videri necesse erat, sed comparand m cum nominibus mobilibus, quae trium generum significationem *ἐξ ἀκολουθίας*, mutata scilicet terminatione, recipiant. Deinde quum dixerit *οὐ μόνον μοναδικὴν οὖσαν*, opponendum fuit huic membro per *'λλά* aut similem coniunctionem aliud genus adverbiorum ad varias significationes flexibilium, quorum mentionem quidem mox factam videmus, verum sic, ut non opponi illis *μοναδικοῖς* videantur sed cum iis confundi. Itaque post *ἐπὶ τοῦ πῇ*

ἐπιρρήματος excidisse suspicor huiusmodi quid: [*ἀλλὰ τοῦ ποῦ ἐπιρρήματος*] *καὶ* [*τῶν*] *ἄλλων ὧν παρεθέμεθα ἡ ἐξ ἀκολούθου προφορὰ τὴν τρισσὴν διάστασιν ποιεῖται κτλ.*

P. 619, 30: *παντὶ μέρει λόγου παρακολουθεῖ τὸ διελέγχεσθαι εἰς ἀκαταλληλότητα, ὅταν ἑτέρα τις χρῆσις ᾖ κατ' ἰδίαν μόνον σημασίαν.* Immo, opinor, *μὴ κατ' ἰδίαν* aut *παρ' ἰδίαν μόνον σημασίαν.*

P. 620, 17: *τὰ διὰ τοῦ σ ἐκφερόμενα.* Loci contextus docet *τὰ διὰ τοῦ σε ἐκφερόμενα* scribendum esse. — Ibid. v. 23: *ὧν καὶ τὴν ταυτότητα ἀναδέχονται.* Loquitur Apollonius de adverbiis in *σε*, eodem quo cognata in *θεν* accentu pronuntiatis (v. 18); ideo scribendum puto *τὴν ταυτότητα τῆς τάσεως* aut *τοῦ τόνου.*

P. 621, 9: *δεδείξεται γὰρ καὶ τὴν ἐκ τόπου σχέσιν δηλοῦν τὸ αὐτὸ τοῖς ἀφ' ὧν ἐσχηματίσθη.* Schneiderus, M. Rh. III p. 446, volebat *τό τε αὐτό*: id mihi a mente Apollonii alienum videtur. Loquitur enim de formis in *θεν* iis, quae non significent *τὴν ἐκ τόπου σχέσιν* neque omnino pro adverbiis haberi debeant, de quibus etiam p. 598, 19 sqq. dictum est, diciturque infra, p. 623, 11. Scribendum igitur: *μὴ τὴν ἐκ τόπου σχέσιν δηλοῦν, τὸ δὲ αὐτὸ κτλ.*

P. 622, 17. Formarum doricarum *εἶ, πεῖ, αὐτεῖ* commemoratio ab huius loci tenore aliena est: aptius collocabitur p. 923, 11. Non minus alienum est, quod v. 19 de accentu vocis *ὅπου* dicitur. His remotis reliqua recte cohaerent.

P. 624, 13: *ὅτι μᾶλλον ἀποκοπή ἐστι τοῦ ἐκεινόθι.* Quum in praecedentibus de formis *ἐκεῖθεν* et *ἐκεῖθι* dictum sit, nemo non haec quoque de harum alterutra dici suspicetur. Atqui non hoc velle Apollonium sequentia demonstrant, *οὐ γὰρ τοῦ ἐκεῖθεν, ἐπεὶ κἂν τὴν ἐκ τόπου σχέσιν ἐσήμαινεν*, quae manifestum est ad *ἐκεῖ* pertinere: hoc enim nunquam *τὴν ἐκ τόπου σχέσιν* significat, videbaturque Apollonio ex *ἐκεῖθι*, hoc autem rursus ex *ἐκεινόθι* decurtatum. Cf. p. 573, 21. 601 in. Itaque scripsisse Apollonium credo: *ὅτι μᾶλλον ἀποκοπή ἐστι τὸ ἐκεῖ τοῦ ἐκεινόθι.* Et video nunc hanc emendationem iam a Lehrsio occupatam esse, N. Mus. Rh. II p. 340.

Scrib. Gryphiswaldiae a. d. VII Id. Iul. MDCCCLX.

QUAESTIONUM GRAMMATICARUM CAPUT I. DE PARTICULAE QUE ORIGINE ET SIGNIFICATIONE COPULATIVA.

Particulae encliticae QVE in sermone latino usus quidem longe frequentissimus, significatio autem tam varia et multiplex est, ut non magnopere mirandum sit, si cui forte non una sed plures voces homophonae fuisse videantur, sono tantum pares, natura autem et origine diversae. Et veteres quidem grammatici in eiusmodi compositis, in quibus vis particulae non copulativa, sed alia quaepiam obscurior et ad explicandum difficilior est, velut in ubique, undique, uterque, utique, absque aliisque similibus nihil aliud fere que esse aiunt quam syllabicam epectasin vel additamentum paragogicum[1]), in cuius originem et genuinam significationem subtilius inquirere ne conati quidem esse videntur. Nostra autem aetate, postquam etymologiae stu-

1) Priscian. V, 65 p. 182 Hertz., de uterque et plerique loquens: „nihil aliud est in his nominibus *que* nisi syllabica epectasis, quomodo *ce* in quibusdam pronominibus et adverbiis, ut *hisce*, *hosce*, *illice*.“ Id. XIV, 3 p. 25, de ubique, plerumque, undique, uterque: „possumus additionem magis vel derivationem *que* syllabae, quomodo [in] *ce* quoque solet fieri, factam accipere, quam coniunctionem esse, cum nec significationem suam coniunctionis servat, nec legem inclinationis in omnibus: *undique*, *utique*. Derivativa autem per additionem finalis alicuius syllabae apud Graecos quoque solent inveniri, ut *οὐρανός οὐρανόθεν*, *ἔξω ἔξωθεν*, *Ἀθῆναι Ἀθήνηθεν*· sic igitur *uter uterque*, *unde undique*, *plerum plerumque*, *quis quisque*, *utrum utrumque*. Nihil mirum tamen coniunctionis similem syllabam *que* addi, cum apud Graecos quoque *δέ* in eundem modum in fine additur nec tamen coniunctio accipitur, ut *ὅδε τοῦδε τῷδε*.“ Quod de lege inclinationis ait non in omnibus servata, ad proparoxytona pertinere apparet, de quibus etiam V, 64 p. 181, 20, et in libro de accentibus p. 521 in., ubi itáque (h. e. et ita) aliter atque ítaque (h. e. igitur) pronuntiari monet.

dium plurimarum linguarum comparatione excitatum et adiutum maiores progressus fecit, etiam difficiliores huiusmodi quaestiones non amplius declinare decuit; nec pauca in hoc genere, in quibus veteres caecutiebant, nostrorum glossologorum industria et sollertia iam in clariore luce posita et plane ad liquidum perducta videmus. Non defuerunt igitur, qui etiam huius particulae vim et naturam indagarent variasque eius significationes altius et ab origine repeterent: quorum virorum sollertia quid adhuc effectum sit, quidve nobis aut supplendum in eorum disputationibus aut etiam corrigendum esse videatur expromere hoc loco non alienum esse censemus, eademque opera etiam nonnulla eorum, quae aliquot abhinc annos a nobis breviter significata potius quam explanata sunt, paullo accuratius tractabimus aut, si opus fuerit, retractabimus.

Primum igitur constat nunc fere inter viros doctissimos stirpem particulae non diversam esse ab ea, unde pronomen extitit qui[2]) quod quum vulgo relativam, addita autem in fine littera sibilante etiam indefinitam et interrogativam significationem habeat, dubitari tamen vix potest, quin primitus demonstrativum quoque fuerit, id quod mox argumentis confirmabitur. Commune particulae cum pronomine est elementum gutturale admixto labiali, quod quum ambigi possit, pro vocaline an pro consonante habendum sit, non immerito semivocale dicitur, quumque debiliorem sonum haberet, nonnunquam etiam plane delitescere et supprimi potuit, quemadmodum in recentioribus linguae latinae filiabus, velut in gallica et italica factum videmus: nam Galli, quum scribant qui, que, pronuntiant tamen ki, ke, Itali autem ne scribunt quidem quod non pronuntiant, sed chi et che, eodem quo gallica ista sono. Apud veteres autem suppressum elementum illud labiale testantur non modo exempla quaedam vocabulorum, in quibus modo qu modo autem c scribitur, ut cotidie et quotidie, cocus et coquus, Quotta et Cotta, alico et aliquo, coad et quoad, cum et quum[3]), sed etiam pro particula que nonnunquam

2) Illud fere addendum fuit propter Pottum, virum doctissimum, qui in Quaestt. etymol. ed. alt. tom. II p. 861 que non ab hac stirpe pronominali, sed a verbali quadam repeti mavult, quae sit in lingua sanscrita ći, et colligendi significationem habeat. Indidem graecam coniunctionem καί Hartungus, de partic. I p. 120, repetit, quamquam is de latinae tamen que cum pron. qui cognatione non dubitat, p. 66, itemque graecae τέ, quam Pottus ad eandem istam stirpem verbalem revocavit, rectius pronominalem stirpem esse iudicat p. 64.

3) Vid. quae congesserunt C. L. Schneider gr. lat. I (Elementarlehre) p. 335

ce (h. e. ke) scriptum invenimus, ut cuiuscemodi pro cuiusquemodi[4]), rursusque pro demonstrativa particula ce etiam que, ut huiusque pro huiusce[5]), unde manifestum fit, quam tenue ac paene nullum in pronuntiando discrimen fuerit, quod pro varietate hominum, locorum, temporum aut observaretur aut negligeretur[6]).

Sed gutturale illud elementum, quod est in vocula ce, quae in his quae extant latinae linguae monumentis enclitice tantum pronominibus adhaerescit, ut hi-c h. e. hi-ce, illi-c, isti-c, aliquando etiam in principio eius pronominis fuisse videtur, in quo nunc aspirationem tantum (h) relictam videmus, quae tamen et ipsa gutturalis dicenda est. Non meus hic sermo est, sed viri in hoc genere quaestionum longe peritissimi. Fr. Boppii, qui in gramm. comparat. §. 394, tom. II. p. 211 et 212 ed. sec., eandem de pronomine hic, ex antiquiore cic (v. kik)

---

sq. et C. Baier. ad Cic. fragm. or. p. 68. — Etiam sicis pro siquis et Cintus pro Quintus inscriptiones offerunt. Cf. O. Jahn. specim. epigraph. p. 79.

4) Cf. F. Neue, Formenlehre d. lat. Spr. p. 179.

5) Vid. Mar. Victorin. de orthogr. p. 2462 Putsch. Schneider. l. l. p. 338. Neue p. 148. Cf. Davis. ad Cic. de legg. II, 11, 28 et quae de Fortuna huiusque (h. e. huiusce) diei citantur a Prellero Mythol. Rom. p. 558.

6) Nonnullas linguas cognatas istam elementi labialis cum gutturali coalitionem prorsus respuisse constat, velut graecam, in qua nullum eius exemplum esse etiam Quintilianus observavit, XII, 10, 30, et oscam, quae pronomina et pronominalia apud Latinos per qu pronuntiata per solam labialem *p* pronuntiavit, e. c. pis pro quis, pitpit pro quidquid, pe pro que, pom pro quom. Nam quae in oscis inscriptionibus inveniuntur, KVAISTVR in tabula Bantina, KVIRINIS in insc. Camp. apud Mommsen. de dialect. Ital. inf. p. 188 no. XXXI 6, non osca sed ex latino recepta esse apparet, quemadmodum etiam Graeci latina vocabula usurpantes *κουαίστωρ*, *Κοΐντος* &c similia scribunt. Et *p* quidem pro latino qu, ut Osci, sic Graeci quoque habent in pronominalibus *πού* (quubi v. cubi) *πώς* (quuti, cuti, ut) *πόσοι* (quot), quamquam in dialectis quibusdam haec per solam gutturalem, absque labiali, pronuntiata esse constat, *κού*, *κώς*, *κόσοι*. Factum igitur videmus, ut, qui gutturalis et labialis elementi coniunctionem fugiebant, alterum utrum horum supprimerent et modo gutturale solum, modo autem labiale servarent, ita tamen, ut pro debiliore v fortius illud *p* substituerent. Ceterum Oscos licet ab illa duorum elementorum coniunctione abhorrentes, solum tamen gutturale in pronominibus demonstrativis haudquaquam sprevisse multa exempla demonstrant, velut IOK, IONK, IDIK, EKAK, EKIK et similia, de quibus dudum monui in diss. de pronom. interr. et indef. in Hoeferi Sylloge, Zeitschr. f. d. Wissensch. d. Spr. I p. 254, et plura docent Aufrecht. et Kirchhoff. de mon. lingu. Umbr. p. 71. Mommsen. de dialect. Ital. inf. p. 257. 267. 269. Corssen. de pronunt. vocal. et accent. l. l. II p. 355.

exorto sententiam pronuntiat.[7]) Igitur littera postrema h. e. decurtata enclitica ce detracta quod restat ci v. ki ab altero pronomine qui perpaullum differre apparet. Neque vero significatione primitiva diversa fuisse dicenda sunt relativum qui et demonstrativum hi-c aut vetustius illud ki: nam relatio quoque demonstratio quaedam est; et elementum illud gutturale utrique commune etiam in aliis compluribus nostrae h. e. indogermanicae familiae linguis demonstrativis pronominibus fingendis inservire videmus, ut manifestum sit, in hoc non minus quam in dentali *d* aut *t*, quod alibi in huiusmodi pronominibus comparet, priscis illis hominibus, inter quos linguarum initia orta sunt, naturalem quandam demonstrandi vim inesse visam esse. — Sed quum ex iisdem elementis facta pronomina etiam indefinita et interrogativa esse videamus, operae pretium est haec varia significationis genera paullo accuratius considerare, erroresque pervagatos corrigere. Nam plerique proprias quasdam stirpes interrogativas fuisse opinantur, h. e. quae primitus interrogandi vim habuerint, unde pronomina interrogativa atque hinc demum indefinita prodierint, quales ego stirpes nullas me agnoscere posse sicut dudum professus sum, sic hodieque profiteor.

Aio igitur commune harum omnium significationum principium esse demonstrationem, quae quum variis modis temperaretur ut aut fortior esset ac disertior, aut manca et imperfecta, aut cum cupiditate certioris cognitionis coniuncta, hinc etiam primitivi pronominis demonstrativi formas extitisse varie temperatas. Ac de universa quidem pronominum natura et usu exponi vix opus est. Nemo enim ignorat, quum in omni sermone de aliqua re aliquid dicatur, quumque necesse sit hanc rem alteri, quicum loquimur, aliquo modo significari, si nomen rei aut ignoretur aut quamcumque ob causam reticeatur, pronomen adhiberi, quo efficiatur, ut qua de re loquamur auditori quantum satis sit aut fieri possit significetur. Quodsi res ipsa adest, ut conspici etiam ab auditore possit, utimur fere aliquo gestu, velut digito in rem intento, addita voce quadam, quae advertere auditorem et rem intueri iubeat. Talis vox recte pronomen dici potest, quoniam rem non quidem nomine sed demonstratione tamen notam facit: estque haec demonstratio ea, quam Apollonius non inepte *δεῖξιν τῆς ὄψεως* dicit, cuius rursus duae species distingui possunt, altera, quam ille *τὴν πλησίον*, altera,

---

7) Post Boppium fuerunt qui stirpem pronominis gha potius fuisse censerent propter sanscriticam particulam encliticam gha et graecam *γά*, *γέ*.

quam τὴν πόρρω δεῖξιν appellat, prout res aut propinqua aut longius remota est, ita tamen ut conspici ab auditore possit. Ego utramque ocularem vel primitivam dixi[8]). Alterum genus est quam ille δεῖξιν τοῦ νοῦ, ego mentalem vel secundariam vocavi, quae pertinet ad res non quidem oculis obiectas, sed quas tamen menti atque animo auditoris non ignotas esse aut saltem statim notas fore praesumimus et pronomine quo utimur admonitum quasi mentis oculos in eas dirigere iubemus. In utraque autem demonstratione, quum oculari illa s. primitiva, tum hac mentali s. secundaria, iisdem pronominibus utimur, quae vulgo sola demonstrativa vocari solent, nisi quod in mentali demonstratione, ubi rem aut iam ante commemoratam rursus cogitari et quasi repraesentari, aut ad rem statim designandam attendi volumus, pronomina, quibus id significamus, relativa, gr. ἀναφορικά, appellantur[9]). Fuerunt autem initio quidem sine dubio

---

8) Animadvers. ad vett. gramm. doctr. de articulo p. 20 ed. Lips.

9) Nempe, ut ait Priscianus XVII, 56 p. 141. 20, „accidit pronomini relatio (h. e. significatio relativa) quum praedicta nomina per recordationem pronominantur, id est per pronomen significantur .... et sciendum, quod demonstrativa pronomina non aliquorum praedictorum loco nominum, quomodo relativa, sed eorum quae proferri demonstrative non possunt, accipiuntur, relativa vero praedictorum quidem loco nominum, sed quae iterum accipi non possunt.“ — Porro p. 142, 17: „quotiens vero *ille* vel *hic* non ostendendum ante oculos aliquid referunt, oportet intelligere quod eorum demonstratio ad intellectum refertur: itaque quaedam sunt oculorum demonstrativa, ut *ego* et *tu*, quaedam et oculorum et intellectus: oculorum, ut: *Hic vir, hic est tibi quem promitti saepius audis;* intellectus, ut: *Hic pietatis honos? sic nos in sceptra reponis?*“ Sic igitur XII, 3 p. 578, 23 pronomina ille et ipse modo demonstrativa esse dicuntur, modo relativa, itemque p. 579, 21 pronomen is, quod secundam cognitionem significat, relativum est. Quippe, inquit v. 26, prima cognitio est per demonstrativa pronomina, secunda vero per relativa. — Plane haec conspirant cum Apollonii doctrina, qui item pronomina qualia sunt αὐτός, οὗτος, ἐκεῖνος, ubi secundam notionem indicant, ἀναφορικά dicit, velut de constr. II, 3 p. 99. Hodie autem a grammaticis ea tantum relativa vocari solent, quae etiam articulandi h. e. membrorum orationis connectendi facultatem habent, ut gr. ὅς, lat. qui; quae autem hac facultate carent, ut hic, ille, is, etiam ubi referendae h. e. repetendae prioris notitiae causa usurpantur, non tamen relativa sed tantum demonstrativa dicuntur. Ceterum etiam hoc pronomen qui saepissime non articuli instar membris syntactice connectendis inservire, sed tantum in parataxi poni, plane ut cum pronomine hic permutari

quae huic anaphorae s. relationi inservirent pronomina non alia, quam quae etiam in primaria s. oculari demonstratione adhibebantur. Sed quum formae eorum plures essent, stirpe quidem eadem, sed pronuntiando varie temperatae, invaluit paullatim, ut harum aliae frequentius in primitiva, aliae in secundaria s. relativa demonstratione usurparentur. Sic in sermone latino quum duo essent pronomina ex eodem elemento gutturali nata, alterum qui, in quo gutturalem sonum labialis semivocalis temperabat, alterum hic, ex primitivo ki ortum, in quo propter gutturale elementum etiam in fine additum suavioris pronuntiationis causa illud initiale in aspirationem abierat[10]), harum formarum altera hic, plerumque in primaria tantum, altera, qui, in secundaria s. relativa demonstratione usurpari coepta est[11]). Sed eandem

possit, nemo ignorat. Rectius autem ab Apolloniana doctrina recedimus in eo, quod ὅς et qui relativa etiam ibi vocamus, ubi non priori notitiae repetendae inserviunt, sed adiunctam sibi rei designationem tanquam protasin cum subsequenti membro apodotico connectunt, velut ὅς κε θεοῖς ἐπιπείθηται, μάλα τ' ἔκλυον αὐτοῦ, aut quam quisque norit artem in hac se exerceat. Nam Apollonius ἀναφορᾶς notionem nimis angustam habuit, qua de re dixi in Animadv. ad vett. gr. doctr. de artic. p. 27. 28.

10) Boppii hanc sententiam esse supra memoravi, quam quum verissimam esse iudicem, illud quoque me amplecti apparet, quod idem vir summus p. 212 ce particulam nihil aliud esse ait, quam que elemento labiali destitutum. Dubitat quidem Mommsenius, de dialect. Ital. p. 269, sed iniuria, ut arbitror. Nam quod obiicit, sic Oscos in illis formis pronominis demonstrativi, quas supra, not. 6, posui, non *k* sed *p* pronuntiaturos fuisse, hoc ita removebimus, ut dicamus illud gutturale *k*, in prisco illo sermone, unde et osca et latina lingua ortae sunt, purum et absque labiali elemento in primitiva s. oculari, cum eo autem in secundaria s. relativa demonstratione usurpari solitum fuisse, atque hinc in demonstrativis quidem proprie dictis Oscos quoque pariter quam Latinos gutturalem puram usurpasse, in relativis autem et indefinitis ex *qu* s. *kv* fecisse labialem *p*. Nam quaecumque pronomina aut pronominalia apud Oscos *p* habent, non demonstrativa proprie dicta, sed relativa aut etiam indefinita sunt.

11) Simile quid in graeca lingua factum ex Homericis carminibus cognosci potest, in quibus quum pronomen ὅς modo sit i. q. hic v. ille, modo autem = qui, persaepe tamen, ubi hoc sensu usurpatur, pro aspiratione consonam potius v. semivocalem *j* fuisse metrum arguit. Cf. Savelsberg. in Kuhniana sylloge VIII p. 402. Attamen primitus hanc formam pronominis, quae a consona semivocali inciperet scr. jas, gr. *jos*, nunquam in primitiva, sed semper in secundaria tantum s. relativa demonstratione usurpatam esse, quemadmodum multi volunt, non adducor ut credam. Et in Zendica lingua yas etiam demonstrativum, h. e. ut arbitror, primitivae demonstrationis pronomen esse Boppius docet §. 383: neque aliter se habet jis in lingua litthuanica, de qua, praeter Boppium, cf. etiam Smith. in diss. de locis quibusdam ling. Balt. et Slav. III (Havniae 1859) p. 28.

hanc formam pronominis etiam indefinito atque interrogativo sensu usurpari videmus[12]). Et indefinita quidem significatio est, ubi illud quidem eloquimur, agi aliquid aut actum esse aut actum iri, subiectum autem aut obiectum actionis quid sit aut nescimus ipsi, aut certe notum facere auditori aut nolumus aut non possumus, ideoque in incerto relinquimus. Quod quum tamen huic incerto subiecto aut obiecto designando id pronomen adhibeatur, quod alias demonstrationi inservit, id equidem pro documento esse arbitror, illis qui sic loquebantur demonstrationem quandam ne ab hac quidem indefinita designatione abesse visam esse. Neque id immerito. Etenim hoc saltem demonstramus, obversari nobis et cogitandum esse ab auditore rem aut personam, quae eius, de qua loquimur, actionis subiectum aut obiectum sit; sed manca haec demonstratio et imperfecta est, utpote quae neque, ut primitiva illa, in rem aut personam praesentem auditoris oculos aut animum dirigat, neque ut relativa, prioris notitiae admoneat aut subsequentem attendere iubeat, sed hactenus tantum rem aut personam designet, quatenus actionis subiectum aut obiectum sit. Neque igitur quicquam hac demonstratione efficitur, nisi ut auditor talis rei aut personae notionem concipiat, in quam illa actio cadere possit, quae notio quam late patet, tam late etiam demonstrationem istam patere manifestum est, ut non immerito infinita v. indefinita esse dicatur, pronomenque in tali demonstratione usurpatum non iam demonstrativum sed indefinitum vocetur. Ceterum quo magis indefinita eius significatio agnoscatur, etiam signum quoddam praefigi solet, ali, ex pronomine alius haud dubie petito, cuius haec vis est, ut non unam certam rem aut personam manifestam faciat, sed ex universo genere ac multitudine infinita vel hanc vel illam cogitari iubeat. — Iam de interrogativa eiusdem pronominis significatione videndum est, de qua plerosque non recte iudicare video, quum ex interrogativa indefinitam, non contra, derivandam esse opinentur. Is error quo certius redarguatur, hoc

12) Leviores quasdam in paucis casibus mutationes commemorare vix operae pretium fuerit. Nam quod in nominat. sing. fem. et plur. neutr. saepenumero non quae sed qua dicitur, non sane mirum est indefinitae significationi etiam debiliorem formam accommodari. Nominativum indefinito et interrogativo sensu apud antiquiores vix rarius qui quam quis esse videmus; nec desunt exempla formae quis etiam relativo quodam modo usurpatae. Cf. Animadv. nostr. ad vett. gramm. doctr. de articulo p. 27. Denique quid pro quod discriminis causa dici placuit, prout pronomen aut solum absque nomine ponebatur aut nomini applicabatur, h. e. aut substantivi aut adiectivi instar erat.

ipsum interrogare quid sit, et quid agat qui interrogativo pronomine utitur, consideremus. Igitur interrogamus quum de re ignota certiores fieri cupimus, et interrogativo pronomine utimur, ubi rem aut personam, quae actionis subiectum aut obiectum sit, a nobis ignorari ostendimus simulque cupidos nos esse certae cognitionis significamus. Horum alterum pronomine profitemur indefinito, h. e. ignoratae et incertae rei signo, alterum autem, h. e. animi nostri affectum cupiditatemque certae cognitionis, moderatione vocis et accentu. Nam aliter quis v. qui pronuntiatur, ubi simpliciter indefinitum, aliter ubi interrogativum est. Natura autem ignoratio prior est quam interrogatio, neque quisquam quaerit rem, nisi quam ignorat. Sic igitur etiam indefinitam pronominis significationem priorem quam interrogativam habendam esse censebimus.

His expositis iam ad particulam que revertimur, cuius artissima cum pronomine cognatio quum in confesso sit, hoc tantum ambigi potest, sitne que ex ipso hoc pronomine declinatum, ut prius pronomen fuisse atque huius demum formam quandam casualem in particulam abiisse statuendum sit, an aliter se res habeat. Nam qui in historiam linguarum inquisiverit et quibus paullatim gradibus adoleverint et excultae sint animadverterit, certas illas casuum formationes non statim ab initio fuisse, sed procedente demum tempore natas esse intelliget, quarum quum olim maior numerus esset, mox unam atque alteram earum rursus omissam esse videmus, ut in aliis linguis plures in aliis pauciores casus supersint, sintque etiam quae nullos fere retinuerint, sed quicquid olim formis significabatur aliis quibusdam modis significent [13]). Igitur quum stirpes vocabulorum olim monosyllabas omnes fuisse satis constet, fieri sane potuit, ut harum nonnullae quales initio fuerunt tales etiam postea permanerent omni per compositionem aut declinationem mutatione immunes. Ex hoc genere dubitari vix potest quin in graeca

13) Testimonia rei notissimae afferre supervacaneum est: neque ego, quum in libro de partt. or. p. 15 casuales nominum formas licet percommodas, non tamen utique necessarias dicerem, quemquam fore putavi qui obloqueretur. Et tamen hoc factum vidi a Bäumlino in Philol. XIX p. 399. Scilicet vir optimus non intellexit aliud esse nominum per casus declinationem, aliud illud, quod casibus subest, nempe ut res aut subiecti aut obiecti alicuius locum in oratione obtineant. Nam hoc quidem nunquam non fieri necesse est, illud alterum, ut subiectorum aut obiectorum discriminatio etiam casualibus nominum formis indicetur, non item. Hocine igitur Bäumlinus perspicere non potuit?

lingua sint δέ, τέ, fortassis etiam κέ, κά, in latina de, quum praepositio tum encliticum illud, quod est in inde, unde, quamde, et te, quod est in iste, tute: nec incredibile videri debet etiam ce et que huc pertinere. Quamquam de his aliter statuit Corssenius, quippe qui et ce locativum casum esse velit[14]) et que ablativum pronominis, primitus quidem in *d* exeuntem, quid ut marid, hinc, abiecta littera casuali d, qui ut mari, postremo autem que, vulgo quidem breviter pronuntiatum, nonnunquam tamen apud poetas etiam productum, id quod pro argumento esse possit primitus ablativum fuisse[15]). Nec negari potest etiam significationes particulae plerasque eiusmodi esse, quas probabiliter ad ablativi notionem revocaveris, modo non hoc ablativi nomen solum spectes, — quod quidem non satis apte impositum est, — sed universam huius casus in sermone functionem et quasi provinciam. Igitur si quis hanc rationem sequatur, factum in particula que iam apud veteres simile quid dixerimus, quam quod post in romanensibus linguis factum esse videmus, ut antiqua forma casuali abiecta simplex stirpis forma restitueretur, quemadmodum e. c. Galli que, Itali che dicunt pro eo, quod olim aut quae fuit, aut quod, aut quid, aut quam. Attamen rursus ne illud quidem incredibile videri debet, statim ab initio particulae formam fuisse hanc indifferentem ac propter ipsam hanc indifferentiam variae significationis capacem, quae si quando ad unius aut alterius casus significationem accederet, modo etiam particulam in formam casui similem abiisse, modo autem antiquam suam et indifferentem formam retinuisse. Et sunt sane nostrae particulae significationes nonnullae, quae dubitationem iniiciant haecine sententia an illa Corsseniana magis probanda sit, quam ob rem ego quidem amplius adhuc deliberandum esse censeo.

Quemadmodum autem pronomen qui in demonstratione non illa quidem primitiva s. oculari, sed relativa, itemque in designatione

14) De linguae latinae pronunt. vocal. et acc. I p. 271. Non liquet tamen, utrum praeter locativum etiam alios olim casus eiusdem thematis fuisse censeat, velut cis, ces, cae an hoc tantum, ex stirpe pronominali illud ce, aut pleniore forma cei, ad analogiam locativi casus effectum esse.

15) Ibid. p. 336. Addi poterat ad comprobandam hanc sententiam, quod apud Oscos etiam pid, quae manifesta est ablativi forma, pro eo quod est que, dictum videtur, velut iispid in cippo Abellano I v. 25. Cf. Mommsen. de dialect. Ital. p. 290.

indefinita adhibetur, sic etiam particulae que significationes ad haec duo genera revocari possunt. Nam in primitiva demonstratione que numquam adhibetur, sed ce tantum aut ecce, (de quo infra dicendum erit) quemadmodum in eodem demonstrationis genere non qui pronomen sed hic usurpatur, ex cik (s. kik) factum. Quod autem in pronomine res ipsa ferebat, ut ex indefinito interrogativum fieret, id in particula fieri non potuit. Quippe in pronomine interrogationem notabat vocis tenor acutus; particulam acuto accentu proferri vetabat usitata eius propter debilitatem positio enclitica.

Ex relativa autem significatione primum prodiit copulativa, notissima illa quidem longeque omnium frequentissima, sed longe eadem ab ortu suo digressa eiusque quasi immemor. Nam plerumque simpliciter copulari tantum per que partes orationis videmus, relativae significationis nullo vestigio relicto. Attamen sicut certissimum est ceteras coniunctiones, quae quidem vere syntacticae sint [16]), causales, finales, continuativas, (quas hodie conditionales dicimus), concessivasque ex pronominibus aut adverbiis pronominalibus ortas esse aut locali aut temporali aut causali aut modali aut instrumentali significatione praeditis, sic etiam copulativae simplicem illam et quasi nudam copulandi vim non ab origine propriam atque ingenitam sed ex alia quadam significatione eaque adverbiali derivatam habent. Et in latina quidem lingua, itemque in graeca, — nam de aliis disserere hoc loco nec volo nec possum, — omnis copulatio primitus sine dubio constabat comparatione quadam duorum, quorum ut unum item alterum esse, quo modo unum eodem modo alterum se habere dicebatur. Que autem, sive adverbium sive casum pronominis ablativum esse credimus, significatione relativa idem quod ut aut quo modo valebat, cui quum necesse esset in altero membro demonstrativum respondere, hoc munere fungebatur et, de cuius particulae origine ex eadem stirpe demonstrativa, unde in latina lingua sunt encliticae te in iste et tute, in graeca *τέ* multaeque pronominum formae, in utraque autem etiam verborum tertiae personae terminatio, da-t, *δίδω-τι*, dubitari vix posse arbitror [17]). Sic igitur olim in copulatione semper utraque par-

16) Cf. de partt. orat. p. 173 sqq.

17) Graecam particulam *τέ* sunt qui ad pronomen indefinitum *τίς* quam ad demonstrativum *τό* revocare malint, scilicet quia, ut latina que, de cuius cognatione cum indef. pron. quis dubitari nequit, sic etiam *τέ* semper encliticum est. Atqui significationem certe huius *τέ* demonstrativam potius esse multa exempla

ticula utendum erat, quarum altera alteri responderet, eamque mutuam responsionem, (correlationem hodie dicimus,) quantopere etiam posterior aetas frequentaverit nemo ignorat. Neque tamen mirabimur eam non semper usurpari, sed plerumque aut solum et poni aut solum que, quod ubi fit, obliterata sane genuina significatione comparativa, quae neutram particulam absque altera adhiberi sineret, meram vim

docent, veluti quum in hymn. Hom. in Ven. v. 113 Venus Phrygiam se puellam esse simulans Anchisae dicit: *γλῶσσαν δ' ὑμετέρην τε καὶ ἡμετέρην σάφα οἶδα*, id sic demum non inepte dictum apparet, si significet Venus se Anchisae linguam sic ut (h. e. non minus quam) suam patriam callere, nec dici potuit inverso ordine *γλῶσσαν ἡμετέρην τε καὶ ὑμετέρην*. Sic latine non inepte: et vestram linguam nostramque, inepte autem: vestramque et nostram. Et sane vix unum aut alterum exemplum particularum *τέ — καί* proferri poterit, in quod non illa conversio per sic — ut planissime quadret, h. e. in quo non *τέ* demonstrativam, *καί* relativam significationem habere fatendum sit. Et *καί* quidem etiam etymologice cum que potius quam cum et comparandum esse nemo non intelliget, de *τέ* autem nollem Boppium, qui olim (Einfluss der Pron. auf die Wortbildung p. 6.) recte id cum demonstrativo *τό* composuerat, postea sententiam mutasse. Nimirum non semper ne doctissimorum quidem hominum *αἱ δεύτεραί πως φροντίδες σοφώτεραι*. Ceterum etiam de pronomine *τίς* obiter addere libet, haudquaquam satis certam et indubitabilem videri eorum opinionem, qui id ex primitivo quodam *κίς*, quod interrogativum et indefinitum fuisse putant, per quendam dentalismum, quem phonologi vocant, extitisse autumant, ut ex *κίς* primum tschis, hinc autem eiecto sibilo *τίς* factum sit. Non ignoro equidem quam late dentalismus iste in multis linguis ante vocales *e* et *i* invaluerit, cuius rei, praeter ea, quae vulgo afferri solent exempla non pauca etiam ex germanicis, velut frisica et suethica, citare possim, nec me fugiunt huius generis etiam apud hodiernos Graecos exempla, velut quum pro eo, quod scribitur *ἐκεῖνο*, pronuntiant etschino; denique ut in ceteris populis parvulorum os balbum tenerumque pro gutturali *k*, cuius difficilior pronuntiatio est, faciliorem dentalem *t* effert, sic idem etiam apud Graecos factum esse non modo veri simile sed testatum est (conf. Hemsterhus. ad Lucian. indic. voc. c. XI p. 360 ed. Bip.); attamen in pronomine *τίς* cur ad hunc dentalismum confugiamus nullam satis gravem causam esse video. Certe in veterum Graecorum sermone alterum eius exemplum frustra quaeras, neque unquam pro *κεφαλή*, *κέλλω*, *κίνδυνος*, *κίω* aut tschefale, tschello, tschindynos, tschio, aut tephale, tio etc. pronuntiatum esse accepimus. Quidni igitur sic potius dicamus: fuisse in linguarum primordiis tempus quoddam, quo nullum adhuc plane certum et constans inter demonstrativa et indefinita pronomina discrimen esset, possentque igitur tam quae a dentali quam quae a gutturali elemento inciperent, pariter utrovis modo, prout res ferret, usurpari. Quodsi quis tamen rationem sibi reddi postulet, cur Graeci hoc *τίς*, si ab initio etiam demonstrativum fuerit, postea, quantum quidem e monumentis cognosci potest, nunquam nisi indefinito aut interrogativo sensu usur-

copulativam relictam esse videmus. Nimirum omnium linguarum historia nihil frequentius fieri solitum esse docet, in his praesertim vocabulis syntacticis, quibus non res ipsae, sed rerum aut notionum inter se connexiones indicantur, quam ut usus loquendi, genuinae eorum significationis parum memor, etiam eiusmodi iis functiones attribuat quae verae eorum naturae minus conveniant. Minus etiam illud mi-

pariat, is supra quam par est curiosus esse videbitur. Nam fieri in omni sermone necesse fuit, ut vocabulorum significationes olim latius patentes mox angustioribus quibusdam finibus coercerentur, neque tantum quidque significaret, quantum natura ipsius pateretur, sed propriam quandam sibi provinciam sortiretur. Ita in pronominibus factum est, quae quum initio generalem quandam demonstrandi vim haberent, mox, quoniam varia erant demonstrationis genera et quasi gradus, — qua de re supra exposuimus, — aliis aliud genus demonstrationis proprium attribui coeptum est. — Porro commune omnibus nostrae familiae linguis elementum pronominale, litteram dentalem, nemo non agnoscit etiam in verborum terminatione tertiae personae, obscuratum illud quidem in multis graecae linguae formis, ita tamen, ut etiam quae primo aspectu nullum eius vestigium ostendant, accuratius examinatae ad pristinam formam haud dubie revocari possint, quam constantius in lingua latina servatam videmus. Iam vero satis constat inter peritos, has formas verborum non modo certarum sed etiam indefinitarum personarum significationem habere, h. e. non ibi solum usurpari, ubi quae sit persona aut primitiva s. oculari aut secundaria s. mentali demonstratione appareat, sed aliquis cogitandus sit, quisquis sit, in quem quoque tempore res, quam verbum indicat, cadat. Sic in XII tabb. „si in ius vocat" — „si membrum rupit" — cum nexum faciet — si iniuriam facit alteri, aliaque similia multa; ne dicam de pervagatis inquit, ait, aut de pluralibus dicunt, tradunt, ferunt. Frequentatur autem is usus indefinitus tertiae personae maxime post infinitivos, velut apud Ciceronem de orat. 1, 8, 30: neque vero mihi quicquam praestabilius videtur, quam posse dicendo tenere hominum coetus, mentes allicere, voluntates impellere quo velit, unde autem velit deducere. Tuscul. IV, 26: haec autem opinatio est, indicare se scire quod nesciat. Acad. 1, 4: quod haec esset una sapientia, non arbitrari se scire quod nesciat. Quippe infinitivus quoque, non quidem in nostra lingua vernacula aliisque recentioribus, sed in latina atque graeca praeter actionis etiam subiecti quandam significationem habet indefinitam, qua de re dixi in libro de partt. orat. p. 45 sq., quamquam aliquanto latius patentem. Nam verbi finiti personae tertiae, licet, ut Priscianus ait XII, 2 p. 578, nulla in iis certa finiatur persona et profundae multitudinis sint capaces, recteque ideo ab Apollonio ἀοριστεῖσθαι dicantur, de constr. II, 5 p. 101, 15, hactenus tamen ab infinitivo differunt, quod numerum singularem et pluralem distinguunt quodque primae et secundae personae notionem excludunt, cuius non minus quam tertiae capax infinitivus est. Quemadmodum autem tertiam personam verbi finiti, sic etiam infinitivum nonnunquam sic usurpari videmus, ut nulla nisi infinita quaedam notio

rabimur, quod in correlatione comparativa saepenumero non que-et aut et-que [18]), sed et-et aut que-que ponuntur. Nam quid est relatio nisi repetita aut praemonstrata demonstratio? quamobrem quum demonstrativa vocabula pleraque etiam relativo significatu usurpentur, tum ea quoque, quae relativae tantum demonstrationi inserviunt, primitus etiam absolutae aut primitivae demonstrationi inservire potuisse consentaneum est.

Reliquus particulae que usus omnis in eo constat, ut cum certis quibusdam vocabulis composita aut copulandi vim exerceat, aut relativam significationem, qualem adverbia quam et quum, habeat, aut denique indefinitam eorum quibuscum componitur notionem quodammodo dilatet adiuncta simul quadam vi distributiva aut, ut Priscianus alicubi ait, dividua. De his igitur omnibus quae et qualia sint in proximo libello academico dicetur: nunc autem in hoc programmate indicendis sacris Regis nostri nataliciis scripto si nihil praeter huius-

---

personarum, qualem nos indefinito pronomine man significamus, intelligi possit, velut apud Plinium N. H. VII, 48, 159: In Tmoli montis cacumine, quod vocant Tempsin, CL annis vivere Mucianus auctor est. Similiter apud Graecos e. c. apud Plutarch. Solon. c. 20: *βούλεται (ὁ νόμος) μὴ ἀπαθῶς μηδ' ἀναισθήτως ἔχειν πρὸς τὸ κοινόν.* Tertiae verbi finiti personae sic cum indefinita subiecti notione usurpatae exempla apud Graecos non minus quam apud Latinos frequentia esse neminem ignorare puto. Quis enim non legit apud Homerum Il. XIII, 287: *οὐδέ κεν ἔνθα τέον γε μένος καὶ χεῖρας ὄνοιτο.* aut XXII, 199: *ὡς δ' ἐν ὀνείρῳ οὐ δύναται φεύγοντα διώκειν.* et post infinitivum ap. Platonem Men. p. 79 B.: *τὸ μετὰ μορίου ἀρετῆς πράττειν ὅτι ἂν πράττῃ τοῦτο ἀρετὴν εἶναι.* ib. p. 97 A.: *οὐκ ἔστιν ὀρθῶς ἡγεῖσθαι ἐὰν μὴ φρόνιμος ᾖ.* Quid est igitur, cur ex eodem elemento dentali, unde tertias verborum personas cum significatione indefinita, pronomen quoque indefinitum apud Graecos nasci potuisse negemus, et corruptionem quandam gutturalis elementi per dentalismum comminiscamur?

18) Rariora quidem sunt huius compositionis per et-que exempla, dubitatumque adeo est a viris doctis, unquamne probati scriptores ea usi sint, nec pauci loci qui huc referrentur, emendando aut interpretando remoti sunt. Cf. Hand. Tursell. II p. 527 et Madvig. ad Cic. de Fin. V, 22, 64. Restant tamen alii, qui sic removeri non possint, fateturque etiam Madvigius, p. 731, sermonis naturam hanc coniunctionem non respuisse. Kühnerus, grammaticus non nimis subtilis, ad Cic. Tuscul. 1, 2, 4, in tali compositione anacoluthiam quandam esse autumat: nulla ratione. Ceterum cf. etiam Wunder. Additam. ad Vechn. hellenolex. in Seebod. et Jahn. Arch. phil. 1 p. 400. Neque non huc pertinent exempla, in quibus et-neque componuntur. Cf. Elberling. Observ. crit. ad Jul. Caes. d. b. c. (Havn. 1828) p. 112, Baier. ad Cic. de offic. I, 21, 73 p. 169.

modi minutias vix unum aut alterum lectorem inventuras expromam, de gravioribus autem rebus, quae maxime, hoc praesertim tempore, omnium animos movent, prorsus taceam, deesse mihi civis boni et patriae amantis officio videar. Sum enim in ea sententia, quam olim Atheniensium fuisse Pericles apud Thucydidem II, 40, 2 testatur, ut, qui curam rei publicae nihil ad se pertinere putet, eum ego non *ἀπράγμονα* sed *ἀχρεῖον* dicendum esse iudicem, moveorque etiam Solonis sapientissimi viri lege, quae in dissensione civili eos, qui nullius partis se esse vellent, ut indignos optimo civitatis iure, *ἀτιμίᾳ* affici iubebat; de qua lege Plutarchus, vit. Sol. c. 20, *βούλεται*, inquit, *μὴ ἀπαθῶς μηδ' ἀναισθήτως ἔχειν πρὸς τὸ κοινὸν ἐν ἀσφαλεῖ θέμενον τὰ οἰκεῖα καὶ τῷ μὴ συναλγεῖν μηδὲ συννοσεῖν τῇ πατρίδι καλλωπιζόμενον, ἀλλ' αὐτόθεν τοῖς τὰ βελτίω καὶ δικαιότερα πράττουσι προσθέμενον συγκινδυνεύειν καὶ βοηθεῖν μᾶλλον ἢ περιμένειν ἀκινδύνως τὰ τῶν κρατούντων.* Equidem igitur, quamvis munus meum academicum ab ipsa administratione rei publicae longe remotum esse intelligam, tamen etiam civem me non solum huius academiae sed universae rei publicae esse existimo, nostrae autem rei publicae ea nunc tempora esse video, quae bonos omnes vehementer commovere malisque obviam ire aut resistere iubeant, si minus factis, at certe verbis et admonitionibus. Nam licet non vi et armis dimicetur, dissensione tamen civium et partium contentionibus non mediocriter distrahi rem publicam videmus, quae si longius progressae fuerint, communem omnium salutem in summum discrimen adduci ac postremo pessumdari necesse erit. Immo si vera est populi definitio a Scipione apud Ciceronem, de re publ. 1. c. 25, proposita, ut sit coetus multitudinis iuris consensu et utilitatis communione sociatus, vix adhuc hunc populum esse dixeris, ubi tanta sit de iure dissensio, quantam apud nos ii, qui se solos populi causam tueri ac defendere clamitant, movere summaque cum pertinacia magis magisque augere atque accendere annituntur. Quodsi causam dissensionis quaerimus, multo minus eam in iuris ipsius incertitudine aut ambiguitate quam in factiosorum hominum cupiditate positam esse videmus, qui certo ac legitimo iure non contenti se solos in civitate dominari et ex bene temperata rei publicae forma, in qua et regi et optimatibus et plebi suae cuique partes recte adsignatae sint, populare quoddam imperium efficere student, quo nullum deterius, nullum rei publicae perniciosius esse omnes, quicunque sapere ex historia didicerunt, uno ore

profitentur. Et apud veteres quidem sapientissimi legum latores etiam in iis civitatibus, quae a regibus gubernari desierant, — hoc enim genus imperii apud omnes primum fuisse constat, — rem publicam non multitudinis variae atque mutabilis temeritati aut conciliorum a multitudine creatorum arbitrio permittendam esse iudicarunt, sed graviorem quemdam minusque mutabilem ex optimatibus senatum instituerunt, nec rata esse populi aut popularium conciliorum scita esse voluerunt nisi ea optimatium comprobasset auctoritas. Neque tamen satis hac institutione caveri potuit, ne existerent saepenumero in civitate partium certamina, quum alteri libertatem omnium auctoritate paucorum imminui et coerceri nollent aequarique universorum iura postularent, alteri autem tam iniquae aequabilitatis odio haud sane iniusto plerumque non satis haberent temeritati et cupiditati multitudinis resistere, sed ne tantum quidem concederent, quantum concedi sine publicae salutis detrimento posset. Huiusmodi certaminibus non mirum est eas maxime civitates concussas esse, in quibus nulla maior esset et partium studiis intacta potestas, quae neutris plus aequo favens veram, h. e. pro dignitate cuiusque descriptam iuris aequabilitatem custodiret et suum cuique tribueret. Igitur prudentissimi aut rerum scriptores aut philosophi nullam rei publicae constitutionem meliorem esse iudicarunt, quam in qua regia potestas satis valida esset aut ad praecavenda eiusmodi certamina, aut, si prorsus caveri nequirent, moderanda saltem et ad veri iuris bonique publici normam decidenda. Illis contra, qui unam populi libertatem eam esse volunt, ubi plurimum valeant plurimi, — in quorum numero plerosque eorum esse videmus, qui hodie a progressu nomen sibi assumpserunt, — necesse est huiusmodi potestatem regiam maxime invisam esse, quam proinde, si totam abolere non possint, imminuere saltem et deprimere conantur usque eo, dum regni nihil nisi nomen ac vana species restet, reapse autem forma rei publicae ex regia popularis facta rexque iam non is sit, qui regat, sed qui regatur. Hoc eos, quoniam aperte prae se ferre nondum audent, subdole et dissimulanter agere videmus, viamque sibi munire iuris cuiusdam specie praetexta, quod ius, quamvis ipsi nullum esse vix ignorent, confidenter tamen certissimum et indubitabile esse clamitant, persuadentque etiam multitudini imperitae, quae quum verum a falso ipsa dignoscere nequeat, verbis istorum et vociferationibus, quanto confidentius proferuntur, tanto facilius movetur. Hinc fit, ut si quando a multitudine deligendi sunt qui in consilium de re publica convocen-

tur, eos plerumque deligi videamus, non qui propter prudentiam et probitatem dignissimi sint, sed qui aut a vociferantibus demagogis et progressus praeconibus commendati, aut ipsi maxime ad implendas imperitorum aures verbis ambitiosis et magnum quiddam sonantibus prompti paratique sunt. Nec desunt in his popularis aurae captatoribus et suffragiorum venatoribus, quorum studium etiam lucelli spes proposita accendat. Nam mercenarii fiunt rei publicae consultores, quemadmodum olim apud Athenienses, quo plures inferioris ordinis homines rem publicam in comitiis curarent, trium obolorum mercede alliciebantur, quam rem non immerito viri sapientissimi causam fuisse iudicant gravissimorum, quibus mox res publica afflicta est, malorum. Apud nos quidem quae necessitas fuerit mercedis illius inducendae quaerere nolo; miror autem, qui hanc mercedulam Atticae plebis exemplo tam avide captant, non etiam legem atticam sibi observandam putare, quae vetabat *μὴ διχόθεν μισθοφορεῖν* h. e. ne quis dupliciter mercedem caperet[19]). Nam multos nunc video hanc duplicitatem tamquam iure sibi debitam postulantes: qui quidem, quum certum aliquod munus ab iis, qui rei publicae praesunt, pacto salario sibi mandatum acceperint, ubi contigit, ut etiam ad concilium illud populare, quod de summa re publica consultat, multitudinis suffragio delegentur, non solum huius qualiscunque functionis mercedem diurnam, sed illius quoque muneris, quod tantisper aliis imponi necesse est, salarium tamen ne ex parte quidem vicariis suis, sed integrum sibimet deberi contendunt. Quid? quod iidem non deesse se officio suo putant, si statum rei publicae, quem tuendum conservandumque pro virili parte suo quisque loco acceperunt, hunc simul atque temporariam istam legationem et ordinarii muneris vacationem nacti sunt, non amplius conservare, sed concutere potius omni modo et evertere, eosque ipsos, quorum adiutores esse deberent, impugnare et loco movere conantur. Atque haud scio an sint etiam, quos non tam novarum rerum cupiditas ac spes crescendi, quam pravitas quaedam morum et impunitatis fiducia impellat. Quippe hoc iuvat et melli est, quibus alias sese subiectos viderunt, his nunc quasi in ordinem coactis suaeque censurae obnoxiis impune insultare posse: quod quum faciunt non sibi tantum mirifice placent, sed eximiae cuiusdam fortitudinis animique vere liberalis ac popularis laudem ferunt apud popellum de-

---

19) Demosth. in Timocr. p. 739, 6.

clamationibus eorum et conviciis quasi scenico cuidam ludo avide intentum, et quorum voce gestuque aures et oculi maxime implentur, his palmam aut adeo coronam impertire paratum. Sed alii sunt quasi gregis magistri et archimimi, minoribus istis actoribus suas cuique partes dispensantes, sibi autem maiora praemia petentes summumque in re publica locum affectantes: boni fortasse viri et in suo quisque genere satis sollertes, sed politici tamen pessimi nec rerum usu et vetustate ad regendam salubriter civitatem idonei. Neque enim multitudinis suffragia hanc vim habent, ut aut ex medico aut causidico aut iudice pedaneo aut municipali decurione adeoque praetore aliquo vir politicus subito evadat, qui praeter artem quaestumque suum obiter etiam gravissimas rei publicae causas auctoritate et consilio prudenter moderari possit. Quodsi hoc nobis fatum impendeat, ut summam aliquando potestatem ii habeant, quos quoque tempore multitudinis temeritas et caecus impetus provexerit, quis eventus futurus sit haud difficile est augurari: nempe is, ut navis rei publicae nullo certo et constanti cursu, prout quoque triennio gubernatores plus minus ineptos habeat, huc illuc iactata tandem aut internis malis atque discidiis fracta aut hostilibus scopulis illisa pereat. Sed non hoc eventurum est, non est: adeoque ne fas quidem fuit tam infausti augurii coniecturam proponere, sed bona potius vota concipere certamque votorum spem ac fiduciam profiteri, Regis nostri virtute animoque vere regio fretum. Nam profecto eum Regem habemus, qui regale officium hoc esse intelligat, non ut multitudinis cupiditati sed ut saluti omnium consulat, et qui ad retundendam factiosorum contumaciam neque consilio nec robore ac viribus destituatur. Talem nobis Regem obtigisse quemadmodum nullo non tempore in maximis divinae providentiae beneficiis numeramus, sic eo praesertim die, qui eius olim natalis fuit, laetandum nobis et gratulandum est.

Igitur indicimus REGIS AVGVSTISSIMI patris patriae boni fortis constantis sacra natalicia die crastino hor. XII in auditorio maximo ab universitate nostra pie celebranda, omnesque qui rebus nostris favent, magistratus regios et urbicos, civiles et militares, omnesque omnium ordinum cives atque hospites ut coetui nostro frequentes adesse velint qua decet observantia et reverentia invitamus.

Dabamus Gryphiswaldiae d. XXI. m. Mart. ann. MDCCCLXV.

QUAESTIONUM GRAMMATICARUM CAPUT II. DE PARTICULAE QUE SIGNIFICATIONE IN COMPOSITIS.

Posteaquam primo harum quaestionum capite particulae que originem significationemque genuinam demonstravimus, et quo modo ea ex relativa in copulativam abire potuerit explicavimus, sequitur iam, ut de eius usu in compositione cum aliis vocabulis disputandum sit, quem quidem omnem ad tria genera revocare poterimus, ut que aut mere copulativum sit, aut relativum atque comparativum, aut denique indefinitum.

Frequentissima omnium compositio est cum praepositione ad; nam atque, quod vulgo scribi solet, nihil aliud esse quam adque hodie quidem ne puerulis quidem ignotum est, nec desunt multa huius quoque scripturae vel in codicibus vel in inscriptionibus exempla. Usus autem huius atque v. adque duplex est. Plerumque enim que vim habet mere copulativam, quumque ad, sicut ceterae praepositiones, proprie adverbium sit[1]), ideoque etiam non addito aliquo nomine solum sic usurpari possit, ut, quo referendum sit, reticeatur, utpote in cuiusque orationis contextu facile subintelligendum, valeatque igitur ad idem, quod nostrum dazu, lat. insuper, praeterea, manifestum est atque eodem sensu quo insuperque, praetereaque dictum esse. Sed frequenti usu haec significatio ita debilitata est, ut nihil amplius quam simplex copula et vel que valeret, et forma quoque decurtata, ut fieret ac.

Alter autem usus est in comparatione, ubi que non simplicis copulae munere fungitur, sed propriam suam ac genuinam vim relativam exercet, ad autem iam non adverbium, sed praepositio potius dici debet ad illud que quasi ad casum pertinens. Quodsi cum Corssenio que

1) Adverbia localia praepositiones etiam a Varrone dictas esse memorat Ter. Scaur. de orthogr. p. 2262 P.

ex ablativo pronominis relativi qui ortum esse sumimus, etiam pariter cum altera eiusdem casus forma qui idem quod quomodo valere potuit. Sin locativum dicere malumus, non aliud quam ubi significare dicemus. Denique si longius etiam progredi audemus, et que non solum ex ablativo aut locativo ortum esse, sed etiam pro aliis eiusdem stirpis formationibus casualibus aut casuum similibus quam aut quum usurpari potuisse concedimus, nihil obstat quominus etiam atque idem quod ad quam aut ad quum significare dicamus. Quam autem quo modo accipiendum sit in comparatione nec admodum difficile intellectu est, et explicatum a nobis in libro de partibus orationis p. 229 sq., ubi monuimus etiam plenius nonnunquam dici prae quam, velut apud Gellium XVI, 1, 3: „laxioribus verbis comprehensum prae quam illud graecum". Quod autem prae in hoc exemplo, idem fere ad significat. Nam quemadmodum prae aliquid alteri ex adverso ita positum ostendit, ut ante illud spectetur et ab ipso ad alterum contemplatio progrediatur, sic ad significat aliquid cum altero ita compositum, ut iuxta spectari et cum eo comparari possit. Hoc ipsum comparare significatur graeco verbo *παραβάλλειν*, et quemadmodum praepositio *παρά*, itemque *πρός*, in comparatione adhibetur, sic etiam ad, veluti quod apud Platonem est Hipp. mai. p. 281 D.: *εἶναι τῶν ἀρχαίων τοὺς περὶ τὴν σοφίαν φαύλους πρὸς ὑμᾶς*, recte converteris: veteres sapientiae studiosos nihil esse ad vos, quemadmodum Cicero ait de orat. II, 6, 25: quem cognovimus virum bonum et litteratum, sed nihil ad Persium, aut Plaut. Capt. II, 2, 25: ad sapientiam huius nimis nugator fuit. Itaque quod apud eundem est Merc. V, 2, 56: amicior mihi nullus vivit atque is est, non diversam habet significationem ab eo quod dici potuit prae quam is est aut prae ut is est: (nam quod quam, idem etiam ut in tali contextu valere apparet)[2]) et pro eo quod supra ex Gellio adscripsimus,potuit etiam sic dici: „laxioribus verbis atque illud graecum." — Quod autem atque in comparatione etiam pro ad quum accipi posse dixi, non sic intelligi volo, ac si hanc

2) Abundanter nonnunquam post atque in comparatione adiicitur etiam ut, e. c. in plebiscito ap. Frontin. de aquaeduct. c. 129: „adversus eum siremps lex esto atque uti esset esseque oporteret, si is adversus hanc legem rivum rupisset." Plaut. Casin. V, 1, 7:

nec fallaciam
astútiorem úllus fecit poeta átque
ut haéc est fabré facta a nóbis.

huius usus explicationem commendaturus sim: hoc tantum volui, non ineptam saltem istam rationem esse. Nam potuit profecto etiam quum temporale in comparatione sic adhiberi, ut quum alterum de duobus esset, tum etiam alterum ei vel simile vel dissimile esse diceretur. Et in nostro quidem patrio sermone olim in comparatione adverbia temporalia, non modo than, dan, danne, sed etiam wan, usurpari solita esse monui in libro de partt. orat. p. 227, eiusque usus rationem explicavi; sed de latino sermone nihil eiusmodi memoratum est.

Confidentius que pro quum accipiendum esse arbitror in adverbio donique, quod plerumque in donec decurtatur, ut atque in ac, neque in nec: sed alteram formam Lachmannus recte Lucretio vindicavit II v. 1116, dixeruntque de ea Orellius Inscr. no. 4370 et Handius Tursell. II p. 292. Pleniorem formam donicum (doniquum) esse nemo ignorat, nec facile quisquam Handio (p. 298) credet, hanc ex donec et quum conflatam, sed potius ipsum hoc donec ex donique decurtatum, donique autem nihil aliud quam doniquum esse intelliget. Significatio non obstat, quominus hoc i. q. dum quum valere dicatur: ortumne etiam hinc sit, decernere nunc non audeo[3]);

Neque improbabiliter in Mil. glor. IV, 3, 37 Lachmannus ad Lucret. IV, 638 pro eo, quod libri habent:

numquid videtur demutare aut utique
dixi esse vobis dudum hunc moechum militem

scribendum suasit alio atque uti; quamquam praestare tamen puto quod in Fleckeiseni editione scriptum est atque ut quidem. — Ciceronis aliquot huius generis exempla vid. apud Handium Tursell. I p. 471. Nimirum praeter necessitatem hoc uti (v. ut), cuius vis reapse iam inest in atque, propterea adiectum est, quod genuina huius natura et significatio obscurata fuit: nec absimile est, quod post quasi aut nisi etiam si saepenumero abundanter adiectum videmus: quamquam post nisi quidem non semper additum illud si prorsus otiosum esse fatendum est. Sed hoc nunc accuratius excutere nihil attinet. Nec de et in comparatione usurpato, cuius generis exempla ab Handio tom. II p. 481 peti possunt, longius disputare placet: hoc unum dicam, magnopere errare si quis eadem ratione quo et etiam atque explicandum esse opinetur. — Ceterum, ne quid praetermittam, non solum atque uti sed etiam atque utique dicitur, plane ut nos dicimus: als und wasmassen, velut aliquoties in lege Thoria, cuius rei exempla commemorantur a Lachmanno ad Lucret. IV, 638 p. 250. Illud alterum, atque ut, comparaveris cum nostro als wie, velut si quis dicat: dies ist nicht anders als wie jenes, aut das eine ist nicht besser als wie das andere.

3) Corssenius, de pronunt. tom. II p. 55 et p. 285, do ex dio ortum esse statuit, ablativo casu eius quod est dius, unde etiam dum, pro dium, repetit,

sed hoc saltem dubitari nequit, particulae que in donique potestatem non aliam esse, quam relativi adverbii quum in doniquum.

Eandem particulae potestatem agnoscendam esse credo etiam in absque, quod vocabulum quum apud posterioris aetatis scriptores plane ad instar praepositionis, pro sine, usurpari solitum sit (unde factum, ut grammaticis illud que, in quo copulativam vim nullam esse recte intelligerent, nihil nisi syllabica quaedam adiectio propriae significationis expers esse videretur)[4]; apud antiquos numquam aliter usurpari constat, nisi cum tertia verbi substantivi persona in modo subiunctivo, e. c. absque te sit, absque me foret, absque eo esset[5]), in qua structura illud quidem nemo non intelligit, verbum impersonaliter poni, h. e. sine subiecti designatione, cuius omittendi haec causa fuit, quod nihil nisi ea rerum conditio designari posset, de qua quum maxime ageretur; sed verbum ipsum eiusque modus subiunctivus unde pendeat subtilius quaerendum est. Fuerunt enim qui structuram ellipticam esse crederent, subaudirique vellent coniunctionem conditionalem (s. continuativam) si, quam quidem etiam alias in enuntiationibus hypotheticis omissam esse videmus, velut apud Vergilium Aen. VI, 30, quem locum etiam Priscianus XVIII, 10, 89 pro exemplo huius omissionis citavit:

Tu quoque magnam
partem opere in tanto, sineret dolor, Icare haberes.

Atqui sic, si illud absque te esset elliptice dictum statuatur pro eo,

---

nicum autem compositum esse vult ex negatione ni et adverbio relativo cum (quum), ut do-ni-cum proprie sit = eo die non quum, s. eo tempore non quum. Significari igitur tempus quo aliquid non sit, atque hinc etiam illud, quo esse coeperit, deinde autem, obscurata significatione negativa, illud quoque tempus, quo aliquid sit, oppositum alteri cuipiam postea demum futuro. Haecine ratio an mea probabilior sit, lectorum esto iudicium.

4) Vid. Priscian. XIV, 5, 44 p. 48, 24 Hertz.: „derivatur autem ab eo quod est *abs absque*. nam *que*, quando vim et significationem coniunctionis non habet, syllaba est, non pars orationis, quomodo in ubique, undique, itaque et similibus.“ Cf. ib. c. 6, 49 p. 52, 26: *Absque* quibusdam composita a praepositione *abs* et *que* coniunctione videtur; sed nunquam *que* coniunctio in compositione suam vim amittit, ut *atque*, *neque*, *quoque*: ergo quando amittit significationem, syllabice magis adiecta videtur.

5) Utriusque structurae affatim exemplorum congessit Handius Turs. I p. 67 sqq., nec non corruptorum aliquot apud antiquiores locorum mentionem fecit, ubi absque contra antiqui sermonis proprietatem a librariis invectum est pro sine.

quod plenius dicendum foret si absque te esset, quid tandem sibi vult addita praepositioni particula que? Nonne satis erat: abs te esset? Dubitari enim non potest, quin sola praepositio hoc sensu, ut esset idem fere quod sine, suffecerit [6]). Itaque aut cum veteribus grammaticis additiciam tantum syllabam nullius probabilis significationis esse credemus, aut, si id non placet, — neque cuiquam hodie placiturum credo, — in ipso illo que vim quandam esse censebimus coniunctionis conditionalis, et absque te esset re ipsa idem valere, quod si abs te esset. Hanc ob causam ego illud que in absque, itidem ut in donique, pro quum accipiendum esse statui, neque vereor ne quis obiiciat, quum, si pro adverbio esset, temporalem, si pro coniunctione, causalem aut etiam concessivam, nunquam autem conditionalem significationem habere. Nam est quidem quum proprie temporale; sed quam facile cum temporali etiam conditionalis significatio misceatur vel noster sermo patrius ostendere potest, qui wenn (non diversum illud ab eo quod est wann, licet nunc usus loquendi distinxerit), pro conditionali coniunctione non aliter quam so, sofern, usurpat; et apud Graecos quoque nonnunquam ὅτε conditionali potius quam temporali significatione dici videmus. Non mirabimur ergo, etiam in prisco sermone latino quum sic usurpatum, atque hinc factum esse, ut brevior vocula que eiusdem et stirpis et significationis, cum praepositione abs coniuncta eodem sensu diceretur, quo si abs- aut si sine- dici potuisset. Nam postposita praepositioni coniunctio neminem, spero, offendet. Flagitabat enim postpositionem enclitica eius natura; atque omnino breves quasdam particulas, etiam quae non sunt natura encliticae, Latini aliis vocabulis postponere amant, ut nobiscum, tecum, quapropter, quocirca, quoad etc., ne de si dicam, negationi postposito, in nisi, quod quo modo accuratior usus loquendi a si non distinxerit, nihil ad hanc quaestionem pertinet.

6) Aliquot exempla praepositionis sic usurpatae, ut idem fere valeat, quod sine, vid. ap. Hofmann-Peerlkamp. ad Horat. Od. IV, 4, 14. Quamquam sunt in his etiam, quae minus recte huc trahantur, velut Val. Flacc. Arg. VI, 204, ubi non ab omni armento nutrierat, sed dives ab omni armento vera constructio est, quemadmodum iam Burmannus monuit: item apud Dictyn de b. Troi. II, 42: At Graii infrequentes tum incuriosique ab armis turbari etc. nescio an rectius incuriosi ab armis dici statuantur, qui ab armis nihil periculi esse suspicarentur, quam, cum Hofm., ab armis esse i. q. sine armis s. inermes. — Ceterum *s* littera in abs comparanda est cum eadem in os (pr. obs) sus (pr. subs) adverbiisque localibus cis, uls, trans, de quibus monuit Corssen. II p. 260.

Quemadmodum autem in absque factum est, ut conditionalis particulae significatio paullatim evanesceret neque amplius a scriptoribus agnosceretur, sic in aliis quibusdam compositis etiam copulativam eiusdem particulae significationem, si non semper, at nonnunquam tamen obscuratam videmus. Horum unum est DENIQVE adverbium, cuius prima pars dubitari non potest quin originem habeat ex praepositione de: nam ut pronus ex pro, internus ex inter, supernus e super, eodem modo ex de fieri denus potuit, eiusque forma locativa deni[7]); atque ut de proprie de motu in locum inferiorem dicitur, sic locativum illud deni locum inferiorem vel etiam infimum, ideoque postremum significare potuit, quae significatio etiam in demum adverbio agnoscitur item ex eadem praepositione orto: locativam autem significationem in temporalem abiisse nemo mirabitur. Denique igitur primitus haud dubie nihil aliud significabat quam postremoque h. e. et postremo, nec sane multa sunt exempla, in quibus copulativam encliticae vim non agnoscendam esse dixeris. Non desunt tamen alia, quae hanc etiam delituisse ostendant, velut ubi denique cum disiunctivis coniunctionibus aut et vel componitur: nam copulationem et disiunctionem inter se pugnare manifestum est[8]). Itaque in huiusmodi exemplis, quale est hoc Ciceronis pr. Arch. c. 6, 12: „ab nullius unquam me tempore — aut otium meum abstraxit, aut voluptas avocavit, aut denique somnus retardavit", hoc denique pro et postremo accipi non posse apparet. Neque magis id fieri potest, ubi atque et denique componuntur, velut apud Plautum, Merc. II, 1, 18: „Atque hoc denique respondet." Igitur in talibus aut prorsus evanuisse

7) Cf. Corssen, Krit. Beitr. p. 85.

8) Apud Persium, sat. III, 29, neque in plurimorum codicum lectione: „censoremve tuum vel quod trabeate salutas" repetitam coniunctionem disiunctivam, neque in altera, quam nonnulli libri habent: „censoremque tuum vel quod trabeate salutas" compositam cum copulativa disiunctivam ferri posse verissime Heinrichius iudicavit. Minus probandum puto, quod idem ingeniose sane aut saltem docte coniecit scribendum esse: „censorem fatuum", quo Claudium imperatorem significari vult. Equidem vitium ex lacuna ortum crediderim. Scriptum fuit: „Censoremve tuum quod trabeate salutas", omisso ante trabeate vocabulo eques. Correctores autem, ut versui saltem mederentur, ineptum illud vel ante quod intruserunt; alii, ad tollendam scilicet repetitionem disiunctivae, pro censoremve posuerunt censoremque, nihilo magis ferendum.

vim particulae fatendum erit, aut, si quis hoc nolit, certe non mere ac simpliciter copulativam esse, sed superadditivam quodammodo aut augmentativam, qualis est in nostra coniunctione auch, nec raro etiam in graeca καί, quacum hanc latinam etiam propter stirpis similitudinem comparare licet. Id quo minus improbabile videatur, admonere potest hodieque, quod quid est aliud quam hodie quoque, etiam hodie, καὶ σήμερον[9])?

Etiam in itaque non raro ambigas, quae vis particulae tribuenda sit. Veteres quidem grammatici diversis modis pronuntiari volunt itáque, acuta penultima, ubi et propria adverbii ita significatio et vis particulae copulativa manifesta sit, antepenultima autem acuta, ítaque, ubi pro coniunctione sit collectiva vel rationali, in qua additam particulam nihil nisi syllabicam epectasin esse opinantur[10]). Atqui non modo collectivam hanc vel rationalem significationem ex illa adverbiali natam esse apparet, sed perpauca etiam huius significationis exempla sunt, in quibus non recte atque convenienter copulam additam esse dixeris, quippe cuius vis haec sit, ut, posteaquam aliquid esse dictum est, adiungat statim etiam quid hinc consequatur aut consecutum sit: consequentia autem cum iis, unde consequuntur aut quibus adiuncta sunt, etiam per copulativam particulam coniungi non sane mirum est, fierique proinde in quovis sermone solet. Nec desunt loci, in quibus haud inepte que in itaque i. q. quoque valere dixeris[11]), h. e. non simpliciter copulativum sed superadditivum esse. Tales autem, in quibus nihil significare dicendum sit, vix ullos inveniri arbitror.

---

9) Cum aliis vocabulis que hoc sensu compositum non invenitur, neque probari potest quod a Bothio et Lindemanno apud Plautum Mil. gl. IV, 4, 39 scriptum est: „Nunc tibi vicissimque imperabo. Pl. Dicito.“ Provocat quidem Lindemannus, ut vicissimque pro vicissim quoque dici potuisse probet, ad Gron. ad Liv. 1, 26 et intt. ad V, 27, 1, adeoque ad lexica; sed nec illi, nec lexica id docent, quum de hodieque tantum loquantur. Possit autem fortasse aliquis neque huc trahere, quippe quod nonnumquam sic usurpetur, ut pro non etiam accipi possit. Cf. Kritz. ad Sall. Iug. c. 98, 4; nec alia desunt exempla, in quibus que haud longe ab hac vi, ut sit fere i. q. quoque, abesse dixeris. Cf. Roth. Excurs. ad Tacit. Agric. p. 251. Apud Plautum vero dubitari nequit quin cum Ritschelio et Fleckeiseno scribendum sit: „nunc tibi vicissim quae imperabo discito.“

10) Cf. Priscian. V, 65 p. 182, 20 et 181, 22 sqq. XVI, 11 p. 100, 15. de accent. p. 521 in.

11) Cf. Hand. Tursell. III p. 503 § 3.

In reliquis compositionibus omnibus que non copulativam aut superadditivam, sed indefinitam significationem habet. Componitur autem fere cum pronominibus aut adverbiis pronominalibus, eorumque significationem sic dilatat, ut eam non ad unam aliquam rem indefinitam, sed ad omnes, quae eiusdem generis sint, non tamen coniunctim sed separatim pertinere indicet, prout quoque tempore et in cuiusque orationis contextu fieri conveniens sit. Velut hoc ipsum pronomen quisque, si de hominibus dicitur, non unam aliquam personam incertam, sed indefinitam quandam hominum multitudinem, nec tamen cunctam una comprehensam, sed separatim singulos cogitandos esse designat, unde non inepte a Prisciano II, 6, 31, in iis vocabulis numeratur, quae dividua ab ipso dicuntur, a nobis distributiva dici solent [12]). Nempe inest in que incerti temporis aut conditionis significatio, unde fit, ut quisque sit i. q. quivis in quem vel hoc vel alio quopiam tempore, vel hac vel alia quapiam conditione res ea, de qua agitur, cadat. — Eodem modo etiam cumque (quumque, quomque) dicitur. Nam temporalis adverbii quum significatio indefinita in quodvis quod quandoque inciderit tempus dilatatur. Nec tamen aliter a probatis scriptoribus hoc cumque usurpatum invenimus, quam cum pronominibus aut pronominalibus relativis, qualia sunt qui, quantus, qualis, quot, ubi, unde, ut, quorum sic indefinita simul et dividua s. distributiva significatio fit. Nam quae diversi generis exempla a nonnullis afferri solent, ubi cumque per se solum nulloque pronomine aut adverbio pronominali praecedente temporis aut conditionis indefinitam significationem habere putant, perquam omnia incerta sunt. Horum unum notissimum est illud apud Horatium Od. 1, 32, 15:

o laborum
dulce lenimen mihi cumque salve
rite vocanti,

in quo quum interpretes tam veteres quam recentiores cumque pro quotiescumque aut quovis tempore dictum acceperint, nunc doctissimorum criticorum consensu probatur Lachmanni emendatio „dulce lenimen medicumque [13])“. Alterum exemplum, apud Cicero-

12) Cf. Madvig. ad Cic. de Fin. p. 28: semper cum aliqua distributione singulos separatim significat.

13) Mihi olim in mentem venit scribendum esse „mihi nuncque salve“, ut esset nuncque i. q. nunc quoque, quemadmodum hodieque pro hodie

nem de Legg. III, 3, 9: „equitem cumque qui regat habeto“ in quo ne aptum quidem cumque pro quotiescunque, quandocumque esse apparet, e recentioribus editoribus nemo praeter Goerenzium tueri ausus est, qui quidem, qua est inscitia, equitemcumque coniungi posse autumat ut sit i. q. equitatum quemque, adeoque etiam omniscunque „exculta lingua“ dici narrat. Constat, opinor, inter prudentes scribendum apud Ciceronem „equitatumque qui regat.“ De tertio exemplo, Cod. Theod. XII, 6, 32: „Aurum sive argentum quumque a possessore confertur, arcarius vel susceptor accipiat“ dudum Ritterus monuit, in Cod. Iustin., ubi idem rescriptum extat, legi quandocumque, idque etiam in Theodosiano codice repositum est ab Hugone. Quae porro in lexicis, velut a Freundio, ex Lucretio afferuntur, aut manifesto corrupta aut generis diversi sunt. In uno, V, 312:

Denique non monimenta virum dilapsa videmus?
quaerere proporro sibi quomque senescere credas.

etiamsi quomque cum Wakefieldio pro aliquando, aut cum Forbigero pro quocumque modo dici potuisse sumas, sana sententia dici non potest: ex emendationibus, quas alii alias proposuerunt, equidem nullam probabiliorem censeo quam Lachmanni:

Denique non monimenta virum dilapsa videmus,
quae fore proporro vetitumque senescere credas?

In altero loco, II, 721:

Nam veluti tota natura dissimilis sunt
inter se genitae res quaeque, ita cumque necesse est
dissimili constare figura principiorum.

dudum ab omnibus recepta est emendatio „ita quamque necesse est“. Similique emendatione etiam II, 21:

Ergo corpoream ad naturam pauca videmus
esse opus omnino quae demant cumque dolorem.

Lambinus aliique scripserunt „quae demant quemque dolorem:

---

quoque dicitur. Non inepta certe haec coniectura est, licet illi alteri non praeferenda. Nam quod Madvigius, ad Cic. de fin. p. 688, Latinorum os abhorruisse ait a particulae que cum huiusmodi voculis in gutturalem exeuntibus, sic, hic, nunc, compositione, non utique verum est. Apud Tacitum e. c. tuncque legimus Ann. VI, 1. XIV, 15. hucque XV, 38, similiaque alibi. Et ipsum illud nuncque apud Plautum legimus, Truc. II, 6, 48: Id ita esse éxperta es nuncque éxperiere, mea Phronésium.

quamquam hoc quidem loco nihil obstat, quominus cumque ad praecedens relativum quae pertinere dicatur, qua tmesi nihil apud Lucretium aliosque frequentius est. Restat unus locus II, 113:

Contemplator enim quum solis lumina cumque
inserti fundunt radii per opaca domorum,
multa minuta modis multis per inane videbis
corpora misceri.

in cuius versu primo cumque aliquis pro aliquando dictum accipiat. Sed quum praecedat quum, adverbium temporale relativum, idem fere quod quando significans, quidni credamus Lucretium, quemadmodum quando-cumque et ubi-cumque dicitur sic etiam quumcumque dicere potuisse? Sic Lambinus statuit, nec Lachmannum aliter iudicasse arbitror.[14]) Itaque exempla particulae cumque solius nulloque pronomine aut pronominali relativo praecedente usurpatae omnia remota sunt: ceterum fatendum tamen causam, cur ita usurpari nequiverit, necessariam exputari vix posse, quum praesertim quandoque non raro dicatur, nec sane multum inter quum et quando differat. Nihil igitur nisi usum loquendi vetuisse dicemus, ne quumque etiam sic solum usurparetur. Idem autem usus loquendi induxit etiam, ut cumque relativis additum plerumque in bimembri tantum enuntiatione usurparetur, ubi in altero membro vel positum vel subaudiendum esset aliquid, quo relativum spectaret, ubi vero nulla esset eiusmodi structura bimembris, ibi non cumque sed que diceretur, pronomini non relativo sed indefinito iunctum. Minus tamen constanter hunc usum observari videmus: nam quicumque ac similia raro, apud recentiores praesertim, usurpantur etiam ubi nullam duorum membrorum connexionem efficiunt,[15]) et nonnumquam etiam quisque, ubique ac similia idem quod quicumque, ubicumque valent, h. e. etiam connectendi membrorum vim tamquam relativa exercent.

Indefinitam particulae que significationem in ceteris compositionibus singillatim demonstrare non placet, ne quis me in re indubitata minimeque obscura praeter necessitatem sedulum esse arguat. Sunt

---

14) Cf. etiam Max. Schmidt de pronom. p. 101 et Doederlin. Synon. 1 p. 16, qui quidem ne de Horatiani quidem loci lectione dubitant.

15) Cf. Manut. ad Cic. ep. ad fam. II, 19. Heindorf. ad Horat. Sat. I, 9, 31. Walch. et Kritz. ad Tac. Agric. c. 39. Weissenborn Gr. lat. § 400 not. 1.

autem quibuscum ea componitur omnia, ut dixi, aut pronomina aut pronominalia, praeter unum plerique et neutrum plerumque, quod adverbii instar est. Plerus enim adiectivum esse apparet significans non solum i. q. plenus, sed etiam i. q. multus aut permultus, plurimus, ut in Pacuvii versu apud Festum p. 230 et Priscianum V, 65 p. 182: „Periere Danai: plera pars pessumdata est.“ itemque in hoc: „Pater Achivos in Caphareis saxis pleros perdidit.“ Hinc pleri addita particula que indefinitae cuiusdam multitudinis significationem dispertitivam accipit, ut sit i. q. plurimi quoque tempore, plerumque autem i. q. (ut) plurimum quoque tempore. — De ceteris autem, etiam quae pronominalem originem non ipsa statim facie produnt, quales sunt uter, ut, ubi, unde, satis nunc inter omnes constat primitivas eorum formas fuisse cuter, cut aut cuti, cubi, cunde in quibus eadem stirps pronominalis, quae est in qui, quis, facile agnoscitur. Etiam us, unde fit usque, sicut usquam, uspiam, nusquam, quin olim cus fuerit nemo dubitabit: cus autem factum est e cubs, sicut os ex obs, in ostendo pr. obstendo, oscen pr. obscen: cubs vero proxime accedit ad cubi, et quemadmodum hoc localem, sic illud temporalem significationem indefinitam habuit, quae addita particula que magis dilatatur ac dispertitivam significationem assumit, ut sit usque i. q. quoque tempore aut per quodque tempus, quae significatio quam affinis sit ei, quod est semper aut perpetuo, neminem fugit. Et apud veteres quidem probatosque scriptores usque solum nunquam alio sensu usurpari constat; additur autem praepositio ad, quo indicetur ad quem terminum ista perpetuitas procedat, e. c. pugnatum est usque ad noctem. Sequiores demum etiam sine praepositione usque usurpant eo sensu, quo nos bis zu, Graeci μέχρις dicunt.

Ceterum quum que praeter hanc indefinitam significationem, de qua modo dictum est, etiam alteram habeat notissimam illam copulativam, quae quomodo ex relativa prodierit capite primo harum quaestionum exposuimus, non sane mirum est etiam pronominibus et pronominalibus adiunctam particulam haudquaquam semper vim illam indefinitam exercere, sed persaepe nihil aliud nisi conexionem eius vocabuli, cui adiungitur, cum aliis indicare. Quodsi pronominibus aut pronominalibus pro copula adiungitur, horum quoque significatio non indefinita est, sed aut relativa aut ex relatione derivata, (velut si utique dicitur pro et uti cum significatione finali aut effectiva,) aut de-

nique talis, quam indirecte interrogativam dicimus, velut quum interrogamus aliquem, quid egerit ubique versatus sit, aut ubi versatus sit quidque ibi fecerit, ac similia. Sunt autem loci non pauci, in quibus ambigere aliquis possit de vera vi particulae, utrum indefinita sit indefinito addita, an potius copulativa. Sic apud Sallustium, Catil. c. 21, 1, quod legitur: „postulare plerique uti promeret — — quid ubique opis aut spei haberent," Herzogius quidem ubique indefinito sensu accipit, Kritzius autem i. q. et ubi esse vult. Eadem dissensio est de cap. 27, 1: „alium alio dimisit, quem ubique opportunum sibi fore credebat." item c. 37, 5: „qui ubique probro atque petulantia maxime praestabant — — ii Romam sicut in sentinam confluxerant." Cic. de divin. II, 45, 94: „ut in maximis motibus mutationibusque caeli nihil intersit, qui ventus, qui imber, quae tempestas ubique sit." Non diffiteor equidem his locis aliisque similibus, quorum ingens numerus est, haud incommode ubique pro et ubi accipi posse; sed nullum omnium esse aio, in quo non etiam indefinita illa significatio apta sit, ut significetur ubicunque [16]) h. e. vel hoc vel illo loco, quisquis is sit, ac si quis pro ubique in illis exemplis, quae attuli, quoque loco substituat, velut: quid quoque loco opis aut spei haberent, — quem quoque loco opportunum sibi fore credebat, — qui quoque loco probro atque petulantia praestabant, — quae tempestas quoque loco sit, — vix opinor quemquam fore, qui copulativam quam indefinitum particulae significationem agnoscere malit, pariter atque apud Horatium Ep. I, 18, 68: „quid de quoque viro et cui dicas saepe videto." aut Cic. orat. c. 4, 15: „quibus orationis modis quaeque animorum partes pellerentur." Porro autem sunt aliquot exempla, in quibus vix commode ubique pro et ubi dictum videri possit, velut ap. Sallust. Catil. c. 51, 38: „quod ubique apud socios aut hostis idoneum videbatur, cum summo studio domi exsequebantur." Cogita „et ubi"; subabsurda existet sen-

16) Hoc ubicunque displicebit fortasse Kritzio, qui ad Sallust. Cat. c. 27, 1 ubicumque semper ad aliam enuntiationem referri autumat, h. e. in bimembri oratione, ubi in altero membro aliquid aut dictum aut subaudiendum sit, quo illud ubi referatur. Fallitur autem vir doctus, quum semper fieri vult, quod plerumque tantum fieri solet, quum in hoc vocabulo tum in aliis item cum cumque compositis. Vid. supr. not. 15.

tentia: nam qui domi aliquid imitantur (hoc enim significat h. l. exsequi) non certe ibi, ubi id visum erat, imitantur. Neque magis apud Ciceronem, Verr. V, 67, 172: „omnes hoc loco cives Romani, et qui adsunt et qui ubique sunt, vestram severitatem desiderant", que copulativum haberi posse cuivis, opinor, manifestum est. Nolo scriptorum, si non aequalium, perpaullo tamen Cicerone et Sallustio recentiorum, velut Horatii, exempla proferre, quandoquidem sunt qui recentiores quidem ubique non pro et ubi sed indefinito sensu usurpasse concedunt, Ciceroni autem eiusque aequalibus aut etiam antiquioribus hunc usum ignotum fuisse contendunt[17]). Nimirum hi in errorem inducti sunt fallaci exemplorum specie, in quibus copula, quamvis haudquaquam necessaria, non tamen inepta esset, quum praesertim etiam vernaculi nostri sermonis consuetudo in convertendis illis locis commendare copulam videretur. Quodsi quis tamen aliquod istius sententiae praesidium inde petat, quod apud Ciceronem itemque apud Sallustium non aliter ubique quam post relativum aut interrogativum pronomen usurpatum legitur[18]), excusari potius hac re errorem, quam demonstrari veram rationem posse arbitror. Nam nec in iis ipsis exemplis, ubi praecedit relativum, ubique semper pro et ubi recte accipi posse vidimus, neque ullum eorum esse, in quo sic accipi necesse sit; et quum omnino exempla apud Ciceronem et Sallustium non multa sint, quumque longe maior pars operum utriusque perierit, vereor ne temerarium sit, si quid in his, quae supersunt, non invenitur, id utique alienum ab eorum sermone dicere, in huiusmodi quidem locutionibus, quae nec rectae rationi adversantur et aliorum scriptorum optimae aetatis auctoritate muniuntur. An dicemus hunc adverbii ubique usum Ciceronis aetate inauditum post paucissimos annos ad analogiam similium quorundam compositorum subito invectum esse? Id illis dicere necesse est; mihi quidem certe non fit veri simile, quum praesertim utrubique (utrobique) adverbium pariter atque ubique compositum et in quo hoc ipsum ubi inest, sed nullo modo pro et utrubi accipiendum, a Cicerone eiusque aequalibus usurpatum videam. Nam

17) Est in his Lachmannus ad Lucret. IV, 638 p. 251, qui adeo ineptissime eos agere ait, qui ubique et utique, de quo mox dicendum erit, eodem loco habeant cum antiquissimis, qualia sint usque, undique, plerumque, uterque.

18) Ceterum animadverterunt hoc diu ante Lachmannum alii, velut Dukerus, de latin. vett. Iuriscons. p. 415 (380 ed. Lips.).

de nat. deor. II, 31, 79 legimus: „sequitur ut eadem veritas utrubique sit eademque lex.“ Epist. ad fam. IX, 6: „ut scires ubi hospitium tibi parares, vel potius ut utrubique.“ Asin. Pollio in ep. X, 31: „utrubique magnos inimicos habebam.“ Corn. Nep. XXIII, 10, 3: „sed utrubique Eumenes plus valebat.“ — Sic igitur nulla sana ratione, sed fallaci tantum specie istam de ubique opinionem niti censeo, nec propterea spernendum arbitror, quod apud Ciceronem de nat. deor. II, 18, 47 pro lectione manifesto corrupta: „a medioque tantum absit extremum quantum idem a summo.“ deletis his verbis postremis, quae perversam sententiam efficiunt, scriptum olim fuisse conieci: „a medioque tantundem ubique absit extremum“, ad similitudinem alterius loci, Tuscul. I, 43, 104: „undique ad inferos tantundem viae est.“

Graviorem etiam ac valde mirificum errorem doctissimis quibusdam viris obiecit adverbium utique, quod quum saepe, apud antiquiores praesertim, nihil aliud sit quam et uti, postea, et iam apud Ciceronem non raro, quandam affirmandi vim habeat, unde affirmandi adverbium a veteribus grammaticis dicitur, hanc vim illi explicare et ex illa altera aliquo modo derivare conantes ad ellipsin quandam confugerunt prorsus incredibilem. Et Reisigius quidem in scholis grammaticis, p. 466, in huiusmodi exemplis, ubi quis aliquid faciendum esse inculcans dicit v. c.: „utique scribas“, plenam orationem talem quandam cogitandam esse praecepit: „scribas et fac uti hoc teneas animo.“ Quid autem in aliis multum dissimilibus exemplis subintelligi vellet, dicere omisit. Nam hoc quidem non verendum est, ne etiam in tali enuntiatione, qualis est haec apud Ciceronem de divin. II, 58, 120: „Faba quidem Pythagorei utique abstinuerunt“, item illud suum „et fac uti hoc teneas“ subesse voluerit. Hanc igitur Reisigii doctrinam Lachmannus aut spernens aut ignorans aliam quandam commentus est, iam ipsius verbis proponendam. „Id vocabulum“ inquit[19]) „nisi fallor, quo tempore primum in sermonem vulgarem venit, hoc est Ciceronis aetate, qui eo, quantum scio, praeterquam in epistulis et de divinatione II, 120 non utitur[20]),

19) Ad Lucretium p. 250.

20) Fallitur Lachmannus: extat enim utique apud Ciceronem etiam de re publ. V, 3, 5. fr. or. pr. Corn. 13. In Bruto autem, c. 98, 304 restitutum est certissima Iahnii nostri emendatione.

non sine ioco quodam dicebatur, cum significaret haec mirabiliter contracta, et ita quidem uti oportet. Derivatum est enim ex formulis sollemnibus instrumentorum publicorum, quales sunt quae utique vel quibus utique, atque utique, was oder wem und wasmassen, als und wasmassen. Ita legimus in Heracleensi tabula I, 14: eademque omnia quae uteique in tabulas retulerit, ita in tabulam in album referunda (curato); item I, 72: neve eorum quod (immo quid) saeptum clausumve habeto, quo minus eis loceis porticibusque populus utatur pateantve, nisi quibus uteique legibus plebeive scitis senatusve consultis concessum permissumve est. et in lege Thoria 71. 72: neive — propiore die exigito atque uteique in hac lege scriptum est. — quod pequniae ob eam rem propiore die exactum erit atque uteique in hac lege scriptum est. — quo ea pequnia — aliter exsigatur atque uteique in hac lege scriptum est." — In his igitur ac similibus exemplis hoc quidem manifestum est, particulae que vim esse copulativam, h. e. utique esse i. q. et uti; verum apparet simul non solum quo pertineat haec copulatio, sed etiam quo referatur adverbium uti, nihil aliud in his exemplis quam ὥσπερ, quemadmodum, significans, nempe ad sequentia verba „in hac lege scriptum est" aut „in tabulas retulit" aut „legibus concessum permissumve est." Iam vero Lachmannus ab huiusmodi formulis plenis atque integris usum loquendi profectum non modo illud reticuisse vult, quo adverbium pertineret, neque id eiusmodi, quod ex reliquo contextu orationis facile intelligeretur, (nam suum illud oportet unde sumatur nemo intelligat), sed etiam vim particulae que sic intendisse, ut non simpliciter copulationi inserviret, sed significaret potius i. q. et quidem. Utrumque incredibile, sed maxime illud alterum. Novimus quidem in populari sermone a nostratibus et praecipue, ut arbitror, a Berolinensibus, inter quos Lachmannus versabatur, nonnunquam elliptice dici Und wie! sed longe tamen alio modo. Est enim haec exclamatio, nec usurpatur nisi quum verbum, quo illud wie referatur, praecessit, e. c. postquam dixit aliquis: das ist thöricht, si additur aut ab ipso aut ab altero: und wie! intelligitur: und wie thöricht ist es. Ad hoc exemplum latine dixeris: „hoc ineptum est, et quantopere!" Sed quantum ab hac ellipsi illud Lachmannianum commentum distet nemo non intelligit. Nam e. c. in illo Cice-

ronis loco, quem paullo ante adscripsimus: „Faba quidem Pythagorei utique abstinuerunt", etiamsi quis forte sibi persuaderi patiatur hoc esse: „faba — et quantopere! — abstinuerunt"; illud saltem „et ita quidem ut oportet" nullo modo subaudiri posse apparet. Dicamusne igitur fortasse Lachmanni hanc sententiam fuisse, ut vim vocabuli utique talem esse vellet, qua admoneretur auditor verbum illud, quo adverbium uti pertineret, sic accipiendum esse, ut nihil de eius verbi vera ac iusta significatione detraheretur sed ut plane ut sonaret ita etiam intelligeretur, atque hoc indicari illo „ut oportet?" Minus certe hoc absurdum foret, attamen et alienum, ut arbitror, a Lachmanni mente, nec ipsum per se probabile. Quid autem erat, cur vir non solum doctrina sed etiam, quod pluris aestimo, ingenio summus ad istam mirificam et, quemadmodum ipse profitetur, iocularem ellipsin confugeret, quamvis haudquaquam ignoraret, que in plurimis compositis nullo modo copulativum esse? Quidni, sicut quandoque nonnunquam quidem i. q. et quando esse, non raro autem indefinitam significationem habere videbat, nec aliter se rem habere in quique, quemque uterque, quidni, inquam, etiam in utique non unam semper particulae vim esse statuebat, sed modo copulativam modo autem talem, qualis est in ceteris compositis? Nimirum hoc ei fraudi fuit, quod adverbii sic usurpati exempla apud veteres scriptores ante Ciceronis aetatem desiderabat, nec unquam aliter utique dictum credebat, quam ut esset i. q. et uti. Sit ita sane; sed tamen quid hinc consequatur ad ellipsin istam comprobandam, non perspicio. Nonne satius erat dicere, utique Ciceronis demum aetate sic usurpari coeptum esse, ut que non pro copula valeret, sed aliam quandam vim haberet? Nam id profecto nec Lachmannus nec quisquam credidit, etiam quique, quandoque aliaque sensu indefinito dici coepta esse per quandam ellipsin nescio quam. Ceterum ne illud quidem, quod ante Ciceronis aetatem utique sic usurpatum esse negavit, satis considerate dictum esse arbitror. Ciceroni quidem ipsi hunc usum non alienum visum esse a Scipionis Africani aetate demonstrat locus de re publica V, 3, 5: „fontes quidem earum (legum) utique perspexerit, sed se responsitando et lectitando et scriptitando ne impediat etc." quo loco apparet utique non alio sensu dictum esse atque e. c. apud Quintilianum I, 5, 31: „est autem in omni voce utique acuta, sed nunquam plus una." Nec deest exemplum e Catone illo Censorio apud Festum

p. 305, 12, non incorruptum illud quidem, haud tamen propterea spernendum, quum praesertim facillima et, ut opinor, certissima emendatio suppetat: „Nemo antea fecit super tali re cum hoc magistratu utique rem." Scribendum est: „Nemo antea fecit super tali re; cum hoc magistratu utique nemo." apparetque non aliter hoc utique nemo dictum esse, quam utique non aliquoties apud Quintilianum, velut I, 5, 66. 10, 8, et alibi. Lachmannum autem ut illud utique librarii errori imputaret, nihil aliud profecto impulit, nisi falsa ipsius opinio. Etiam e Caecilio exemplum extat apud Festum p. 339, 32: „sine suam senectutem ducat utique ad senium sorbitio." Id Bentleius ad Ter. Andr. IV, 2, 52 in hunc modum correxit: „sine suam senectutem ducat usque ad senium sorbilo", eamque correctionem Lachmannus plane certam putat. Equidem de sorbilo nunc non obloquar, de usque dubitare licebit: immo quanto facilior mutatio, tanto dissimilior veri esse videtur. Vix enim credi potest librarium, in hoc praesertim contextu, notissimum et aptissimum vocabulum cum altero permutasse. Omnino autem lubricum est coniecturas facere in huiusmodi fragmento, de cuius sententia non liqueat neque ulla certa ratione decerni possit, utrum aptius usque an utique fuerit. Nam e Festi quidem verbis nihil aliud discimus, quam quo sensu senium a Caecilio dictum fuerit, nempe non de aetate, sed de acerbitate senili et vitiosa. Quod autem etiam de mensura vocabuli dubitationem Lachmannus movet, quippe utique media syllaba non correpta, ut in Caecilii versu necesse est, sed producta pronuntiandum fuisse ratus, hanc equidem removeri posse arbitror diserto Prisciani testimonio, qui in utique, ubi vim asseverandi habeat, h. e. non i. q. et uti significet, differentiae causa primam syllabam acui testatur, id quod fieri non potuit nisi media correpta [21]). Aut igitur mentitus esse Priscianus et fumum, ut aiunt, vendidisse dicendus, aut apud Caecilium tribrachys ille ferendus erit.

Ceterum quod utique affirmandi adverbium esse dicitur [22]), licet

---

21) Verba Prisciani haec sunt, V, 64 p. 181, 21: „*que*, quando cum integris componitur dictionibus, quamvis significationem suam amittat, i. e. coniunctionis, tamen enclitici vim servat: *pleráque*, *ubíque*, *utráque*, exceptis differentiae causa *ítaque*, *útique*; in his enim non solum coniunctio, sed etiam praeposita ei adverbia vim propriae significationis convertunt composita."

22) A Prisciano de XII Aen. vers. XII, 214 p. 512, 16.

non omnino falsum, haud tamen ex omni parte verum est. Usurpatur quidem non raro sic, ut pro eo etiam sane, profecto, certe cogitari possit nullo notabili ad sensum discrimine; neque tamen semper hoc commode fieri potest, nec propria et genuina haec affirmandi vis est, sed adventicia quodammodo et ex proprio significatu derivanda. Nimirum uti adverbium est modum, qualitatem habitumque et conditionem rei designans, que autem hanc designationem indefinitam esse ostendit, cum aliqua distributionis adsignificatione, h. e. efficit ut non de uno quodam modo, de una quadam qualitate ac conditione cogitandum esse intelligamus, sed de quavis, quaecunque quoque tempore inciderit, plane ut in quisque non unus aliquis homo, sed quilibet, quisquis quandoque sit, in undique non unus locus, sed quivis, undeunde vel undecunque aliquid exire possit, designatur. Et quemadmodum ad quisque et undique se habent quisquis et undeunde vel quicunque et undecunque, sic etiam ad utique se habent utut vel utcunque. Nempe alterae formae plerumque, licet non semper, in bimembri enuntiatione usurpantur, membrorumque duorum connexionem syntacticam efficiunt, illae alterae autem, in quibus solum que additum est, intra unius membri structuram continentur. Sic igitur quemadmodum in bimembri oratione dicitur „utcunque erit, iuvabit tamen“ aut „utut est, patiar“, sic pari sensu in simplici enuntiatione „utique tamen iuvabit“ aut utique patiar“. Nos hoc sensu dicimus jedenfalls, nonnunquam etiam allerdings h. e. quavis quaecunque sit conditione, vel unbedingt, et quemadmodum haec vocabula saepenumero etiam asseverandi, affirmandi, inculcandi vim assumunt, sic etiam illud utique: neque ullus est locus apud quemquam scriptorem, in quo non unum illorum vocabulorum in convertendo recte adhiberi possit. Velut apud Varronem R. R. II, 4, 21: castrantur verres commodissime anniculi, utique ne minores quam semestres (h. e. jedenfalls nicht jünger —). Ib. III, 7, 6: columbae propter pullos, quos habent, utique redeunt: (sie kommen jedenfalls v. unbedingt zurück). Cic. de divin. II, 58, 119: Faba Pythagorei utique abstinuere: (sie enthielten sich der Bohnen jedenfalls v. unbedingt.) de re publ. V, 3, 5: fontes quidem earum utique perspexerit: (die Quellen muss er jedenfalls kennen). Ep. ad Attic. XIII, 22: Ego, ut constitui, adero; atque utinam tu eadem die: sin — quid enim multa? — utique postridie: (jedenfalls

am nächsten Tage). XIII, 48, 2: Velim M. Varronis et Lolli mittas laudationem: Lolli utique: (die des Lollius jedenfalls). Sallust. Iugurth. c. 3, 1: neque illi, quibus per fraudem is honor fuit, utique tuti erant: (jedenfalls aut unbedingt sicher). Quintil. I, 5, 31: est autem in omni voce utique acuta (in jedem Worte jedenfalls eine betonte Sylbe) sed nunquam plus una (keinenfalls mehr als eine). V, 10, 80: corpus in lumine utique umbram facit (wirft jedenfalls Schatten). I c. 5, 66: nostrae utique linguae non concesserim: (unserer Sprache möchte ich es jedenfalls nicht zugestehen). Nonnunquam autem negatio ad ipsum hoc utique pertinet, ut sit non utique i. q. neutique aut neutiquam, ut c. 5, 66. nec utique ab ultimis et iam obliteratis repetita: (keinenfalls von den ältesten —). c. 12, 14: nec utique ad minutissima geometriae opera descendat: (keinenfalls zu den kleinsten Aufgaben —). — Sed paene mihi ipse ineptus videor exempla cumulans in re apertissima et quam nemo semel admonitus non statim sic se habere agnoscat. Itaque manum de tabula.

Scrib. Gryphiswaldiae a. d. X. Cal. April. MDCCCLXV.

QUAESTIONUM GRAMMATICARUM CAPUT III.
DE PARTICULAE QUE COGNATIS.

Disputationi nuper absolutae de particulae que origine variisque significationibus nunc quasi mantissam adiicere placuit cognatarum quarundam particularum considerationem, quae quin eadem atque illa stirpe gutturali enatae sint dubitari non potest. Ac primum quidem dicemus de vocula qui demonstrativa et asseverativa, ab illa altera, cuius vim ac naturam primitus item demonstrativam fuisse cap. 1. p. 268 ostendimus, non nisi vocali elemento, *i* pro *e*, diversa. Usurpari autem hoc qui demonstrativum et asseverativum plerumque non per se solum videmus, sed compositum cum alia vocula item demonstrativa, quae est dem, ut sit quidem; hanc vero natura et origine non diversam esse ab ea, quae est in idem, aut a dum quemadmodum Osci pronuntiarunt isidum dicentes pro lat. idem et pidum pro quidem [1]), aut a dam, quod est in quidąm, quondam, equidem pro certo affirmari posse puto. Nam dentale illud elementum *d* naturalem quandam demonstrandi vim habere vel infantilis oris observatio docet, quippe quum parvulos ante quam exprimere verba possint, ubi rem non nomine sed gestu tantum designant, hunc gestum suum comitari plerumque videamus vocula da, da! Vocalem autem variari, ut modo *a* sit, modo *e*, modo *u*, non magis mirum est, quam quod in clausula additur etiam consona *m*, obscurioris illa soni, sed ad fulciendam quodammodo vocalium debilitatem perquam accommodata. Fuisse tamen vel potius esse viros quosdam doctos video, qui spreta tam simplici et parum docta observatione altius contendere, et syllabas illas dam dem dum de caelo ac luce caelesti repetere malint [2]). Equidem

---

1) Cf. Corssen. in Kuhnii syll. XIII. p. 95.

2) Vid. Corssen. Ueber Aussprache, Beton. etc. II. p. 148 et 283. Eiusd. Beitr. zur lat. Formenlehre. p. 498.

me ad hanc lucem caecutire sine rubore fateor: contra disputare nunc non placet, quum praesertim non sim nescius, quo supercilio plerique de gente phonologorum nos philologos tanquam profanos quosdam et arcanis ipsorum non initiatos despicere soleant. Ceterum hoc quidem omnes concedent, etiam qui dem illud v. dam aut dum a luce ac die repetunt, aptas has voces ad demonstrationem atque hinc ad asseverationem esse, siquidem ea maxime demonstrari et tanquam certa ac manifesta designari possunt, quae in clara luce posita et conspicua sunt.

De prima autem vocis quidem parte, quae gutturale elementum habet, plura nunc dici non opus est, quum de huius elementi vi demonstrativa iam supra in cap. I. expositum sit; quae vis licet in pronominibus et pronominalibus relativae tantum atque indefinitae demonstrationi, atque hinc porro etiam interrogationi inserviat, tamen primitivae etiam et plenae demonstrationi inservit in ce (ke), quod etiam cum labiali elemento (que) non raro scribi vidimus. Et apud Italos hodieque qui adverbium loci est, quo utuntur in demonstratione rerum in proximo et ob oculos positarum, ubi veteres Latini hīc dicunt, et ecco qui est i. q. ecce hīc, quo sensu Francogalli voici aiunt. Quidem ipsum autem primitus nihil aliud quam demonstrationem cum asseveratione coniunctam in se habere nemo aut ignorat aut ignorare debet: nam concessivam eius significationem hinc demum ortam esse haud difficile est ad intelligendum, nec raro etiam in oppositione quidem dicitur[3]), ubi vel sed vel tamen, quod item ex demonstrativo tam ortum est, usurpari potuit.

Sed qui asseverandi vim satis manifestam habet etiam ubi non cum altero demonstrativo dem compositum, sed per se solum usurpatur, certe apud Plautum, apud quem saepenumero aliis voculis affirmativis, velut hercle, edepol, ecastor adiunctum legitur[4]). Sic in Pseud. I, 5, 58:

núm tibi
mirum íd videtur?:: hércle qui ut tu praédicas
cavéndumst mi abs te iráto.

3) Exempla vel e lexicis peti possunt, nec desunt apud commentatores, velut apud Matthiaeum ad Cic. Or. pr. S. Roscio Am. c. 11, 31 et pro Mur. c. 5, 12. Wunder ad or. pr. Planc. p. 191, quibus adiungo eum, qui nuper de usu Pliniano scripsit, Grasbergerum, p. 118.

4) Summa cum laude commemoranda est Fleckeisenii sollertia, qui primus hunc particulae qui usum demonstravit in Miscell. crit. (progr. gymn. Vitzthum ann. 1864) p. 28. Exempla etiam Brixius attulit ad Plaut. Trin. v. 464; rationem non perspexit.

Merc. II., 3, 77:

hércle qui tu récte dicis ét tibi assentior ego [5]).

Ib. V., 4, 47:

hércle qui tu récte dicis: eádem brevior fábula
érit: eamus.

Most. III., 2, 139:

hércle qui multo improbiores súnt quam a primo crédidi.

Mil. III., 1, 182:

édepol qui te dé isto multi cúpiunt nunc mentírier.

Pers. IV., 4, 15:

édepol qui quum hanc mágis contemplo, mágis placet.

Amphitr., II. 2, 73:

at pol qui certa res
hánc est obiurgáre, quae med hódie advenientém domum
nóluerit salútare.

Ib. v. 144:

quaéso quin tu istánc iubes
pró cerrita círcumferri? :: édepol qui factóst opus.

Asin. V., 2, 80:

écastor qui súbrupturum pállam promisít tibi.

Plerosque criticos, etiam sospitatorem Plauti Ritschelium, hoc qui adeo offendit, ut spreta codicum auctoritate, quin reponerent [6]); et potuisse etiam sic dici fatendum est, quandoquidem de affirmativa vi particulae quin nemo dubitat. Potuit autem plerisque locis etiam quidem dici, non modo propter sensum [7]) sed etiam salvis numeris, quippe quum quidem non modo *μονοσυλλάβως* pronuntiatum sed nonunquam etiam sic decurtatum apud Plautum esse constet, vix ut adhuc pro syllaba haberi possit, qua de re amicus noster A. Fleckeisenius exposuit in censura Plauti Ritscheliani, Annal. philol. LX. p. 260; et est etiam ubi in codicibus pro qui hoc ipsum quidem scrip-

5) Aut cum Ritsch. et tibi equidem assentior.

6) Uno, si recte memini, loco qui a Ritschelio servatum est, Pers. IV., 4, 15; Bothius hic quoque quin scripsit. Et sic etiam Handius, Tursellin. 1. p. 449, in omnibus illis versibus.

7) Cf. Plaut. Mil. III., 1, 65: át quidem illuc aetátis qui sit nón invenies álterum lépidiorem ad omnís res nec qui amíco sit amicús magis. Most. IV., 3, 21: quid sómnias?: : Egone? At quidem tu (scil. somnias), qui ístoc te sperés modo potésse dissimulándo infectum hoc réddere.

tum inveniatur, velut Mil. III., 1, 182 in cod Z. Illud quin affirmativum autem satisne certo constat ex qui interrogativo cum negatione ne prodiisse, quemadmodum vulgo creditur? Equidem, licet non negem fieri potuisse, ut interrogatio etiam in affirmationem abiret, — ut quidni aliquoties in figurata interrogatione usurpatur ab eo, qui rem affirmat, — certe tamen non minus probabiliter qui illud pro demonstrativo haberi posse arbitror, propter ipsam hanc demonstrandi vim etiam asseverationi aptissimam, finalem autem litteram *n* aut fulciendae tantum vocalis causa additam, ut in tamen[8]) et ut *m* in quidem aliisque, aut, quo equidem magis inclino, ex ne affirmativo decurtatam, quemadmodum etiam negativum illud decurtari videmus in sin pro sine, vin pro visne, audin pro audisne ac similibus. Nam vocalem *i*, quae in quidem corripitur, in monosyllaba forma produci nemo mirabitur[9]).

Rectissime autem a Fleckeisenio animadversum est, illud ipsum qui affirmativum agnosci debere etiam in composita coniunctione atqui, cuius vis adversativa addita hac particula asseverativa magis quodammodo intenditur: nam atqui idem fere est quod at sane, at profecto[10]): diciturque nonnunquam etiam disiunctim at qui, interiecta altera vocula affirmativa pol, velut apud Plaut. Asin. IV., 2, 14:

at pol qui dixti rectius,

quibus verbis is, qui loquitur, alterius sententiam ab ea, quam ipse antea habuerat, diversam, sed rectiorem esse profitetur. Rud. IV., 3, 9:

non aúdio. :: at pol qui aúdies. :: quin póst eloquere quíd vis.

Amphitr. II., 2, 82:

Nón tu scis, Bacchaé bacchanti sí velis adversárier,
éx insana insániorem facies, feriat saépius:
si óbsequare, uná resolves plága. :: at pol qui cérta res
hánc est obiurgare.

---

8) De hoc vid. C. L. Schneider. gramm. I. p. 319.

9) Haec ratio si probatur, distinguendum erit quin affirmativum ab altero homophono ex relativo aut etiam interrogativo pronomine cum negatione composito; sed totam hanc quaestionem accuratius pertractare mihi quidem hoc tempore non licet.

10) Quod Handius opinatur, Tursell. I. p. 513, qui in atqui esse = quo, h. e. ablativum pronominis indefiniti, et significare quodam modo, miror cuiquam probari potuisse.

Sic enim hic locus in cod. B. scriptus est, quum alii at pol quin habeant; eademque varietas est etiam in loco Rudentis, ubi numeri illud alterum verius esse ostendunt: nam per se quidem non deterius quin videri posse ex iis, quae modo dixi, apparet. Similiter etiam pro atqui non raro atquin in libris extare videmus, velut apud Plautum Rud. III., 4, 55:

átquin, quia votás, utramque iám mecum abducám semul.

ubi non intelligo quid intersit, utrum atqui, cum Camerario, an at quin disiunctim, cum Handio, Tursellin. 1. p. 523, et Fleckeisenio scribatur: nam quod sensus discrimen Handius esse autumat, mihi quidem nullum esse videtur.

Obscurior est significatio particulae qui in causali enuntiatione post quippe additae, ad hoc exemplum, quod extat in Plaut. Aul. II., 5, 22:

horúm tibi istic níhil eveniet, quíppe qui
ubi quíd subripias níhil est

cuius similia sunt Rud. II., 3, 53:

étiam qui it lavátum
in bálineas quom ibi sédulo sua véstimenta servat,
tamen súbrupiuntur: quippe qui quem illórum observat falsust.

Trucul. I., 1, 49:

Ea nímiast ratio: quíppe qui certó scio
triplo íbi plus scortorum ésse iam quam pónderum.

Terent. Heaut. III., 2, 27:

Eho quaéso-laudas quí eros fallunt?:: ín loco
ego véro laudo.:: récte sane.:: quíppe qui
magnárum saepe id rémedium aegritúdinumst.

Fleckeisenius quidem etiam in his vim particulae mere affirmativam esse censet, neque id mihi incredibile, haudquaquam tamen ita certum esse videtur, ut non alia quoque interpretandi via iniri possit. Sed quoniam res longiorem orationem postulat, nunc quidem in medio eam relinquam, ut ad reliquas particulae que cognatas praevertar: cedo (kedo) ecce (ekke ital. ecco) ec.

Cedo, qua voce utitur qui alterum aliquid expromere et proferre iubet, non mirum est propterea non modo recentioribus plerisque sed ipsis etiam veteribus imperativum visum esse anomalum verbi alicuius inauditi, quo errore factum est, ut etiam pluralis forma effin-

geretur cette, e cedite scilicet decurtata[11]). Apparet autem primam voculae syllabam ce (ke) non diversam esse ab illa stirpe demonstrativa, de qua in primo capite harum quaestionum diximus, quae, labiali semivocali aucta, etiam que scribebatur. Id Handium quoque non fugit, Tursell. II. p. 10., quamquam de altera voculae cedo syllaba minus recte iudicantem. Hanc enim ex graeco imperativo δός repetit, scilicet quo sic etiam cedo pro imperativo, peregrina quidem, ut ipse ait p. 11, forma haberi possit. Vix quisquam hodie hanc rationem praeferendam iudicabit alteri dudum a me — haud scio an ab aliis ante me — propositae, do nihil aliud esse nisi stirpem demonstrativam eandem, quae etiam in de[m], da[m] et in nostrae linguae adverbio da comparet[12]). Nam vocalium *a e o* varietas neminem offendet. Est itaque cedo ex duabus voculis demonstrativis composita, altera gutturali altera dentali, nec inepte comparari potest cum nostro her da s. her damit!

Idem illud ce demonstrativum nemo non agnoscit etiam in ecce, quam voculam equidem non compositam ex duabus ec et ce, aut, cum Handio, Tursell. II. p. 342, en et ce, sed nihil aliud esse existimo, quam ce prothetica vocali e auctum[13]), quemadmodum e. c. apud

11) Veterum grammaticorum de cedo et cette testimonia collecta sunt a Neuio in libro de analogia (Formenlehre) p. 479. Mira quaedam de cedo, non pro imperativo sed pro indicativi persona prima habendo, et de causa correptae primae syllabae, olim me legere memini in Jahn. Annal. philol. et paed. supplem. VI. (ann. 1840) p. 541 quae referre aut refutare piget.

12) Ceterum ex eadem hac stirpe etiam ipsum illud verbum δίδωμι do, mihi ortum videri dudum dixi in Hoeferi sylloge I. p. 251. et de partt. or. p. 56. Indidem δάω, δάσκω, διδάσκω derivari poterunt, eademque, sed cum aspiratione, cognatae, licet certo modo deflexae significationis verbum peperit dadhami τίθημι, agnoscendaque est etiam in terminatione aoristorum passivorum θην. Sed haec accuratius persequi non est huius loci. Cf. Bopp. gloss. i. v. dha et gramm. comp. §. 632.

13) Glossologis nostris, quibus propositum est in graeca et latina lingua nihil non ex India repetere, libenter concedimus, ut etiam hoc *e* protethicum e sanscritico *a* item prothetico ortum autument, quod quidem a Boppio gr. §. 336. sq. pronominum stirpibus adnumeratur, nimirum quia pronominibus potissimum et pronominalibus praefigitur: nam ipsa pronomina ex eo non fiunt. In latino autem sermone illud *e* accedente littera nasali fit en particula, ut quin ex qui, de quo supra dixi. Est quidem en demonstrandi particula, pari cum ecce sensu: sed hoc ecce cur ex ence ortum putetur nulla profecto causa est: immo obstat, quod sic transmutatae nasalis *n* in gutturalem *c* aliud exemplum in latino quidem sermone nullum est, qua de re statim dicetur.

Graecos ἐκεῖνος factum est ex κεῖνος, ἐμοῦ ἐμοί ἐμέ ex μοῦ μοῖ μέ, et in hodiernorum Graecorum sermone etiam ἐσύ, ἐσένα pro συ et σέ, ἐτοῦτο pro τοῦτο dicuntur[14]) apud Umbros et Oscos etanto pro tanto[15]), apud priscos Latinos enos pro nos (in carmine fratrum arvalium), fortasse, etiam enim ex nam[16]) et, quod mihi vix dubium esse videtur, ete, unde, abiecta altera vocali, et evasit, ex te demonstrativo, quemadmodum etiam graecum ἔτι non aliunde nisi ex τι demonstrativo cum ε prothetico ortum esse puto[17]). In ecce autem ut pronuntiando geminaretur gutturalis littera, factum est sine dubio propter vim accentus. — Abiecta vero vocali posteriore ex ece factum est ec, non iam demonstrativa sed indefinita significatione usurpatum, quae significatio quo modo ex demonstrativa prodire potuerit, in capite primo harum quaestionum p. 269. explicatum est. A plerisque tamen de ipso illo ec dubitari video, quod quum nusquam per se solum, sed compositum semper cum aliis inveniatur, ut in ecquis, ecquando, fuerunt qui primam horum compositorum partem primitus non ec sed en fuisse vellent, cuius littera nasalis ante gutturalem gutturalis et ipsa facta sit. Etiam veterum grammaticorum, si non omnium, nonnullorum certe hanc opinionem fuisse non ignoro[18]); atqui contra

14) Vid. Mullach, gramm. gr. vulg. p. 182 et 194.

15) Cf. Mommsen. de dial. Ital. p. 258.

16) Cf. tamen quae dixi de partt. or. p. 197. cum addend. p. 239. Etiam equidem ibi commemoravi, quod quin falso multi ex ego quidem conflatum esse crediderint hodie vix quisquam dubitat. Cf. ibid. p. 188.

17) Ex eadem stirpe quam ob causam etiam τις indefinitum repetendum censeam, spreta eorum ratione, qui dentalem e gutturali evasisse opinantur, satis diserte me exposuisse putabam cap. 1. Sed ecce adversarium nactus sum nescio quem, qui in sched. central. (Litter. Centralblatt) 1865 p. 478 admonendum me putavit numeralis nominis τέσσαρες, in quo manifestum sit eiusdem mutationis exemplum. Sane; et poterat etiam alterum numerale πέντε quinque addere Talia profecto non meminisse quam meminisse difficilius fuerit; sed quid his exemplis contra me probari possit, non intelligo. Neque enim ego negavi istum transitum ex gutturali in dentalem fieri potuisse et aliquoties factum esse; sed hoc tantum negavi ullam satis gravem causam esse, cur eum etiam in pronomine illo factum esse statuamus, siquidem alterum eius exemplum in pronominum quidem parte nullum est, nec licere puto, quod in aliis vocabulorum generibus subinde factum sit, etiam ad illa, quae plane sui generis sunt, sine idonea causa transferre. Ceterum de τις conferri velim etiam ea, quae olim a me disputata sunt in Hoeferi sylloge, Zeitschr. f. d. Wiss. d. Sprache, I. p. 241, quibus Toblerus, vir sani iudicii, se assentiri profitetur in sylloge Kuhniana VII. p. 375. Add. etiam quae dixi de partt. orat. p. 103.

18) Vid. Priscian. I. 40. p. 556. Putsch. 31 Hertz. et Cassiodor. p. 2319.

monuit iam dudum C. L. Schneiderus, gramm. lat. I. 2. p. 507, nullum aliud exemplum esse litterae *n* in compositione sic in gutturalem abeuntis: nam quod unum apud Gruterum extat, Inscr. p. 654 no. 6, nucquam pro nunquam, nullius auctoritatis esse satis apparet; est enim haud dubie lapicidae errore pro nuncquam exaratum, cuius scripturae exemplum idem Schneiderus commemorat p. 243. Quod autem nonnulli ad tuendam scilicet istam opinionem etiam ad Festi testimonium provocant[19]), ex quo Paulus p. 76 Müll. haec duo verba excerpsit: enumquam ecquando: huius testimonii quaenam vis esse possit equidem non intelligo. Nihil enim aliud hinc discimus, nisi Festum en unquam sic usurpari dixisse, ut idem quod ecquando significaret, aut significare videretur; de ipso illo ec autem quid statuerit haudquaquam liquet. Dicitur autem sane en unquam non multum absimili sensu, quam illud alterum: differt tamen eo, quod aliquanto vividiorem loquentis affectum significat in re, de qua ille se certiorem fieri valde cupiat, utpote aut mira aut optanda aut indignanda, tali denique, in qua sit aliquid gravioris momenti[20]); ecquando autem sedatioris animi est, nihilque nisi interrogantis incertitudinem et ignorationem indicat, pariter atque num quando. Est enim en proprie demonstrativa particula, cuius haec vis est, ut auditorem excitet quodammodo et ad rem, de qua agitur, attendere et advertere animum vehementer iubeat, quo fit ut plerumque in directa tantum interrogatione usurpetur, rarius in ea, quae indirecte et relativo, ut aiunt, stilo commemoratur ut ab aliquo prolata, cuius vehementiorem animi motum is, qui refert, addita hac particula designat[21]). Pronomini quis autem aut adverbio quando nunquam me ec praepositum legere memini, nisi ubi horum non interrogativa sed indefinita significatio est, ut cum aliquis aut aliquando permutari possint. En, quid agis? dicit qui, quid sit illud quod alter agat, scire cupit; ecquid agis autem

---

19) Cf. Annal. philol. vol. LXXXV. p. 435.

20) Exemplis vix opus est, quae qui requirat, apud Handium, Turs. II. p. 371, affatim inveniet. De ecquando vid. eundem p. 354 sq.

21) Cf. Liv. XXIV., 14, 3: senserat murmur esse quaerentium, en unquam liberi militaturi essent. — Omisso verbo, unde interrogatio pendeat, ap. eund. IX., 10, 5: arma cuncti spectant et bellum: en unquam futurum, ut congredi armatis cum Samnite liceret? XXX., 21, 8: quoties in conciliis voces manus ad caelum porrigentium auditae: en unquam ille dies futurus sit, quo vacuam hostibus Italiam bona pace florentem visuri essent?

aut numquid agis, qui agatne aliquid alter an non quaerit[22]). Similiter en, quando hoc futurum est? is quaerit, qui quonam illud tempore futurum sit interrogat; ecquando autem aut numquando, qui sitne aliquando an nunquam futurum ambigit.

Ceterum hoc ec, indefinitum indefinitis iunctum, comparari haud absurde potest cum nostri sermonis vocula et, quae item indefinito pronomini praefigitur, etwas, velut quum dicimus hast du etwas gehört? ecquid audivisti? pro hast du was gehört? audistine quid (vel aliquid)? Et originem hoc et habere constat ex pleniore vocula icht, qua hodieque Pomerani aliique inferioris Germaniae populi utuntur, ichtwat, aut etiam ichtens wat ac similia dicentes, neque reiectaneam esse puto Buttmanni sententiam[23]), qui cum negativa nostra particula nicht, ex ne et icht composita, comparavit latinum nec, quale est e. c. apud Ciceronem de legg. III. 3, 6: provocatio nec esto (sic enim Halmius e codd. reposuit pro ne esto), item III. 4, 10: Senatori, qui nec aderit, aut causa aut culpa esto, ubi apparet nec nihil aliud sibi velle quam non, pariter atque in XII Tabulis: ast ei custos nec escit et: si adorat furto quod nec manifestum erit, aut apud Plautum in Fasmate (Mostell. I. 3, 83): nec recte si illi dixeris, et apud Turpilium in Demetrio: nec recte dici mihi quod iam dudum audio, quos locos Festus p. 163 contulit ad comprobandam Sinnii Capitonis sententiam de antiquo huius formae usu, quam ab altera, ex neque decurtata, diversam esse manifestum est. Nolo plura commemorare, velut JCtorum

22) Sunt aliquot loci, in quibus error imperitioribus obiici possit, velut hic apud Plautum, Poen. III, 3, 7. sed quid huc tantum hominum incedunt? ecquidnam afferunt? quem Köpkius perperam convertit: allein was kommen dort so viele? was bringen sie? quum debuerit esse: bringen sie was? Induxit hunc fortasse nam adiunctum, ut nihil interesse inter ecquidnam et quidnam putaret: debebat autem meminisse illud nam similiter etiam post num cum pron. indef. adiungi, atque etiam coniunctim nonnunquam numnam dici, de quo vid. Hand. IV. p. 323. Quid vero dicemus de grammaticae latinae scriptore Ramshornio, qui §. 160., 1. not. 3. sic praecipit: ecquis und ecqui, ecquid und ecquod fragt nicht geradezu, sondern zweifelnd: Wer wohl? Was wohl? Quamquam is tamen ipse sibi contradicens in convertendis locis, quos pro exemplis praecepti sui apponit, non interrogativa sed indefinita pronomina, ut par erat, usurpat, velut ecquae civitas est? ist wohl eine Stadt? (non welche Stadt ist wohl?) et rex denique ecqis est? ist wohl ein König? (non welcher König ist wohl?).

23) In excurs. XI. ad Demosth. or. in Midiam. p. 141 ed. 5.

res nec mancipi, aut Plautinum illud in Bacch. I., 2, 11. tu dis nec recte dicis, non aequom facis, aut composita qualia sunt necopinus, negotium, neglego, aut ipsum verbum nego, (de cuius altera forma negumo alibi dixi): haec enim neque ignota cuiquam sunt, nec dubitari potest, quin in omnibus nec illud agnoscendum sit, ab neque diversum et nostro nicht aequiparandum[24]). Intellexit hoc etiam Handius tom. IV. p. 92, neque tamen hoc nec ex ne-ec sed ex ne et demonstrativo illo ce, quod est in hic, illic, sic, coaluisse vult: nimirum propterea, quod illud ec ne in ecquis quidem aut ecquando agnoscit, sed haec orta putat ex quis et quando cum praefixa littera *e* et duplicata littera gutturali, tom. II. p. 351, in quo illud utique probandum est, quod dissentire se ostendit ab eorum ratione, qui illa ex en quis, en quando orta crediderunt, quod cur repudiandum sit ex iis, quae supra dixi, apparet[25]): ipsum vero ec cur repudietur nullam satis gravem causam esse arbitror.

Sed quoniam nostrae quoque voculae icht mentio iniecta est: magnopere de hac me certiora aut saltem probabiliora doceri cupiam, quam quae adhuc a germanicae philologiae cultoribus prolata legi. Illud quidem inter omnes fere convenit, pro ne-icht, unde nicht extitit, olim ni-wiht, goth. ni vaihts, dici solitum esse: wiht autem et vaiht significare aiunt rem, (Wesen, Geschöpf, Sache), atque hinc in pronominis indefiniti significationem abiisse, ut esset i. q. aliquid. Quodsi de origine vocabuli quaerimus, hanc, cum Grimmio, repetendam autumant a verbo waian, quod est = spirare: unde wiht, vaiht, spiritus, quemadmodum hodieque apud septemtrionales aliud inde factum vocabulum vætr genium v. daemonem designet. Haec ejusmodi esse apparet, ut non certe damnandus sit si quis aliam originationem circumspiciat[26]). Quid igitur, si indefiniti pronominis etiam

---

24) Quod eodem sensu nonnunquam etiam neque in codicibus scriptum invenitur, errori aut loquendi aut scribendi imputandum puto cum Müllero ad Festum. p. 387. Klotzii autem sententiam de nec, ad Terent. Andr. v. 180, nihil moror.

25) Klotzius, ad Ter. Andr. prol. v 25, etiam etquid, quod nonnunquam a librariis pro ecquid scriptum est, non spernendum putat: esse enim discrimen mere orthographicum, comparandum cum quidquid et quicquid. En hominem acutum!

26) Quaerat aliquis etiam quo iure in iht, icht abiectam credere iubeamur litteram initialem v, w, quae stirpis verbi waian propria est, nec in ullo, quod

stirpem pronominalem esse credamus, *i* vocalem, unde in sanscrita aliisque linguis cognatis pronomina orta esse videmus. Ex hac igitur, cum aspiratione gutturali additaque terminatione dentali, *t*, quae alias quoque neutris pronominum propria est, extitisse iht, icht et cum negatione ne iht, ne icht, nicht. In altera autem forma wiht, vaiht praefixam videmus labialem semivocalem, eandem quae alias etiam cum aspiratione comparet in wha aut hwa, significationemque habet modo indefinitam modo interrogativam. Ex hac igitur et altero illo iht, icht prodire potuerunt va-ih-t, wiht, et cum negatione ni-vaiht, ni-wiht. Coniecturam hanc esse fateor; veram praestare non ausim; haud absurdam tamen esse spero. Neque illud verendum esse putavi, quum in libro de partt. orat. p. 155. wiht, wicht ex indefinito iht icht cum labiali praefixo ortum videri dicerem, ne quis mihi hoc praefixum de nihilo quasi advolasse visum esse crederet. Factum tamen hoc est a Leone Meyero, qui illud quoque ioculare adiecit, eodem iure ex eo, quod est esse, labiali littera accedente wesen ortum dici posse. Mallem abstinuisset ioco tam insulso, neque cavillatoris potius maligni quam censoris severi personam induisset. Quamquam etiam ubi censorem se, non ioculatorem, videri vult, nimia quadam confidentia et arrogantia transversus agi solet, nimiumque sib placens et sese unum verae methodi compotem esse iactans, alios, quos a se dissentire videt, erroris et inscitiae accusare potius quam rationibus convincere amat, oracula sua quasi de tripode pronuntians. Atqui tripus ille non Apollinis est, certe non eius, quem veteres tanquam veridicum colebant, sed alius fortasse cuiusdam Sphuri sive Spurii, quem ipse alicubi pro Apolline nobis venditare conatus est[27]). Huius igitur Spurii si prophetam se haberi postulat, equidem non intercedam.

Scrib. Gryphiswaldiae Idb. Jul. MDCCCLXV.

---

sciam, alio vocabulo hinc derivato abiicitur. (Nam goth. âhma (spiritus) diversae stirpis esse apparet). Populares autem nostri aut icht, ichtens dicunt, aut, si quando consonam praeponunt, non est illa labialis w, sed cognata cum i semivocalis j, nam jichtens satis saepe audias, nunquam wichtens. Nec video cur, etiamsi eodem sensu, quo nicht, olim etiam ni wiht dicebatur, illud hinc potius quam e simplici ne icht (svec. icke) ortum statuamus, neque comparemus cum zendico no-id, sanscritico nêt ex na-it, de quibus vid. Bopp. gr. §. 360. p. 162. et §. 371. p. 179.

27) Vid. L. Meyer, Beiträge zur älteren griechischen Mythologie. p. 25.

QUAESTIONUM GRAMMATICARUM EPIMETRUM.

Grammaticam non immerito Quintilianus plus habere ait in recessu quam fronte promittat, eam nempe grammaticam, quae non in linguarum solum cognitione consistat, sed scriptorum etiam veterum vel poetarum vel pedestrium, eorum quidem certe, qui ad liberalem eruditionem pertinent, iustam enarrationem sibi sumat. Quippe iustam esse enarrationem non posse apparet absque variae ac multiplicis doctrinae apparatu; atque hoc est illud plus, quod in recessu grammaticam habere Quintilianus dicit. Ceterum usus eius apparatus non is modo censeri debebit, ut pro instrumento sit scriptorum enarrationi, sed sunt in eo etiam quae amplius aliquid efficiant fructumque habeant uberiorem. Atque hoc in numero mihi vel praecipua esse videtur veterum rerum publicarum accuratior notitia, quae quum deesse utique non debeat grammatico scriptorum enarratori, tum fieri vix potest, quin fructuosa etiam ad vitae ipsius actionem prudenter moderandam, si minus in omnibus, in cordatis tamen certe hominibus evadat. Sic enim res se habet, ut non possit non in veterum rerum publicarum contemplatione identidem animus eorum etiam eius, in qua ipsi vivunt, rei publicae admoneri, quumque aut eadem aut similia quam in illis partium studia atque certamina etiam in sua civitate agitari videant, illorum exemplis edocti, quae sibi partes amplectendae, quae secta sequenda sit statuant. Hoc igitur de me quoque profiteri licebit, qui tantum saltem ex veterum rerum publicarum historia mihi didicisse videor, ut illud, quod hodie plurimi cupidissime expetunt genus rei publicae, non magnopere probandum esse intelligam, quemque illi progressum ad libertatem salubrem fore clamitant, ego perniciosum potius nec ad libertatem sed ad eversionem rei publicae atque interitum fore existumem. Sic me sentire quum aliquoties etiam publice professus sim, non mirum est magnam hinc apud multos invidiam mihi exortam esse, in quibus fuerunt etiam qui illud maxime mihi

exprobrarent, quod aut ignorarem aut sciens dissimularem veteres illos eiusdem cuius sese libertatis amantissimos semper fuisse, tantoque res eorum illustriores atque florentiores fuisse, quanto maiore uterentur libertate. Sed his quidem quantum opus fuit alibi a me responsum est: nunc autem diversum genus erroris mihi refutandum puto, non semidoctorum quorundam, quales isti erant, sed viri doctissimi, qui quum de nimiae libertatis democraticae malis prorsus mecum consentiat, nostrorum tamen hominum studia democratica a me reprehensa esse miratur. Est is Leop. Schmidtius, professor Marburgensis, scriptor commentationis nuper editae de Atheniensis rei publicae indole democratica: in qua id potissimum agit, ut duo diversa rerum publicarum genera, populare et regale, multis modis tamen similia inter se esse ostendat, quum quod in altero rex, idem in altero populus sibi vindicet. Hoc igitur particulatim pertrectans, ubi de tributorum ac vectigalium ordinatione deque omni pecuniae publicae atque aerarii dispensatione loquitur, quam in democratia populus ad se trahere solet, non immerito vituperat populum Atheniensem, cuius nimiam de reditibus atque expensis decernendi libertatem vel potius licentiam ad extremum ipsam rem publicam pessum dedisse ait. Hinc enim fluxisse illas sociorum vexationes, per quas maxime imperium maritimum Athenarum sit eversum, hinc postea crebra damna locupletibus illata, hinc theoricorum ac similium largitionum immodicam amplificationem, hinc illam aerarii in levissima quaeque effundendi consuetudinem, quae nimis diu Demosthenis consiliis obstiterit. Quae quum ita sint, inquit, non satis illud mirari possumus, quod G. Schoemannus, qui si quis alius Atheniensis rei publicae indolem acute perspexit docteque exposuit, de nostrae aetatis rationibus nuper in grammaticarum quaestionum capite primo ita disputavit, ut, immemor eorum quae Atheniensis historia docet, eam civitatis formam unice probare videretur in qua de pecunia publica suo arbitrio soli gubernantes decernant. Haec ab eo scripta sunt in illius commentationis p. XV, ac vellem ego magnopere indicasset etiam vir doctissimus quaestionum mearum grammaticarum quo tandem loco ea legisset, quae me scripsisse, aut — quandoquidem hoc ipso verbo non utitur, — significasse saltem diceret sic, ut patere ista sententia lectori posset. Atqui ego omni illo capite quaestionum iterum iterumque perlustrato nihil eiusmodi invenire, neque quosnam ille aut quales g u b e r n a n t e s dicat, assequi potui, nisi forte, quantum quidem ex ista popularis et

regalis rei publicae comparatione coniicere licet, tales quosdam in mente habet, qui, sicut in democratia populus, sic illi in regno omnium rerum plenam absolutamque potestatem soli habeant. Nam sic demum illa comparatio iusta ac vera dici poterit, nec veteres scriptores, quorum exemplo eam Schmidtius instituit, quum populum in democratia regis instar esse dicunt, alium regem designant quam absolutum sive monarcham veri nominis. Sic Aristoteles Polit. IV, 4, 4 (VI, 4, 26 Congr.): *μόναρχος ὁ δῆμος γίνεται σύνθετος εἷς ἐκ πολλῶν· — ὁ δ᾽ οὖν τοιοῦτος δῆμος, ἅτε μόναρχος ὤν, ζητεῖ μοναρχεῖν διὰ τὸ μὴ ἄρχεσθαι ὑπὸ νόμου, καὶ γίνεται δεσποτικός, ὥστε οἱ κόλακες ἔντιμοι· καὶ ἔστιν ὁ τοιοῦτος δῆμος ἀνάλογον τῶν μοναρχιῶν τῇ τυραννίδι.* Idem II, 9, 3 de iis loquens, qui populare imperium Athenis auxerunt, *ὥσπερ τυράννῳ τῷ δήμῳ χαριζόμενοι τὴν πολιτείαν εἰς τὴν νῦν δημοκρατίαν κατέστησαν.* et V, 9, 6: *τὰ περὶ τὴν δημοκρατίαν δὲ γιγνόμενα τὴν τελευταίαν τυραννικὰ πάντα· — καὶ γὰρ ὁ δῆμος εἶναι βούλεται μόναρχος, διὸ καὶ ὁ κόλαξ παρ᾽ ἀμφοτέροις ἔντιμος, παρὰ μὲν τοῖς δήμοις ὁ δημαγωγός (ἔστι γὰρ ὁ δημαγωγὸς τοῦ δήμου κόλαξ), παρὰ δὲ τοῖς τυράννοις οἱ ταπεινῶς ὁμιλοῦντες, ὅπερ ἐστὶν ἔργον κολακείας.* Apparet igitur, quum non unum sit regni genus, quali horum democratia similis esse dicatur, nempe illi, quod alibi etiam *παμβασιλεία* vocatur, III, 11, 2, *καθ᾽ ἣν ἄρχει πάντων κατὰ τὴν αὑτοῦ βούλησιν ὁ βασιλεύς.* Id ipsum enim agit in democratia populus, ut omnes rei publicae partes prorsus ad suum arbitrium administrentur, nec legum vinculis se adstrictum putat, sed indignum maiestate sua nec ferendum esse clamat, si quis licere ipsi neget facere quidquid velit, vel, ut Xenophontis verbis dicam, Hell. 1, 7, 12: *δεινὸν εἶναι εἰ μή τις ἐάσει τὸν δῆμον πράττειν ὃ ἂν βούληται*: quam maiestatis opinionem augent atque confirmant demagogi sive *δημοκόλακες*, idem ei occinentes, quod apud Aeschylum regi Danao supplices mulierculae (Suppl. 366), *σύ τοι πόλις, σύ τοι τὸ δήμιον, πρύτανις ἄκριτος ὤν*, aut quod imperatori Augusto Romani servitute quam libertate digniores detulerunt, ut esset *αὐτοτελὴς καὶ αὐτοκράτωρ καὶ ἑαυτοῦ καὶ τῶν νόμων, πάντα τε ὅσα βούλοιτο ποιοίη καὶ πανθ᾽ ὅσα ἂν μὴ βούλοιτο μὴ ποιοίη*, ut est ap. Dionem LIII, 28. Veteres autem politici, licet neutram rei publicae formam per se solam satis probandam statuerent, tamen, si altera utra sumenda esset, longe minus fu-

giendum absolutum unius viri regnum, quam popularem illam omnipotentiam esse censuerunt. Ὁ πολιτικός, inquit Plutarchus, de monarch. c. 4, εἰ αἵρεσις αὐτῷ δοθείη, καθάπερ ὀργάνων τῶν πολιτειῶν, οὐκ ἂν ἄλλην ἕλοιτο πλὴν τὴν μοναρχίαν, Πλάτωνι πειθόμενος· et apud Ciceronem, de re publ. 1, 35, 54 Scipio, si unum, inquit, et simplex maxime probandum sit genus rei publicae, regium maxime probem atque imprimis laudem, eodemque modo idem c. 45, 69, ex tribus generibus, regio scilicet, oligarchico, democratico, longe praestat mea sententia regium. Nec aliter apud eundem III, 34, 46 Sp. Mummius regnum se malle profitetur quam liberum, h. e. arbitrum rei publicae, populum. Nimirum non illud regni genus dicebant, quale nonnullorum in Graecia tyrannorum fuisse novimus, per vim atque iniuriam partum, nec nisi eodem quo partum erat modo retinendum, aut Tarquinii illius, cuius superbia factum est, ut regni Romanos taederet, non regni, sed regis vitio, ut ait Cicero de legg. III, 7, 15, sed legitimum quoddam genus imperii spectabant, consensu civitatis ac moribus fundatum, quum summam potestatem unus haberet certo et incontroverso iure sibi delatum: quem quidem haud facile adeo desipientem omnisque vel mediocris prudentiae sensusque communis expertem fore existimabant, ut non hoc saltem intelligeret, sua non minus quam civitatis interesse, ut res publica bene administraretur, eosque igitur sibi consiliarios et ministros circumspiceret, qui maxime essent ad hanc rem idonei: in quorum delectu licet errare posset, certe tamen non saepius erraturum, quam in democratia populum prorsus nullo modo vel ad iudicandum recte de re publica vel ad optimos eius administratores deligendos idoneum. Haec enim una est et consentiens veterum politicorum sententia, quae quo rectius a nobis aestimetur, illud etiam animadvertendum erit, quodnam illi hominum genus populi nomine designaverint: nam non unam huius vocabuli, itidem ut graeci δῆμος, nostri Volk, significationem esse constat, quumque homines in quavis civitate multifariam inter se genere, statu, facultatibus diversi sint, modo haec omnis multitudo indiscriminatim populi nomine comprehenditur, modo autem humiliores tantum ac tenuiores significantur, opponunturque sic opulentioribus ac generosis. Neque vero haec tantum oppositio apud veteres frequens est, sed alia quoque, ut populum dicant eos solos, qui civitatis vere participes sunt, exclusis ceteris, qui vivunt quidem in civitate eiusque legibus ac magistratibus subiecti, non tamen cives sunt, multi-

que adeo non modo civitatis iure sed etiam libertate carent. Atque hoc sensu populi nomen apud politicos potissimum usurpatur, ut cives tantum intelligendi sint [1]), segregandi autem inquilini ac servi, quorum in plerisque civitatibus haud exiguus, servorum maxime, et maior adeo quam civium numerus fuit. Hoc igitur genus quum apud nos nullum sit, sed ii quoque, qui servilibus atque humillimis negotiis intenti vitam agunt, nihilo minus tamen cives sint et iure civium, si minus optimo, non tamen nullo utantur, manifestum est apud veteres longe pauciores quam apud nos civitatis participes fuisse, ut non immerito aliquis res publicas eorum, etiam quae populares vocabantur, reapse tamen pauciorum arbitrio administratas sive oligarchicas fuisse dixerit. Et nihilo secius tamen hoc popularis rei publicae genus sapientissimis eorum politicis summopere improbari videmus, non eo sane, quod multos civitatis expertes esse indignarentur, sed quia ne hos quidem, qui cives essent, h. e. populum proprie dictum ad tractandam prudenter ac salubriter rem publicam satis idoneum esse experientia edocti iudicabant. Atheniensem populum, h. e. cives Atticos exclusa inquilinorum et servorum multitudine, ingenio, prudentia,

1) Etiam in Romanorum re publica antiquitus populi nomine solos patricios, ut qui soli olim cives essent, appellatos, non autem plebeios, quorum plerique ex devictis civitatibus adiuncti quidem illis nec tamen cives facti essent, satis hodie constat. Errare tamen eos puto, qui hanc angustiorem populi significationem etiam apud Livium aliquoties sibi deprehendisse videntur, qua de re dixi in diss. de comit. curiat. ann. 1832 edita p. 4—9, repetita in Opusc. ac. 1 p. 73—80. — In eadem dissertatione p. 10 (82) quum patrum nomine apud Livium aliosque passim non senatores, sed omnem patriciorum ordinem significare cum Niebuhrio dixi, idque hodie a nullo ignorari aut negari posse addidi, opposuit mihi Beckerus Ant. Rom. II, 1 p. 303, Huschkii et Rubinonis auctoritatem. Atqui ista mea professio aliquot annis ante facta est, quam illi libros suos ediderunt, neque divinari a me potuit fore qui in re apertissima tamen errarent. — Quod autem in altera de comit. curiat. dissertatione ann. 1831, p. 8 (65) plebeios haudquaquam curiis plane exclusos fuisse contra Niebuhrium statui, de comitiis autem curiatis, in quibus non plebem sed patricios valuisse constaret, varias coniecturas excogitari posse dixi, non repugno sane quo minus hae parum probabiles dicantur: magnopere autem eos errare contendo, qui, cum Beckero, ex eo quod in illis comitiis patricii valerent, etiam hos solos in curiis fuisse collegerunt. Haudquaquam enim necesse fuit, qui in curiis essent, eosdem etiam omnes ad comitia convocari in quibus curiatim suffragia ferrentur; quod non ita esse vel tributorum comitiorum exemplo demonstrari potest, in quibus perdiu patricii, licet tribubus adscripti essent, suffragium tamen non ferebant, id quod ipse Beckerus haud diffitetur II, 1 p. 182.

legum obsequio, magistratuum reverentia, patriae caritate, omni denique virtute civili ceterorum Graecorum longe praestantissimos fuisse quum veteres scriptores testantur, tum nos omnium lubentissime confitemur. Hunc tamen Parrhasius[2]), quum ingenium eius moresque pictura exprimere conaretur, pinxisse fertur varium, iracundum, iniustum, inconstantem, eundemque exorabilem, clementem, misericordem, gloriosum, humilem, ferocem, fugacem, hoc est bonis malisque mixtum ipsumque sui saepe dissimilem ac facile in utramque partem impulsum, prout aut bonis aut malis consiliis obsequeretur, aptioremque haud dubie qui regeretur a sapientioribus, quam qui se ipse sapienter regeret. Eundem hunc populum Aristophanes paucis post Periclis mortem annis, (cuius administrationem rei publicae Thucydides specie populari regiam quodammodo fuisse testatur, utpote quum non regeretur Pericles a populo, sed ipse potius populum regeret — eaque mihi haud infima laus Atheniensium esse videtur, quod regi se a tali viro passi sunt, —) post huius mortem igitur orbatum salubri regimine populum Aristophanes nobis inducit sub vetuli persona desipientis et ad rem suam familiarem administrandam prorsus inepti, ac proinde a servo Paphlagone, homine callido et impuro, multis modis decepti et ad indecora ac se indigna impulsi, donec tandem meliorem procuratorem nanciscitur. Aequali horum temporum Socrati consentiens omnium et veterum et recentiorum vox summae ac verae sapientiae laudem tribuit: ut non verendum sit, ne quis huius de populo Attico iudicium leve et contemnendum esse dicat. Huius igitur apud Platonem in apologia p. 31. E haec verba sunt: *εὖ γὰρ ἴστε, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, εἰ ἐγὼ πάλαι ἐπεχείρησα πράττειν τὰ πολιτικὰ πράγματα, πάλαι ἂν ἀπολώλη καὶ οὔτ' ἂν ὑμᾶς ὠφελήκη οὐδὲν οὔτ' ἂν ἐμαυτόν· καί μοι μὴ ἄχθεσθε λέγοντι τἀληθῆ· οὐ γάρ ἐστιν ὅστις ἀνθρώπων σωθήσεται οὔτε ὑμῖν οὔτε ἄλλῳ πλήθει οὐδενὶ γνησίως ἐναντιούμενος καὶ διακωλύων πολλὰ ἄδικα καὶ παράνομα ἐν τῇ πόλει γίγνεσθαι, ἀλλ' ἀναγκαῖόν ἐστι τὸν τῷ ὄντι μαχούμενον ὑπὲρ τοῦ δικαίου, καὶ εἰ μέλλει ὀλίγον χρόνον σωθήσεσθαι, ἰδιωτεύειν ἀλλὰ μὴ δημοσιεύειν.* h. e. non ignoratis, Athenienses, si ego ad tractandam rem publicam accessissem, futurum dudum fuisse ut interirem nullo aut vestro aut

2) Plin. H. N. XXXV, 10 p. 576 Gron. — De hac Parrhasii tabula cf. quae disputavit A. G. Langius, Script. miscell. (Vermischte Schr.) p. 277 N.

meo ipsius fructu. Ac nolite, quaeso, irasci vera dicenti: nemo profecto mortalium salvus erit, qui aut vobis aut cuiquam multitudini fortiter obsistat multaque contra ius fasque in civitate ne fiant impedire conetur, sed necesse est ut qui iustitiae et aequitatis causam defendat, si vel pauxillum temporis salvus esse velit, privatim agat neque rem publicam attingat. Sic igitur iudicabant qui inter Athenienses ipsi vixerunt: quorum iudiciis quantumvis aliquis deroget malaque ab iis supra veritatem exaggerata, bona dissimulata esse dicat — id quod equidem sane omnium lubentissime concedo, — illud tamen meo iure mihi affirmare posse videor, salubriorem futuram fuisse Atticae rei publicae administrationem si minor fuisset populi libertas vel potius licentia, et salubris illa temperatio, qualis fuit post Solonem et Clisthenem, quum in populari forma rei publicae plurimum valeret optimorum auctoritas essetque quasi aristocratica quaedam democratia, diutius retineri potuisset[3]). Neque vero ullam aliam rem publicam, in qua populi fuit imperium, melius quam Atticam administratam esse satis constat, neque ullum esse puto inter veteres non modo philosophos sed etiam rerum scriptores, quin democratiam sibi improbari ostendat hanc ob causam, quod nullius unquam rei publicae sub imperio populari statum firmum ac vere salubrem fuisse viderit.

Tantum de veteribus: sed quoniam de nostrae aetatis rationibus Schmidtio aliisque sine dubio plurimis minus recte sentire videor, de his quoque aliquid dicendum erit. Non me fugit profecto nimio plures hodie democratiae amatores et praecones esse: sed horum plerosque, quum accuratius inquiro, quid sit democratia vix ipsos satis exploratum perspectumque habere crediderim. Sic enim fieri solet in peregrinis vocabulis, ut vim eorum ac significationem suo sibi quisque modo informet, nec mirum apud imperitam multitudinem ut quisque confiden-

---

3) *Δημοκρατίαν ἀριστοκρατίᾳ χρωμένην* dicit Isocrates Panath. p. 259, D. §. 131. Etiam in Plat. Menexeno p. 238 c. democratia dicitur *μετ' εὐδοξίας πλήθους ἀριστοκρατία*, eodem sensu, quo Thucydides II, 65 sub Pericle nomine quidem democratiam, re vera autem unius optimi viri gubernationem fuisse ait. Et Socrates ibi Aspasiae se verba referre dicens p. 236 c. *περιλείμματα* haec esse ait ex ea oratione, quam Pericle superstite ea composuerit. Denique Periander ap. Plutarch. Sept. sap. conv. p. 154 eam democratiam optimam dicit, quae esset aristocratiae proxima.

tissime loquax est, ita plurimum auctoritatis habere. Quamquam a plerisque iam pro democratiae nomine aliud vernaculum vocabulum probari videmus, magis ad lactandos vulgi animos accomodatum. Progressus enim sese cupidos esse profitentur, quam professionem quis est qui non honestam, non iustam, non unice dignam liberali homine iudicet? Nisi tamen quaerendum ante omnia dicemus, quonam tandem et quem ad finem progredi oporteat. Nimirum ad melius. Quid autem sit illud melius et qua via ac ratione eo perveniri possit, non sane in aperto est. Isti quidem qui hodie se progressus praecones gerunt, maiorem populi libertatem a se expeti dicunt: sed de libertatis ipsius vi ac natura quotus quisque est, qui prudenter iudicet? Nam vulgo longe plurimos hanc sibi libertatem expetere videas, ut quam minime legibus et magistratibus parere, munera autem quam paucissima aut tributis pendendis aut militia obeunda praestare rei publicae cogantur; alii sic demum liberos se fore putant, si summam rem publicam aut ipsi aut quos ipsi elegerint in potestate habeant, legum, iudiciorum, belli, pacis, foederum, pecuniae publicae domini fiant; quid quod sunt etiam, qui constare libertatem posse negant, nisi in conventibus, in quibus de re publica consulitur, adversarios suos non argumentis sed conviciis impugnare omnique genere contumeliarum impune onerare liceat. Talis est vulgaris ille liberalismus, qui plerosque hodie quasi morbus quidam epidemicus invasit, quoque alendo et exacerbando homines factiosi gratiam sibi apud multitudinem et auctoritatem comparant. Ceterum ex his ipsis, qui sic plebem exagitant, quamvis multi haud dubie quod verbis prae se ferunt etiam ipsi sentiant, omnes tamen ut re vera democratiae favere credam vix adducor. Immo in principibus factionum atque ductoribus, quorum ceteri signa sequntur, non paucos esse video hac saltem mediocri prudentia instructos, ut stare non posse intelligant salvamque servari rem publicam quae multitudinis arbitrio administretur, et quod Alcibiades olim professus est democratiam esse *ὁμολογουμένην ἄνοιαν*[4]), id ne illum quidem hominem furiosum fugere arbitror, qui, quo maiorem sibi plebis favorem conciliaret, sacrosanctam democratiam praedicare non erubuit. Unam salubrem rei publicae formam eam esse, quae optimorum ac sapientissimorum consilio et auctoritate regatur, hoc est

---

4) Apud Thucyd. VI, 89. Cf. Dionys. Hal. A. R. p. 1179: *δημοκρατία ἀμαθεστάτη τῶν ἐν ἀνθρώποις πολιτειῶν.*

aristocratiam veram et nomine suo dignam, id quidem adeo manifestum est, ut etiam ipsos illos progressus laudatores, si quis penitius inspiciat, non ad democratiam, sed ad aristocratiam potius spectare intelligat. Nimirum sic se res habet: optimos in civitate et sapientissimos semet ipsos esse iudicant, sed quoniam in hac quae nunc est rei publicae constitutione non tamen sibi sed aliis, quos virtute ac sapientia haud quaquam sibi pares esse censent, gubernacula permissa esse vident, mutari eam cupiant, quo facilior sibi aditus fiat ad locum dignitatis suae obtinendum, quod quum fieri haud posse intelligant nisi summotis iis, qui adhuc rei publicae praefuerunt, submovendi autem nullam certiorem rationem esse quam si popellum, apud quem ipsi valent, adversus eos concitent, hinc fit, ut popularis se imperii cupidos esse profiteantur, non quo ipsi populo obedire cupiant, sed quia populum sibi obedire vident porroque obediturum esse sperant. Haec autem spes quam fallax sit, ne alia ex historia exempla afferam, vel illud docere potest, quod in nostra re publica paucos abhinc annos vidimus, quum qui propter popularitatem ad gubernacula admissi essent, mox rursus ea deponere cogerentur non sane aliam ob causam, quam quod auram illam popularem, cuius flatu provecti fuerant, conservare non amplius poterant; quos nunc ab iisdem, quorum se duces ac moderatores fore crediderant, neglectos et contemptos partim in obscuro iacere, partim ut recuperent multitudinis favorem incassum laborare videmus. Multitudo vero nusquam non sui similis est, libertatis modicae legibusque temperatae impatiens, temerariis potius quam prudentibus consiliis obtemperans, levissimis momentis huc illuc impulsa, denique talis, qualem Parrhasius, Aristophanes, Socrates, Plato aliique multi veteres vel philosophi vel historici descripserunt. Sed dixerit fortasse aliquis horum iudicia, quum multitudinem ad rem publicam recte gerendam nullo modo idoneam esse doceant, minus tamen ad hanc nostram rei publicae constitutionem pertinere multum a veterum imperio populari diversam. Apud illos enim universi populi conventus fuisse, in quibus de summa re publica consultaretur suffragiumque ab omnibus promiscue ferretur, apud nos autem pauciores esse ex universo numero selectos, in quibus eligendis dubitari non posse quin dignitatis, virtutis, prudentiae ratio plurimum valeat. Nempe apud eos, qui iustam dignitatis, virtutis, prudentiae existimationem ipsi afferant: cuius generis in his, qui eligendi ius habent, perpaucos esse res ipsa et proximorum annorum experimenta docuerunt. Nolo nunc comme-

morare, in hac multitudine quae de eligendis suffragium fert, quam magnus sit numerus ex eo genere civium, quos veteres legum latores ne in civibus quidem recte haberi iudicabant, non quo eos viros bonos et civitati utiles atque necessarios esse negarent, sed quod non tamen sic affectos atque instructos esse censebant, ut rem publicam vel minima ex parte curare recte ac prudenter possent. Sed eorum etiam, qui non sunt ex hoc genere, quotus quisque tandem est, qui, quum ad eligendum vocatur, non alios, quam quorum nota ipsi ac perspecta virtus sit, eligere curet? Immo longe plurimi sic se officio suo satis facere putant, si homines sibi ignotos, sed ab aliis, quibus fidem habent, commendatos eligant: nec pauci sunt, qui rumoribus ac vociferationibus demagogorum aut schedulis istis turpissimis, quales quotidie multae sparguntur causaeque popularis praetextu imperitorum iudicia corrumpunt, in errorem se induci patiantur. Non mirum est igitur, in hunc consessum, qui salutis publicae causa constitutus videbatur, tam multos delegari, quorum bonos viros patriaeque amantes, ipsosque adeo electores suos si resipuerint, pudeat pigeatque, eorum quidem certe, qui non veriti sunt aperte adversarios se profiteri honori rei publicae nostrae et incrementis, eamque imminui ab hostibus et lacerari maluerunt, quam cedere ipsi his viris, quibus propter frenatam adhuc concitatae multitudinis temeritatem omnes viri boni et prudentes honorem ac gratiam deberi intelligunt. Sed nescio an magis etiam mali ac perniciosi consultores rei publicae alii habendi sint, qui callidius tectiusque agunt, dumque magnam patriae caritatem verbis prae se ferunt, adeoque etiam regis amorem ac venerationem simulant, reapse tamen nihil aliud agunt, quam ut falso iuris cuiusdam praetexto omnem rei publicae statum pervertant, et aliud quoddam genus imperii inducant, in quo scilicet regni vis ac potestas omnis apud ipsos ipsorumque factionem sit. Huius generis homines quum florere multitudinis favore ex iisque potissimum eos eligi solere videam, qui de summa re publica consultent, haud sane me abhorrere fateor ab ea cogitatione, ut melius et ad salutem rei publicae optabilius fore putem, si consultores isti non amplius multitudinis suffragiis sed sorte creentur. Nam sors hoc saltem boni habet, ut cupiditatem et temeritatem eligendi excludat et aequabilitatem quandam admittat, in qua licet plures fore viros bonos ac prudentes non speremus, hoc tamen certe non sit verendum, ne idem accidat, quod in hoc, quo nunc utimur, eligendi modo accidere necesse est, ut ii potissimum eligantur, quos homines factiosi et imperitae mul-

titudinis duces commendant consiliisque suis opportunos putant, quae quidem si perfecerint, actum erit de re publica. Verum enimvero quamvis gravibus his malis laboremus, non desunt tamen remedia. Primum enim veritatis ipsius ea vis est, ut obscurari quidem ad tempus, nunquam tamen extingui possit, sed victrix tandem emergat fraudisque et erroris nebulas dispellat. Nec sane parvum iam nunc numerum esse videmus eorum qui, quum aliquamdiu decipi se a pessimis consultoribus passi essent, hactenus saltem resipuerunt, ut si minus aperte poenitentiam erroris prae se ferant — id enim aut invidiae metus aut falsus pudor prohibet, — tamen eis, qui conservari rem publicam volunt, non amplius adversentur, sed abstinere partium certaminibus malint: alii autem, meliores magisque civilis officii memores, artibus et machinationibus demagogorum etiam resistendum fortiter esse intelligunt, bonorumque causam pro virili parte tuendam adiuvandamque. Porro habemus in rei publicae nostrae constitutione etiam legibus paratum praesidium adversus istos eius eversores, senatum illum non ad mobilis et imperitae multitudinis temeritatem et cupiditatem conflatum, quale est illud trecentorum et quinquaginta concilium, qui tertio quoque anno popularis aurae flatu constituuntur, sed e saniore parte populi selectum, h. e. ex iis, quos conservandae rei publicae quam evertendae, tuendique eius status quam omnia novandi studiosiores esse consentaneum est. Nam quorum aut magnae et a maioribus traditae possessiones quasi pro pignore sunt rei publicae, ne quid temere admittant quod perturbare eius statum possit, aut qui in gravioribus rei publicae negotiis administrandis idonea iam probitatis et prudentiae documenta ediderunt, aut qui doctrinae solidioris copiis instructi maximeque priorum temporum historia edocti aliquid etiam civilis prudentiae hauserunt aut potuisse saltem haurire videntur, ex his senatum illum superiorem electum habemus, fluctibus popularibus minus obnoxium nec facile ad variam variis temporibus libidinem multitudinis mutabilem, sed constantem veraeque et sanae rationis tenaciorem: cuius gravitate et prudentia ut refringantur et repellantur calida et temeraria alterius conventus consilia cautum est, huius scita ne valeant nisi ea senatus probaverit auctoritas. Sic autem quum fieri non possit, quin aliquoties haec duo rei publicae consilia inter se dissentiant, quaeque populares cupide expetunt, ea ab optimatibus constanter reiiciantur, atque hinc certamina excitentur tanto nonnunquam acriora, quanto magis illi popularium duces senatum criminando ple-

bem exagitare et pessimis artibus corrumpere solent, nihil magis necessarium esse apparet, quam esse in re publica maiorem quandam potestatem ita comparatam, ut ipsa omnis expers certaminis neque optimatibus nec multitudini plus aequo favens aut obnoxia nihil nisi bonum publicum sequatur idque ne aut popularium libidine ac temeritate aut fortasse optimatium nimia quadam cautione et cunctatione laedatur provideat. Et est profecto rerum publicarum nostrarum conditio eiusmodi, ut quid quoque tempore aut possit fieri aut necesse sit ad statum earum aut tuendum aut conservandum aut promovendum haud facile recte statui ab iis possit, qui obiter tantum et per intervalla ad eam accedant, quales sunt fere, qui ad comitia certis temporibus convocantur, maximeque populares illi, qui aliquantisper quaestus sui reique familiaris cura seposita operam mercenariam publicis negotiis impendunt, sed ab eo tantum, qui nihil aliud agat, nullam vitae suae partem a re publica seiunctam habeat, non sibi sed rei publicae se natum esse sentiat, omniaque, quaecunque ad huius salutem ac dignitatem pertineant, sive in civitatis ipsius constitutione sive in variis cum exteris civitatibus vel pacis vel belli rationibus, circumspicere et pervidere, imminentia mala et pericula etiam e longinquo animadvertere et quo modo iis occurri aut resisti possit providere consueverit. Talem autem rei publicae procurationem nusquam certius sperari posse apparet nisi in regno, si quidem rex sit nomine suo haud plane indignus. Et habet, opinor, hoc ipsum regis nomen hanc vim, quae quemvis non plane perversae mentis hominem etiam officii regii admonere debeat, ut rei publicae se personam gerere meminerit eamque ut quam possit rectissime gerere cupiat, quae res, quoniam maior est quam cui unius hominis facultas sufficere possit, operam dabit ut eos sibi consiliarios et ministros adiungat, quorum fides, probitas, prudentia, sollertia maxime perspecta sit, et qui omnes id unum sibi propositum habeant, ut rei publicae inserviant, omnemque suam rerum gerendarum facultatem regi commodent seque quasi quaedam supplementa regiae personae addita esse meminerint.

Sic igitur constituta rei publicae forma vere dici poterit ex tribus generibus, populari, optimatium, regioque imperio mixta et temperata: eamque constitutionem ante aliquot annos apud nos fundari coeptam quum nunc homines aut improbi aut imperiti non perficere firmiusque stabilire, sed corrumpere ac prorsus in contrarium convertere conentur, quis non vir bonus patriaeque amans horum furori resistendum

omni modo esse intelligit? Nam id quidem nemini, qui mediocriter modo sapiat, obscurum esse potest, ab istis qui se populares et progressus studiosos vocant, hoc maxime agi, ut summa in re publica potestas non amplius inter regem, optimates et reliquam populi partem recto temperamento distributa, sed tota penes ipsos sit. Etenim quum de aerario rei publicae eiusque dispensatione, quantumque pecuniae cuique parti administrationis assignandum sit, decernere se solos postulant, neque quidquam nisi quod ipsi decreverint erogari volunt, apertissime profecto omnem rei publicae administrationem suis placitis obnoxiam facere conantur. Neque enim aut stipendia militibus suppetere aut salaria magistratibus numerari aut operibus publicis necessarii sumptus erogari, denique nihil prorsus, in quo pecunia opus sit, effici in civitate poterit nisi quod ipsis placuerit, quam ob rem, si obtinuerint quod contendunt, consequens est ut qui administrandae rei publicae praepositi sunt, aut parere illorum placitis aut deponere administrationem cogantur. Atque hoc sibi propositum esse ipsos eorum duces et signiferos etiam aperte profitentes audivimus, quum his qui nunc sunt regis administris nihil quidquam se concessuros esse minarentur aliosque eorum loco, de sua scilicet factione, praeficiendos clamitarent. Itaque quod adhuc ius regium esse creditum et publicis legibus sancitum est, ut ministros sibi rex eligat quos optimos ac rei publicae bene gerendae maxime idoneos censuerit, hoc illi sic immutari volunt, ut non alios eligere cogatur quam qui ipsis grati acceptique sint. Hoc autem eligendi ministros iure regi erepto quid reliquum est nisi ut rex ipse popularium istorum potestati subiiciatur? Quippe in plerisque rei publicae partibus necesse est quae agenda sunt non ipsum regem per se solum exsequi, sed ministros adhibere quorum opera et consilio utatur, atque sic quae unius hominis nec videri oculis nec effici manibus possunt, fidelium ministrorum oculis ac manibus efficere. Isti igitur, si ministris regem non quos suo iudicio probatos elegerit, sed quos ipsi iusserint uti volunt, quid aliud quam suis regem oculis et manibus spoliare et alienos ei apponere conantur? ut pro rege quasi simulacrum aliquod et imaguncula existat ex eo genere, quae *νευρόσπαστα* graece dicuntur, nervis alienis mota, utque verius regem eum dici liceat, quem quoque tempore popularis ille conventus praesidem sibi sumpserit.

Huiusmodi conatus quantopere ab hac quae legibus fundata est rei publicae nostrae constitutione abhorreant nemini ne istorum qui-

dem qui illa conantur obscurum esse potest: quam ob rem ego in Quaestt. gr. cap. 1 p. 277 certaminum ab iis motorum causam non in iuris publici incertitudine aliqua et ambiguitate sed in factiosorum hominum cupiditate positam esse dixi, qui certo ac legitimo iure non contenti ex regno sapienter temperato populare imperium efficere studeant, in quo scilicet ipsi dominentur. Et quo facilius imperitam multitudinem, quae quid agatur perspicere nequit, sibi concilient, artibus ac fallaciis sibi utendum esse decreverunt. Nam adhuc sane longe plurimi in nostro populo regem, non regis umbram ac simulacrum, rei publicae opus esse sentiunt. Horum igitur animos quo minus offendant, non regi se sed regis amicis et consiliariis infestos esse aiunt: horum enim malitia fieri, ut rex quid iuris sui atque officii sit, quid populo eiusque libertati debeatur parum dispiciat, denique, ut aperte proloquar quod res est, virum bonum esse regem negare non audent, sed paullo tamen hebetiorem esse significant, qui pessimis consultoribus nimis facile aurem praebeat adeoque se decipi ab iis patiatur, ut ne earum quidem legum, quibus omnis rei publicae status continetur quasque se observaturum esse iuravit, veram vim ac sententiam satis ipse intelligat. Iustam harum interpretationem a semet petendam esse, earum maxime, quae de pecuniae publicae administratione ac dispensatione scriptae sunt, quas quidem fallaci quadam ac prorsus commenticia ratione in sententiam prorsus planeque legum latoribus contrariam detorquere non verecundantur. Nam paucos eorum videas hanc mentiendi impudentiam ut viro liberali indignam repudiantes, qui legum illarum quae sit vera vis ac sententia sese agnoscere non diffitentur, sed hanc ipsam ob causam eas abolendas aliasque magis populares ferendas esse clamitant.

Haec igitur ac talia quum in quaestionum grammaticarum cap. 1 a me proposita essent, Leopold. Schmidtium induxisse videntur, ut immemorem eorum, quae Atheniensium historia doceret, eam civitatis formam unice mihi probandam videri diceret, in qua de pecunia publica suo arbitratu gubernantes soli decernerent. Ego vero de pecunia nihil ibi separatim locutus sum, sed de universa rei publicae administratione, improbavi autem eam rei publicae formam, in qua haec administratio populi arbitrio, quemadmodum Athenis, regeretur: unde hoc unum apertum fieri poterat, etiam pecuniae administrationem populi omnia regentis arbitrio permissam mihi non probari. Ceterum quo magis Atticae rei publicae genus cognitum atque perspectum habui,

id quod etiam Schmidtius mihi concedit, tanto minus me fallere potuit, quam diversum id fuerit ab eo, quo nos utimur, eamque diversitatem maxime in eo constare, quod, quum in illa omnis res publica plebiscitis regeretur, apud nos mixtum genus imperii constitutum est, in quo et populo et optimatibus et regi suae cuique partes descriptae ac definitae sunt. Sic igitur etiam de pecunia publica, h. e. de vectigalibus, tributis ceterisque reditibus deque impensis in hanc vel illam partem rei publicae faciendis decerni non potest nisi communi trium illorum consilio et consensu, quumque populares isti sibi solis hoc ius vindicant optimatiumque senatum ac regis consilium sibi suisque placitis obedire postulant, quid aliud quam omnem rei publicae administrationem, cuius nulla pars sine pecunia constare potest, ad sese trahunt gubernaculaque sibi et quibus ipsi volunt h. e. factionis suae hominibus permitti poscunt? Hoc genus gubernandi, quemadmodum Atheniensium rei publicae perniciosum fuit, sic nostrae quoque rei publicae perniciosum utique futurum esse non Schmidtium magis quam me aut quemvis mediocriter sapientem fugere posse credo. Optandum quidem hoc maxime nobis esse intelligimus, ut communi semper consilio atque concordia inter populares, optimates, regem quum universa res publica, tum res pecuniaria tractetur; id autem si contingere nequeat propter popularium arrogantiam, qui se solos gubernare sibique ceteros parere volunt, videndum erit regi eiusque consiliariis, ne quid istorum temeritate res publica detrimenti capiat. Rex enim meminisse debet, non eo sibi regnum a deo datum esse, ut quod quoque tempore populo gratum acceptumque sit sequatur, sed quod salutare rei publicae et necessarium esse intellexerit, fortiter constanterque teneat ac defendat, neque ulla minus regia vox audita est, quam eius qui quum fatigaretur concitatae multitudinis clamore, desistere ab optimis sed ingratis populo consiliis non dubitavit, scilicet quod pacis se cum populo suo cupidum esse diceret. Immo salutis publicae potius cupidum esse regem oportet: illud genus autem pacis cum populo magnopere verendum est, ut firmum ac stabile permanere possit. Nam semel victrix populi cupiditas haud facile quiescet, nisi perfecerit, quo ductores eius contendunt, ut ex regno bene temperato democratiam efficiant, quo malo nullum gravius rei publicae accidere posse ego quidem ex historia me didicisse arbitror.

Scrib. Gryphiswaldiae mens. Ianuar. MDCCCLXVII.

SCHEDIASMA DE CYCLOPIBUS.

Quum aliquot abhinc annis theogoniam Hesiodeam cum Homerica compararemus[1]), inter alia multa, de quibus hi duo vetustissimi auctores inter se dissentiunt, etiam Cyclopum mentio facienda fuit, quorum tam insignis apud eos diversitas est, ut praeter nomen ab oculo, quem in fronte singularem gerunt, utrisque inditum nihil prorsus commune habere dicendi sint. Nam Hesiodi Cyclopes Caeli et Telluris filii sunt, ante Jovem eiusque fratres nati[2]); apud Homerum unus certe, qui omnium praecipuus esse dicitur, Polyphemus, Neptunum patrem, Thoosam, Phorcynis filiam, marinam igitur deam, matrem habet[3]), de ceterorum ortu tacetur: Hesiodus tres tantum memorat, in quibus nullus Polyphemus est; apud Homerum dubitari non potest quin multo plures sint: illi Jovi fulmina fabricant, ideoque hunc dominum agnoscere eique servire videntur; alteri Jovem ceterosque deos nihil curant vimque eorum et maiestatem contemnunt[4]): illorum natura tota divina videtur[5]), hi mortalium instar lacte caseisque aluntur:

---

1) Vid. Opusc. acad. II p. 25 sqq.

2) Theog. v. 139 sqq.

3) Od. I, 70.

4) Od. VIII, 275.

5) Theog. v. 142: *οἱ δ' ἤτοι τὰ μὲν ἄλλα θεοῖς ἐναλίγκιοι ἦσαν*. Memorabilis ad hunc versum est veteris scholiastae annotatio: *Κράτης ἀντὶ τούτου ἄλλον στίχον παρατίθεται·*

Οἱ δ' ἐξ ἀθανάτων θνητοὶ τράφεν αὐδήεντες.

Πῶς γὰρ τοὺς αὐτοὺς θεοῖς ἐναλιγκίους λέγει, καὶ ἐν τῷ τῶν Λευκιππίδων καταλόγῳ ὑπὸ Ἀπόλλωνος ἀναιρεῖσθαι ποιεῖ; unde discimus Cratetem illum versum damnasse eiusque loco hunc alterum substitui voluisse, quem unde sumpserit, ipsene fecerit an alicubi invenerit, quaerere supervacaneum est propterea quod incassum quaeras, quae sciri non posse praevideas. Diversarum recensionum investigatores non dubitant, quin Crates versum in aliqua theogoniae recensione legerit, et Goettlingius eum adeo in textum recepit, licet uncinis pariter cum v. 144. 145 inclusum. Prudenter Marckscheffelius (Hesiodi, Eumeli etc. fragm. p. 127.)

illi fabricam sollertissime exercent, hi ab omni vitae cultu remoti artiumque omnium adeo expertes sunt, ut ne rates quidem parare possint, quibus in vicinam terrae suae insulam traiiciant. Manifestum est igitur tantam esse inter utrosque diversitatem, ut non reprehendendus sit, si quis Klausenii sententiam improbet, qui Homeri Cyclopes ex Hesiodeis quasi diffictos et deformatos esse voluit[6]). Hanc nos ipsi olim improbavimus, neque nunc plane probare possumus, licet cognatos quodammodo utrosque Cyclopes agnoscamus. Nam non Homericos ex Hesiodeis sed utrosque ex tertio quodam genere, quamquam diversa ratione, originem traxisse iudicamus. Neque dubitamus, quin sic etiam ante nos alii iudicaverint; sed quum rem a nullo satis plane expositam meminerimus, non paucos autem aliter sentire videamus, hac nunc nobis imposita prooemiandi necessitate sic defungi placuit, ut iudicii nostri rationes paucis verbis explicaremus.

Nemini ignotum est fuisse olim in Graecia et superesse partim hodieque ingentia moenia aliaque aedificia vetustissima, quae cyclopia vocari solent, non sine summa admiratione vel a veteribus scriptoribus qui eorum mentionem faciunt, vel a recentioribus, qui reliquias eorum visitarunt, commemorata. Huiusmodo aedificia, quum ultima antiquitate condita essent et quinam conditores eorum fuissent ignoraretur, lapidum autem, quibus constructa sunt, tanta moles esset, ut humanis viribus moveri et componi nullo modo potuisse viderentur, hinc posteriores in eam opinionem inducti sunt, ut fabulosos quosdam conditores comminiscerentur viribus plus quam humanis praeditos omninoque supra humanum modum pollentes potentesque et diis

---

obloquitur; quamquam quod versum illum a Cratete simpliciter citatum vult, scilicet comparandi gratia, vix probari potest. Licet enim verbum παρατίθεσθαι de citandis simpliciter locis non raro usurpetur, id quod aliquanto pluribus quam quae a M. afferuntur exemplis demonstrari facile potest, hoc tamen loco verba ἀντὶ τούτου παρατίθεται significare videntur, Cratetem hunc versum non solum citasse, sed etiam pro illo altero recipiendum suasisse. Nempe damnavit hunc propterea, quod eum pugnare iudicaret cum Hesiodea, ut quidem ipsi videbatur, narratione de interfectis ab Apolline Cyclopibus, id quod scholiastae relatio manifestum facit. Ad solvendam ἀπορίαν satis erat dicere, ὅτι κατὰ κάλλος καὶ μέγεθος θεοῖς ἐναλίγκιοι ἦσαν h. e. theogoniae verba non aliam quam formae ac speciei similitudinem indicare: ceterum mortales utrisque parentibus immortalibus progigni posse etiam Geryonis, Chrysaoris, Medusae exemplis ab ipso Hesiodo in theogonia commemoratis apparere.

6) Vid. Die Abenteuer des Od. aus Hesiodus erklärt. Bonn. 1834. p. 2sqq.

quam hominibus similiores. Atque eos quidem, qui Tirynthia moenia, una ex hoc genere maxime celebrata, condidissent, fuerunt qui ex Lycia in Graeciam ascitos perhiberent[7]), sive quod vetus quaedam memoria supererat de antiquo inter Lyciam et Argolidem commercio, sive quod similia quaedam aedificia etiam in Lycia extabant, quae humanarum virium modulum excedere et a daemonibus quibusdam aut gigantibus condita esse crederentur. Nam gigantes quondam in Lycia habitasse ipsamque regionem propterea Gigantiam dictam esse legimus[8]). Non minus admirandae molitionis opera etiam apud Cyzicum erant, portu ingentibus lapidum molibus obstructo, quamobrem horum quoque conditores gigantes fuisse credebantur[9]). Lyciis autem illis Tirynthiorum moenium conditoribus etiam Cyclopum nomen inditum est,

7) Strab. VIII. q. 373: *τῇ μὲν οὖν Τίρυνθι ὁρμητηρίῳ χρήσασθαι δοκεῖ Προῖτος καὶ τειχίσαι διὰ Κυκλώπων, οὓς ἑπτὰ μὲν εἶναι, καλεῖσθαι δὲ γαστερόχειρας, τρεφομένους ἐκ τῆς τέχνης· ἥκειν δὲ μεταπέμπτους ἐκ Λυκίας.* Auctorem huius narrationis Straboni Hecataeum fuisse probabiliter Creuzerus statuit, Histor. gr. antiqu. fragm. p. 72: et agnoscimus Hecataei rationem pragmaticam, quum fabulas ad quandam verae historiae similitudinem immutare conaretur, quam Lobeckius Agl. p. 986 eum secutum esse ostendit, etiam in eo, quod Cyclopes mercenarios quosdam fecit, manuum opera victum quaerentes ideoque *γαστερόχειρας* dictos. Genuinam veteris fabulae formam fidelius servassc videtur Pherecydes, qui item Cyclopum mentionem fecit, eosque a Perseo in Argolidem e Seripho deductos tradidit. Schol. Apollon. IV, 1090. Nam Bronten, Steropen, Argen, quos ille Cyclopes nominavit (Schol. Eur. Alc. v. 1.) vix pro mercenariis haberi potuisse credas. Praeter hos Aorten Cyclopem ab eo commemoratum esse e Polluce X, 139 discimus.

8) *Γιγαντία ἡ Λυκία πρότερον καὶ οἱ κατοικοῦντες Γίγαντες.* Hesych. s. v. Lex. Seguer. p. 232, 19. Etym. M. p. 221, 19.

9) Steph. Byz. s. v. *Βέσβικος*, quod nomen insulae fuit portui Cyzicenorum obiectae: *Ἀγαθοκλῆς ἐν πρώτῃ περὶ Κυζίκου φησίν, ὅτι κτίσμα ἐστὶ Φερσεφόνης καὶ ὄνομα ἔχει γίγαντος· οἱ γὰρ γίγαντες ἀπορρήξαντες αἰγιαλοὺς ἐκύλιον διὰ τῆς θαλάσσης, ἐγχῶσαι τὰς ἐκβολὰς τοῦ Ῥυνδακοῦ ζητοῦντες.* Eosdem Apollonius Arg. I, 989, *Γηγενέας* dicit, h. e. Terrigenas, quam significationem plerique et veteres et recentiores etiam in *γιγάντων* vocabulo inesse credunt: falsone an vere, non opus est nunc quaeri. Sed Deiochus Proconnesius, medii fere saeculi quinti a. C. scriptor, similem quandam cum Hecataeo rationem pragmaticam secutus, Cyzicenos istos non gigantes sed item mercenarios *ἐγγαστρόχειρας* fuisse voluit e Thessalia advectos, quemadmodum schol. Apollon. I, 996 (in cod. Paris. ap. C. Müller, Fragm. histor. gr. II p. 18.) refert. Nec diversa fuit eorum sententia, qui eos Pelasgos dixerunt. Schol. Ap. I, 987. Steph. Byz. l. l.; quamquam Agathoclem in his fuisse, id quod e Stephani loco aliquis coniiciat, non credo. Miscuit epitomator diversas relationes.

quod cur factum sit postea quaeremus: iidem ut septem numero fuisse dicerentur, probabiliter cum Goettlingio nostro propter portarum numerum factum esse statuemus[10]). Patriam autem Cyclopibus non solum Lyciam sed etiam Thraciam assignari videmus: hinc pulsos alios alio, plerosque in Curetum terram concessisse, hoc est in Euboeam, ibique arma Curetibus ex aere, quo haec insula abundabat, fabricasse[11]). Et fabricae quum aerariae tum ferrariae inventores Cyclopes vulgo creditos esse Plinius retulit[12]). Nimirum qui ingentia illa aedificia extruxissent, eosdem etiam fabricae haud expertes haberi consentaneum fuit. Atque hinc factum arbitror, ut Jovi quoque arma a Cyclopibus fabricata dicerentur, ante scilicet quam deorum faber Vulcanus natus esset. Hunc enim Juno peperit, si minus ex Jove, certe tamen posteaquam Jupiter imperio potitus est, Saturno et Titanibus superatis; armis autem ac telis in ipso illo cum Titanibus certamine Jovi opus fuit, quamobrem horum fabri antiquiores quaerendi erant: neque improbabilis coniectura est, Hesiodeae theogoniae auctorem primum hoc munus Cyclopibus tribuisse, quippe quum, quos primos fabros fuisse accepisset, eosdem etiam Jovi arma fabricasse haud inconveniens esse iudicaret. Utut est, hoc quidem constat etiam veteribus fabularum enarratoribus non diversi generis hos Jovialium telorum fabros ab illis moenium Cyclopiorum conditoribus visos[13]), eosdemque

10) Goettling, gesammelte Abhandl. I p. 25. Minus probo quod idem Lycios Cyclopes dictos esse suspicatur propter arcis Tirynthiae nomen Licymniam aut Lycimniam.

11) Schol. Eurip. Orest. v. 965: *Κύκλωπες Θρᾳκικὸν ἔθνος ἀπὸ Κύκλωπος βασιλέως οὕτως ὀνομαζόμενον· οὗτοι πολέμῳ ἐξαναστάντες ἐκ τῆς ἰδίας ἄλλοι ἄλλως ᾠκίσθησαν, πλείονες δὲ αὐτῶν ἐν τῇ Κουρητίδι.* Rex ille, a quo nomen acceperunt, Caeli filius dictus esse videtur. Certe Hellanicus ap. schol. ad Theog. v. 139 hunc Caeli filium memorat ab eoque natis nomen inditum, quos Hesiodus ipsos Caeli filios esse vult. — Curetis ap. schol. Eurip. quin Euboea sit dubitari non potest, licet illo nomine etiam alias regiones, Aetoliam et Cretam appellari videamus. Nam in Euboea Curetes primos arma a Cyclopibus fabricata induisse fabulae ferebant, quemadmodum ex Istro refert schol. Il. X, 439. Eandem rem, quamquam absque diserta Cyclopum mentione, etiam Strabo memorat X p. 472 et ex Epaphrodito Steph. Byz. s. v. *Αἴδηψος*. Cf. Lobeck. Agl. p. 1131 sq.

12) Hist. nat. VII, 56 p. 477. Gron.

13) Schol. Eurip. Or. v. 963. *Κύκλωπες δὲ οἱ ἐγχειρογάστορες περιετείχισαν τὰς Μυκήνας, οὓς ἡ ἱστορία φησὶ τὸν κεραυνὸν τῷ Διὶ κατασκευάσαι.* Eustath. ad Il. II, 559 p. 286, 20. *Δοκεῖ δέ, φασιν, ὑπὸ τῶν Κυκλώπων τειχισθῆναι [ἡ Τίρυνς] τῶν κατὰ τὸ Ἄργος, οἳ καὶ ἐγχειρογάστορες ἐκαλοῦντο καὶ*

non solum Jovi fulmina sed etiam Neptuno tridentem, Plutoni galeam fabricasse dictos esse [14]). Quamquam de tridente controversiam Cyclopibus Telchines moverunt,[15]) et ipsi Jove eiusque fratribus antiquiores, quippe qui etiam falcem Saturno fabricaverint, qua is patris Caeli genitalia demessuit.[16]) Sed Telchines isti Rhodiorum maxime et Cretensium ac Cypriorum fabulis celebrabantur, videturque origo eorum e Phoenicum, qui olim has insulas tenuerunt, mythologia repetenda esse,[17]) Cyclopes autem Graecis eorumque cognatis Asianis magis proprii fuisse videntur, quumque illi calliditate ac malitia insignes et magicarum quoque artium periti, et quamvis ingenti robore, corpore tamen exiguo et fere pumiliones essent, hi contra in gigantibus numerandi sunt, a ceteris eiusdem generis nomine magis quam natura discreti. Atque hinc fortasse illud quoque explicandum est, quod nonnulli eos e Thracia repetiverunt, quam etiam gigantum sedem a multis habitam fuisse constat.[18]) De gigantum autem natura et notione genuina satis nunc inter peritos constare arbitror,[19]) nihil aliud primitus horum personis significatum esse nisi vires quasdam naturae immoderatas atque indomitas partim caelestes atque aerias partim maritimas partim terrestres, quae in tempestatibus violentisque earum mutationibus, in procellis, terrae motibus montiumque ignivomorum eruptionibus, in fluctibus et exundationibus aquarum dominarentur, quumque modum atque ordinem legitimum

---

χειρογάστορες, οἷα χειροτέχναι. — ὁ δὲ μῦθος τερατολογεῖ τῆς γαστρὸς ἑκάστῳ αὐτῶν ἐκπεφυκέναι τὰς χεῖρας. ὑπὸ τούτων γοῦν, φασί, τῶν Κυκλώπων ἐτειχίσθη τὸ Ἄργος, οὐχ ὑπὸ τῶν Σικελικῶν, οἷς οὐδὲν κοινὸν πρὸς τούτους, τρεῖς ὄντας ἢ ἑπτὰ κατά τινας, ὧν ἑκάστῳ εἷς ὀφθαλμὸς ἐνέκειτο μετώπῳ κατὰ Ἡσίοδον.

14) Apollodor. I, 2, I, 3.

15) Callimach. hymn. in Del. v. 31: *ἄορι τριγλώχινι, τό οἱ Τελχῖνες ἔτευξαν.*

16) Strab. XIV p. 654. Eustath. ad Dionys. Perieg. 501.

17) Cf. Spanhem. ad Callim. h. in Del. p. 404 Ern. Hoeck, Creta I p. 345sqq. Lobeck. Agl. p. 1182sqq.

18) Apollod. I, 6, 1. Diodor. IV, 15. V, 71. Pausan. I, 25, 2. VII, 29, 2. Schol. Apoll. Rh. III, 234.

19) Vid. imprimis Fr. Wieseleri dissertationem de gigantibus summa cum eruditione et subtilitate scriptam, in Encyclop. Litt. et Artt. Sect. 1 vol. 67 p. 141—184. Similis autem quam apud Graecos gigantum natura etiam in maiorum nostrorum Germanorum fabulis apparet, de quibus accurate nuper exposuit Weinholdus in Relatt. Acad. Vindob. (Sitzungsberichte d. k. k. Ak. d. W.) ann. 1858 Febr. p. 225 sqq.

naturae excederent ac perturbarent, ut plurimum diis legitimi ordinis moderatoribus adversari atque infesti esse viderentur, licet nonnunquam etiam potestati eorum servirent imperiisque parerent. Neque mirabimur, si huiusmodi naturis etiam honorem quendam ab hominibus exhibitum sacraque facta viderimus, scilicet quo minus vim suam in hominum perniciem exercerent. Quamquam perpauca tantum huius rei vestigia in veterum monumentis servata sunt. Horum unum maxime obscurum illud est, quod ex fabulosis Athenarum antiquitatibus refertur: Minois Cretensis bello, quum Athenienses etiam fame ac pestilentia vexarentur, oraculi monitu Hyacinthi filias ad Geraesti Cyclopis sive aram sive tumulum immolatas esse.[20]) Hyacinthum eiusque filias vernantis terrae dotes significare facile credimus, quae quum Geraesto sacrificantur, infestum huius numen agnoscimus, cuius ira quum clades Atheniensibus immissae viderentur, sacrificiis eum placandum esse admonebantur. Geraesti nomine etiam promontorium oppidumque in Euboea fuisse notum est, in quam insulam quum aliquando Cyclopes se recepisse dicantur, horum unum promontorio nomen dedisse haudquaquam improbabile est. Neque obstat huic coniecturae, quod a nonnullis Geraestum hunc Euboicum Jovis filium creditum esse accepimus[21]): nihil enim in fabulis magis varium atque inconstans esse videmus quam genealogias, Jovisque tam late patens numen ac natura est, ut facile etiam Cyclopis unius atque alterius parens haberi potuerit, non minus quam frater eius Neptunus, qui Polyphemi Cyclopis pater esse dicebatur. Atque etiam Geraestum fortasse ab aliis Neptuni filium habitum esse colligas,[22]) quandoquidem huius dei religiones in Geraesto promontorio prae ceteris celebratas esse constat[23]). Ipsum nomen *Γεραιστός* honores olim Cyclopi illi habitos esse testatur, quippe a verbo *γεραΐζω* deflexum, quod licet in superstitibus linguae graecae monumentis non inveniatur, formam tamen habet prorsus legitimam, et quemadmodum *γεραστός* a verbo

20) Apollodor. III, 15, 8, 4. Cf. Schwenck in Museo Rhen. vol. VI (ann. 1839 p. 536.

21) Steph. Byz. s. v. *Γεραιστός*.

22) Quod Heynius ad Apollodor. l. l. a Stephano Byz. s. v. *Παρθενόπολις* Geraestum Neptuni filium commemorari ait, in errore versatur.

23) Strab. X p. 446. Steph. Byz. l. l. Schol. Pind. Ol. XIII, 159. cf. C. F. Hermann. Antiqu. sacr. §. 65, 2.

item parum usitato nec nisi apud grammaticos servato *γεράζω*,[24]) sic a *γεραΐζω γεραϊστός* aut coalescentibus vocalibus *γεραιστός* factum est. Quam ob causam autem Geraesto illi honor habitus, et qualis eius vis ac natura visa sit, accuratius a nobis definiri nemo postulabit: verum hoc saltem apparere arbitramur, numen eius infestum habitum placandumque aliquando sacrificiis non solum in Euboea sed etiam in Attica visum esse. — Alterum cultus Cyclopibus praestiti exemplum, non fabulosum illud sed certa rerum fide traditum, apud Pausaniam extat, qui sua adhuc aetate aram Cyclopibus in isthmo consecratam esse memorat, in eaque sacra illis a Corinthiis fieri.[25]) Neque errabimus, opinor, si tertium his adiungamus honorem a Trapezuntiis in Arcadia fulguribus, procellis et tonitribus habitum, licet non Cyclopes ab illis sed Gigantes invocati esse videantur,[26]) quo nomine etiam Cyclopes comprehendi potuisse manifestum est. Arcadiam autem pariter atque Lyciam, unde Cyclopes Tirynthii arcessiti dicebantur, olim *Γιγαντίδα* vocatam esse audimus,[27]) utpote a Gigantibus habitatam, quorum unus Hoplodamus in Arcadum fabulis celebrabatur propter auxilium Rheae parturienti latum.[28]) Nam quum illa Jovem enixura ad montem Thaumasium prope Methydrium se contulisset, convocatos esse ab Hoplodamo Gigantes, qui Saturnum partui insidiantem arcerent ac repellerent. Hoc auxilium apparet quam simile sit Curetum ministerio, quos Cretensium fabulae Jovi recens nato custodes apposuerunt: hos autem cum mythologis doctissimis Lauero et Prellero[29]) nubes significare dicemus fulmen ac tonitrua iaculantes, quo puerulum Jovem ab adversariis defendant: quae significatio quantopere etiam Arcadibus illis Gigantibus conveniat quilibet sua sponte intelligit. — Non minus autem facile ad intelligendum est, quam proclivis error veteribus ipsis fuerit, ut obscurata priscarum de Gigantibus, Curetibus similibusque personis fabularum

---

24) Hesych. s. v. *γεράζεται, τιμᾶται.* Etym. M. p. 227, 41. *Γεραιστὸς, ἀκρωτήριον Εὐβοίας, ἱερὸν Ποσειδῶνος· παρὰ τὸ ἐν αὐτῷ γεραίρεσθαι τὸν Ποσειδῶνα· παρὰ τὸ γερῶ, γεράζω, γεραστός.*

25) Pausan. II, 2, 2.

26) Vid. Id. VIII, 29, 1.

27) Steph. Byz. s. v. *Ἀρκάς: ἐκλήθη δὲ καὶ Λυκαονία· οἱ δὲ καὶ Γιγαντίδα φασίν.*

28) Pausan. VIII, 32, 5. 36, 2. De Jove in Arcadia nato cf. Opusc. ac. II p. 255.

29) Vid. Lauer. System. d. griech. Mythol. p. 189. Preller. Myth. I p. 86.

genuina significatione, illi omnes ex indomitis atque immoderatis naturae viribus ac motibus in quoddam priscorum hominum genus transmutarentur, hos quidem, qui postea extiterunt, magnitudine corporum ac robore longe superantium, ceterum pariter mortalitatis conditioni obnoxiorum, ac propter nimiam ferociam, quum etiam insurgere adversus deos auderent, tandem ab his extinctorum.[30]) Talem de Gigantibus opinionem iam Homeri aetate pervagatam fuisse cognoscimus, quum gentem eorum penitus deletam audiamus[31],) cognatos autem eorum Cyclopes in remotissima quadam regione feros atque incultos deorumque contemptores habitare, ad quos quod Ulixem delatum unumque eorum ab illo occoecatum esse poeta narrat, dubitari non potest, quin vetustam aliquam fabulam arripuerit suoque consilio adaptaverit, genuinae significationis aut ignarus aut incuriosus. Sedem Cyclopibus aut Hyperiam aut certe propinquam Hyperiae assignat,[32]) quo nomine in vetusta fabula vix quidquam nisi superior quaedam et aëria regio significata videri potest.[33]) Posteriores nemo nescit his Homeri Cyclopibus Siciliam habitandam dedisse, cuius opinionis antiquissimum e superstitibus testem Thucydidem habemus.[34]) Quod quum in eadem insula propter Aetnam montem etiam Vulcani officinam esse fabularentur, huic socios Cyclopes atque ministros adiunxerunt, scilicet quia Cyclopes etiam fulminum Jovialium fabros fuisse acceperant, quamvis Homericos illos longissime ab huiusmodi ministerio omnique arte fabrili abhorrere manifestum sit. Neque recentiores Siculi dubitarunt, quin a Cyclopibus quondam et Gigantibus insula sua habitata sit, cuius rei certissima documenta proferunt ingentia quaedam corpora in aliquot Siciliae partibus inventa, quorum dentes aliaque ossa et a se et ab aliis visa esse Fazellus asseverat.[35])

Longe propius ad veram et genuinam Cyclopum significationem tres illi apud Hesiodum accedunt, quamquam is ex omni numero, qui quin maior ab initio creditus sit non dubito, tres tantum ascivit, Bronten, Steropen, Argen, scilicet quod pluribus non opus erat ad fulmi-

30) Varias de gigantomachia narrationes diligenter composuit Wieselerus l. l. p. 142 sqq.

31) Od. VII, 58—60.

32) Ib. VI, 4. 5. ubi ἄνδρες ὑπερηνορέοντες vocantur.

33) Sic statuit Car. Guil. Osterwald, Homerische Forschungen. I. Hermes-Odysseus p. 40, probabilius quam Nitzschius ad Od. tom. III p. XXVII.

34) Thucyd. VI, 2.

35) De rebus Siculis: Dec. II lib. 1. c. 1. p. 289.

num fabricam. Nec dissimile veri est id quod iam supra significavimus, primum Hesiodum, aut quemcunque theogoniae compositor auctorem habuit, hanc fabricam Cyclopibus assignasse, quippe quod hoc nomine primos fabros fuisse acceperat. Causam nominis, ipsi haud dubie incompertam, suo modo interpretatur: munus autem, ut fulmina Jovi fabricent, iam statim, ubi de ortu eorum refert, licet illo tempore nullus adhuc Jupiter esset, sibi commemorandum esse putavit, propterea scilicet, quod rem aut nulli aut paucis notam esse sciret.

Sed de nomine Cyclopum, quid proprie significet et quam ob causam huic Gigantum generi inditum sit, perobscura quaestio est multisque modis, et satis nonnunquam aut mirifice aut absurde tractata. Fuerunt qui, sicut alia nomina multa, quae ex Graecorum sermone commode explicari posse desperarent, sic etiam hoc Cyclopum nomen origine barbarum et a Graecis in sui sermonis similitudinem corruptum esse statuerunt. Nam Chek-loub a Phoenicibus dictos fuisse qui circa sinum Lilybaetanum incolerent homines feros et incultos, quales fere Homerus describit, atque hinc nomen in alios quoque translatum.[36] Qui autem graecum vocabulum esse agnoscunt, de significatione tamen longissime inter se discrepant. Alii enim circumspectores designari volunt, hoc est nihil aliud quam priscorum Pelasgorum augures[37]: alii astrologos, item, a circumspiciendo dictos, aut quia orbes caelestes contemplarentur[38]: alii stellas ipsas propter formam orbicularem[39]), rursus alii metallarios, qui quum sub terra opus facerent, lucernas in fronte alligatas haberent.[40] Nos ipsi olim nihil aliud nisi feritatem vultus hoc nomine designari credidimus[41]: rotundari enim oculos eorum, qui vehementi furore agitarentur, tumescere et quasi extare videri: nec displicuit haec opinio

36) Bochart. Chan. I c. 30, quem sequitur Clericus ad Hes. theog. v. 139.

37) Rückert, Dienst d. Athene p. 131. — Liberalius etiam Fazellus l. l. omnium artium cycliarum peritiam Cyclopibus tribuit, atque hinc nomen inditum volt.

38) L. Hug. Ueb. den Mythus d. alt. Völk. p. 162.

39) Schwartz, die altgriech. Schlangengotth. Progr. gymn. Berol. Werderiani ann. 1858. p. 9.

40) Hirt. Gesch. der Baukunst p. 198 et in Wolf. Analect. I p. 154. — Obiter etiam Feuerbachii (Nachgel. Schr. II p. 100) et Klenzii (in Bött. Amalth. III p. 78) mentio facienda est, qui vetusta quaedam artificum collegia Cyclopes fuisse volunt. Nec longe diversa videtur Böttigeri sententia Kunstmyth. II p. 90 sqq.

41) Opusc. ac. II p. 95.

uni ex sollertissimis mythologis populari nostro Lauero.[42]) Et ad formam oculorum nomen pertinere etiam Röthius et Lennepius censuerunt, quamquam diversa uterque ratione. Alter enim initio Cyclopes non diversos a Cabiris esse voluit, quorum imagines magnis et rotundis oculis conspicuas esse affirmat,[43]) alter autem Cyclopes, quos Graeci aut e Lycia aut e Thracia advenisse dicant, re vera Celtas fuisse statuit, cui genti magni et rotundi oculi proprii essent: nam Celtarum terram etiam Thraciae nomine comprehendi potuisse, et extare passim vetustissima quaedam Celtarum monumenta his quae cyclopia a Graecis dicuntur non absimilia.[44]) Alii autem, quum Cyclopes etiam unoculi fuisse perhibeantur pariter atque Arimaspi fabulosi, ad horum similitudinem illos effictos esse opinati sunt, Strabonem auctorem secuti,[45]) a quibus Vossius dissentiens Arimaspos potius ad Cyclopum quam Cyclopes ad Arimasporum exemplum unoculos factos esse arbitratur.[46]) Nuperime autem extitit, qui nihil omnino ad oculos eorumque formam hoc nomen pertinere coniiceret, sed corruptum esse ex eo quod est κλώψ, cum reduplicatione κέκλωψ, quo vocabulo designatas esse naturas quasdam maleficas, bonorum deorum beneficia, fruges atque fructus aliasque dotes furari atque eripere hominibus solitas.[47]) Reduplicationem fortasse propterea additam credit, quo non simpliciter sed dupliciter aut tripliciter fures esse designentur.

Haec omnia quin longe a vero absint dubitari non potest: unam probabilem sententiam eorum esse iudicamus, qui fabulosis illis antiquorum moenium atque arcium conditoribus, quos olim Gigantes habitos fuisse constat, nomen illud propter formam aedificiorum impositum esse statuunt.[48]) Moenia enim arcium atque urbium κύκλους a Graecis vocari notum est. Neque illud fortasse improbari possit,

42) Syst. d. gr. Myth. p. 161.
43) Röth. unsere abendländ. Philos. tom. I not. p. 123.
44) Ad Hesiod. th. v. 142 p. 200.
45) Strab. I, p. 21.
46) Epist mythol. II, 16 p. 133. ad Verg. Georg. p. 192. Antisymb. I. p. 241.
47) Osterwald, l. l. p. 31.
48) Nisi fallor fuit haec Hüllmanni sententia, cuius dissert. de Cercopibus et Cyclopibus, Bonnae 1826 editam, inspicere nunc non possum. Eandem Fr. Krusius protulit, Hellas I p. 440, et Göttlingius, Ges. Abh. I p. 25. Nec Walzius ab ea abhorret, in Paul. Encycl. real. V p. 245. Denique Bursianus quoque in Quaestt. Euboic. Cyclopum appellationem ab aedificiis repetit.

si quis veram ac genuinam nominis formam non *Κύκλωψ* sed *Κύκλοψ* fuisse suspicetur, ad exemplum aliorum nominum pariter in *οψ* desinentium, veluti *Δόλοψ*, *Δρύοψ*, quibus etiam *Ἕλλοψ*, *Πέλοψ*, *Κέκροψ*, *Μέροψ*, *Μόψοψ* [49]) addere licet, quae omnia, quamvis de significatione postremae partis parum constet [50]) dubitari tamen non potest, quin populorum nomina fuerint, partim quidem obsoleta et cum aliis postmodo commutata, partim autem usurpari nunquam desita. Quodsi giganteos illos *κύκλων* conditores initio *Κύκλοπας* dictos esse sumimus, apparet quam facile hinc ad alteram formam aberrari potuerit, ut *Κύκλωπες* vocarentur, nomenque ad oculorum formam pertinere crederetur, quo accessit deinde, ad augendum scilicet monstrorum miraculum, ut etiam *μόνωπες* sive unoculi fuisse perhiberentur. Id de suis Cyclòpibus, fulminum fabris, Hesiodus disertissime inculcat, de Homericis, quantumvis ceteroquin mutatis, dubitari non potest.

Scrib. Gryphiswald. Non. Mart. MDCCCLIX.

---

49) De hoc cf. Meinek. Analect. Alex. p. 381. Reliqua nomini ignota sunt.

50) Vid. G. Curtius, Etymol. gr. I p. 95 et 240.

DE EPICURI THEOLOGIA.

In Epicuri epistola ad Menoeceum, quae bene beateque vivendi rationem brevi praeceptorum summa comprehensam proponit, primum praeceptum est de vera pietate adversus deos. Haec eo constare dicitur, ut et esse di credantur et vita frui immortali atque beata, sicut communis apud omnes pervagataque deorum notio ferat, arceatur autem et removeatur quicquid aut immortalitati aut beatitudini adversetur, cuiusmodi plurima in populari religione poetarumque fabulis in deos transferantur. Impium igitur esse non qui huiusmodi deos populares et fabulosos respuat, sed qui vulgi opinionibus temere assentiatur: neque enim *προλήψεις* has dicendas esse, h. e. notiones veras ipsaque natura duce in hominum animis informatas, sed *ὑπολήψεις* tantum, h. e. opinationes vanas atque commenticias errore iudicii susceptas adeoque etiam cum communi notione deorum pugnantes, ut, qui eas susceperint, secum ipsi pugnare dicendi sint, quippe quum, quales ex communi notione deos esse profiteantur, tales haudquaquam tamen retineant[1]).

---

1) Verba Epicuri apud Diogenem L. X, 123 sic scripta sunt: *οἵους αὐτοὺς* (h. e. *τοὺς θεοὺς*) *οἱ πολλοὶ νομίζουσιν, οὐκ εἰσίν· οὐ γὰρ φυλάττουσιν αὐτοὺς οἵους νομίζουσιν.* sed quamvis negligenter Epicurum scribere solitum esse non modo veterum testimoniis credamus sed etiam ex ipsius opusculis, quae aetatem tulerunt, intelligamus, vix tamen tantam eius incuriam fuisse arbitror, ut non intelligeret, quam perversum esset idem verbum *νομίζειν* in eodem contextu primum de vulgi opininione falsa et reiectanea, mox autem de vera notione, quae teneri debuerit, usurpatum. Scripsisse eum suspicor, *οὐ γὰρ φυλάττουσιν αὐτοὺς οἵους ὁρίζουσιν.* Hoc enim, *ὁρίζειν*, dicitur de iis, qui aliquid pro certo statuunt et eloquuntur, *προφέρονται μετὰ συγκαταθέσεως*, ut ait Sextus Empiricus Pyrrhon. hypot. I, 197. Nec aliunde ductum est nomen *τῆς ὁριστικῆς ἐγκλίσεως*, quo nomine verbi modus indicativus a grammaticis appellatur. Apollonius quidem, de constr. III, 19, p. 245, 5 medii forma utitur: *διὰ γὰρ ταύτης* (*τῆς ἐγκλίσεως*) *ἀποφαινόμενοι ὁριζόμεθα*, et c. 6, p. 207, 23 *γράφεις* idem significare ait atque *ὁρίζομαί σε γράφειν*, quum apud philosophos haec forma

Conspirant prorsus haec Epicuri praecepta cum ceteris philosophis, quicumque non in atheorum numero censendi sunt, potueruntque quae ille dixit iisdem plane verbis etiam a Stoicis dici, acerrimis ceteroquin Epicuri adversariis. Et tamen omnis Epicuri theologia ab ea quam Stoici probabant, toto caelo, ut aiunt, distabat, et quum hi quidem religionem emendare et quodammodo fulcire conarentur, Epicurus contra omnem religionem, quae quidem vere sic dicenda sit, funditus sustulisse et ex hominum animis evellisse non iniuria accusatur. Hoc unum enim inter utrosque convenit, ut vulgi opiniones de dis impugnent atque reiiciant; de natura autem deorum et de veneratione cultuque eis debito nihil inter eos commune est. Huius discrepantiae si causas quaerimus, hae duae se nobis offerunt, altera, quod quo modo notio deorum in hominum animis nata esset, alia Stoicorum, alia Epicuri sententia fuit, quum illi causam eius ab admiratione rerum caelestium omnisque rerum naturae contemplatione repeterent, qua permoti homines numinis divini, quo haec regerentur, notionem concepissent, Epicurus autem deorum notionem non aliunde quam ab imaginibus quibusdam divinis in animos hominum illapsis derivari posse statueret. Altera causa haec erat, quod, quum beatitudinem quidem utrique dis tribuerent, de ipsa tamen beatitudine prorsus diversa sentiebant. Nam Stoici nullo modo abhorrere eam iudicabant a mundi totius administratione, quumque beatus nemo esse posset nisi cum virtute et sapientia, nec virtus esse posset sine actione, deorum autem

---

magis propriam definiendi significationem habere soleat. Sed quam propinquae hae significationes sint manifestum est. Et potuisset Epicurus in illa epistola etiam *ὁρίζονται* scribere, quemadmodum scriptum est de Stoicis apud Ps. Plutarchum de plac. phil. 1, c. 6: *ὁρίζονται τὴν τοῦ θείου οὐσίαν οὕτως· πνεῦμα νοερὸν καὶ πυρῶδες κτλ.*; nam ad definiendam deorum notionem, qualem ex communi persuasione omnes profitebantur, satis videri poterat, ut dicerentur immortales et beati, siquidem haec duo adeo deorum proprla sunt, ut si quis *μάκαρας καὶ ἀθανάτους* dici audiat, statim deos dici intelligat. — Obiter addere libet etiam alterius loci corrupti in eiusdem Epicuri epistolae principio §. 124 emendationem necessariam, incohatam a Gassendo, sed non perfectam. Legitur ibi, post commemoratas falsas vulgi de dis opiniones: *ἔνθεν αἱ μέγισται βλάβαι αἰτίαι τοῖς κακοῖς ἐκ θεῶν ἐπάγονται καὶ ὠφέλειαι τοῖς ἀγαθοῖς.* Correxit Gassendus verissime, *ἔνθεν καὶ μεγίστας βλάβας τοῖς κακοῖς ἐκ θεῶν ἐπάγεσθαι καὶ ὠφελείας τοῖς ἀγαθοῖς*, non debebat autem *αἰτίαι* delere, sed in *αἰτιῶνται* mutare. In proximis verbis, *ταῖς γὰρ ἰδίαις οἰκειούμενοι διὰ παντὸς ἀρεταῖς τοὺς ὁμοίους ἀποδέχονται*, post *τοὺς* addendum puto *θεούς*.

maiestate dignior actio nulla esset quam mundi administratio, ne beatos quidem deos futuros esse nisi cum virtute et sapientia mundum administrarent. Epicuro autem, qui beatum esse neminem censeret nisi otiosum, omnique cura et labore vacuum, illud administrandi mundi negotium tam grave tamque laboriosum esse videbatur, ut non posset non officere beatitudini, ideoque longe esset a deorum conditione seiungendum[2]), quum praesertim permulta in mundo esse fierique videremus divinae sapientiae et bonitati haud sane consentanea[3]). Sic igitur quum a mundi administratione rerumque humanarum procuratione deos procul arceret neque quicquam ab iis aut boni aut mali ad homines permanare vellet, sed nihilo minus tamen venerandos eos et colendos esse diceret propter naturae divinae praestantiam[4]), non sane mirum est, quod plerique eum ludere dixerunt veramque animi sententiam detestandae invidiae causa dissimulare[5]). His quid opponi possit quum ab aliis tum a me ipso significatum est, ad Ciceronis librum primum de natura deorum p. 31 ed. 3. Sed quum alia quoque nonnulla esse videam in Epicuri placitis theologicis, de quibus partim ab antiquis eius adversariis[6]), partim a recentioribus quibusdam historiae philosophicae scriptoribus non recte iudicetur, operae pretium me facturum spero, si de his quid mihi videatur, paullo accuratius exposuerim.

Primum igitur esse deos Epicurus profitebatur propterea, quia communem hanc, ut quidem ipsi videbatur, et constantem omnis humani generis persuasionem non aliter existere potuisse existimabat nisi naturali quadam anticipatione — sic enim cum Cicerone *πρόληψιν* dicere licet — : hanc autem anticipationem nasci in hominum animis non potuisse nisi visione aliqua deorum oblata. Haec enim erat doctrina atomistica, quam a Leucippo et Democrito traditam Epicurus

2) *Οὐ γὰρ συμφωνοῦσι πραγματεῖαι καὶ φροντίδες καὶ ὀργαὶ καὶ χάριτες μακαριότητι*, inquit Epicurus in epistola ad Herodotum §. 77. Cf. epist. ad Pythoclem §. 97. 116. Cic. de nat. deor. 1, 20, 52.

3) Hoc argumento utitur Lucretius V, v. 199 sqq.

4) Cic. de nat. deor. 1, 17, 45. 20, 56. Cf. Senec. de benef. IV, 19.

5) Cic. l. l. 1, 44, 123. Cf. 30, 85. 41, 115.

6) Hi significari videntur a Philodemo *π. εὐσεβείας*, cuius libri fragmenta misere lacera edita sunt in Herculanensium collectione altera, Neapoli 1862, tom. II, p. 27, ubi haec verba leguntur: *οὐδ᾽ ἐξ ἀλύπτου τὰ δοκοῦντα περὶ θεῶν Ἐπικούρῳ συνεῖδον.*

tanquam unice veram adoptaverat, ut quaecunque in animo notiones informarentur, harum originem causamque ab imaginibus repeterent extrinsecus in animum illapsis visionemque efficientibus[7]). Constare autem has imagines censebant atomis sive individuis corpusculis longe subtilissimis et quolibet vel tenuissimo corpore ex eorum genere, quae manibus tangi possunt, longe tenuioribus, et esse earum alias, quae oculos lacesserent et hinc ad animum deferrentur, alias autem, quae oculis quidem non perciperentur, sed propter summam tenuitatem ad ipsum statim animum perlaberentur[8]). Effici quidem imagines non modo atomis ex aliquo corpore manantibus eiusque unde manarent formam ac speciem referentibus, sed nonnunquam etiam fortuita quadam et spontanea vagantium per aera atomorum in hanc vel illam formam coniunctione[9]): sed huiusmodi imagines perquam mutabiles esse et inconstantes aliterque aliis se offerre: deorum igitur notionem, unam apud omnes et constantem, non potuisse nisi ex illo genere imaginum nasci, quae non essent fortuitae, sed ex rebus veris atque corporeis emissae, quarum speciem formamque referentes notionem earum in animis efficerent. Quod quum tamen non, ut aliarum rerum, sic deorum quoque imagines per oculos perciperentur, hinc consequi naturam earum longe quam illarum tenuiorem esse, ut oculis non affectis ad ipsum animum penetrare possent[10]). Et ne ab animo quidem eas percipi, nisi quum is nulla alia re, quae fortius eum moveret, occupatus et praepeditus, affici earum incursione et moveri posset, id

7) Cf. Ps. Plutarch. de plac. phil. IV, 8: *Λεύκιππος, Δημόκριτος τὴν αἴσθησιν καὶ τὴν νόησιν γίνεσθαι εἰδώλων ἔξωθεν προσιόντων· μηδενὶ γὰρ ἐπιβάλλειν μηδετέραν χωρὶς τοῦ προσπίπτοντος εἰδώλου.* Sententia quidem plana; sed in altero membro scribendum censeo *μηδένα γὰρ ἐπιβάλλειν μηδετέρᾳ.* Nam solet *ἐπιβάλλειν* quum ab aliis tum ab Epicuro de animo dici qui in aliquam vel visionem vel notionem sese iniicit et incumbit, unde nomen *ἐπιβολή*, quod Lucretius II, 739 latine vertens a n i m i i n i e c t u m dicit. Cf. etiam Schneider. ad Epicuri Physica p. 65. Lachmann. ad Lucret. p. 134.

8) Lucret. IV, 732:

> Quippe etenim multo magis haec sunt tenuia textu
> quam quae percutiunt oculos visumque lacessunt,
> corporis haec quoniam penetrant per rara cientque
> tenuem animi naturam intus sensumque lacessunt.

9) De his vid. Lucret. IV, 130 sqq., de illis v. 36 sqq.

10) Haec est quam Ps. Plutarch. 1, 7, 15 et Stobae. Ecl. 1, p. 66: *λεπτομέρειαν τῆς τῶν εἰδώλων φύσεως* dicunt: quamquam quod propter hanc unam deos tantum *λόγῳ θεωρητούς* fuisse volunt, non concedendum est.

maiestate dignior actio nulla esset quam mundi administratio, ne beatos quidem deos futuros esse nisi cum virtute et sapientia mundum administrarent. Epicuro autem, qui beatum esse neminem censeret nisi otiosum omnique cura et labore vacuum, illud administrandi mundi negotium tam grave tamque laboriosum esse videbatur, ut non posset non officere beatitudini, ideoque longe esset a deorum conditione seiungendum[2]), quum praesertim permulta in mundo esse fierique videremus divinae sapientiae et bonitati haud sane consentanea[3]). Sic igitur quum a mundi administratione rerumque humanarum procuratione deos procul arceret neque quicquam ab iis aut boni aut mali ad homines permanare vellet, sed nihilo minus tamen venerandos eos et colendos esse diceret propter naturae divinae praestantiam[4]), non sane mirum est, quod plerique eum ludere dixerunt veramque animi sententiam detestandae invidiae causa dissimulare[5]). His quid opponi possit quum ab aliis tum a me ipso significatum est, ad Ciceronis librum primum de natura deorum p. 31 ed. 3. Sed quum alia quoque nonnulla esse videam in Epicuri placitis theologicis, de quibus partim ab antiquis eius adversariis[6]), partim a recentioribus quibusdam historiae philosophicae scriptoribus non recte iudicetur, operae pretium me facturum spero, si de his quid mihi videatur, paullo accuratius exposuerim.

Primum igitur esse deos Epicurus profitebatur propterea, quia communem hanc, ut quidem ipsi videbatur, et constantem omnis humani generis persuasionem non aliter existere potuisse existimabat nisi naturali quadam anticipatione — sic enim cum Cicerone *πρόληψιν* dicere licet — : hanc autem anticipationem nasci in hominum animis non potuisse nisi visione aliqua deorum oblata. Haec enim erat doctrina atomistica, quam a Leucippo et Democrito traditam Epicurus

---

2) *Οὐ γὰρ συμφωνοῦσι πραγματεῖαι καὶ φροντίδες καὶ ὀργαὶ καὶ χάριτες μακαριότητι*, inquit Epicurus in epistola ad Herodotum §. 77. Cf. epist. ad Pythoclem §. 97. 116. Cic. de nat. deor. 1, 20, 52.

3) Hoc argumento utitur Lucretius V, v. 199 sqq.

4) Cic. de nat. deor. 1, 17, 45. 20, 56. Cf. Senec. de benef. IV, 19.

5) Cic. l. l. 1, 44, 123. Cf. 30, 85. 41, 115.

6) Hi significari videntur a Philodemo *π. εὐσεβείας*, cuius libri fragmenta misere lacera edita sunt in Herculanensium collectione altera, Neapoli 1862, tom. II, p. 27, ubi haec verba leguntur: *οὐδ' ἐξ ἀπόπτου τὰ δοκοῦντα περὶ θεῶν Ἐπικούρῳ συνεῖδον.*

tanquam unice veram adoptaverat, ut quaecunque in animo notiones informarentur, harum originem causamque ab imaginibus repeterent extrinsecus in animum illapsis visionemque efficientibus[7]). Constare autem has imagines censebant atomis sive individuis corpusculis longe subtilissimis et quolibet vel tenuissimo corpore ex eorum genere, quae manibus tangi possunt, longe tenuioribus, et esse earum alias, quae oculos lacesserent et hinc ad animum deferrentur, alias autem, quae oculis quidem non perciperentur, sed propter summam tenuitatem ad ipsum statim animum perlaberentur[8]). Effici quidem imagines non modo atomis ex aliquo corpore manantibus eiusque unde manarent formam ac speciem referentibus, sed nonnunquam etiam fortuita quadam et spontanea vagantium per aera atomorum in hanc vel illam formam coniunctione[9]): sed huiusmodi imagines perquam mutabiles esse et inconstantes aliterque aliis se offerre: deorum igitur notionem, unam apud omnes et constantem, non potuisse nisi ex illo genere imaginum nasci, quae non essent fortuitae, sed ex rebus veris atque corporeis emissae, quarum speciem formamque referentes notionem earum in animis efficerent. Quod quum tamen non, ut aliarum rerum, sic deorum quoque imagines per oculos perciperentur, hinc consequi naturam earum longe quam illarum tenuiorem esse, ut oculis non affectis ad ipsum animum penetrare possent[10]). Et ne ab animo quidem eas percipi, nisi quum is nulla alia re, quae fortius eum moveret, occupatus et praepeditus, affici earum incursione et moveri posset, id

---

7) Cf. Ps. Plutarch. de plac. phil. IV, 8: *Λεύκιππος, Δημόκριτος τὴν αἴσθησιν καὶ τὴν νόησιν γίνεσθαι εἰδώλων ἔξωθεν προσιόντων· μηδενὶ γὰρ ἐπιβάλλειν μηδετέραν χωρὶς τοῦ προσπίπτοντος εἰδώλου.* Sententia quidem plana; sed in altero membro scribendum censeo *μηδένα γὰρ ἐπιβάλλειν μηδετέρᾳ.* Nam solet *ἐπιβάλλειν* quum ab aliis tum ab Epicuro de animo dici qui in aliquam vel visionem vel notionem sese iniicit et incumbit, unde nomen *ἐπιβολή*, quod Lucretius II, 739 latine vertens a n i m i i n i e c t u m dicit. Cf. etiam Schneider. ad Epicuri Physica p. 65. Lachmann. ad Lucret. p. 134.

8) Lucret. IV, 732:

Quippe etenim multo magis haec sunt tenuia textu
quam quae percutiunt oculos visumque lacessunt,
corporis haec quoniam penetrant per rara cientque
tenuem animi naturam intus sensumque lacessunt.

9) De his vid. Lucret. IV, 130 sqq., de illis v. 36 sqq.

10) Haec est quam Ps. Plutarch. 1, 7, 15 et Stobae. Ecl. 1, p. 66: *λεπτομέρειαν τῆς τῶν εἰδώλων φύσεως* dicunt: quamquam quod propter hanc unam deos tantum *λόγῳ θεωρητούς* fuisse volunt, non concedendum est.

quod in somno potissimum, sopitis corporis sensibus, contingeret[11]): semel tamen sic innata in animo notione deorum non solum memoriam eius retineri, sed ipsas etiam imagines divinas a vigilantibus quoque percipi posse, quippe quum nec deficeret unquam imaginum transitio, et animum, si modo attenderet neque aliis rebus detineretur ac distraheretur[12]), affici ab iis necesse esset.

Sic igitur esse quidem deos evincebatur: sed immortalitatem quoque et beatitudinem eis asserere difficilius erat, neque immerito Academicus Epicuri adversarius apud Ciceronem[13]) de his nihil ex imaginum divinarum visione innotescere potuisse monet. „Fac" ait „imagines esse, quibus pulsentur animi: species dumtaxat obiicitur quaedam; num etiam cur ea beata sit, cur aeterna?" Tamen tenendum hoc sibi Epicurus esse statuebat, qu immortalitatem dis et beatitudinem consensu omnium tribui videret Fecit igitur quantum potuit, ut, quod argumentis liquido demonstrari et plane evinci non posse intelligebat, saltem non incredibile esse persuaderet, quemadmodum alias quoque in quaestionibus theologicis a viris doctis atque piis non raro factum esse videmus, ut si quid indemonstrabile adeoque etiam absurdum esset, quod tamen non credi propter pietatem nefas haberent, id credibile saltem facere anniterentur. Videamus ergo primum de immortalitate. Cottam quidem si audimus, Epicurus huius pariter atque beatitudinis intelligentiam ex imaginibus capi dixit in animum illabentibus, neque Velleii verba, ad quae ille respicit, hanc interpretationem respuere videri possunt. Sed de his infra accuratius: nunc hoc tantum, quod manifestum est, nec fugere Epicurum, quamvis hebes fuisse putetur, ullo modo potuit, considerabimus: si, ut cetera, quae sunt, omnia, ita di quoque ex atomis esse creduntur, sique, quicquid ortum ex aliis habet et compositum est, id necesse est etiam interire aliquando et dissolvi posse, ne deos quidem a dissolutione et interitu tutos habendos esse. Hac ratione permoti fuerunt olim historiae philosophicae scriptores, qui deos Epi-

11) A somniorum visis primam deorum notionem in priscorum hominum mentibus natam esse Lucretius ait V, 1168, admistis nonnullis minus ad rem pertinentibus. Brevius rem exponit Sextus Emp. adv. Phys. 1, 25.

12) Lucret. IV. 801:

> Et quia tenuia sunt (simulacra) nisi se contendit acute
> cernere non potis est animus.

13) De nat. deor. I, 38, 107.

curi non ex atomis fuisse crederent, sed aliam nescio quam naturam eorum circumspicerent. Praeivit Gassendus [14]), cui „videtur Epicurus censuisse deorum esse corpus sui generis, aliud videlicet ab iis, quae sint ex atomis concreta“, idque confirmari etiam eo, quod Plutarchus, postquam dixit deos esse ratione contemplabiles, subiiciat eum posuisse quattuor genera naturarum incorruptibilium, *τὰ ἄτομα*, *τὸ κενόν*, *τὸ ἄπειρον* et quarto loco *τὰς ὁμοιότητας*, quas quidem etiam *ὁμοιομερείας* et *στοιχεῖα* dici. De his quid statuendum sit difficile dictu est, nisi hoc quidem apparere arbitror, istam *τῶν ὁμοιοτήτων* cum homoeomeriis Anaxagorae et elementis Empedoclis aliorumque comparationem aut confusionem perineptam esse et errori scriptoris indocti imputandam [15]). Id igitur Gassendus quoque sentiens *ὁμοιότητας* nihil aliud esse suspicatur, nisi id, quo constent celebrata illa et a multis irrisa deorum quasi-corpora, de quibus quo modo iudicandum sit infra exponemus. Denique hoc saltem apparere ait, Epicurum praeter illa tria, de quibus nulla sit controversia, asseruisse quartam quandam naturam, quae incorrupta perinde sit neque, ex eius mente, intelligi alia quam divina possit. Assentitur huic Thomas Stanleius [16]), quartamque hanc

14) Animadvers. in X. librum Diogenis Laert., tom. II p. 55. 56. ed. tert. Lugdun. 1675.

15) Locus est in libro de placitis phil. I, 7, 15: *Ἐπίκουρος ἀνθρωποειδεῖς μὲν πάντας τοὺς θεούς, λόγῳ δὲ πάντας θεωρητοὺς διὰ τὴν λεπτομέρειαν τῆς τῶν εἰδώλων φύσεως. ὁ δ' αὐτὸς ἄλλας* [*ἄλλως* coni. Gassend., idque legitur in cod. Mosqu.] *τέσσαρας φύσεις κατὰ γένος ἀφθάρτους τάσδε, τὰ ἄτομα, τὸ κενόν, τὸ ἄπειρον, τὰς ὁμοιότητας· αὗται δὲ λέγονται ὁμοιομέρειαι καὶ στοιχεῖα.* — Steinhartus in commentatione de Epicuro (Encyclop. litt. et artt. I, 35 p. 474) *τὸ κενόν* hoc loco non de vacuo, sed de *συμπτώμασιν* accipiendum, *τὰς ὁμοιότητας* autem, pro quo vocabulo *ἰδιότητας* potius scribi debere censet, i. q. *τὰ συμβεβηκότα* esse suspicatur. Id qua ratione fieri possit neque ipse exposuit neque ego intelligere possum. Nolo ipse coniecturas periclitari, quibus quum certum fundamentum desit, nihil effici posse praevideam. Commemorabö tamen in Philodemi libro *π. εὐσεβ.*, Herculan. l. l. p. 80, aliquid dici de similitudine elementorum (*τῶν στοιχείων*) h. e. atomorum, et, ut videtur, de dis *ἐκ τῆς ὁμοιότητος ὑπάρχουσιν*, unde fieri possit, ut aeterna beatitudine fruantur. Non absimile vero est, Epicurum ceteras res omnes atomis inter se dissimilibus, deos autem similibus tantum constare dixisse, quarum coniunctio tenacior et dissolutioni minus obnoxia esset. Quamquam sempiternam plane et immortalem vitam ne sic quidem iis asseri potuisse apparet, nisi advocaretur etiam *ἰσονομίας* lex, de qua mox dicemus.

16) Histor. philos. p. 968.

naturam, quae inconcreta sit et ob tenuitatem attingi plagamque accipere non possit, a Plutarcho significari putat. Nec Bruckerus aliter iudicat eundem Plutarchum rei testem esse autumans[17]). Plures commemorare non opus est[18]): de Hegelio enim, qui genus quoddam deorum plane incorporeum Epicuro attribuit, alio loco dicemus. Ceter, omnes, quod sciam, incorporeos Epicuri deos nullos fuisse censenti corpora autem deorum, licet ipse quasi-corpora dicere maluerit, sicut ceteras res omnes, ex atomis fuisse. Neque ex veteribus quisquam aliter sensit, praeter unum fortasse Lactantium. Is enim, de ira dei c. 10, 28, de Epicureis loquens, „deos" inquit „incorruptos, aeternos, beatos esse aiunt, solisque dant immunitatem, ne concursu atomorum concreti esse videantur." Nimirum induxit hunc Ciceronis locus male intellectus, de nat. deor. I. c. 25, 71, ubi Epicurus individuorum corporum, h. e. atomorum, concretionem fugisse dicitur, ne interitus et dissipatio sequeretur. Atqui Cotta ipse, quem Cicero hoc dicere facit, paullo ante, c. 24, 68, sic locutus est, ut non dubitasse eum appareat, quin ex atomis deos Epicurus esse statueret. Nunc autem, quum Epicurum concretionem earum fugisse dicit, vocabulo utitur ambiguo illo quidem, et quod errorem Lactantio fecisse non mireris, sed de cuius vera significatione vel illud monere potuit, quod c. 27, 75 concretum et solidum tanquam synonyma ponuntur. Nempe concretio sensu angustiore et

17) Histor. phil. I p. 1286. 1289. 1290. Notavit tamen Bruckerus, nec abhorruit etiam ab alia sententia, ut crederet Epicurum speciem quandam atomorum indissolubilium in dis esse voluisse, h. e. quum infinita essent atomorum genera, peculiare quoddam earum genus hoc fuisse, quo deorum corpora constarent. Reiecit tamen ipse hanc sententiam propter Plutarchi, ut ait, testimonium; quamquam vix ipsum Plutarchi locum inspexisse videtur, sed tantum, quae Stanleius ab eo significari suspicatus est, tanquam ab ipso disertis verbis proposita accepisse. Ceterum fallitur etiam in eo, quod infinita atomorum genera Epicuro visa esse putat. Is enim ipse in epistola ad Herod. §. 42 incomprehensibiles quidem (ἀπεριλήπτους), non tamen infinitas (ἀπείρους) earum species esse docet. Et sic Lucretius quoque, II. 478, „primordia rerum finita variare figurarum ratione" demonstrat. Apud Plutarchum, de plac. phil. II, 3, 27, ubi vulgo *τὰ σχήματα τῶν ἀτόμων περιληπτά, οὐκ ἄπειρα* scribitur, *ἀπερίληπτα* reponi debere iam Gassendus monuit. Cf. et Heeren. ad Stobae. Ecl. p. 347.

18) Poteram etiam Moshemium citare, ad Cudworth. syst. intell. II, 7 p. 77, et popularem Stanleii et Cudworthi eum, qui introductionem scripsit ad magnam Historiam universalem, primum Londini ann. 1736 editam. Vid. huius vers. germ. a Baumgartenio curatam, tom. I p. 48.

proprio opponitur tenuitati et subtilitati aut liquori, quemadmodum II, 39, 101 concretus aer fuso et extenuato, crassum caelum et concretum aetheri limpido et puro II, 16 in.; cuius generis exempla multa vel e lexicis peti possunt. Igitur deorum corpora, etiamsi nulla in iis sit concretio atomorum, h. e. nulla solidior et crassior atomorum condensatio, sed tenuissima sint et pellucida ac perlucida, ut est de divin. II, 17, 40, haudquaquam tamen propterea ex atomis esse negantur. Quod autem Cotta Epicurum concretionem atomorum propterea fugisse autumat, ne interitus et dissipatio consequeretur, etiamsi non prorsus commenticium, non tamen plane ad veritatem dictum esse arbitror. Neque enim tam obtusum illum fuisse credo, ut non intelligeret, tenuitatem et levitatem corporum hoc quidem fortasse efficere potuisse, ut tenacius cohaererent facilliusque se a dissolutione et interitu defenderent, neutiquam tamen sufficere ad praestandam certam ac sempiternam conservationem et immortalitatem. Id enim si statuisset, quid opus fuit aliam immortalitatis deorum defensionem circumspicere illeoque ad *ἰσονομίας* h. e. aequilibritatis s. aequabilis tributionis legem confugere, quam propter hanc ipsam causam ab eo adhibitam esse Cotta c. 39, 109 arguit. Qualem autem hanc esse voluerit his Vellei verbis edocemur, c. 19, 50: „Summa vero vis infinitatis et magna ac diligenti contemplatione digna est: in qua intelligi necesse est eam esse naturam, ut omnia omnibus paria paribus respondeant. Hanc *ἰσονομίαν* appellat Epicurus, i. e. aequabilem tributionem. Ex hac igitur illud efficitur, si mortalium tanta multitudo sit, esse immortalium non minorem, et si, quae interimant, innumerabilia sint, etiam ea, quae conservent, infinita esse debere“ 19).

19) Cf. Cottae verba c. 39, 109: „Et quia sunt quae interimant, sunt quae conservent. Sint sane; sed ea quae conservent quae sunt? Deos istos esse non intelligo“. Non recte huius et alterius loci, c. 19, 50, sententiam perceptam video a Schneidero ad Epicur. Phys. p. 80. 81, quum dicit ex *ἰσονομίας* lege Epicurum elicuisse, naturam dei vel deorum immortalem vel aeternam et conservatricem omnium eorum, quae mortalia mundus continet. Id Epicuro in mentem venire non poterat, quippe qui deos ab omni mundi administratione et mortalium rerum procuratione semotos vellet. Recte iam Walkerus monuit, pronomen quae in altero membro, quod interrogativum est, non pro nominativo sed pro accusativo, h. e. non pro subiecto sed pro obiecto verbi conservent accipiendum esse. Cap. 19, 50 autem „quae conservent“ sunt causae quaedam vel vires conservatrices, interimentibus oppositae, non autem di: hi enim non conservant

Nimirum hoc volebat Epicurus, nihil esse in omni rerum natura, cui non alterum oppositum atque contrarium ex aequo responderet. Itaque ut frigori calorem, obscuritati lucem, humida siccis, mollia duris, gravia levibus, sic etiam immortalia mortalibus aequabili ratione respondere, quumque interimendi causae innumerabiles essent, sic non minus innumerabiles conservandi causas esse debere. Hinc igitur non illud quidem efficiebat, ut immortalitatem deorum certis argumentis evinceret et liquido demonstraret, attamen ut non repugnare saltem physicam aut, si quis hoc malit, metaphysicam rationem ostenderet, quominus immortales di esse crederentur, et communis haec persuasio etiam a sapientibus probaretur. Immo quum esse quaedam immortalia in rerum universitate propter ἰσονομίαν necesse esset, earum autem rerum, quae aut manibus tangi aut oculis videri aut aliis corporis sensibus percipi possent, nihil non mortale et caducum esse constaret, consequens erat, ut aut immortalitas plane nusquam esse diceretur, id quod propter ἰσονομίαν statui non posset, aut ut penes eos esse crederetur, quorum imagines constantes suique semper similes omnique imminutionis ac mortalitatis nota carentes non sensibus sed ipsi animo se offerrent, h. e. penes deos. — Simili autem genere disputandi etiam ad beatitudinem deorum probandam uti licebat. Nam esse beatitudinem infelicitati contrariam eadem illa ἰσονομίας lex postulabat, quumque in terris rebusque mortalibus nihil esset ex omni parte beatum, summam atque perfectam beatitudinem[20]), qualem alicubi tamen esse oporteret, consentaneum erat apud eosdem esse credi, apud quos esset immortalitas. — De hoc argumentandi genere utcunque iudicabitur, hoc tamen fatendum erit, non infirmius esse, quam quo alios quoque theologos philosophantes in divi-

---

res, sed potius ipsi viribus illis conservatricibus in vita statuque suo conservantur. Non erat igitur cur Zellerus, Hist. phil. III, 1 p. 240 not. 1 hunc locum Ciceronis errori imputandum putaret. Recte enim intellectus minime pugnat cum Epicuri sententia de dis otiosis, sed eo tantum pertinet, ut probetur nihil obstare, quo minus per vires illas conservatrices di in aeternum conservari credantur. Assentitur tamen Zellero Kühnerus, nuperus horum librorum interpres, sed parum idoneus.

20) Εὐδαιμονίαν ἀκροτάτην ἐπίτασιν οὐκ ἔχουσαν Epicurus apud Diog. L. X, 121 hanc perfectam beatitudinem dicit, quae deorum sit, opponitque humanae, quae προσθήκην καὶ ἀφαίρεσιν ἡδονῶν habeat. Cavillatur εὐδαιμονίας vocabulum ab Epicuro usurpatum Sextus Emp. adv. Phys. 1, 47; μακαριότητα si ille dixisset, nulla cavillandi causa foret.

narum rerum quaestionibus usos esse et hodieque uti videmus. Epicurus autem non, ut alii, absurdum quiddam et quod sensus communis respueret, de natura deorum sibi probandum proposuit, sed quum immortales eos et beatos omnium consensu haberi, adeoque hanc persuasionem cum ipsa deorum notione coniunctam esse videret, ut non quidem hausta ex imaginum divinarum incursione, sed tamen ipsa natura duce in hominum animis nata esse videretur, neque posset non πρόληψις potius sive anticipatio, quam mera ὑπόληψις sive opinatio dici, hoc ipsum, quod anticipatum esset, etiam ratione confirmari et debere et posse confidebat. Anticipatam autem hanc immortalitatis et beatitudinis deorum communem persuasionem etiam Velleius apud Ciceronem profitetur c. 17, 44: Nam postquam insitas deorum vel potius innatas[21]) cognitiones nos habere dixit, „fateamur", inquit, „constare illud etiam, hanc nos habere sive anticipationem sive praenotionem, ut deos beatos et immortales putemus. Quae enim nobis natura informationem deorum ipsorum dedit, eadem insculpsit in mentibus, ut eos aeternos et beatos haberemus." Discernenda autem

21) Innatas cognitiones Cicero dicit non eo sensu, quo nos angeboren, Graeci συμφύτους dicunt, h. e. una cum ipso homine natas, sed tantum in homine natas, scilicet natura duce, qua duce ex oblatis extrinsecus notitiis mens nostra et notiones et iudicia informat, qualia propter hanc causam etiam naturae iudicia dicuntur, II, 2, 5, opponunturque commentis opinionum. Non alio sensu etiam Stoici, quos constat nullas notiones a principio ingeneratas (συμφύτους, angeboren), sed procedente demum tempore menti tanquam albae s. rasae tabulae inscriptas statuisse, ἐμφύτους προλήψεις et φυσικὰς ἐννοίας dixerunt, immerito propterea irrisi a Prantlio, histor. log. 1 p. 420 not. 59. Vid. Diog. L. VII, 54. Plutarch. de Stoic. rep. c. 17. Add. Cic. d. n. d. II, 4, 12, ubi Balbus Stoicus loquitur: „omnibus enim innatum est et in animo quasi insculptum, esse deos." Ubi autem innasci dicitur de rebus ingeneratis (συμφύτοις), II, 13, 34, additum est etiam a principio. Nostro loco, postquam insitas cognitiones Velleius dixit, addit illud innatas non aliam ob causam, quam ut naturali ratione, naturae quasi instinctu in animis enatas significet, quandoquidem insitae etiam eae dici potuissent, quas quis ab aliis acceptas haberet. Immerito igitur Ciceronem reprehenderunt Zellerus Hist. phil. III. 1 p. 237 not. 3, et qui hunc temere nulloque iudicio sequi solet, Kühnerus. Cautius saltem Steinhartus loquitur (Encycl. litt. et art. 1, 35 p. 465 not. 82) videri Ciceronem congenitas notiones perperam inferre dicens. Prudentius Brandis (Gesch. d. Entwick. d. gr. Phil. II p. 17 not. 13) congenitas has notiones Ciceroni visas esse negat.

ab hac anticipatione est intelligentia, quae post accedit, ubi, quod anticipatum erat, id etiam ratione aut demonstrari aut probari videmus. Usurpatur hoc intelligentiae vocabulum a Velleio c. 19, 50, loco sane propter nimiam brevitatem non satis plano insuperque, ut arbitror, etiam leviter corrupto. Velleius enim, posteaquam de imaginibus dixit in animum influentibus, unde notio deorum orta sit, addit deinde „cum maximis voluptatibus in eas imagines mentem intentam infixamque nostram intelligentiam capere, quae sit et beata natura et aeterna." Sic autem dici vix potuit nisi ab eo, qui quae natura beata et aeterna esset, ex imaginum visione intelligi vellet, quod si ita est, consequetur etiam ipsius beatitudinis et aeternitatis notionem ex hac visione natam dici, quandoquidem hae qualitates sine naturis beatis et aeternis nullae sunt. Atqui profitetur ipse Epicurus apud Diogenem L. X, 139 deos esse λόγῳ θεωρητούς, h. e. quales sint non sensu cognosci sed intelligi ratione tantum et mentis intentione posse. Imaginum autem divinarum incursio ipsa per se sola nihil nisi αἴσθησιν quandam efficere potest, non illam quidem σαρκίνην, qualis est quae vulgo dicitur, corporis sensibus lacessitis effecta[22]) atque hinc ad animum delata et φαντασίαν ἐναργῆ procreans, sed ψυχικὴν tantum, quandoquidem illae imagines corporis sensum fugiunt ipsumque solum animum — qui licet non incorporeus sit, distinguitur tamen a corpore proprie dicto — tangunt visionemque efficiunt. Visione autem nihil aliud nisi esse aliquid et qua figura et specie sit, cognosci potest, interna autem et recondita eius, quod vidimus, natura et qualitas ut cognoscatur, ratione et cogitatione opus est. Sic igitur de dis hoc quidem visio efficere potest, ut esse eos et humanae formae similes esse percipiamus, quali autem natura sint, mortalesne an aeterni, beati an aerumnis quoque et laboribus obnoxii, suspicari quidem fortasse possumus, idque vulgo factum esse communis de beatitudine et aeternitate deorum opinio docet, intelligere autem nisi mente ac ratione non possumus. Atque hoc illud esse quod Velleius significare voluerit, ipsa haec verba mens et intelligentia, quibus utitur, manifestum facere possunt. Iam vero hoc quoque manifestum esse arbitror, illam mente partam de dis intelligentiam non eo constare, ut cognoscamus quae natura beata et

22) Hanc σαρκίνην Epicureos dixisse apparet e Philodemi fr. π. εὐσεβ., Herculanens. II p. 116.

aeterna sit, h. e. quid pertineat ad alicuius naturae beatitudinem et aeternitatem, sed eo tantum, ut beatitudinis et aeternitatis notionem, iam aliunde in animo informatam, in deos transferendam, h. e. deos aeternos et beatos habendos esse non iam suspicemur tantummodo, sed certa aut probabili ratione intelligamus. Hanc ob causam Velleium dixisse conieci: mentem nostram — intelligentiam capere, quae sit beatae naturae et aeternae h. e. talem de dis intelligentiam, quae beatam et aeternam naturam iis tribuendam esse iudicet[23]). Paullo obscurius haec dicta esse fateor; at certe non absurde. Atque etiam ex eo quod Cotta dicit, c. 39 extr., ut mens nostra beatam illam naturam et aeternam putet, non de sola visione, sed de mentis iudicio rationeque cogitandum esse apparet. Denique etiam locus apud Sextum Empiricum, Pyrrh. hyp. III, 4 p. 129 Fabr., ex Epicuri haud dubie aut alicuius Epicurei libro sumptus: *ἄφθαρτόν τι καὶ μακάριον ἐννοήσας τὸν θεὸν εἶναι τοῦτο νόμιζε*, manifestum facit Epicurum beatae et aeternae naturae *ἔννοιαν* quandam non ex visione divinarum imaginum haustam, sed animi iudicio in dei notionem translatam voluisse[24]). Nam sine dubio *ἔννοια* illa existere potuit etiam si nullae unquam deorum imagines se nobis offerrent.

Quemadmodum autem de immortalitate et beatitudine, sic etiam de ceteris divinae naturae qualitatibus Epicurus statuit, non aliter quam ratione et iudicio ad cognitionem earum perveniri posse. Huc pertinet primum eius de divinis non tam corporibus quam quasi-corporibus sententia. Incorporeos deos esse cur negare debuerit, manifestum est: nam nec erat secundum eius physiologiam quicquam incorporeum praeter inane, nec imagines ex incorporeis effluere poterant. Hae autem nihil nisi humanam deorum speciem ostendebant: quamquam de hac quoque Epicurus non satis habuit ad imaginum visionem provocare, sed etiam argumentis, cur alia forma di esse non possent, probare studuit[25]). Corpora ipsa autem, unde illae imagines effluerent,

---

23) Nuperum horum librorum interpretem in vulgata lectione non offendisse nemo mirabitur: sed mirabitur fortasse aliquis hunc sibi hos libros interpretandos sumpsisse.

24) Cf. Sext. Emp. adv. Phys. I, 45: *τὸ δὲ ἀΐδιον εἶναι τὸν θεὸν καὶ ἄφθαρτον καὶ τέλειον ἐν εὐδαιμονίᾳ παρῆλθε κατὰ τὴν ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων μετάβασιν.*

25) Cic. d. n. d. I, 18, 46 sqq.

diversi quam cetera corpora generis esse ex eo concludebat, quod quum horum imagines oculos tangerent eorumque quasi ministerio ad animum deferrentur, divinorum corporum imagines oculorum sensum fugerent iisque plane intactis ab ipso tantum animo perciperentur. Nam quae de dis in oculorum conspectum venientibus aut conversantibus cum hominibus adeoque etiam concumbentibus liberosque procreantibus in fabulosa et vulgari mythologia ferebantur, ficta omnia et commenticia Epicuro videri debuisse in aperto est. Oculis autem invisibiles deorum imagines non aliam ob causam esse poterant, quam propter summam tenuitatem, quae tanta esset, ut oculorum aciem fugerent; animo autem visibiles propterea quod huius quoque natura pari esset cum illis imaginibus tenuitate. De animi autem natura sic statuebat: constare totum quidem ex atomis levissimis, rotundis, longe subtilissimis, sed eam eius partem, qua visiones perciperentur notionesque rerum informarentur, praecipue talem esse

qua neque mobilius quicquam nec tenuius esset,
nec magis e parvis aut levibus ex elementis,

ut Lucretii verbis utar, III, 244. Consentaneum igitur erat non minus tenuia et subtilia etiam deorum corpora esse, unde imagines tam subtiles et animo tantum, non oculis, visibiles effluerent. Hanc ob causam Epicurus ad designandam eorum a ceteris corporibus diversitatem non *σώματα* ea sed *ὡσεὶ σώματα* dicere maluit, id quod immerito adversarii irriserunt. Apparet enim naturam illam non quidem incorpoream, sed aliam tamen quam quae vulgo corpora vocantur, vix aptius atque commodius designari potuisse.

Quod autem habitare deos in intermundiis voluit, ne hoc quidem sine ratione statuisse videri debet, sed prorsus vel physicae suae vel ethicae doctrinae convenienter. Quippe in physica nihil opus erat mundi aut mundorum vel creationi vel administrationi deos admovere, quum omnia atomorum concursu motuque naturali et facta esse et fieri censeret, in ethica autem quum finem bonorum voluptatem vel beatitudinem esse statueret, pugnare secum ipse sibi visus esset, si dis, quos plane beatos esse oporteret, ea negotia imponeret, quae sine labore et molestia multisque curis et aerumnis confici non possent. Hanc ob causam quum nulla necessitudine nec di ad mundum nec mundus ad deos pertineret, quid erat cur habitare tamen in mundo deos vellet? Consentaneum potius erat extramundana iis loca assignare, quae deesse in intermundiis non poterant, ubi spectare fortasse, si

vellent, mundos eoque spectaculo otium suum oblectare possent, ceterum bonis abundarent omnibus, quae ad explendam summam beatitudinem pertinerent. Quaenam vero et cuius generis haec bona essent explicatius ab Epicuro dictum esse non credo: adversariis autem, si instarent ac de cibis fortasse deorum et potionibus aliisque id genus rebus, quibus hominum beatitudo carere non potest, quaererent, respondere facile potuit, nihil obstare quo minus etiam in intermundiis res multae atque amoenae esse crederentur, diversi quidem generis ab iis, quibus homines fruuntur, sed accommodatae ad deorum naturam quasicorpoream. De virtutibus autem, si quis de his quoque sibi rationem reddi posceret, in promptu erat quid responderet, nempe assentiri se quidem adversariis beatum sine virtute neminem esse, illud tamen non posse concedere, ut ad humanum modulum deorum vitam metirentur neque alias quam quibus homines uti debent in dis virtutes esse posse statuerent. Omnino acquiescendum sibi videri in eo quod constaret communi consensu confirmareturque recta ratione, esse deos forma humana praeditos, corpore tamen ab humanis corporibus ita diverso, ut non inepte quasi-corpus tantum esse diceretur, porro beatos esse et immortales fruentesque igitur omnibus bonis, quae naturae eorum accommodata essent et ad beatitudinem eorum pertinerent. Haec igitur se docere; longius autem progredi et de singulis quibusque rebus, quae aut agerent di aut quibus fruerentur, quaerere nolle, quandoquidem pervideri haec et liquido demonstrari nullo modo posse intelligeret. Permittendum igitur ut de his, quae sciri nequirent, pro suo quisque captu quod maxime probabile et cum iis, de quibus certo constaret, consentaneum videretur, ex coniectura secum ipse statueret.

In his autem, quae sciri ac definiri nequirent, summo iure etiam numerum deorum esse dicebat. Neque enim rationem esse, cur, quum mundi innumerabiles essent, deorum in intermundiis multitudo non item innumerabilis esse crederetur, neque visiones deorum per imagines animis oblatas eiusmodi esse, ut ad numerum cernerentur. Hoc Velleius dicit apud Ciceronem c. 19, 49; neque aliter Epicurum dixisse arbitror apud Diogenem X, 139, quamquam hic locus librariorum errore in contrariam sententiam corruptus et coniectura in integrum restituendus est. Sed hoc postea videbimus: nunc autem Vellei verba considerabimus, in quibus illud quidem, quod di ad numerum cerni negantur, agnoscimus, reliqua autem non modo perobscura sed etiam sic comparata sunt, ut veram Epicuri sententiam referre videri nullo

modo possint. Verba haec sunt: „Epicurus autem — docet eam esse vim et naturam deorum, ut primum non sensu sed mente cernatur, nec soliditate quadam nec ad numerum, ut ea quae ille propter firmitatem στερέμνια appellat, sed imaginibus similitudine et transitione perceptis.“ Respondentem ad haec Cottam cap. 37, 105 Cicero his verbis uti facit: „Sic enim dicebas, speciem dei percipi cogitatione, non sensu, nec esse in ea ullam soliditatem, neque eandem ad numerum permanere, eamque esse eius visionem, ut similitudine et transitione cernatur.“ nec dubitari potest, quin Cicero Cottam sic loquentem, licet verbis nonnihil immutatis, sententiam tamen eandem, quae a Velleio proposita fuit, repetere voluerit. Itaque quum Velleius vim et naturam deorum, Cotta autem speciem dicat, nihilne interesse putabimus, utrum horum dicatur? Equidem multum interesse censeo. Nam plurimarum rerum, quarum speciem h. e. formam, figuram omnemque habitum externum probe notum habemus, vim tamen et naturam plane nobis incognitam esse num quis diffiteri audebit? Porro cogitatione, non sensu, speciem dei percipi, quid aliud significare potest, quam cogitando demum nos eo pervenire, ut qua sit specie deus percipiamus? Atqui ne hoc quidem Epicurus aut Velleius concesserit. Nam speciei deorum notionem primam Epicurus repetebat ab imaginibus in animum incurrentibus, hinc autem natam de humana specie opinionem postmodo etiam ratione et argumentis confirmare conabatur. Denique non eandem (speciem) ad numerum permanere quid aliud esse dicemus, quam numero variam esse, ut modo plures modo pauciores species similes offerantur? Quod licet intelligi facile possit, vereor tamen ne diversum sit ab eo, quod Velleius dixit, deorum vim et naturam non ad numerum cerni. Nam ad numerum cerni vix, opinor, aliud significare potest, quam ita cerni, ut eorum quae cernuntur numerus notari possit. Sic igitur ex Cottae verbis certam eorum, quae Velleius dixit, interpretationem hauriri non posse apparet. Sed minus etiam haec ipsa facilem intellectum habent. Deorum vim et naturam non soliditate quadam cerni audimus, ut ea quae propter firmitatem στερέμνια vocantur, sed hoc ipsum soliditate quadam cerni quid sit et quo modo στερέμνια soliditate sua cerni dicantur, me quidem fugit. Estne soliditate i. q. propter soliditatem? Atqui ne στερέμνια quidem propter soliditatem

cernuntur, sed propter imagines e superficie eorum effluentes minime solidas sed longe tenuissimas, quae si non effluant, oculosque lacessant, corpora quamvis solida cerni tamen nequeant. An soliditate cerni eo sensu dictum accipiamus, ut sit i. q. sic cerni, ut soliditas etiam animadvertatur? Possit fortasse concedi in solidorum corporum imaginibus, licet ipsis minime solidis, esse tamen aliquid unde solidorum eas corporum imagines esse agnoscamus. Sed ut taceam vix id solo ablativo casu designari potuisse, et ne addita quidem praepositione cum, aliam statim difficultatem obiiciunt proxima verba: sed imaginibus similitudine et transitione perceptis. Nam haec oppositio sic demum iusta foret, si solida corpora non item imaginibus cernerentur in oculos transeuntibus, quod contra esse, Epicuri quidem sententia, quis nescit? Quid igitur dicemus? Nihil, opinor, nisi fatebimur sanam ac certam huius loci interpretationem excogitari nullam posse, viderique Ciceronem ipsum quid scriberet non intellexisse. Neque vereor, ne quis nimis gravem hac suspicione iniuriam ei fieri clamet; nam hoc idem, ut quae scriberet non intelligeret, etiam in convertendo Platonis Timaeo non semel sibi accidisse ipse ingenue professus est [26]). Conversam etiam hanc Velleii disputationem ex graeco alicuius Epicurei libro, Philodemi ut videtur, ab eo esse certum est, fierique facile potuit, ut verba graeca non recte percepta latine quantum posset redderet, de vera significatione tanto minus fortasse sollicitus, quanto minoris omnem hanc Epicuri doctrinam aestimaret.

Iam de Diogenis loco videndum est supra indicato. Is vulgo sic scribitur: *ἐν ἄλλοις δέ φησι* (Epicurus scilicet) *τοὺς θεοὺς λόγῳ θεωρητούς, οὓς μὲν κατ' ἀριθμὸν ὑφεστῶτας, οὓς δὲ κατὰ ὁμοειδίαν ἐκ τῆς συνεχοῦς ἐπιρρύσεως τῶν ὁμοίων εἰδώλων ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἀποτετελεσμένων ἀνθρωποειδῶς.* Haec si sana scriptura est, duo deorum genera distingui apparet, alterum *κατ' ἀριθμὸν ὑφεστός*, alterum cuius imagines humana specie continuo effluant, quales, si hanc oppositionem recte se habere credimus, ex illo priore genere non effluere videntur. *Κατ' ἀριθμὸν ὑφεστῶτες* dubitari non potest quin ii dicantur, quorum certus aliquis numerus sit, quique numerari et singillatim distingui possint: id igitur in alterum quidem genus deorum cadere, in alterum autem non cadere colligemus.

26) **Memorat hoc Hieronymus, comm. in Esaiam lib. XII. praef. Tom. IV. part. 1, p. 494 ed. Vallars. Nam ipsius Ciceronis locus non extat.**

Mirabimur tamen magnopere talem deorum in duo genera divisionem tam ignotam omnibus fuisse, ut neque apud Ciceronem in Velleii et Cottae disputationibus neque apud alium quemquam, quotquot de Epicuri theologia rettulerunt, unquam eius mentionem fieri, sed nullum plane ne tenuissimum quidem vestigium indiciumque relictum esse videamus. Ea res iamdudum viros doctissimos, imprimisque Gassendum, unum Epicureae doctrinae studiosissimum, permovit, ut de loci illius apud Diogenem integritate dubitarent, quem qui sanum esse crediderunt adeoque etiam conciliare quodammodo cum Velleii oratione conati sunt, omnes mihi operam perdidisse videntur. Horum primus Tennemannus commemorandus est. Is enim in histor. philos. tom. III, p. 416 sqq. Epicurum apud Diogenem in primo membro de dis ipsis, in altero autem de divinis imaginibus, Velleium autem de imaginibus solis loqui vult, quae notionem quandam deorum in hominum animis efficiant[27]). Atqui loquitur tamen Velleius de vi et natura deorum, quorum illae imagines sunt, omniaque, quae ab eo dicuntur, de dis ipsis, et quidem de omnibus in universum, dici manifestum est, non de imaginibus. Hoc fortasse ipse Tennemannus sentiens mox, p. 417, eo confugit, ut imagines illas non tamen pro meris imaginibus sed pro diis ipsis ab Epicureis habitas esse sumat. Hinc igitur duo genera deorum efficit, unum eorum, qui ad numerum (κατ' ἀριθμόν) esse dicantur, quos non sine soliditate quadam corporis fuisse putat[28]); alterum eorum, qui imaginibus tantum constent nulla soliditate neque ad numerum, ex prioris generis corporibus continenter effluentibus formamque eorum unde effluxerint servantibus. — Haec mihi prorsus incredibilia videntur, neque dubitari posse puto, quin Epicurus, quemadmodum ceterarum rerum imagines ab rebus ipsis, quarum imagines sunt, sic etiam deorum imagines ab ipsis dis distinxerit, neque ullam causam probabilem invenio, cur eas tamen aliquid amplius quam imagines esse statuerit, divinamque iis personam, et, quod seiungi a divinis personis non potuit, vitam quoque deorum propriam aeternitatemque et beatitudinem tribuere aut voluerit aut potuerit. Nam ne caderet quidem in hos imagineos Tennemanni deos id, quod Epicurus deorum suorum proprium esse volebat, ut vitam degerent in intermundiis ab omni

---

27) Velleius spricht von den Bildern, durch welche die Vorstellung von Göttern hervorgebracht wird, Epikur aber von den Göttern selbst.

28) Individuelle Wesen mit Dichtigkeit begabt.

mundana contagione longe remoti, omnisque cum rebus terrestribus atque humanis commercii expertes otio sempiterno et summa quiete fruerentur: quum imaginibus istis necesse esset ex intermundiis semper evolare summa cum celeritate, cursuque nunquam intermisso in terras se procellere et in animos etiam incurrere. Igitur falsam esse Tennemanni opinionem longeque ab Epicuri ratione alienam satis me demonstrasse arbitror, cui opinioni quum aliquam probabilitatis speciem etiam ex Democriti placitis conciliari ait, p. 418, res plane diversas temere et imperite confudisse censendus est. Nam licet hoc quidem constet, Democritum deos ipsos *εἴδωλα* dixisse, alio tamen sensu quam Epicurus hoc vocabulo usus est. Non enim eas imagines ex personis quibusdam divinis humana forma indutis, quemadmodum ille, effluxisse voluit, sed quum naturam quandam s. substantiam divinam esse statueret ex atomis levissimis et subtilissimis, mundum omnem amplexam et per omnes eius partes diffusam, — *θειαν οὐσίαν* dixit et *κόσμου ψυχήν*, — ex hac universali et informi substantia divina atomos quasdam emanasse et in certas formas coaluisse censuit[29]), hisque *εἰδώλων* nomen indidit, non quo simulacra esse vellet aliorum quorundam deorum, quorum formas retinerent, sed quia pariter atque ea quae ex terrenis corporibus solidioribus imagines effluerent, atomis constarent tenuissimis omnique corporea concretione et soliditate carerent. Has igitur sic minus proprie imagines vocatas non deorum, ut Epicurus, sed deos ipsos esse voluit, neque, ut ille suis dis, in intermundiis quibusdam locum iis assignavit, ubi vitam agerent immortalem et ab omni terrestrium et humanarum rerum contagione remotam, sed versari eos credidit in mundo multisque modis aut bene facere hominibus aut male, nec immortales esse, sed tantum longaevos, *δυσφθάρτους μέν, οὐκ ἀφθάρτους δέ*[30]).

29) Clem. Alex. Strom. V, 86, p. 698 Pott.: *Δημόκριτος — πεποίηκεν εἴδωλα τοῖς ἀνθρώποις προσπίπτειν ἀπὸ τῆς θείας οὐσίας.* Hanc substantiam divinam Ps. Plut. de plac. phil. 1, 7, 11 *τὴν τοῦ κόσμου ψυχήν* dictam ait et *νοῦν ἐν πυρὶ σφαιροειδεῖ.* Cf. Cyrill. contr. Julian. 1. citatum a Menagio ad Diog. L. IX. p. 425 Hübn.

30) Sext. Emp adv. Phys. 1, 19. *Δημόκριτος δὲ εἴδωλά τινά φησιν ἐμπελάζειν τοῖς ἀνθρώποις, καὶ τούτων τὰ μὲν εἶναι ἀγαθοποιὰ τὰ δὲ κακοποιά (ἔνθεν καὶ εὔχεται εὐλόγων τυχεῖν εἰδώλων), εἶναι δὲ ταῦτα μεγάλα τε καὶ ὑπερφυῆ, καὶ δύσφθαρτα μέν, οὐκ ἄφθαρτα δέ, προσημαίνειν τε τὰ μέλλοντα τοῖς ἀνθρώποις θεωρούμενα καὶ φωνὰς ἀφιέντα. ὅθεν τούτων αὐτῶν φαντασίαν λαβόντες οἱ παλαιοὶ ὑπενόησαν εἶναι θεόν, μηδενὸς ἄλλου*

Post Tennemannum commemorandi sunt Heindorfius, Steinhartus, Hegelius. Et Heindorfius quidem, ad Cic. d. n. d. I, 19, 50, de duobus generibus deorum, quae ab Epicuro distincta esse ex eius verbis apud Diogenem liquere ait, in altero eos fuisse coniicit, qui, quamvis constarent ex atomis, quae perpetuo et coirent et dissolverentur, eundem tamen semper retinerent atomorum numerum, dum quicquid discessisset continuo novarum atomorum accessione repararetur, quum contra alterum deorum genus nihil esset nisi *εἴδωλα* quaedam seu imagines ex dis illis effluentes, quae cito perirent prorsus, sic tamen, ut novae inde sine intermissione ad nos effluerent cum eorum unde effluxissent similitudine. Habemus ergo hic quoque eosdem illos Tennemannianos deos imagineos, quales cur in dis censeri ab Epicuro non potuerint ex iis, quae modo a me dicta sunt, manifestum esse arbitror. — Steinhartus[31]) nihil amplius nisi videri ait Epicurum duo genera deorum distinxisse, non diffitetur tamen adversari huic sententiae Velleii verba apud Ciceronem: addere poterat, adversari cetera omnia de dis Epicuri testimonia. — De Hegelio denique non satis mihi liquere fateor quid rei sit: nam verba quidem legi, sententiam autem verborum sanam aut probabilem eruere nullo modo potui. Genera deorum duo fuisse ait, alterum quod numero constaret, instar numeri, nihil nisi numerus esset, idque esse i. q. ab omnibus, quae sensibus percipi viderique possunt, plane abstractum v. seiunctum, „abstractum“, ait, „in sensuali (das Abstracte im Sinnlichen)“; alterum genus esse perfectum quiddam et absolutum humana forma praeditum, idque existere per similitudinem imaginum ex perpetuo confluxu similium in unum idemque, quae ab hominibus perciperentur: plane generales in nobis imagines: hosque esse deos, qui etiam dormientibus singuli incurrerent.[32]) Haec si me non in-

---

παρὰ ταῦτα ὄντος θεοῦ τοῦ ἄφθαρτον φύσιν ἔχοντος. Cf. F. Papencordt, de atomicorum doctr. (Berol. 1832) p. 70 qui recte haec *εἴδωλα*, quae non a corporibus pendeant sed *ὑπόστασιν ἰδίαν* habeant, distinguenda monet ab iis, quae proprie imagines vocentur et e corporibus effluant, forma eorum servata.

31) In comm. de Epicuro supra not. 15. citata p. 477 not. 64.

32) Quum huiusmodi philosophematis exprimendis latina lingua non sufficiat, revendum est, ne quis me sententiam summi philosophi male vertendo corrupisse arguat. Transcribam igitur omnem hunc locum, ut legitur in scholis Hegelii de histor. philos. post ipsius mortem a Micheleto editis, part. 2. (Opp. XIV) p. 507: „Sie (die Götter) bestehen“, sagt Epikur, „theils (einige) in der

telligere fateor, vix verendum est, ne quis tarditatem meam aut inscitiam accuset; sed, utut est, hoc certe intelligo ac plane pro certo affirmo, Epicuro nihil eorum in mentem venisse.

Sic igitur quum duo genera deorum Epicuri nusquam nisi uno illo apud Diogenem loco commemorari constet, quumque huius loci interpretandi atque adeo cum Vellei obscura quidem, sed manifesto tamen contraria oratione apud Ciceronem conciliandi conamina frustra fuerint, quid faciemus? Tantane apud nos Diogenis, aut potius codicum Diogenis, quos multis modis corruptos esse nemo nescit, hoc tamen in loco auctoritas erit, ut rem quamvis alias incompertam et per se ipsam improbabilem persuaderi nobis patiamur, an audebimus diffidere librariis corruptamque eorum inscitia lectionem emendare conabimur? Sic factum est ab eo, quo nemo diligentius in omnem Epicuri philosophiam inquisivit, Gassendo, et post Gassendum ab aliis viris non sane contemnendis, in quorum partes ego quoque haud dubitanter concedo, licet ipsas eorum coniecturas non ex omni parte probem. Illud quidem, in quo hi omnes consentiunt, pro *οὓς μέν* apud Diogenem *οὐ μέν* scribendum esse, mihi quoque plane certum videtur; sed in altero membro, ubi nunc *οὓς δέ* scriptum legitur, neque *ὡς δέ*, quod Gassendus suspicabatur, verum esse puto, quoniam aptam huius adverbii significationem non invenio, neque id, quod Meinersius reposuit,[33]) *ἀλλά*, quod quo modo in *οὓς δέ* corrumpi

Zahl (*κατ' ἀριθμὸν ὑφεστῶτας*)", — wie die Zahl, sind Zahl; d. h. ganz abstrakt vom Sinnlichen, Sichtbaren, — das Abstrakte im Sinnlichen. Wenn wir sagen, das höchste Wesen, so glauben wir weit über die epikureische Philosophie hinaus zu sein, und sind doch in der That nicht weiter. Also die Götter sind theils wie die Zahlen, „theils sind sie (andere) das vollendete Menschenförmliche" (in menschlicher Weise vollendet worden, *ἀποτετελεσμένους ἀνθρωποειδῶς*), „was entsteht aus dem continuirlichen Zusammenfluss der gleichen Bilder auf Eins und dasselbe", die wir empfangen, — die ganz allgemeinen Bilder in uns. Das sind die Götter; einzeln fallen sie im Schlaf in uns. Dies allgemeine Bild, ein Concretes, das zugleich menschlich vorgestellt ist, ist dasselbe, was wir Ideal nennen; nur dass ihm hier der Ursprung so gegeben ist, dass Bilder aufeinander fallen." Vix mihi persuadere possum haec omnia sic ipsum Hegelium dixisse: suspicor ab aliquo auditore magistri verba non recte accepta esse.

33) In comment. de Epicuro (Ueber Epikurs Charakter und dessen Widersprüche in der Lehre von Gott) quae extat in eius scriptt. phil. miscell. (Vermischte phil. Schr. Leipz. 1776) tom. II p. 121.

potuerit, non video. Obstat autem utrique coniecturae etiam hoc, quod sic verba huius membri *ἐκ τῆς συνεχοῦς ἐπιῤῥύσεως τῶν ὁμοίων εἰδώλων* non poterunt nisi cum *ὑφεστῶτας* construi, quod e superiori membro huc trahendum erit, diceturque sic deorum *ὑπόστασις*, h. e. substantia, esse s. constare ex affluxu imaginum, id quod absurdum est, quum imagines quidem ex dis effluant, nullo modo autem di e suis ipsorum imaginibus existere ac prodire possint. Desidero igitur aliud verbum, unde hoc *ἐκ τῆς συνεχοῦς ἐπιῤῥύσεως* pendere apte possit, cuius verbi, oblitterata prima parte, postremae tantum litterae *ους* relictae erant. Hoc *ους* corrector aliquis, pronomen esse ratus, spiritus signo auxit, simulque, quum *οὓς δέ* dici non posse intelligeret, nisi praecederet *οὓς μέν*, hoc ipsum invexit negatione *οὐ* in pronomen *οὕς* mutata. Verbum autem illud, cuius postremae tantum litterae supererant, *γνωστοὺς* fuisse arbitror, quo restituto sententiam hanc esse videmus, ut di non quidem ad numerum constare dicantur, h. e. non sic ut numerus eorum iniri et singuli discerni possint, sed notio tamen eorum capiatur ex imaginibus continuo effluentibus. Nempe haec est deorum *γνῶσις*, quam *ἐναργῆ* Epicurus esse ait in epist. ad Menoec. §. 123, vocabulo proprie usurpato de visionibus, quas imagines vel in sensus vel in animum ipsum incurrentes efficiunt; et harum *ἐναργείᾳ* opponitur ea rerum intelligentia, quae *λόγῳ*, h. e. ratione et cogitando comparatur. In epistola ad Herod. §. 68 *γνωστὰ κατὰ τὴν αἴσθησιν* dicuntur, quae corporis sensibus percipiuntur, quum effluentes ex rebus imagines hos acessunt: sic igitur *γνωστὰ* etiam ea dici poterant, unde effluentes imagines non quidem *τὴν σαρκίνην αἴσθησιν*, sed ipsum animum, *τὴν ψυχικὴν αἴσθησιν*, tangerent, id quod de imaginibus deorum propter summam earum subtilitatem, qua corporis sensus fugerent, Epicurum docuisse supra memoravimus.[34]) Hae ut ab animo perciperentur, propter similem animi cum illis imaginibus naturam fieri potuit: similia enim similibus percipi vetus fuit physicorum doctrina,[35])

34) Cf. quae supra diximus p. 339 et 348. Add. Lucret. V, 149:

Tenuis enim natura deum longeque remota
sensibus a nostris animi vix mente videtur.

ubi animi mentem dici apparet illam animi partem, de qua III, 244 exposuit, ex longe tenuissimis atomis, in qua est quam *ψυχικὴν αἴσθησιν* ego vocavi. Cf. Diog. L. X, 66 et praecipue Stobae. Ecl. I, 52 p. 798.

35) Cf. Trendelenburg. ad Arist. de anima p. 220 et 228. Bonitz. ad Metaph.

etiam Democriti, et hinc sine dubio ad Epicurum propagata. Neque dubito, quin *κατὰ ὁμοειδίαν* in Epicuri verbis apud Diogenem de hac divinarum imaginum cum animi natura similitudine accipi debeat, ut di propter hanc *γνωστοὶ* esse dicantur. Eà similitudo recte *ὁμοειδία* dici potuit, quippe quum constaret simili atomorum forma, rotunda illa et levi, ut Democritus quoque docuerat.[36]) Neque Velleii verba apud Ciceronem c. 19, 49 de imaginibus similitudine et transitione perceptis aliud quid significare possunt, quam percipi eas propter naturae suae cum animo similitudinem promptamque ideo et facilem in animum transitionem. In Epicuri autem verbis proximis *ἐξ ἐπιρρύσεως τῶν ὁμοίων εἰδώλων ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἀποτετελεσμένων ἀνθρωποειδῶσ* illud *ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἀποτετελεσμένων* nihil aliud esse puto, quam quod apud Ciceronem c. 39 in. Cotta dicit, fluentium frequenter transitione visionem fieri, ut e multis una videatur. Nam recte *ἐπὶ τὸ αὐτὸ* (scil. *ἀποτέλεσμα*) *ἀποτελεῖσθαι* dici poterant *τὰ εἴδωλα*, quorum effectus (hoc est enim *ἀποτέλεσμα*) unus idemque esset, ut forma divina humanae non absimilis (*ἀνθρωποειδῶς*) animo insinuaretur. Atque hoc unum percipi ex imaginum visione Epicurus statuebat, ut essent di humana forma: discretas autem et singulares deorum formas percipi negabat, quaeque de his homines opinarentur poetaeque et artifices fingerent, non ex vera visione hausta, sed errori mentis falsa veris admiscentis imputanda esse statuebat. Probe autem cavendum est, ne adversariorum cavillationibus conturbemur et in errorem inducamur. Norunt enim qui in hoc genere litterarum mediocriter modo versati sunt, quanto opere apud veteres philosophos partium studia veritati saepenumero et bonae fidei offecerint, et quam multa de iis, quos sibi quisque impugnandos sumpsisset, aut plane falsa et commenticia dixerint, aut absurda et inter se pugnantia ex eorum placitis maligna interpretatione elicuerint, quae illis nunquam in mentem venisse cuivis rem sobrie et severe examinanti facile appareat. Epicuri autem aut vitam et mores infamare aut placita diffingere et adulterare tanto magis fortasse adversarii licere sibi putaverunt, quanto magis is ipse iniquus aliorum censor fuisse

p. 161. Karsten. Empedocl. v. 321. Parmen. p. 267 sq. De Democrito vid. impr. Sext. Emp. adv. log. 1, 116 sq. Philipson. *ὕλη ἀνθρωπ.* p. 210. Papencordt. de atomic. doctr. p. 49.

36) Stobae. l. l. p. 796. cf. Papencordt p. 46. Philipson. p. 208.

haud immerito videbatur. Sic igitur etiam in iis, quae apud Ciceronem Cotta contra Epicurum disputat, ex alicuius Academici libro haud dubie petita, non pauca esse videmus, de quibus dubitari nequeat, quin non ad veritatem dicta sint, sed magis quid ex eius placitis adversarii elicere aut quem ad modum ea diffingere studuerint, quam quid ipsi placuerit ostendant. Modo enim irrideri videmus unam deorum visionem e multis factam unamque deorum faciem, quo fiat ut nihil inter deum et deum intersit nec internoscere se ipsi inter se possint (c. 29, 80. 30, 84), modo autem non solum sexus diversitatem, ut alii mares sint aliae feminae (c. 34, 95) et quae hinc consequuntur, concubitus puta et liberorum procreationem, sed etiam barbatum Iovem, galeatam Minervam (c. 35, 100), Iunonem Sospitam cum pelle caprina et calceolis repandis (c. 29, 82), quasi tales reapse deos esse Epicurei crediderint: quae quum inter se pugnare appareat, manifestum est hoc alterum non ex Epicuri aut alicuius Epicurei mente dictum, sed adversariorum cavillatione suppositum esse. Epicurus sine dubio hoc unum docuit, imaginum divinarum transitione generalem quidem notionem deorum humana forma praeditorum animis inditam esse, de singulis autem nihil amplius ex his visionibus percipi: itaque quali essent actione vitae, tantum modo dici posse, quantum ratio posceret aut ferret, ut vitam agerent beatam ac sempiternam; cetera autem omnia, quo modo inter se viverent, quibus voluptatibus fruerentur, et quae sunt id genus alia, prorsus incomperta esse, variisque proinde opinionibus, modo rationi non repugnantibus, locum concedi posse: quemadmodum etiam de aliis rebus physicis non paucis in epistola ad Pythoclem hanc opinandi libertatem concedendam esse ait. Cottae vero quid responderi a Velleio potuerit de Iove barbato, Minerva galeata, Iunone Sospita cum pelle caprina etiam me tacente sua quisque sponte intelliget: nempe esse quidem huiusmodi deorum formas, quales vulgo credantur et fingantur, sibi haudquaquam ignotas, quippe quum pictas eas aut sculptas saepenumero viderit; fieri igitur sane posse, ut etiam in somnis sibi occurrant; non tamen tam stultum se esse, ut has formas ex vera et incorrupta divinarum imaginum visione ductas, ac non potius aliunde natas et errore tantum in deos translatas esse existimet.

Haec habui quae de Epicuri theologia dicerem, non quo eam probarem, — non enim Epicureus sum, — sed ut conferrem saltem aliquid, quo aut corrupta et obscura veterum scriptorum testimonia

emendarentur et illustrarentur, aut recentiorum quorundam errores corrigerentur, aut adversariorum calumniae redarguerentur. Nam iustitiam debemus etiam iis, quos minime probamus. Et quantumvis Epicuri doctrina atomistica respuenda sit, tamen, hac semel admissa, etiam theologia tali fundamento superstructa non tam ridicula et absurda censeri debet, quam plerique voluerunt.

Scrib. Gryphiswaldiae a. d. III. Id. Iul. MDCCCLXIV.

ADDEND. AD P. 288. NOT.

Plauti versus sic ut a me scriptus est legitur in omnibus quae mihi ad manum erant editionibus, ac postea demum Spengelii editionem inspicere potui, in qua scriptum vidi: id ita experta es et nunc experiere mea Phronesium, in codicibus autem esse: id ita esse experta es aut ẽe. Expunxit igitur Spengelius esse, quod est in codicibus, addidit autem et, quod codices non habent, nisi quis forte id in ẽe latere dicat. Tamen haud improbabilem emendationem dixerim, neque igitur satis certum formae nuncque exemplum esse concedo. — Porro quod de Madvigio dixi, re accuratius considerata sic nunc retracto, ut, quantum quidem ad pronuntiationem attinet eiusmodi duntaxat formarum, quales sunt sicque et nuncque, in quibus que longae aut natura aut positione syllabae adhaesit, veram viri praestantissimi sententiam esse censeam. Nam gutturalium litterarum geminationem non tantum asperam esse, cum Wagnero ad Vergil. Catal. XI, 45, sed prorsus exprimi voce non posse puto nisi in brevitate syllabae prioris, velut in quicquid, ecquis ac similibus. Nam non audiendos esse qui ecquis ex en quis coaluisse opinantur, alibi exposui. Nihilo minus tamen non magnopere indignandum arbitror, si etiam sicque aut nuncque scriptum invenimus. Non raro enim in quovis sermone fieri solet, ut litterae, quamvis a loquentibus non expressae, in scriptura tamen ponantur, etymologiae causa et quo minus errari a legentibus possit. Sic e. c. nihil frequentius est, quam ut post litteram x, cuius vis est = cs, tamen s scribatur in compositis, velut exsul, exsto, exspecto, quod quidem Quintilianus 1, 7, 4 propterea scribi a multis ait, ut non pecto sed specto inesse manifestum fiat. Reprehenditur hoc a Prisciano aliisque, neque iniuria; sed fieri tamen a multis solitum esse et hodieque passim fieri videmus. Non aliter de sicque et nuncque iudicabimus: auditam quidem c ante qu non esse, sed scribi tamen potuisse quodam per-

spicuitatis studio, quamvis nimio, et in his quidem formis ne propter etymologiam quidem probando. Etenim in sic, nunc et tunc littera c non ingenita est, sed addita tantum fortioris demonstrationis causa, neque hoc demonstrationis elemento omisso particulae illae propriam suam significationem amittunt. Num enim in etiamnum, tum in etiamtum idem valent, quod nunc et tunc. Si autem pro sic, ut hodie in Romanensium linguis, sine dubio etiam antiquitus in vulgari sermone dicebatur, nec raro etiam in codicibus scriptum invenitur. Qua ratione autem adverbium demonstrativum etiam coniunctionis continuativae (s. conditionalis) munere fungi potuerit, prudentioribus non difficile erit ad perspiciendum, fierique etiam in nostro sermone patrio videmus, ut particula so utroque modo usurpetur.

INDEX RERUM ET VERBORUM.

A.

B.

C. *K.* *X.*

D. *Δ.*

INDEX SCRIPTORUM.

Berolini apud Weidmannos (J. Reimer).

Berolini Typis Paul Stankiewicz.

Farnell



